Museum für Volkskunde
Wien
BIBLIOTHEK
Nr.: 10.181
Standort: N:10

Gesänge der
Bauernverlobung
Bauernhochzeit
Bauernbegräbnis

Vat Rosmarin Menstrain zu
machen

Nim 2 Loth Rosmarin
Citronen
S. Johan

Den Rosmarin soll man schön klauben, und
3 Lagen Brait darein machen, und
den abend Vor margrete anfangen
mit gutem Brunnen gestein.

Zu gebrauchen Die des Menschen
Klainen in den nerfen von Kinder
wee angeloben Die Zu Hundslyn
als Zahnen über die Ohren und Laider
schnee Zu gebrauchen

Das Lebendig Mos von einem Eichbaum
in einen Kig gebachen und also warm ge-
gossen, Die Flecken von Hand an stellen.

Gebrauchen Zu Leuß

Laug von Hirschbaum gut Vor Weh wenn
einem Zahn Zu Lieb Vor grund aus

Zu Epilepsia

Das Hirn von einem Rehen Kopf 3 mal Lebendig Ge
backen und gepulvert Volgenden Tag nüchtern zu gebrauchen

JOCORVM
ATQVE
SERIORUM, TUM
NOVORUM, TUM SELECTORUM, ATQUE MEMORABILIUM,

LIBER PRIMUS,

Jucundus, utilis, lectuque maximoperè dignus;

Recensente

OTHONE MELANDRO
J. U. D.

Cum Indice Jocorum ac Seriorum.



andum fuit.
menda irre-
os putaveri-
hus. Enim-
LICHÆ im esse illud

Ex Officina Typographica
Guolgangi Kezelii.
M. DC. IV.

10.181

MUSEUM FÜR VOLKSKUNDE
BIBLIOTHEK
WIEN

Myth Bibl.
no. 1591

TYPOGRA
CANDIDO
CTORI

S.P.

RODIIT
nium no
typograp
atq; Seri
thonis Melandri Jur
primus, sed aliquanto
mulemus, mendosio
nundinæ jam tum F
apperterent, ac præ
admodum nobis fe
Itaque evenit, ut pl
plerint, quam au
mus, aut certe volu
vero experti sumus
vetustate contritu
Canis festinans cæcus p

A

TYPOGRAPHUS CANDIDO LECTORI

S. P.

PRODIIT abhinc biennium nostra ex officina typographica Jocorum atq; Seriorum D.D. Othonis Melandri Jureconsulti *Liber primus*, sed aliquanto, ne quid dissimulemus, mendosior. Quod enim nundinæ jam tum Francofurtenses appeterent, ac præ foribus essent, admodum nobis festinandum fuit. Itaque evenit, ut plura menda irrepserint, quam aut nos putaverimus, aut certe voluerimus. Enimvero experti sumus verum esse illud vetustate contritum proverbium, *Canis festinans cæcos parit catulos.* Cæ-

terum nos nunc σφάλματα ista pleraq; omnia demenda & abstergenda curavimus, ut probe castigatus in publicum nunc provolet. Tu igitur amice lector laborem hunc nostrum boni consules, & intra mensem unum atque alterum, *Secundum* etiam *Librum* expectabis, & bene feliciterque valebis. Iterum atque iterum vale. Perscriptum LICHÆ 23. Martii, Anno 1604.

Tuus totus

Guolgangus Kezelius.

OTHO

OTHO MELANDER,
JURIS UTRIUSQUE
Doctor, Lectori benevolo
S. P. D.

QUos fando peregre jocos profectus
Accepi, mihi vel venustiorum
Vatum lectio, tum disertiorum
Scriptorum dedit in DEI *sacratis*
Pagellis, vel in arte Scævolarum,
Pomponi, Labeonis, Ulpiani,
Vel Cyrrhæi in Apollinis vireto,
Sophorumq; patrum, meis notavi
Chartis: seria lectione digna
Hic inventa simul notare visum est,
Dum vacant alii helluationi,
Aleamq; sequuntur otiosam,
Hunc librum lege care Lector, ille
Cachinnos tibi mille concitabit,
Commodis totidemq; te beabit,
Civilis quibus indiget palæstra,

Momentoq; carere nescit uno.
Id vere tibi prædicare Lector
Possum: Perlege, vera me locutum
Dices, ac mihi gratias benigne
Solves, hæc joca mixta lectiora
Seriis gravioribus, sub auras
Quod tuli, atq; precaberis trecenta
Talia adjiciam hisce quo sequenti
Brevi tempore, si quid otiosi
Relinquat mihi temporis sacrata
Themis Diva: cui litare mane
Vesperiq; meum est suave olentes
Odores Bene, Lector, his valebis,
Consulesq; boni meas Camœnas.

CATA-

CATALOGUS EORUM AUCTORUM, qui Sales atq; Facetias ante nos scripserunt.

NE Criticus aliquis de illorum grege, quibus sua duntaxat placent, aliena autem semper sordent, sibi forte persuadeat, novo quodam nos exemplo facetias edere, ecce tibi proferimus Catalogum tum recentium tum veterum praestantissimorum virorum in omni scientiarum facultate, qui ante nos facetias scripserunt, ut ita Momi calumnias obviam eamus. Caeterum ex illorum nos libris, quos huc annotare visum fuit, ne χρὴ quidem, quod tibi sancte Lector confirmo, in hunc nostrum transtulimus. Sequuntur autem nunc auctores ipsi:

Adrianus Barlandus scripsit jocorum veterum atq; recentium libros quinque.

Alexander ab Alexandro Juriconsultus.

Antonius Mizaldus scripsit centurias novem memorabilium & jucundorum.

Conradus Peutingerus, Juris utriusq; Doctor, scripsit sermones convivales.

Eckebertus Leodiensis Ecclesiæ Clericus, natione Germanus, scripsit metro eleganti de aenigmatibus rusticanis libros duos.

Franciscus Philelphus de Jocis & Seriis scripsit libros sex hexametris versibus.

Henricus Bebelius.

Henricus Euticus, Francus Orientalis, scripsit carmine doctissimo urbanos & lepidos juvenum jocos.

Iohannes Bocatius scripsit multos libros jocosos Hetrusco sermone, ab alio in latinum conversos.

Iohannes Gastius, Basilienſis Eccleſiæ miniſter, Theologus doctiſſimus, ſcripſit jocorum ſive ſermonum convivalium Tomos tres lectu digniſſimos.

Iohannes Heitfeldius ſcripſit ſphyngem anigmaticam, librum admodum jocoſum.

Iohannes Lorichius Hadamarius ſcripſit librum anigmatum.

Iohannes Lelandus Antiquarius Londinenſis.

Iohannes Manlius in Locis communibus ſcripſit multa jocoſa ex Domini Philippi Melanchthonis prælectionibus.

Iohannes Nobletus, Carmelita, natione Gallus, ſcripſit centiloquium anigmatum.

Iohannes Peregrinus Petroſilanus ſcripſit librum convivalium ſermonum jocis ac ſalibus refertum, in quo admixtæ ſunt nonnunquam jucundæ & veræ narrationes.

Lucius Domitius Brucenius ſcripſit rerum memorabilium, ſententiarum, hiſtoriarum, miraculorum, facetiarumq; libros octo.

Macrobius Aurelius in libris ſuis multa jocoſa habet cum de Cicerone, tum de aliis.

M. T. C. ſcripſit jocularem libellum, qui injuria temporum intercidit.

Martinus Lutherus, Theologus Opt. Max. qui multa habet jocoſa, & lectu digna, rumpantur ut ilia Codro! in ſuis ſermonibus menſalibus.

Nicodemus Friſchlinus Orator, Philoſophus & Poeta præſtantiſſimus, ſcripſit etiam librum facetiarum ante biennium editum.

Othomarus Luſcinius Argentoratenſis, ſcripſit etiam jocos atque ſeria.

De

DE JOCIS ATQVE SALIBVS festivis doctorum quorundam virorum judicia.

Erasmus in Commentar. in Nov. Testam. in Epist. ad Ephes. cap. 5. pag. 545. circ. fin.

EQuidem ut jocos utcunque tolero, modo docti sint & sale conditi: ita non fero quosdam, qui, quoties urbani videri volunt, è divinis literis ad suas ineptias detorquent aliquid. Quod infestivum festivitatis genus impense video placere monachis quibusdam, ac sacerdotibus etiam nonnullis, qui si cupiant vel insectari quempiam, canticum Mariæ vulgo dictum, Magnificat: aut canticum vulgo dictum, Te Deum: commutatis aliquot verbis detorquent ad virulentiam.

Johannes Posthius.

NEc juvat assidue libros tractare severos,
Bartole sive tuos, sive Galene tuos:
Sed libet ad dulces etiam descendere lusus,
Atque animum doctis exhilarare jocis.

Johannes Reiffenstein in epistola ad Johannem Secerium, præfixa primæ editioni Epigrammatum Philippi.

SCribunt hoc tempore quidam, si diis placet, graves viri tantum non ἀμάξας βλασφημιῶν. Ego puto utilius esse edi atque legi hujusmodi eruditos & incruentos jocos, præsertim si qui continēt utilia vitæ & moribus præcepta, quales in his aliquot reperies.

Martialis in præfatione lib. 1. Epigramm.

ABsit à jocorum nostrorum simplicitate malignus interpres, &c. Vide sequentia.

Idem lib. 3 Epigr. Epigramm. penul.

INnocuos permitte sales, cur ludere nobis
Non liceat?

Bartholomæus Bononiensis ad Mimum Rescium Senatorem Bononiensem, in vita Codri, pag 51.

INterrogatus CODRVS à quodam, cur in omni sermone tam crebris uteretur facetiis? naturam eo finxisse homines, respondebat, ut salsi essent, urbani, & narratores faceti.

Sebastianus Schefferus.

OMnis habet sua pensa dies: tamen unica nugis
Forte potest annos vilibus hora dari.
Seria cum ponis, cape delectantia vitam,
Sic agis: est ingens vita Catonis opus.

Euricius Cordus in Epigrammat.

QUid juvat usque adeo tristes simulare Catones?
Vos modo convivas non decet esse sophos.
Desipere est semper sapere, & non tempora nosse,
Nec, qui læta velit quiq; severa, locus.

Johannes Garzæus in sua Meteorologia, pag 229. & 230.

Quid Latini Sales nominant?

ERasmus in Adagiis Sales dici affirmat festiviter & argute dicta, nõ sine illecebra quadã mordacitatis. Inde salsa dicitur oratio, qua non est insulsa, sed sua condimenta habet, etiamsi simplex oratio sit, quæ velut palatum exsitans, à tædio sermonem defendat.

Sicut enim salin cibis paulo liberius aspersus, si tamen non sit immodicus, affert aliquid propriæ voluptatis, ita oratio salsa habet in dicendo quid singulare, quod audiendi sitim excitet.

Sunt autem tres virtutes, quæ proprie circa sermonẽ versantur. Prima est veritas seu veracitas qua cõstanter vult & cogitationes veras habere, & dicere vera, id est, congruentia cum rebus; nec cogitando aut dicendo asseverare falsa, id est, pugnantia cum rebus. Hæc omnibus necessaria est virtus, sine qua vita regi non

non potest. Ac quidem exstricta veritate, doctrinas & artes omnes, judicia, contractus & pacta simul interire necesse est.

Secunda virtus est comitas, quæ est facilitas in cōpellando & audiendo, seu velle sine morositate, sine fastidiis, sine superbia placide compellare honestos homines, & audire præsertim eos, qui scisciātur aliquid de doctrinis, aut exponunt caussas quas officii ratio cognosci postulat, aut quorum animi leniendi sunt, aut in dolore, aut in ira aut in aliis affectibus.

Hæc virtus magnum decus est in homine, sed tamē neq; omnium hominum, neq; omnium temporū. Maxime exornat gubernatores & Doctores. Nec sine singulari prudentia, prospiciente, qui sint compellandi, esse potest, quo genere sermonis & officii animi sint excitandi. Denique multum consilii, & artis, & eruditionis hæc suavitas in congressibus postulat.

Tertia virtus est circa sermonē potius ingenii facultas, quam virtus. Est enim re ipsa ingenii celeritas figurate admonens, aut reprehendens, cōprobans aut refutans, seu methaphoris, seu Ironia, seu translatione caussarū, seu ambigua ratione seu παρονομασία, seu apologis, seu historicis exemplis, seu comicis, seu tragicis seu gnomis. Cum enim celeriter mens & præter aliorū exspectationem facit collationē cū re simili, aut transfert caussas, concinnitas admirationem parit, eaq; dicta sunt alias joci in materia hilari, alias aculei acerbe taxantes aliquid. Unde falsum etiā dicterium dicitur quod acrimonia quadam mordet.

Quæ est differentia inter salem Mercurii, & salem Momi?

Sal Mercurii sive candidus dicitur, qui condimētū est sermonis, figurarū quadā venustate acres admonitiones proponit, & altius animos penetrat, nō ex vanitate, ambitione, aut cupiditate nocēdi, sed utilitate hominū servat adhibito modo, aut cōsuletur, aut placet,

cet, aut excitet ut postulat occasio. Hic sal Mercurii sive ingenii celeritas, lepos in oratione salsa sine amarulentia & scurrilitate, vere Dei opus est, & eruditione mens instruenda est, ut bene condita proponat alus, non insipida aut futilia, ad gloriam Dei, & utilitatem communem.

Sal Momi dicitur sive sal niger, qui ex virulentia, maledicentia, & obscœnitate inepta & intempestiva reprehensione oritur. Hic sal communissimus est hoc nostro seculo. Heu quam multi sunt faciles & atroces in suggillando, cavillando, obtrectando, indulgendo affectibus, ut de hujusmodi recte dici possit: Nulla in tã magno est corpore mica salis. Dictus est à Momo, de quo Poeta fabulantur, hunc Deum nocte matre, somno patre progenitum, nihil operis edere, sed alterum Deorum opera curiosis oculis contemplari, & si quid sit omissum aut perperam factum, id carpere summa cum libertate. Vnde μῶμος reprehensionem sonat. Hanc atrum Momi salem toto pectore detestemur, & studiosi simus candidi salis, juxta præceptum Christi: Retinete salem in vobis & sitis concordes ac oremus, ut nos cæsti sale gubernet, quam ex sinu æterni patris protulit.

Quomodo intelligis adagium:
Salsitudo non inest illi.

Consule Erasmum. Is in insacetos, fatuos, & stupidos, ita recte dici affirmat. Sal enim primũ maximeque commune est condimentum. Ac Plinius indicat lib. 21. Metaphoram esse sumtam ab usu salis, quod in omnibus cibis sit condimenti vice, & aviditatem invitet. Ergo hercle, inquit, vita humana sine sale nequit degere, adeo necessarium est condimentum, ut transierit intellectus ad voluptates animi.

Qui

QUi quandoque sales non immiscere facetos
Novit: is indignus, qui voret ore salem, est.
Qui ve recensentem non vult audire lepores,
Est lepus, atque animi non habet ille salem.
Musica vita Deo grata est hominumque catervæ,
Exeat è mundo, qui joca docta fugit.

Otho Melander I.V.D.F.

I. DE

I. DE POLONO QUODAM ET GALLO.

REgem Gallorum Henricum ejus nominis III. Poloniæ occupandæ causſa, cui regni illius proceres eum præfecerant, Germaniam Anno 1573. transeuntem, cum multis ampliſſimis honoribus *Georgius Balthaſar à Dermbach*, Fuldanæ Eccleſiæ Abbas affecit, tum hoc etiam decoravit, quod concioni eum alicui adhibuerit, quam Jeſuita quidam eruditionis claritate præter cæteros admirabilis tum quidem habuit. Hac autem in concione novi quippiam memorabileque accidit, quod non poſſum non in fronte ſtatim *Synæromi hujus noſtri* ponere, atque collocare; res vero ſic habet.

Quum nugator iſte bonam horæ partem, male rudendo jã perdidiſſet, cœperunt ejus λεπτοναυσεοχίαι *Polono* cuidam, cum nauſeam movere, tum ſtomachum etiam facere: atq; hoc quidem ille ad *Gallum* ſibi aſſidentem minime omnium diſſimulavit. Quantopere vero *Polonus* Matæologum hunc clandeſtinis ac ardentibus maledictis & ſigebat & ſugillabat, tantopere è diverſo *Gallus* eum laudib. ad cœlum extollebat. Hæc igitur diſceptio, cum aliquandiu acriter inter eos vehementerq; ferbuiſſet, ita ad extremum iracundia ſtomachoq; utrinque exarſere, ut à verbis ad verbera proſilierint. *Gallus* enim convitiorum in Jeſuitam

suitam conjectorum, tandem aliquando pertæsus, sica *Poloni* nates pungit foditque. Quod quidem etsi implacatissime *Polonus* ferebat, dissimulabat tamen, ne quis inde scilicet tumultus exsisteret, Cæterum concione jam peracta *Polonus Gallum*, qui in fugam sese jam dabat, extemplo insequitur comprehensumque hanc in rationem affatur: Tu vero *Galle* ne pro nebulone isto non pro pugnares, me, quem minime omnium oportuit, oppugnasti, utq; fortiter eum defenderes, me perfidiose offendisti, atq; adeo consauciasti. Id equidem amoliendæ seditionis caussa tacitus tum devoravi, patienterque tuli; At nunc mihi locus datur, istanc tam insignem injuriam ulciscendi. Nec mora acinacem mox suum distringuit, eoque illi brachium stirpitus abrumpit, hoc adjecto sarcasmo: Moriar equidem Cape, si vel tu, vel ipse ego ulli unquam concioni interfuerimus, quæ tam fixe firmiterque in animis nostris insederit, quam hodierna quidem ista inhæsura est. Cum etenim ego plagæ istius, in natibus nunc acceptæ, oblivisci nunquam potero, tum tibi etiã perpetuo haud dubie ante oculos atq; animũ versabitur calamitiosa ista brachii tui jactura atq; amissio. Præclare autem tecum ageretur *Galle*, si Esauita iste tuus, pro quo tibi neq; inimicitias, neque vitæ dimicationes defugiendas parasti, perinde tibi brachium istud restituere assuereque posset, ut Jesus quidem noster Malcho auriculam abscissam resarsit. At vero nequicquam hoc ipsum cum exspectes futurum equidem spero, ut non tanti deinceps Stelliones hosce facias, quanti hactenus quidem eos feciſti.

Petrum sane, ut ne longius abeam, haud paulo fœlicius pro suo Jesu, quam tu pro tuo isto, arma

ma sumsit. Nam is quidem hercle, quod tu minime omnium ignoras, nulla sui corporis parte læsus, medium hostium suorum agmen perrupit, atque adeo grave Malcho luculentumque vulnus inflixit. Tibi autem misero hæc pugna ut cecidit? Qui non ita pridem ferox cristatusq; eras *Gallus*, paratus vel cum Hercule manus conferre, *Ecce cares dextra, Capoq; factus iners.* Præterea noster Iesus, Malcho lictori suo, à quo nil nisi vincula, nihil nisi exitium, atque adeo interitum exspectabat, medicam adhibere manum dignus est: Tuus autem ESVITA quid? Is quidem nusquam nunc gentium apparet, ut tibi amico atque propugnatori suo vulnus obliget sanetq;. Quæ igitur (malum) stultitia fuit, pro nebulone isto tantum periculum subire? Sed bene habet *Galle*, minores nimirum in posteritatem sumtus faciat. Nam cum binæ tibi ante alæ cõvestiendæ fuerint, unã duntaxat posthac amicies. Profecto cum brachio carneo stulte innixus fueris, idq; σὺν δοεὶ σὺν ἀσπίδι tegere atque tueri volueris, tuum ipsius ioculariter amisisti. Agnosce igitur *Gallinacee*, temeritatis te tuæ justas nunc pœnas perpendisse, ac cave per fortunas, *Sarmatas* deinceps irrites. Habent enim illi *acinaces*, quod magno tuo malo expertus jam es, minime hebetes aut retusos, sed mirum mehercule in modum acutos vulnificosque. Quod si nostra nobis in Polonia perinde ut in itinere hoc insultaveritis, *næ, minus vobis, quam* lupis, *parcemus.*

Hæc quidem conflictio, ut aliis astantibus, atque audientibus summæ incredibiliq; voluptati fuit, ita è contrario miseris his, hunc ad modum consciis, vulneribusque confectis, non potuit non supra quam dici potest, acerba luctuosaque accidere.

II. De

II. De Germano quodam & Hispano.

CONTIGIT in *Comitiis Augustanis*, ut inter quosdam haberentur colloquia de solertia ingeniorum, quænam gens, *Italine, Hispani, Germani, Poloni, &c.* reliquas gentes ingenii acumine vincerent. Ibi certarunt inter sese de solertia ingeniorum duo, unus *Hispanus* natione, alter *Germanus*; Convenit inter eos, ut qui ingeniosiùs furari posset, alteri XX. ducatos solveret.

Hispanus affirmat, se aviculæ incubanti ovis, ea subtrahere & furari velle, ita ut avicula non sentiret, nec avolaret. Inquit *Germanus*, ostendas artem tuam, quacunque in re lubet, ego viciſſim meum ingenium & solertiam ostēdam. Exspaciantur extra urbem *Hispanus* & *Germanus*, & cum illis delecti judices. *Hispanus* inquirit hinc inde nidum in arbore, & avem incubantem, quam ubi invenit, mox vestes sericas, catenam auream, gladium, pugionem, cum reliquis ornamentis prope arborem exuit & deponit, ac arborem ascendit, in cujus summitatem quum ascendisset, accurrit *Germanus*, ac vestes & reliqua ornamenta deposita ad arborem, inspectante *Hispano* ex summitate arboris, subtrahit & aufugit. Quo furto artificiosè commisso, pronunciatum est *Germanum* ingenii solertia vicisse *Hispanum*. *D. Major* in explicatione Euangelii de iniquo Dispensatore.

III. De Italo quodam & Germano.

ERat GERMANORUM in numero juvenis acer & fortis *Georgius Sonnenbergius*, claro loco natus, qui turmæ equitum præerat. Ad hunc cùm esset allatum, *Antonium Mariam Seyenitatem*, IMPERATORIS *filium* inter suos jactavisse, si ex hostium copia egregius vir quispiam equestri pugna congredi velit, se cum eo decertaturum, proque sua parte ostensurum, quantum belli gloria *Itali*

Germanos antecellant: mittit ad Venetos tubicinem, qui *Antonio* denunciet, se paratum esse certaminis fortunam experiri. Remissus ad *Georgium* tubicen, refert, expectari cupidè illud ab *Antonio*. Itaque die dictâ clausum in campum, atque ad id comparatum, æquo inter bina castra spacio diversa ex parte uterq; armatus atq; adornatus sese intulit, & parvâ interjectâ morâ citatis equis concurrunt. *Antonius* hastam in *Germani* pectus infringit: thorax ægrè hastæ impetum sustinet: tum verò equus *Antonii* jam incitatior, neque sat habilis contineri, in trabales campi munitiones ita impingit, ut iis perfractis atq; disjectis, ipso humi prolapso, *Antonius* se ejiceret. Itaq; pedes ex equite factus, ubi *hostem* in equo jam conversum districto in se gladio venientem videt, post tignum trabibus repagulisq; sustinendis solo fixum sese continet: ita *Germanum* assultantem, atque ictus de superiori loco adigentem, districto item gladio repellebat, quaq; ipsum poterat, appetebat: nam æquali lege prius dicta, ferire *Antonius* non poterat. Sed dum crebris ictibus acriter uterque rem gerit, neque quantum vult, proficit, propterea quod galea, thorace, cæterisq; ferreis indumentis totum penè corpus protegebatur, *Antonius* iracundia plenus, quòd iniquam subire dimicationem cogeretur, seque ipse tacitè incendens, hosti cupidius ferienti, impetu facto gladium aufert, illo ab ephippiis ferreâ, quam gerebat, abreptâ clavâ, pro gladio utitur. Tum verò clarâ ad *Germanum* voce, quid tu autem, inquit *Antonius*, me cogis unum cum duobus depugnare, quorum alteri lex, alteri aliena arma sunt præsidio? Si vir es, æquo Marte manum consere. Ita *Germanus* existimationem hominum veritus, & magno præterea animo, equo & ipse desilit, comprehensique sta-

tim

sim inter sese atque arctè diu luctuari ambo concidunt. Erant utrisque magna & procera corpora, & vires corporibus pares. *Germano* tamen cadenti paulùm superincubuit *Antonius*, sed ejus dexterum brachium, à sinistro *Germani* humero, sic premebatur, ut eo uti non posset: tum *Germanus* impedito & implicito *Antonio*, ipse manu dextera liber, abrepta sica, quæ femori *Antonii* erat alligata, nates ei convulnerat, ea tantum corporis parte, qua illum tegumenta non muniverant. Vulnere *Antonius* accepto, cùm omnino nullam defendendi sese viam sibi reliquam & facultatem videret, sicæque aciem *Germanus* ictu altero atque tertio adegisset, *Vince* inquit, *quando ita voluit fortuna*, CASU *enim non* VIRTUTE *vincis*: Gloriam certaminis hosti dedit: quem quidem *victor* magno apud se honore, plures dies ad exercitum habuit, curatoque vulnere, donis etiam additis, ad patrem remisit. *Bembus libr. 1. Hisp. Venet. pag. 17. 18.*

IV. *De Judæo quodam & Christiano.*

VIr quidam dignus fide mihi *Isenach*, cùm essem in *Pathmo*, recitavit, se novisse robustum gigantem, hirsuto corpore, barba impexa, stirpis ex pilis pendentibus, capite perpetuò nudo, qui solitus fuerat curvare & frangere ferrum, & tales multos eo tempore in Thuringia fuisse ajebat. Fuerat autem tum in aula *Friderici Imperatoris Judæus*, insignis & celebris luctator, qui omnes juvenes ex nobilitate aulica vicerat, & prostraverat in luctâ, ut vertebram femoris tangeret & adversarium dolore, qui solet ibi esse acerrimus, debilitaret & vinceret. Cùm igitur veniret *Gigas* ille in aulam Cæsaris, & hortarentur eum aulici, ut cum *Judæo* congrederetur, etsi aversari se id genus hominum ostenderet, tamen persuasus tandem precibus

cibus eorum, in harenam cum *Judæo* descendit. *Judæus* precatur veniam si duriùs forsan tractaret *Antagonistam* peregrinum & hospitem. Sed *Gigas* contra hortatus est, ut omnes ingenii & corporis vires intenderet, neque sibi parceret, se quoque quod posset, summum specimen roboris & agilitatis exhibiturum. Mox autem cùm essent congressi, *Gigas* prehensum *Judæum* fractis vertebris cervicis necavit. *Luth. Tom. 6. Witt. lat. pag. 456. fa. 2.*

V. De quodam Gigante.

Ventinus diligentissimus historicus scribit Annalium Bojorum libro quarto, sub *Carolo Magno*, in bellis contra Bojemos, Venetos, Hunnos & Avoros, *Gigantem ex Burgaa* (quæ nostra ætate præfectura est Helvetiorum) oriundum, militasse, qui per flumina, quæ pontibus strata non erant, post se equum suum, etiam reluctantem, traxerit, Venetos Avorosque in modum fœni demessuerit, & in morem avicularum hasta, velut cuspite fixos, humeris suspenderit. Cumque domum reversus, à popularibus de hostium statura, & belli successu interrogaretur, non sine indignatione responderit, *quid multa de istis ranunculis commemorem? ego interdum VII. vel VIII. hasta mea transfixos, nescio quid coaxantes, ultro citroq; tuli. Frustra* Imperator *& nos tantis sumtibus contra illos vermiculos bellum gessimus.* Eandem historiam *Conradus de Mure* Canonicus Tigurinus (qui vixit ætate Rudolphi Habspurgii) in vita *Caroli Magni*, quam ex Bibliotheca Campetunensi habui, describit. *Lavaterus in lib. Iosuæ Hom. 46. pag. 51. fa. 2. edit. posteriori.*

VI. De Ioanne à Schwartzburg.

EGo novi præstantem virum ex præcipua nobilitate Herr Hans von Schwartzburg, cujus filii & nepotes adhuc vivunt, qui sine magno co-

natu

natu confringebat calceum ferreum equi, seu ferramentum ungulæ equinæ cui Hufeiſſen *Pezelius in Post. Melancht. par. 2. pag. 154.*

VII. De alio quodam magni & ingentis roboris homine.

INter cætera quamplurima, eaque partim stupenda, partim visu horrenda 7. Junii die Anni 1582. cum Turcarum Imperator Mahometes de more solenniter circumcideretur, præsentibus potentiss. mundi regum & principum legatis, qui Constantinopolim ipsi gratulatum venerant, edita spectacula, hoc quoq; literis memoriæq; proditum est, quod prædicto nimirum tempore quidam ad demonstrandum incredibile corporis sui robur incudem grandem & ponderosam manibus suis supra caput sublatam tam diu tenuerit, donec duo robusti fabri ponderosis malleis ex ferro candente calceum equi ferreum in ea cudissent. Quo facto incudem in altum projectam brachiis expansis iterum excepit. Idem arcum ex chalybe factum, manu sua, nullo prorsus adhibito instrumento alio, tendere, & ferramentum ungulæ equinæ frangere atq; discerpere valuit. Simile refertur de fortissimo illo magnanimóque heroe Ivano Vody Potkova Walacho, quem Stephanus Bathori Rex Poloniæ, ad petitionem Turcici Imperatoris, ad 16. Junii diem præmemorati anni capite plectendum curavit.

Brechererus in Chronic. Thuring pag. 594.

VIII. *De Scoto quodam.*

VIdi Cassellis Hassiæ inferioris metropoli Anno 1600. mense Augusto Scotum quendam, illum quidem mediocris staturæ hominem, sed & admirabili agilitate, & magno corporis roboro præditum. Is resupinus humi jacens in media alvo, solo indusio ea in parte corporis indutus, saxum

ingentis magnitudinis ad octo vel novem pondo tā diu sustinuit, donec tres illud fabri validissimis aliquot ferreorum malleorum ictibus perfregissent Quo facto salvus atque incolumis, ne minima quidem lassitudinis cujusdam significatione data, aliquoties tripudians exiliit, & specimina aliquot agilitatis suæ haud vulgaria edidit. Idem viderunt mecum sexcenti alii tam excelso, quàm infimo loco nati, cujusque conditionis & status homines.

IX. *De Christiano quodam & recutito.*

VEnit cum Christianæ professionis homine in disputationem *Judæus* quidam: Qui quidem tametsi erroris sui satis supérq; convictus esset, eum tamen neque agnoscere, neque deponere voluit. Caulam verò cur ab avita religione ne tranversum quidem unguem discedere, sed in ea pertinaciter ad extremum usque spiritum persistere, atque adeo omnem in æternitatem CHRISTO nomen dare nollet, hanc afferebat. Nos *Judæi*, inquit, legum divinarum, supra quàm dici potest, observantes sumus. Etenim, ut cætera DEI OPT. MAX. mandata, quæ persequi & exhaurire jubemur, nunc mittam, silentioq; prætream, quartam certè Decalogi legem ita religiosè accurateque servamus, ut die Sabbati ne in publicum quidem provolemus, sed domesticis nos finibus tenentes, toto pectore in eam curam cogitationemque incumbamus, quemadmodum illum cœlum atque terras tuentem & regentem *Deum* pure, castè & integrè veneremur & colamus, non solùm sacræ Scripturæ attenta lectione religiosáque ruminatione & meditatione, verùm etiam ardenti, ipsius illius *Jehovæ* nostri imploratione. Abstinemus nos insuper hoc ipso tempore, cum à matrimonii exercitio complexúve venereo, tum à cōessatio-

fationibus & crapula, tum pugillationibus, tum denique à quibuscunque aliis oblectamentis, utpote deambulationibus, trochi, aleæ, pilævè ludo, saltationibus, schlopetorum ad metam disploſione, &, ut verbo finiam, cujuſquemodi luſionibus. Laborem item tum quidem ſic fugimus & vitamus, ut religio nobis etiam ſit, vel numos ab eo recipere, qui multos annos noſtro in ære fuit. Quid quòd nemini etiam omnium, pecuniam à nobis mutuam ſumere cupienti, ipſi tum numeramus eam, ſed hãc illi, per alium quempiam, veſtræ ſuperſtitionis ſocium, dinumerandam curamus? Ne multa, tanta meherculè religione dies Sabbati à nobis exigitur, ut hoc ipſo ne candelam quidem emungamus. (NB. möcht einer fragen / an etiã nates ſalvo honore abstergant. Nam ſi non licet decerpere mucos candelæ, illud etiam non licebit. *D. Pezelius 4. parte poſt. Mel. pag. 157.*) Quid vos verò belli, ſi JEHOVÆ noſtro placet, *Chriſtiani* contrà? Vos quidem cum ipſius mundi opificis DEI, tum verò CHRISTI veſtri leges pro nihilo putantes, temerariè eas ſacrilegéque auſu quodam violatis atque perfringitis. Diebus namque *Saturni* balneas ineuntes cuticulam lotione curatis, hinc ad ambas usque aures ingurgitatis vos vino. Unde fit, ut poſtridiè ſeu die dominico, vel ſacros cœtus non frequentetis, vel in iis certè ſtertatis, heſternamque exhaletis crapulam, & ad audiendas cõciones tam ſitis idonei, quàm eſt aſinus ad lyram, & meliores ſanè ex delubris veſtris nõ revertamini, quàm ingreſſi ea eſtis. Tacitum nunc relinquo, quòd veſtrum non parum quidem multi, diebus dominicis, creditoribus ſuis moleſtiam exhibent ære illo alieno extorquendo, quo ipſis obſtricti tenentur. Hinc fit, ut nec ipſi ſacras conciones audiant, neque aliis audire eas, per importunas iſtorum intempeſtivasque appellationes liceat

Ut illi verò sese tractant, qui concionibus interfuerunt, easque auribus arrectis, si diis placet, attentoq; animo exceperunt? Hi quidem omne ferè tempus & meridianum, & pomeridianum, vel deambulando, vel nugando, vel pergræcando, vel saltando, vel ludendo, vel aliis denique ineptiis lasciviscq; carnis operibus, traducunt & consumunt. Quid quòd plerique etiam non verentur, vel herculeos eo ipso tempore labores exantlare, in iisq; miseram familiam pudendum in modum frangere? Vidi enim ego, ego autem? imo verò vidisti & tu, & vidit quivis certè alius, cui quidem oculi non desunt, vos consuesse diebus dominicis & fruges defalcare, & gramina demetere, & Solis ea ad æstum siccare, & domum deportare, & nullum denique non laborem, quos omnes sigillatim minutatimque recensere, nimis, mehercule, longum foret, tum suscipere, tum perficere. Hoccine est cedò quæso DEI OPT. MAX. dicto audientem esse postulantis, *ut diem Sabbati sanctifices?* Papæ! quid est procreatori illi mundi DEO medium digitum ostendere, hoc quidem si non est? Sed venio ad CHRISTUM vestrum, cujus scilicet leges, & pluris facitis, & sanctiùs strictiusque observatis. Is quidem præcipit, *ut ne resistatis malo, sed ut cadenti vos in maxillam dexteram, obvertatis & alteram.* Dic amabo te mihi *Christiane*, quotusquisque vestrûm reperitur, qui quidem huic CHRISTI præcepto locum relinquat obtemperétve? Ad hæc *Christianus*, non parum quidem multi, vel potiùs innumerabiles, respondet, in quibus me quoque unum esse profiteor, & quidem haud postremum. Tum *Hebræus*, licétne mihi igitur hujusce rei in te periculum facere? inquit. Annuit *Christianus*. Hîc ergo *Apella* omne animi sui virus adversus *Christianum* non solùm improbè prodens, verùm etiam malitiosè

tiosè evomens, colaphum illi mox vi quanta potest maxima, infligit. Quem *Christianus* non modò patienter excipit toleratque, sed & alteram illi maxillam continuò diverberandam obvertit; in qua etiam conscelerati *Judæi* sacrilegus mox pugnus hæret. Cæterùm cùm *Judæus* animum jam suum ex sententia explessèt, seque petulantiam hanc impunè laturum autumaret, cœpit *Christianum* summis ad cœlum laudibus efferre, hoc est, adunco naso suspendere, qui tam frugi esset *Christianus*, ac à MAGISTRI sui præceptis ne transversum quidem digitum discederet, sed mordicus ea teneret, JEHOVAM testatus vivum, ipsius se similem in omni vita, licet cum multis Christianis versatus fuerit, conspicatum haud esse. Proinde *Christianus* omnem animi commotionem & indignationem obscurè ferens ac dissimulans, intelligo, inquit, *Recutite*, & tibi Novum Testamentum, quo CHRISTI nostri, quem tu ex sublimi despicis, ac cane pejus & angue odisti, doctrina continetur, lectum pervolutatumque esse. Credo igitur mihi, quid paulò post illa CHRISTI verba, *ne resistatis malo, sed cadenti vos in maxillam dexteram, obvertatis & alteram*, sequitur? Hic cùm Judæo aqua hæreret, atque hoc quidem sibi explicatum non esse diceret: Faciam igitur ex me idipsum ut nunc discas, respondet *Christianus*, subditque: hanc verò in rationem sententiamq; D. JESUS non ita multò post sermocinatur. *Eadem mensura, qua metimini, vicissim metientur vobis alii. Mensuram bonam, pressam, agitatam, superfluentem, dabunt in sinum vestrum.* Hisque dictis impunè & improbè *Sabbatario* alapam unam atq; alteram infringit, mediúmque dein arreptum, & humi prosternit, & pedibus proculcat, & pugnis denique probè probeque dedolat, illi hæc CHRISTI verba, *eadem mensura qua*

metuimini, & vicissim motientur vobis alii, &c. ad ravim usque occinens & inculcans. *Judæus* verberibus ad necem usq; mulctatus & contusus, Deorum atque hominum fidem imploravit, suáq; calamitate muliebrem in modum deplorata conceptis verbis juravit, cum nullo se *Christiano* posthac unquam in certamen descensurum, de religionéq; verba commutaturum esse.

X. *De Francisco Philelpho Itala, & Timotheo Græco.*

LIs super accentus græci ratione, Philelphum
Timotheúmq; inter (Græculus ille fuit)
Orta est: Dissidium placet hoc sopire periclo
Græculus æs: barbam victor ut ille ferat.
Dii bene, Romanus superavit: & ille coactus
E pacti barbam tradere lege fuit:
Exultas spolio: Græcáq; uxore superbis,
Non est ingenio laus minor ista tuo.

Latomus in Elogiis doctorum virorum Jovii, pag. 44.

Idem Jocus Hendecasyllabo expressus a Myrteo.

Nunquid sat tibi non fuit *Philelpho*
Linguæ gloria nobilis Latinæ?
Ni Græcas quoque pervagatus urbes,
Dignus conjuge, nuptiisque Græcis,
Ferres Timothei novum triumphum?
Cui, dum una super ille dictione
Tecum pignore certat, atque barbam
Abradi sibi ferre pollicetur,
Victus: aut positam pecuniam abs te
Victor auferat. Abnegasti eadem
Barbam posse pecunia obtinere
Victor: atque novacula expedita
Barbam illius habere maluisti:
Jam nunc non Itala Philelphe, sed sis
Græca gloria nobilis palæstræ.

XI. De

XI. *De Legatis quibusdam partim Venetis, partim Florentinis.*

DErtonæ res hujusmodi accidit. Legatis Florentinorum duobus, qui ad Maximilianum venerant, in via fortè obviis Legati Veneti salutem dixerunt. Illi eis ne verbum quidem unum reddiderunt, sed illiberali contumacia ire perrexerunt. Postridie autem ejus diei iterum obvii cùm de via Legatis Reipub. non cederent, arrogantiusq; in eos cum suo comitatu prope cõglobarentur, *Mauroceneus*, cui quidem præclara atq; mirifica faciei dignitas, cum vasta membrorum magnitudine inerat, alterum illorum ita repulit, ut in luto provolveretur: *Disce cedere Majoribus* pronuncians. *Bembus lib. 3. Hist. Venet. pag. 125.*

XII. *De Viatoribus duobus Germanis.*

HOMO quidam facetus & salsus, quum certi alicujus negotii conficiendi causa, peregrè proficisceretur, evenit, ut cuipiam fortè fortuna in semita ita arcta & angusta obvius esset, ut alter alteri via cedere necesse haberet. Ut ne verò ille huic locum dare cogeretur, cum militarem mox quandam ferociam præ se fert, tum verò horrifico minaciq; vultu, ac ore tumido, hæc in verba erumpens, ipsum exterret & repellit, *Apagesis mihi de via furcifer, aut ita te equidem tractavero, ut hesternus ille à me acceptus tractatusq; fuit.* Quid fit? Hic quidem & vulticulum istius videns ac reformidans, & inexpectatam hanc insolentemque compellationem audiès, ita mediusfidius exanimatur, ut propè corrueret, & loco illi evestigiò cederet, & sic secum mussitaret: *Na hic sanum in cornu habet: & quin hominem aliquem è medio heri sustulerit, dubitari meherculè non potest. Suo sese utiq; judicio veluti sorex prodit. Ac me quoque perinde ut hesternum illum, haud dubiè mulctasset nunc morte, ni ei*

astutus

actutum concessissem. Satius igitur fuit me nebulonem cedere, quam ab eo cædi, communiq; hac luce privari ac morte deleri. Interea verò dum toto corpore tremens, hæc ita secum mussitat, ecce tibi conspicatur alium quempiam eminùs peropportunè advenientem. Quamobrem gaudio non parvo perfusus, paulatim sese colligit, animumque inducit, istum cùm revocare, tum verò interrogare, ecquonam modo hesternum illum accepisset. Spes enim nonnulla hominem tenebat, futurum, ut cædem se fecisse diceret, atque ita sibi ipse malum, veluti turdus, cacaret. Proinde conversus ad illum, qui aliquousque jam processerat, in sinuq; gaudebat, quod miserum istum cum nudo aspectu, tum verò vanis minis atque adeò umbra sua conterruisset, de viaque propulsasset, voce quanta potest maxima clamat: heus bone vir, heus, heus inquam, cedò mihi quæso, quomodo hesternum illum tractasti? Tum ille aliquantisper regressus, propiórq; jam ei factus, ridenti ore inquit: Iste hesternus, ne nescias, mihi nolebat cedere. Itaque ego cedebam ipsi, itidem facturus tibi, ni acacidinis meis minis pueriliter fractus, pudenda cessione, præter omnem expectationem meam, locum mihi dedisses. Quo quidem responso accepto, timiditatis hunc mox suæ ignaviæque admodum puduit, demissoque in terram capite, eò perrexit, quo ire instituerat, sese identidem non sine stomacho accusans & execrans, quòd ante tubam, ut in proverbio est, trepidasset, Thrasonique isti, tam serviliter muliebriterque de via cessisset, ac sese illi deridendum exibilandumq; propinasset.

XIII. *De Memnone milite.*

ASPICIS horrendum distento Memnona vultu,
Transverso & gladio terribilique sono.

Et

Et sua jactantem stupido magnalia vulgo,
Quam valeat forti corde, potente manu?
Fanti credo viro, veriſſima ſingula narrat,
Ter centum ſolus non timet ille viros.
Cordus *lib. 5. Epig.*

XIV. *De puero quodam ruſtico, ejúſq; ſorore.*

FORTE puer rutilum cum matre reſedit ad ignem,
Et tenuit gremio, lactea vaſa, ſuo.
Tum ſoror oppoſita pueri quæ parte ſedebat,
Detegit obſcuro, neſcia, membra loco.
Illud ubi frater jam terq; quaterq; notaſſet,
Sollicitat matrem, vocibus hiſce, ſuam.
Quæſo jube noſtram cunnum occultare puellam,
Mater, ut in cineres ecce remiſſa ſedet.
Mox priapus dudum mihi qui ſurrexit in altum,
Dejicit è gremio, lac patrimaq; meo.
Petrus Paganus.

XV. *De Milite quodam.*

REFERTUR de quodam milite, qui deperibat quandam honeſtam fœminam, cujus pudicitiæ quotidiè variis blanditiis inſidiabatur. Quum autem voti compos fieri non poſſet, reluctante pudica fœmina, litabat Diabolo, ut is ſibi in hac re auxilio eſſet. Diabolus ergò quadam nocte dormienti offert ſomnium, quòd fœmina illa, quam perditè amabat, ad ſe veniret, ſponte ingrederetur lectum, atq; eum amplexa ſit. Ille viciſſim occaſionem optatam nactus, ſatisfacit ſuæ libidini, ſed manè evigilans, jacet deportatus a Satana in turpiſſimo cœno, extra urbem, amplectens & oſculans cadaver aſini fœdiſſimi, ut turpiora taceam. Hoc ſpectaculum haud dubiè jucundum fuit Diabolo, & dignum tali amatore. Et profectò mirandum eſt, milites adeò graviter militare diabolo, poſt tantam ignominiam homini ſui ordinis fa-

ctam. Sed quid non facit auri sacra fames? *D. Hemmingius in lib. de Vitan Superst. magicis.*

XVI. *De Moniali quadam.*

VEstalis virgo jejunia crebra frequentans,
Flamine divino, se putat usque, rapi.
Haud legit, haud orat, tantùm sublimia volvit,
Suaviter & somnum, dum facit ista, capit.
Visio divini mox inclyta numinis ipsi
Obvenit, angelicos cernit & alta choros:
Spiritus ipsi Dei (sic somniat illa) coronam
Imponens, sancti numinis author adest.
At vigilans, tangénsq; caput, pro dote coronæ
Vaccinum virgo hæc perpera stercus habet.
Discite, qui flatus stolida jam mente rapaces
Fingitis, in verbo *spem posuisse sacro.*

Selneccerus in Gen. pag. 890.

XVII. *De quibusdam Monachis.*

SEx unà Monachi dum consedêre latrina,
Cœpêre ærumnas commemorare suas.
Quòd mala ridenti facti essent fabula mundo,
Nullus & ipsorum relligionis honos.
Quos solans *Pater*, ô chari, inquit, fidite fratres;
Vivit adhuc ultor, qui videt illa Deus.
Ille suos ex hoc nos tandem stercore servos
Tollet: & Hæreticos *merget in ima* viros.
His dictis subitò subtus tabulata fragore,
Atque simul putres increpuêre trabes,
Subsidensq; trahit miseram structura ruinam,
Et liquidis foriis obruta turba natat.

Cordus lib. 6. Epig. pag. 182.

XVIII. De *Canonico quodam.*

NOvimus quendam insignis ecclesiæ Canonicum non incelebrem, ac inter eos, quos *Erasmus* confert Israelitis, quibus non licebat in terra aliena canere canticum Domini, qui cùm dire aliquando in nos stomacharetur, velletque summum

aliquod

aliquod nephas, quod nostro Euangelio deberetur, commemorare, gravi cum indignatione dicebat, TIGURI *posse haberi scortillum, quod hospiti gratificaretur, cùm ingens, antequam inchoasset hoc* EUANGELIUM, *elegantium scortorum illic copia fuerit.*

Ex epistola Apologetica ministrorum Ecclesiæ Argentoratensis adversus *Erasmum.*

XIX. *De quodam Monacho.*

EX iis, qui sese præcingunt cannabe calvis,
Quidam rus lectum munera frater iit.
Quem duo dũ prensum spoliassent veste latrones,
In solo rediit nudulus indusio.
Hunc *Pater* ut vidit: rem cepissetq; minister,
Corripuit medium, summa ubi crura, virum.
Et, tibi salvus adhuc ait *est (quid ringere?) penis,*
Hic ablata statim, reddere cuncta potest.

CORDUS *lib. 7. Epig. pag. 195.*

XX. *De Medico Monacho.*

MEdicum frequentes fœminæ monachum petunt.
Nil suspicare. *Ægros domi viros habent.*

Idem ibidem pag. 202.

XXI. *De Sanctiss. Patre* INNOCENTIO VIII.

OCto *Nocens* pueros genuit totidemq; puellas.
Hunc meritò poteris dicere *Roma Patrem, Marullus.*

XXII. *De Monacho quodam.*

PER lunam Monachus gradu citato,
Spe furens avidæ nimis palestræ.
Sub sparso meretriculam cucullo
Gestabat, tacitum petens cubile.
Cui quidem emeritus senexque frater,
Et divæ veteranus impudicæ
Fit casu obvius: ac propensa crura
Et mechæ niveos pedes latentis

Agno-

Agnoscens. Quid amice frater, inquit,
Aut quò sic properas? quid amabo
Sudans sub tremulo geris cubullo?
Moxille, esse sui jugum caballi,
Et se cras aliquò parare abire.
At ridet *Senior* dolum, ac facetè
Mox ephippion hoc reconde, dixit,
Si fratres etenim tui videbunt,
Omnes hoc equitare concupiscent.

Stigelius, in Sylva, quæ accessit Regno Papistico Naogeorgi: pag. 87.

XXIII. *De Pontifice Romano.*

FESTIVE admodum in Tyberinum tyrannum *Petrus Martyr* jocatur, in Commentariis suis super 2. Samuel. cap. 21. pag. 308 inquiens: Criminantur nos Papicolæ, quod homines idola erigamus *Zuinglium, Lutherum, Philippum Melanchthonem*, & alios. Miror cur eos non pudeat: illi *Papam* idolum adorant, provolvunt se ad oscula pedum ejus, dicunt non esse purum hominem, *arbitror quia impurus sit*. Pedibus in hujus sententiam discessionem facit *D. Rodolphus Gualtherus*, qui Homil. in Lucam 9. sic scriptum reliquit. Qui Sanctitatem apud Romanos pontifices inveniri putant, & his canonizandi, vel inter Sanctos referendi jus tribuunt, ii perinde faciunt, ac si quis in prostibulo, inter lenones pudicitiam quærat, aut in cloaca fœdissima ablui velit.

Neque verò ab hoc dissentit clarissimus vir & eximius poëta D. Thomas Naogeorgus Straubingensis, dum sic quidem scriptum reliquit.

Quippe hoc Sanctorum merita effecêre Papatum, ut vulgo insigni jam de nebulone feratur:
Tam malus est nequam, Christiq; inimicus & osor,
ut fieri possit Papa.

Naog. in Satyra adversus Joannem de Casa Episcopum

scopum Beneventanum impurissimum nebulonem & Sodomiæ defensorem, pag. 108.

XXIV. *De Julio* III. *Pontifice.*

VEnit hîc mihi in mentem, quod de *Julio* III. *Pontifice* referri è fide dignis audivi. Erat is, ut multi norunt, improbus & petulans omnis religionis contemptor: nec verebatur interdum inter suos ea dicere, quibus & *Pontificum* audaciam, & vulgi hos admirantis stoliditatem non obscurè perstringebat. Accidit autem, cùm in maximo æstu per cubiculum suum, deposita simul toga & tunica interiori, deambularet, duo ex *Cardinalibus* ipsum conventuri, ad cubiculi fores adessent. Hi cùm illum non pro more vestitum viderent, pedē retulerunt, neque ausi sunt cubiculum ingredi. Ille verò ingredi jussit, nec quicquam vereri, & ingressos suo exemplo vestes deponere coëgit. Quū enim ego (dicebat) in umbra agens, tam vehementer caleam, quantò magis vestes vobis oneri sunt, qui itinere longo me salutatū venistis? Quin ergo ipsi quoq; & togas & tunicas deponitis? Nec mora, detrectantes præ pudore, ut hoc facerent, compulit. Cumque deinceps aliquandiu ipse medius inter illos deambulavisset: Quid (ait) dicturos putatis Romanos nostros, si nos ad hunc modum per urbem ambulantes viderent? Responderunt illi: profectò *Pater sancte, scurras nos esse putarent, nec facilè nos absq; ignominia aliqua abire paterentur.* Tum ille: Videte ergò mei fratres, quantum debeamus nostris vestibus, quæ & contra injurias ejusmodi nos tuentur, & tantam *Sanctitatis* existimationem nobis conciliant. *D. Rodolphus Gualtherius Homilia in Sophoniam tertia, pag. 282.*

XXV. *De eodem.*

EBrius ad mensam cùm *Julius* ille sederet,
Impia quem potuit *Roma* nec ipsa pati,

Tres pariter fertur pelves habuisse paratas,
Ut triplici triplex vase levaret onus.
Una alvi pondus, vomitum altera pelvis habebat
Tertia vesica concipiebat onus.
I nunc, pontifices Germanis dira negato
Omnia clausa sinu jura tenere suo. D. Theodorus Beza.

XXVI. *De Iulio* II. *Pont. Max.*

ERasmus facetè jocatur de *Papa Iulio secundo*: dicit eum clave scientiæ non potuisse aperire cœlum, ideo oportuisse eum altera clave uti, quæ est clavis potestatis. *D. Pezelius Post. Melanch. parte tertia pag. 248.* quod carmine sic expressit ille germaniæ phœnix Philip. Melancht. qui nominis sui gloria orbem terrarum implevit.

De eodem.

CUm contra Gallos bellum Papa Iulius esset
Gesturus, sicuti fama vetusta docet:
Ingentes Martis turmas contraxit, & urbem
Egressus, sævas edidit ore minas.
Iratúsque sacras claves in flumina jecit
Tybridis, hîc urbi pons ubi jungit aquas,
Inde manu strictum vagina diripit ensem,
Exclamansque truci talia voce refert:
Hic gladius Pauli nos nunc defendet ab hoste,
Quandoquidem clavis nil juvat ista Petri.
D. Phil. Mel. in ædit. priori Epigram.

De eodem.

MOrtuus ad superam divorum *Iulius* aulam
Venerat, & clausas viderat esse fores.
Insertasque diu versans hinc indeque claves,
Non, ait, hæc cœli, quæ fuit ante, sera est.
Janitor ut crepitum *Petrus* audiit, obvius exit,
Et quare veniat, quis sit, & unde, rogat.

Auratum

Auratum ille pedum monstrans, triplicemq; coronam.
Non *summum* agnoscis perfide *pontificem?*
Tum *Petrus* huc dixit tibi non succedere fas est,
Quod quis vendiderit, non putet esse suum.

Cordus lib. 2. Epig. pag. 118.

XXVII. *De pontifice Romano Regnorum Mundi domino.*

DEventum erat eò ut Pontifex proclamaretur *Dominus regnorum mundi*, & pronunciaretur necessarium esse ad salutem credere, quod oporteat omnes homines *pontifici Romano* subjici. Si quis verò id negaret, is declararetur hæreticus. Miror autem *pontifices* encomium Ἀρχὴν & κόσμου affectasse, quod noverunt tribui *Diabolo, hosti filii Dei & ecclesiæ*, ab ipso filio Dei. Si consulto id factum est ingenuitatem laudo, quòd usurpare titulum non erubuerint illius, cujus gesserunt vices. Sin incogitantia, stoliditatem accuso quòd cum religioso prætextu & simulata humilitatis affectatione pleraque velare studuerint, hac in parte ambitionem suam non texerint aut pinxerint callidius. *D. D. Peucerus postrema parte Chron. lib. 5. pag. 19.*

Haud equidem credo, quenquam justum esse bonumque,
Cui Papa non sordet manifestus ut Antichristus.

Naogeorgus in Joannem Del La Casa Archiepiscopum Beneventanum.

XXVIII. *De Cardinale Lotharingo ab adolescente Lucensi deluso.*

PApa, quum factum Ambasianum resciviſſet, & egregiam *Cardinalis* operam in tuenda *Sancta matre ecclesia Romana* adversus Lutheranos nunc Hugenotos factos, Veredarium ad illum misit, gratias ei per literas agens, ob singulare studium

in propugnanda sede Romana, rogans præterea, ut in eadem porrò sententia & animo perseveraret. Cujus rei præmium dono se illi mittere tabulam a se consecratam, in qua inerat imago *Virginis matris*, filium ulnis gestantis, quam nobilissimus pictor *Michael Angelus*, tanquam artis caput, pinxerat. Accidit autem (Deo sic volente) ut qui literas cum tabula perferendas à *Papa* acceperat, in morbum, dum iter facit, incideret Nactus ergò juvenem mercatorem Lucensem Catholicum, qui se ex *Cardinalis* clientela esse prædicabat (quum reverà infestissimo in illum esset animo, propterea quod ab illo, qui Regio ærario tum præfectus erat, grandem quandam pecuniam auferre nullo pacto poterat, quam ad bellum, quod in Hetruria gesserat *Dux Guisius*, contulerat) facilè illi fidem habuit, hanc sibi facultatem oblatam lætatus, quando ulterius progredi per morbum non licebat. Itaque nomen *Lucensis* edidit. Et quoniam verebatur, ne mora in literis reddendis detrimento esset, hominem rogat, ut cùm has, tum tabulam accipat, quam illi in manus tradit, *Cardinalis*, ut ille pollicebatur, perferendas. Ille quum primum *Lutetiam* venit, ratus se rationem reperisse, qua *Cardinalem* ignominia quadam afficeret, pictorem ex animi sententia reperit, cui tabulam magnitudine alteri parem faciendā locat, in qua erant *Cardinalis Lotharingus*, *Regina ipsius neptis*, *Regina mater*, & *Ducis Guisii uxor*, ad vivū expressi, nudi, brachiis collo innexis, & cruribus inter se implicatis. Hanc una cum literis serico & tela cerata alterius tabulæ compegit, uni ex secretariis tradidit, dum ille in cōsilio apud regem esset, ut in cubiculum deferrentur, curavit. Ille reversus, & lectis *Sanctitatis Romanæ* literis, tabulam inspicere postridie illius diei, dum pranderet, cogitavit. Quam ad rem data

opera

opera invitavit *Cardinalem Borbonium, Turnonium & Guisianum, Duces Montpenserium, Guisianum, & nonnullos alios nobiles.* Nondum secunda fercula apponebantur, quum *Cardinalis* jubet alta voce recitari *Sanctitatis* literas: quibus tanta cupiditas innata est convivis spectandæ *Virginis gratiosæ* (sic enim tabula illa vocabatur) ut, omisso corporis cibo, de pascendo animo cogitarent: Afferri tabulam jusserunt, quam religiosè explicatam, cùm spectassent, qualem vobis antea descripsi, ipsi per vos intelligatis licet, quem illis stuporem, quem *Cardinali* dolorem res hæc attulerit.

Eusebius Philadelphus Cosmopolita Dialogo 1. fol. 89. edition. Edinburgiana.

XXIX. *De Cive quodam Argentoratensi, cui ejusdem loci Pictor fucum fecit.*

ANte annos propè sexaginta, ut ex senibus hujus urbis aliquando audivi, ludis circulariis quidam ex illis saltatoribus consilium dedit, ut personis & larvis non uteretur chorus, sed singulorum vultus colore nigro à communi pictore, in tribu sartoria, obduceretur. Erat hic civis homo lepidus, sed què aliquando sodales lepidè excipiebant. Placuit autem hoc consilium, & evestigiò mittebatur, qui à tribu trullaria pictorem adduceret. *Is pictor æquè ridiculus,* præter pictorium atramentum etiam ex glutine albo aquam adferebat, & primùm cæteros omnes tribules atro colore denigrabat, postremò ei qui cõsilium dederat, vultum obduxit glutino conspicuo, ut quasi sub vitro color oris & habitus oculorum, & vultus appareret, cæteris significatione facta, ut dissimularent. Ipse etiam credens se *æthiopem nigrum* esse, cucullum assumsit, nova figura ut singulariter deformis esset, & ut antea risum suppressérant, sic assumto cucullione effusè cachinnabantur. Et simul chorus

rus in publicum procedit, & omnium in illum præcipuè oculi conjecti erant, qui non se, sed cucullum putabat esse spectaculo. Cùm ad palatium usque perventum esset, obviam occurrit cuidam amico suo, nunc ante nunc ponè sese ostentans & saliens choragus. Cùm ab illo moneretur ut abiret, facilè internosci à notis posse, de colore non cogitans, de cucullo gestiebat magis. Ecce dum salit, dum gestus facit, adferri amicus speculum ex tonstrina vicina jubet, & cùm circulum ad pedes usque demisisset, videt in speculo vultum & colorem suum, & subitò ex choro profugit. Omnium risus subsequitur, ipse qui risum faciebat, fit ridiculus. *D. Sturm. Antipappi quarti parte 3. p. 204.*

XXX. *De Pastore quodam.*

FRANCISCUS PETRARCHA narrat de quodam pastore, quòd venerit in aulam. Ibi quidam ei donavit speculum, quod nunquam antea viderat. In eodem sese contemplatur, *confisus suæ pulcritudine* venit in gynæceum: Sed malè tractatus & dejectus per gradus exclamavit:

Æternùm gemat ille miser, *pastoribus* aulæ
Qui primus mala dona dedit. *D. Pezelius postilæ Melanchthonianæ parte prima pag. 320.*

XXXI. *De ambitioso & curioso quodam Hyperbolo.*

ERAT mihi *Romæ* domestica consuetudo cum quodam, qui malis artibus festinabat ad dignitates & opes, nemini non invidens præcedenti. Resignabat omnium literas, etiam à regibus missas, ut ex his strueret technas suas. Inprimis autem hoc agebat, ut duos archiepiscopos, primæ apud suos authoritatis, inter se committeret, quòd sciret alioqui non admodum inter illos convenire. Subodoratus hominis technas alter. Nam is Romæ tum agebat, pòst in Cardinalium cœtum allectus. Sic igitur ultus est Hyperbolum. In illius odium reconciliatus est alteri archiepi-

scopo, & ostendit viam qua possent hominem ulciſci, si vellet esse fautor artificii. De composito missum est diploma nomine principis, quo deferebatur ei dignitas episcopi in Hybernia. Noverat enim hominem hoc miserè sitire, eáque gratia movere tot machinas. Ille cœcus cupiditate, nec sentiens diploma fucum esse, petit à *Iulio* confirmationem. Impetravit, numerata pecunia, nullo pontificis periculo. Mox attonsa coma, rasus usq; ad aures vertex, sumpta vestis linea. Quid multis? *Totus Episcopus prodiit in publicum.* Dissimulabant hujus technæ fabricatores. Ubi jam Romæ nulli esset obscurum, quin se pro episcopo gereret, eáque de re jam ad amicos omnes perscripsisset, & ab illis gratulatorias recepisset epistolas, subornatus est, qui in frequenti convivio proderet technam. Ab hoc rogatus est, cujus loci esset *Episcopus*? Edidit loci titulũ. Rogatus est, an certum haberet, vacare sedem? Affirmavit. Rogatus est, unde sciret esse mortuum, cui vellet succedere? Multa fortiter mentitus est hac de re. Tandem ubi res cœpit ad jurgium tendere, paucis aperuit mysterium subornatus ille. *Episcopus*, inquit, ille cujus locum vindicas, vivit & valet. Inquire rem, sic esse comperies. Moxque rumor per totam urbem loquacissimam sparsus. *Quid faceret Hyperbolus episcopus, non episcopus*? Totos dies domi se continuit. Pudebat enim gestare vestem, quam ante tempus induerat, rursum pudebat recepto pristino cultu confiteri se fuisse delusum, noctu tantum prodibat. Interim paucis diebus dolore contabuit. *D. Erasmus de lingua.*

XXXII. De *Ulrico Duce Wirtembergensi.*

ULricus dux Wirtemberg. cum sederet in thermis, & multa cogitaret de bello à se gesto, dixit, wir wolten Bischoff werden, so sind wir Baden

worden. Allusit ad proverbium Germanicum, Bischoff oder bader.

Sed plures pereunt rebus infeliciter motis. D. *Pezelius postil. Mel. parte prima pag. 326.*

XXXIII. *De puellis quibusdam Lunaburgensibus, à Nobili quodam circumscriptis.*

QUidam vicinus noster nobilis, Lunæburgi invitarat honestas matronas & virgines ad convivium. Illæ venerũt ornatæ torquibus aureis. Nobilis inter pocula per jocum detrahit eis ornamenta ista, quasi admiraretur operis elegantiam. Postea clam se subduxit, relinquens eas in convivio. Istæ fuerunt deceptæ ostentatione splendoris, quem prę se ferebat nobilis ille in adornando convivio. *Idem parte tertia pag. 89.*

XXXIV. *De Marcello Regis Galliarum Francisci Cancellario, à rege suo circumvento.*

REX Gallicus *Franciscus* habuit quendam thesaurarium, quem *patrem suum* nominavit, etsi postea suspendit eum, quod fuit arocius, quàm cùm idem *Rex Cardinali Marcello Cancellario suo*, quem ego optimè novi, ademit pecuniam, ambienti admodum dignitatem & titulum pontificatus. Quum Rex indigeret pecunia, accersivit ad se *Cardinalem*, quem sciebat ambitiosum esse. Narravit ei, *Paulum pontificem* esse mortuum, ille statim subjunxit, *Serenissime Rex*, interesset vestra & multorum, ut aliquis eligeretur, qui tibi & regno tuo amicus esset. *Respondit Rex*, Verum est, & quid si te possemus sufficere in illius locum? Utinam inquit ille hoc fieri posset. Sed opus est pecunia, ait *Rex*, ad hanc rem conficiendam, quam modo non habeo. *Cardinalis* dixit, se habere circiter duas tonnas auri. *Rex* satis esse, inquit, se de suo additurum aliquid. Sed paulò post allatæ sunt literæ, quæ referebant *Paulum pontificem* adhuc vivere.

vere. Ita *Rex* emunxit illum pecunia. *Idem parte tertia pag. 170.*

XXXV. *De Mœcha quadam, marito suo comam mirificè circumtondente.*

ANte annos XXX. in ea parte Germaniæ, quæ infera dicitur, quòd ad mare vergat, inque illius urbe celebri *Brugi* fuisse cum sene nuptam adolescentulam ajunt, quæ illum maritum, quem necessitate haberet, minùs amaret, atque mallet consuetudine frui adolescentis, cujus ætas suæ par esset. Atque reperto tali, ejusdem civitatis primario, aliquantisper cum illo se clanculum oblectavit. Sed res diu occultari non potuit. Accidit quodam tempore, vir ut se abfuturum domo diutisculè simularet, qui cùm vix foras egressus esset, accersitur adolescens, qui neque ipse cunctatus, celeriter affuit, cùm vir consultò revertitur, quasi oblitus aliquid, quod domi faciendum fuisset. Omnes igitur trepidare & metuere: inprimis autem adolescens, qui ignarus etiam ædium in conspectum granarium apertum se conjicit, & ostiolum attrahit. Quod vir animadverterat: atque is accurrit statim, & seram potcit ex earum genere, quib. foris ædes occludi solent (laconicas claves veteres dixerũt) neq; se tamen aliquid sensisse ostendit. Nã hircus inquit noster vidi, frumẽta adedere solet. Illã igitur obdit, ac mox abit ad propinquos & consanguineos uxoris, & rogat, ut secum domum veniant suam, rem esse magnam, & negotium quod ad omnes ipsos pertineat. Volebat autem coram illis uxorem convincere flagitii, ne inficias fortè iret. Sed interea dum istos hic corrogat, mulier dolens & sollicita animo suo, non tam de fama sua, quàm de salute adolescentis amatoris sui, tandem ab anu domestica discit, seras istas, si in arcum earum firma restis inserta sit, & validus ictus

de transverso impingatur, simulque vehementer adducatur restis, facilè aperiri. Hoc tentatum bene procedit. Itaque adolescentem liberant, & emittunt domo, ac in granarium recludunt fortè oblatum hircum. Paulò post affuit vir cum propinquis & consanguineis, & accersitam mulierem coram illis gravissimè accusat, & audacter insimulat adulterii. Illa verò se innocentem, & sæpè clam, & nunc palàm pessimi facinoris ream fieri, indignè ferre, & injurias viri apud suos conqueri, & confidenter negare objectum crimen. Huc igitur paucos passus abeamus, inquit ille. Quocunque, inquit illa, libet, ne tu me timidam esse suspicere. Quum igitur venissent ad granarium, reserat ille ostiolum, atque ibi subitò hircus prorumpit: quo viso, ipse territus obstupuit. At propinqui mulieris admirati, quid ea res sibi velit, sciscitantur. Tum bonus Senex ad pedes mulieris suæ & illorum projectus, petere veniam, & sibi errorem atque ignorantiam objectum ab irato numine dicere, polliceriique omni cultu & indulgentia satisfacturum uxori. Propinqui totam rem ajunt se mulieri permittere. At illa cum viro se in gratiam redire & obliviscii injuriarum velle dicit. Atque ita *scene eluso*, postea amoribus suis adolescens & mulier liberiùs usi sunt. *D. Joachimus Camerarius in Rhetoricis suis pag. 58. 59. 60.*

XXXVI *De quodam patre, filium adulterinum & suppositititium, plus quàm germanos & à se proseminatos amante.*

QUos antè conjunx quattuor
Natos SABINE protulit,
Multùm ecce dissimiles tui,
Tuos nec ipse deputas.
Sed quem tibi puellulum,
Exixa jam nuperrimè est,

Solum

Solum tibi simillimum,
Pro quattuor complecteris.
Adulterinos quattuor
Vocas, repellis, abdicas.
Atqui graves tradunt Sophi,
Quodcunque matres interim
Imaginantur fortiter
Dum liberis datur opera,
Ejus latenter & notas
Certas, & indelebiles
Modoque inexplicabili
In semen ipsum congeri.
Quibus receptis intimè
Simulque concrescentibus
A mente matris insitam
Natus refert imaginem.
Cum tot abesses millibus
Dum gignit uxor quattuor
Quod esset admodum tui
Secura, dissimiles parit.
Sed unus omnium hic puer
Tui refert imaginem,
Quòd mater hunc dum concipit
Sollicita de plurimùm
Te tota cogitaverat,
Dum pertimescit anxia
Ne tu *Sabine* incommodus
Velutque lupus in fabulam
Supervenires interim.

Thomas Morus.

XXXVII. *De Macco quodam impostore.*

Maccus quum venisset in civitatem, quæ dicitur Leidis, ac vellet novo hospes innotescere joco quodam (nam is erat homini mos) ingressus est officinā calcearii, salutat. Illi cupiens extruderc merces suas, rogat nunquid vellet? *Macco* conji-

ciente

ciente oculos in ocreas ibi pensiles, rogat suter, nũ vellet ocreas. Annuente *Macco*, quærit aptas tibiis illius: inventas alacriter protulit, & ut solent, induit illi. Ubi jam *Maccus* esset eleganter ocreatus, quàm belle, inquit, congrueret his ocreis par calceorum duplicatis soleis. Rogatus an & calceos vellet, annuit. Reperti sunt, & additi pedibus. *Maccus* laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacitè gaudens, succinebat illi laudati, sperans prętium æquius, posteaquam emptori tantopere placeret mox. Et jam erat nonnulla contracta familiaritas. Hic *Maccus*, dic mihi, inquit, bona fide, nunquamné usu venit tibi, ut quem sic ocreis & calceis ad cursum armasses, quemadmodum nunc armasti me, abierit non numerato pretio? nunquam ait ille. Atqui si fortè inquit veniat usu, quid tu tũ faceres? Consequerer, inquit calcearius fugientem. Tum *Maccus*, Seriónе ista dicis, an joco? Planè serio inquit alter, loquor, & seriò facerem. Experiar ait *Maccus*, en pro calceis prærro, tu cursu sequere, simulatque cum dicto conjecit se in pedes. Calcearius evestigio consequutus est quantum poterat, clamitans, *tenete furem, tenete furem*. Ad hanc vocem cum cives undique prosiliissent ex ædibus, hoc commento cohibuit illos *Maccus*, ne quis manus injiceret, ridens ac vultu placido, *ne quis*, inquit, *remoretur cursum nostrum, certatum est de cupa cerevisiæ*. Itaque jam omnes præbere se certaminis spectatores. Suspicabantur autem calcearium dolo clamorem eum fingere, ut hac occasione anteverteret. Tandem calcearius cursu victus, sudans, & anhelus domum rediit. *Maccus* tulit brabeum. *Erasm. in convivio fabuloso.*

merx.

XXXVIII. *De alio quodam plano.*

SImile quiddam accidit *Daventriæ* me puero. Erat tempus illud, quo regnant piscatores, frigent

gent lanii. Quidam adstabat ad fenestram fructuariæ, sive græcè mavultis, oporapolidis fœminæ vehementer obesæ, oculis intentis in ea, quæ proposita venum erant. Illa ex more invitavit, si quid vellet, & cùm videret hominem intentum ficis, *Vis* ait *ficos? sunt perquam elegantes.* Cùm ille annuisset, rogat quot libras vellet. *Vis*, inquit, *quinque libras?* Annuenti tantum ficorum effudit in gremium. Dum illa reponit lances, ille se subducit, non cursu, sed placidè. Ubi prodiisset acceptura pecuniam, videt emptorem abire: Insequitur majore voce quàm cursu. Ille dissimulans, pergit quo cœpit ire, tandem multis ad fœminæ vocem concurrentib. restitit. Ibi in populi corona agitur causa, risus oboritur: emptor negabat se emisse, sed quod ultrò delatum fuisset, accepisse: si vellet experiri apud judices, se compariturum *Idem ibid.*

XXXIX. *De Sacrifico quodam à rustico deluso.*

ANtverpiæ Sacrificus quidam receperat mediocrem summam pecuniæ, sed argenteæ. Id impostor quidam animadverterat, adit sacrificũ, qui gestabat in zona crumenam nũmis turgidam, salutat civiliter, narrat sibi datum negotium a suis, ut vici sui parocho mercaretur novum pallium sacrum, quæ summa vestis est sacerdoti, rem divinam peragenti, rogat hac in re commodaret sibi tantillum operæ, ut secum iret ad eos, qui vendunt ejusmodi pallia, quo videlicet ex modo corporis ipsius sumeret majus aut minus, nam sibi videri staturam ipsius cum parochi magnitudine vehementer congruere. Hoc officium cùm leve videretur, facilè pollicitus est sacrificus. Adeunt ædes cujusdam, prolatum est pallium, sacrificus induit, venditor affirmat mirè congruere. Impostor cùm nunc à fronte, nunc a tergo contemplatus esset sacrificum, satis probavit pallium, sed

causa-

causatus est, à fronte brevius quã par esse. Ibi venditor, ne non procederet contractus, negat id palii esse vitium, sed crumenam turgidam efficere, ut ea parte offenderet brevitas. Quid multa? sacrificus deponit crumenam, denuò contemplantur. Ibi impostor aversò sacrificò crumenam arripit, & semet in pedes conjicit. Sacerdos cursu insequitur ut erat palliatus, & sacrificum Venditor. Sacrificus clamat *tenete furem*: Venditor clamat, *tenete sacrificum*. Impostor clamat *cohibite sacrificum furentem*, & creditum est, cùm viderent eum sic ornatum in publico currere. Itaque dum alter alteri in mora est; impostor effugit. *Idem ibidem.*

XL. *De Hesso quodam festivi ingenii homine.*

ERat Pragæ captivus quidam, & dicebatur esse homo vario ingenio & mirabili celeritate, & quòd esset contemptor mortis, ut sunt Mercuriales & Martiales, qui habent conjunctionem Saturni, Martis, & Mercurii. Regi celebrata est ejus animositas & celeritas. Jussit eum ad se adduci. Adductus est. Rex interrogat eum, Cujas es? Respondit *sum Hessus*. Da sprach *Ferdinandus*, **Das sind die rechten Gesellen.** Interrogavit, ubi vixisset. Respondit in Westphalia. **Da findet man auch solch Gesinde.** Ubi prætereà vixisti? In Bohemia. **Das sind die rechten Länder!** dicebat Rex. Verum est domine Rex inquit ille. Sed vestra Majestas annumeret etiam suos conterraneos, tum erit numerus complexus. Intelligebat Hispanos. Ibi eũ Rex dimisit, laudavit celeritatẽ ingenii, & præsentiã animi in periculo. *D. Pez. Post Mel. parte tertia p. 478.*

XLI. *De Sacrifico quodam Gallo, à milite Hesso egregiè deluso.*

EX *Hussis* non parum quidem multi *Carum* se more conduci patiuntur, ut mercede certa cum *Gallis* militent, tum aliorum etiam quorumcunq;

cunque *regum* ac *principum* castra sequantur. Quidã autem ex his in *Gallia* tamdiu stipendia meruerat, Gallos ut non modò loquentes intelligeret, sed & ipse gallicè perquam promtè expeditéq; loqueretur. Atq; hic quidem cuidam ejus gentis *Sacrifico*, quem auri extra modum sitientem esse noverat, mirificè aliquando verba dedit, fucumq; fecit. Etenim cùm pecuniæ *hoc negotium* circa aliorum peccata & cognoscenda & condonanda occupatissimũ jam esse cerneret, accedit & ipse, perquàm flebiliter cõquerens, se ob atrocia quædam nefariaq; scelera, noctes atque dies à conscientia sua furiis sic agitari, ut de morte sibi ipse consciscenda non parum quidem sæpe cogitet. Interea verò dum hæc cum gemitu & lamentatione *sacrificus* in sinum effundit, sinistra quidem coronatos aliquot ventilat versatq;, dextera verò nucem myristicam auro affabrè obductam, strenęq; loco nuper sibi datam, occulit, identidem tum pectus tundens, tum has imis præcordiis voces mittens: Vereor equidem, vereor inquam, ne non mea delicta sint majora, quàm quib. venia aliqua impunitasq; danda sit. Presbyter igitur conspectis coronatis istis, in spemq; non parva habẽs, sibi hos ipsos datum iri: Ego verò fili, inquit, magno te animo erectoq; esse jubeo, ac nullum dein neq; modum neq; finẽ facit, urgẽdi hominem, ut sibi indicet, ecquænam illa tam scelesta facinora sint, quæ quidẽ commiserit: hisque cognitis se confestim illi, ipsius Dei nomine, istorum veniam concessurum pollicetur. Itaque *miles*, ne non *Sacrificum* naso adunco probè suspenderet, ego verò, inquit, in Alemannia ætatem dum agens, *Domine*, primis illis adolescentiæ meæ annis, cum sorore mea germana (horresco referens) stuprum feci (hæc autem fingebat, ut *sacerdoti* etiam atq; etiam comam circumonderet) ac cum illam uterum ex me jam ferre

animadverterem, ipsa è medio sublata, inexpiabili, proh dolor, parricidio me pollui. Cujus quidem tam infandi sceleris memoria atque recordatio, non passa est me diutius in Germania morari, sed in has usq; tam longinquas distantesque regiones expulit. In quib. quidem ipsis ita etiam conscientię vulnerib. excrucior, ut ne respirare qdē mihi liceat, ipsaq; sit vita morte mihi mehercule acerbior. Quàpropter te per omnia sacra rogo, obsecro, atq; obtestor, ut tuæ mihi consolationis nonnihil aspergas, meque jam in præsentissimum desperationis barathrum prolabentem sustentes, atque adeò peccata mihi ista mea clementer condones. Equidem, contrà dabo operam, ut homini te grato memorique benignè feciſſe sentias. Tum *Sacrificus*, magnum mehercule fili istuc est flagitium, si non maximum inquit: At verò cùm hujus non vulgari te pœnitudine duci intelligam, oculisque coram usurpem, tuque animum gratum atque memorem polliceare, *en tibi ego peccati hujus veniam ipsius* DEI *Opt. Max. sicè locoq; tribuo.* Reliquum ergo est, ut tu vicissim pro tanto meo in te merito liberalem munificumq; te mihi impertias. Huic *miles*, id equidem animo libentissimo summaq; voluntate facturus sum, *Venerabilis D. pastor*, respondet, nec mora, nucem mox myristicam dextera pulcrè occultatam profert, ipsiq; liberaliter donat. Hac *Sacrificus* accepta, frontem contrahit, ac tristiculus, inquit. *Quid fili mi? tantone pro errato tam benignè tibi liberalitérq; condonato, tam levidense munusculum? Quæ (malum) istæ sunt sordes?* Non pretiosius, inquit miles, quid auferes. Sic enim dixit Dominus, *Esa. 52. vers. 3. Gratis venundati estis, & sine argento eritis redemti*, hisq; dictis in pedes sese conjicit. *Mystá* valere jusso, qui totus in fermento jacebat, & ferè ex potestate exitiali atque adeo disrumpebatur,

pebatur, quòd à *Careisto* falsus fraudatusque esset. Sic sic *Vulturii isti Larique hiantes* deludendi sanè sunt, qui pecuniæ interventu nulla se non peccata atque flagitia remittere posse, quam impudentissimè mentiuntur.

XLII. *De Sutore quodam atq; Sacrificio.*

QUum initio cursus sui MARTINUS LUTHERUS contra Romanos indulgentias disputare cœpisset, eò quòd *Leo* tum *Pontifex*, Monachum quendam cum indulgentiarum suarum mercibus passim in *Germania* distrahendis misisset, & omnium peccatorum expiationem & æternam salutem, omnibus illas ementibus polliceretur, simulq; indultum, vescendi carne, caseo, lacte & ovis pro pretio venderet, id quod factum est Anno 1517. qui ætatis meæ vigesimus erat, accidit *Haganoæ*, ut calcearii cujusdam uxor ejusmodi indulgentiarum diploma sibi dato aureo compararet, quò de salute sua certior esset, & ignem purgatorium mox ubi corpore exuta, & ad cœlestia translata esset, evaderet. Id enim diploma illud sub plena *Vicarii Christi* potestate promittebat. Paulò post cœpit mulier lethaliter ægrotare, & quoniam de vita præsente desperabat, accersito ad se *Monacho* cuidam pontificium diploma proponit, factaq; peccatorum suorum exhomologesi, plenariam illorum absolutionem ex pontificia potestate accipit, illáque accepta moritur. Maritus quoniam ægrè tulerat, quòd uxor aurum pro diplomate indulgentiario dedisset, demortuæ quidem corpus telluri commendat: verùm quæ in ecclesia pro redimenda ipsius anima ex more facienda erant, constanter dissimulat ac negligit. *Plebanus* ejus loci, ubi id intellexit, molestè ferens, accusat *Calcearium* apud præfectum, quòd contemtor esset Christianæ religionis, & in uxorem defunctam

D impius,

impius. *Calcearius* vocatur ad præfectum, vocatus, assumto secum pontificio diplomate, comparet. Præfectus ad illum, mortua est tua uxor; inquit? Respondet, mortua est. Quid feciſti mortuæ? inquit præfectus. Sepelivi, ait ille, corpus illius emortuum, animam Deo commendavi. Ad hæc præfectus: nihil præterea feciſti? non curaſti, ut ad liberationem animæ ipſius celebrentur Miſſæ? Ille, non curavi, inquit, quia non habet opus, ut liberetur per Miſſas, cùm ſit mox ad cœleſtia translata, inquit. Unde tibi hoc conſtat? Merito id mihi conſtat, inquit ille, cùm ea de re habeam fide dignum teſtimonium. Teſtimoniũ habes idq; fide dignum inquit præfectus, quòd uxor tua jam ſit in cœlo? Oſtende hoc teſtimonium. *Calcearius* mox prolatum *pontificis* diploma exhibet præfecto, petitque ut legatur. Is acceptum diploma legendum dat *plebano*, qui hanc ob cauſam tanquã accuſator aderat & ipſe. Hic conſpecto *Pontificis* diplomate, primũ obſtupeſcit, ac legere detrectat. Adactus tandem à præfecto legit. Lecto illo pudefacti ambo, & præfectus & *plebanus*, nihil habent, quod contradicere auſint. Tum *Calcearius* pronunciate vos ipſi, inquit, ſatisné fide dignum habeam teſtimonium de anima uxoris meæ quòd non ſit in purgatorium, ſed ad cœleſtia translata? Teſtimonium hoc aureo ſibi nummo comparavit uxor mea: Quid ergo eſt, quòd hic *plebanus noſter*, Miſſis ſuis, neſcio quam liberationem defunctæ uxori neceſſariam eſſe aſſeverat? *Si id rectè affirmat, decepta eſt uxor à Pontifice. Si decepta ab illo non eſt, imponere mihi conatur hic Plebanus.* Ad hæc cùm neque *præfectus*, neque *plebanus*, quod contradicerent, haberent, *Calcearium* à ſe liberè dimiſerunt. Neque enim audebant damnare *Pontificis* diploma. *D. Wolphgang. Muſculus in Locis p. 393.*

De

XLIII. De quodam Suffraganeo.

FActum est in agro Tigurino, ut *Suffraganeus quidam* totum cœmiterum lustrarit, postea cùm pauperculi agricolæ interrogarent, *ubi sepeliendi essent infantes, qui absq; baptismo decederent*, mox angulum quendam cœmiterii jussit non esse sacrum, vel prophanavit, sed neque hoc gratis, denuò enim pecunias ei numerari oportuit. *O. Lauterus in li. Ezræ Homil. 22.*

XLIV. De Ioanne Tecelio à quodam Equisone circumvento.

QUo tempore Tecelius à Pontifice Leone X. emissus, indulgentiarum per Germaniam nundinationes exercebat, evenit, ut Equiso quidam in Electoris Saxoniæ ditione ad ipsum veniret, percontatus ab eo, num & eorum peccatorum, quæ nondum quidem commisisset, sed paraturus aliquando esset, veniam impunitatemque posset concedere, quod si posset, decem se thaleros ei daturum affirmavit. Monachus recusavit initio, causatus, rem hanc esse gravem et magni momenti, argenti tamen cupiditate & spe lucri inductus prolectatusque, quamvis rem hanc gravem & arduam esse affirmaret, plenam se tamen à Leone Papa potestatem habere, &, si triginta sibi thaleros numeraturus esset, indulgentiarum participem se facturum ipsum esse respondit. Cùm autem Monachus jam in sinu gauderet, atque adeò ob præmium reportatum omnibus planè lætitiis incederet, Equiso, occasione captata, in itinere ipsum adoritur, omniq; ei pecunia, quam ex indulgentiarum mercatu acquisiverat, detracta, in urbem se recipit. Subsecutus Tecelius dicã ei ad Magistratũ scribit. Equiso peccati hujus flagitiive veniam jã pridem sibi concessam esse, diplomate Tecelii prolato, Magistratui fidẽ facit. Ibi Tecelius &

causa cadit, & risu ac sibilis omnium, qui aderant, explosus a judicio facessere jubetur. *Beccher. in Chron. Thuring: pag. 460.*

XLV. De *alio quodam ejusdem farinæ homine*.

QUando templum vel cœmiterium aliquod *in Papatu* prophanatum fuit, per cędes, aut libidines, aut si sepultus aliquis in eo fuit *à pōtifice* excōmunicatus, denuò lustrari & expiari illud oportuit, vel reconciliari (sic n. vocant) & iterum numerari pecunia, alioqui *Missæ* non fuerunt in illo templo celebratæ. sed ostia templi occlusa, & intermissus *Dei* cultus. Talis *quidam episcopus* accepta pecunia, in agro quoque nostro duo templa consecravit; *Sacerdote* verò quodam eum *Simoniacum* esse dicente, quòd dona spiritus venderet. Ille respondit, *se non paciscì cum rusticis, ut* Simon *fecit cum* Petro, *Actor. 8. v. 18 Sed ne hoc scelus incurrat, se ipsis diserte præcipere, ut tantum sibi pro lustratione numerent.*

Idem ibidem.

XLVI. De *Sacrificulo impostore*.

MEMINI me à gravibus viris audire, venisse *Tubingam Sacrificulum*, qui nescio quas reliquias (ut vocant) ossium circumferens, hoc præconio eas populo commendabat, videlicet, nihil à pestilentia periculi fore toto anno, his, qui semel reliquias eas osculati essent. Eberhardus *princeps sapiens & gravis* non ferendam scurrilem impudentiam in concionibus judicans, objurgat aspeтè *Sacrificulum* illum. Is respondet se vera dicere *quia populus non det osculum reliquiis, sed vitro.*

D. Philippus Mel. in Responsione adversus Colonienses.

Idem jocus versibus scitè & venustè expressus.

WUrtembergensis ditionis in urbe *Tubinga* *Sacrificus* quidam relligiosus erat.

Hic

omnium, qui aderant,
re jubetur. *Beccher. in*

adem farina homine.
cœmiterium aliquod *in*
fuit, per cædes, aut libi-
s in eo fuit *à pontifice* ex-
i & expiari illud opor-
cant) & iterum nume-
s non fuerunt in illo
templi occlusa, & in-
quidam episcopus acce-
ue nostro duo templa
quodam eum *Simo-*
ona spiritus venderet,
cum rusticis, ut Simon
Sed ne hoc scelus incur-
tantum sibi pro lustra-

lo impostore.
s viris audire, venisse
, qui nescio quas re-
cumferens, hoc præ-
bat, videlicet, nihil à
anno, his, qui semel
Eberhardus *princeps*
am scurrilem impu-
cans, objurgat aspe-
pondet se vera dicere
eliquiis, sed vitro.
nsione adversus Co-

venustè expressus.
is in urbe *Tubinga*.
ligiosus erat.
Hic

Hic veluti superûm demissus ab aree *Propheta*,
Narrabat populo, verba stupenda, rudi.
Cùm sæviret enim sternens mortalia passim
Corpora, lethiferæ pestis avara manus.
Fortiter in templo clamabat: *adeste frequentes*,
Omnibus hic vobis certa medela datur.
Hæc inclusa vitro Divi quæ cernitis ossa,
O quales fructus utilitatis habent!
Annum prædico tutos à peste futuros,
Istis qui dederint oscula relliquiis.
Hinc subitò populus densim properavit ad illas:
Nummorum valuit protinus aucupium.
Oscula *Sacrificus* vendebat plurima nummis
Indomitæ plebis crudelitate fruens.
Hanc graviter tulit impostúram *Dux Eberhardus*,
Talia *Sacrifico* dicta deditq; statim:
Quòt moritura putas hoc anno corpora: sacras
Divi relliquias, quæ tetigêre tui?
Turpis amor lucri, nil te pudet improbe scurra:
Cur populum tali decipis arte meum?
Sacrificus placidè respondit: *Maxime princeps*
Ah tua plebs nulla fallitur arte mea.
Parce precor, nec me credas imponere cuiquam,
Relliquias vexi laudibus, esto, sacras.
Quisque tamen claro tantum dedit oscula vitro,
Sacris relliquiis oscula nemo dedit.
Hoc anno pereant igitur si mille, quid ad me?
Duntaxat vitrum qui tetigêre meum.
His dictis risit *princeps Eberhardus*, & istum
Sacrificum pepulit finibus inde suis.

I. G. A. in Sylva Carminum quæ Regno p. tristi co Thomæ Naogeorgi accessit.

XLVII. De *Abbate quodam.*

ABbas quidam interrogatus, cur toties in judicio disceptaret, cùm sciret se causam sæpè non bonam tueri: Respondit se imitari pueros, qui

prætereuntes nucem arborem saxis & lignis peterent, experirenturque num quę nuces decidérent. *Lavater. in Comment. Proverbiorum Salomonis p. 33.*

XLVIII. *De Sacerdote quodam percussore.*

Behel. II. 11

LUcra petiturus cum plebe frequéto tabernas,
Verbera pro verbis hîc ego digna fero.
Agricolæ vulnus quoties infligo vel unum,
Ille facit capiti vulnera bina meo.

Sebastianus Scheffer us, lib. 1. Epig. pag. 94.

XLIX. *De Usurario quodam, & Concionatore cane muto.*

31

DIves erat usurarius & epicureus, is crebrò ad se invitabat Concionatorem, qui ei nihil dicebat de peccatis, aut vera pœnitentia: idq; faciebat concionator, ne excideret gratia domini, & suis commodis. Volebat enim, ut mundus vocat, esse *pacificus & tolerabilis*. Quid fit? Dives ægrotans & moriens, vocato ad se concionatore, condit Testamentum, quo *bona sua haredibus, verùm animam suam, & pastoris, ipsi Diabolo legat*, causamque hanc profert, quia non fit ab ipso de peccatis suis monitus. *Joh. Wigand. Post. sua par. 1. p. 544. edition. prima.*

Munchst. n°28

L. *De Vaccario, Ludovici XI. Galliarum regis, consiliario primario.*

32

URgebat *Rex Ludovicus XI.* Senatores & consiliarios curię, ut alicujus edicti auctores & approbatores essent. Illi cùm id se facere posse negassent, *quia videretur injustum*, Rex non tenens iram, cujus alioquin impotens erat, mortem toti Senatui minatus est. Tum *Vaccarius* (summus totius Senatus prę ses) cujus maximè auctoritate, Regiæ cupiditati obviam ierant, toga purpurea sumpta, cum toto Senatu rectâ ad *Regem*, ira incęsum, perrexit. *Rex* ea pompa, & inopinato purpurati Senatus advętu attonitus, percontatus est, quid vellent? quidve quęrentes adeo intempestive ad se venissent?

nissent? Cui *Vacearius*, ad hunc modum pro omnibus respondisse fertur: *Mortem*, inquit, *quærimus ô* Rex, *quam tu nobis minitabundus indixisti, nisi auctores essemus edicti tui. Sed scito nos mortem prius oppetituros, quàm quidquam adversus* cõscientiam, & officium *faciamus.* Postquerius in libello antiquitatum Gallicarum, citante Euseb. Philadelph. Cosmopolita Dial. 1. p. 83. edition. Edimburgianæ.

LI. De *Villequierio & Lignerollio Gallis hostibus capitalibus, memorabilis & horrenda historia.*

BOna pars hominum, postremæ hujus conspirationis primordia & fundamenta, ignorat, sed hoc, meo judicio nõ parum ad ea detegenda, & patefacienda proderit. Audivisti *Lignerollium*, dum Blaiis esset in aula, interfectum fuisse, rumoremq; disseminatum, id *Andico* jubente factũ, quod *Tyranno*, nescio quas tabellas ex *Hispania* ad *Ducem Andicum* misses, in quibus arcana quædam inter eum & *Hispanum* consilia agitabantur, indicasset.

Alii verò *Villequierium* duntaxat auctorem existimabant, qui ob novas inimicitias amicis stipatus, *Lignerollii* sinum & pectus perscrutari sica occuparat. Sed hæc certa fuit ejus necis occasio, quã quidẽ ab aulicis quibusdam procerib. qui me pontificię adhuc religioni debitum credebant, accepi.

Tyrannus ejusq; *Mater* impensè in votis habebant *Amiralium* è medio tollendi, ac reliquos omnes, Reformatam Religionem in Gallia profitentes, radicitùs extinguendi.

Quum ergo ab *edicto pacificatorio* anni 1570. inter sibi addictiores suæ farinæ aulicos quempiam pvestigassent, cui & acumen ingenii, & mala mens atq; animus non deessent, ad consilium callidum excogitandũ, quo cautè, & sine strepitu votorum compotes fieri possent, quãdoquidem aperta vi & marte nihil promovissent, certò persuasi neminẽ

ad flagitium aliquod cudendum & moliendum magis paratum atque alacrem, nec cui tutiùs sua consilia fidere, quam *Biragium* sigilli custodem, & Cancellarii vices gerentem, qui quidem propter insignem & inauditam malitiam, quam imis alit præcordiis, ad omne nefas & scelus acerrimus & vigilantissimus: cæterum sine sensu, sine sapore, elinguem, tardũ, inhumanum, stipitem, Æthiopem, ac, ut inquit ille, modò abreptum de grege vænalium diceres. Cùm igitur eum clam ad se accersiviſſent, ei mentem ac sententiam aperiunt, nominatim injungunt, ut totus in hoc negotio incumbat & invigilet, efficiatque sua inventione, ut tandem optatam metam contingant. *Biragius* cùm sibi tantum honorem deferri, seque in tam negotio reliquis suę gentis hominibus præferri videt, exultans, daturum se operam pollicetur, ut res eorum animi sententia succedat ac conficiatur. Nec dubium est (ut hoc obiter dicã) quin ab eo tempore sibi *Cancellarii dignitatem vendicaret, qua etiam postea in tanti officii remunerationem donatus est.* Elabuntur aliquot dies, quibus, ut facilè conjicis, sœdo ac sordido illi mercenario satis otii fuit ad meditandas, & secum ruminandas, omnis generis technas, quas magis aptas & idoneas fore judicabat.

Tandem hæc illi præ cæteris commoda & acuta visa est. Tentandam esse rationem contrahendi, quoquo modo id fieri posset, cõnubii, *Tyranni Sororis, cum* principe *Navarreno*, ut hæc esca, atq; his tanquam illecebris Religionis cultores, *Amiralius*, ac reliqui Religiosi nobiles in aulam attraherẽtur, atq; ita in aulæ potestate haberentur. Ad hujus autem negotii faciliorem expeditionem, nullo modo *simulationibus, promissis, muneribus, largitionibus, ac cæteris ejusmodi tendiculis & fucis*

aulicis

aulicis parcendum esse, donec Lutetiæ *intra mœnia atque urbis tecta, quò idcirco aula etiam, cùm opus esset, migrarat, irretiti tenerentur.*

Ibi perhumaniter exceptis, omni comitate & blanditiis delinitis, animi recreādi gratia nuptiarum tempore erigēdum esse ludicrum castellum, & munitionem artificiosè constructam, & omni propugnaculo more bellico instructā, vel in prato, quod Clericorum vocant, vel in Tegulariis: hoc colore, ut sese mutuò aulici, alii munitionem oppugnando, alii propugnando exercentes, ad matronarum aulicarum oblectationem spectaculum præberent. Adducendum esse *Amiralium*, ut oppugnantium dux esset, eorumq; omnium ex Religiosorum, qui tum in aula essent, numero, qui sine dubio ingens futurus erat.

Propugnantes verò ex aulicorum delectu fidelissimi ac confidentissimi quique forent, tum *Tyranni milites*, tum militum præfecti, quorum *Duces* rei gerendæ conscii levibus initio præliis ultro citróque de industria habitis, repente demum signo opportunè dato, pluribus glandibus sclopetis oneratis, in *Amiralium* ac suos seriò & intrepidè eruptionem facerent, tela emitterent, cæderent, ac denique interficerent. Eo, sociisque peremtis, facile reliquos *Hugonotos*, quocunq; se recepissent ac latitarent, deletum iri. Re confecta non defuturas artes, nec speciosa argumenta, non defuturum novæ conjurationis recens deprehensæ figmentum, cujus obnoxii convincantur, ut *tota hac tandem in eos cudatur faba.*

Hæc cùm animo volutasset, & tandem apud se statuisset *Biragius*, denuo *Tyrannum* ejusque *matrem* adit, dolum ac technam explicat, quibus cùm satis arriderent omnia, ad optatum finem facilè perduci posse judicantes, examinatis quibusdam

busdam de forma, de subjecto, deque exequendi modo cum *Bragio* difficultatibus, concludunt tandem his insistendum esse vestigiis, ipso insuper id suadente & comprobante *Retio Comite*, cui totum negotium patefaciũt. Connubii statim ratio struitur, eaq; omnia, quæ nosti, diligenter obeuntur, quò nostri in aulã allicerentur. Paucis abhinc diebus, cùm hujus cõsilii participem fratrem *Andicum* facere vellet *Tyrannus*, illũ ad se, ut prope se dormiat, invitat, uti solet, cùm de rebus arduis cũ illo ptractare instituit: cõmunicato negotio illũ adjurare & polliceri adigit, nemini se unq̃ prorsus verba facturum, cæterùm forti sit animo, felicem certò se sperare exitum. *Dux Andicus* cùm hanc conjurationem audacissimam ac difficilimam autumaret, ut de eã tãdem cum *Lignerollio* suo conferat, sese continere nõ potest, accepto prius ab eo taciti & altissimi silentii jurejurando, quò *Lignerollius*, qui inter cæteros intimus erat ejus cõsiliis, re apud se diligenter excussa & deliberata, ingenuè & liberè suam ei sententiam ac judicium, de re facilius obeũda exponeret. Sed cùm *Lignerollius* nihil ad proditionẽ tam astutè & dextrè fabricatam & conceptã requireret, facileq; eam effectam dari posse affirmaret, nullo præterea deinceps ejus sermone habito, occultatur eorũ mens, ac silet quisque, donec quodã die *Senior Bricomaldus*, qui cum *Tellignio* ac reliquis, Reformatæ Religionis negotia in aula procurabat, cũ *Tyrannum* convenisset, ac conquestus esset de fidelium strage non ita pridem post *edictum pacificatorium*, apud Aulercos Rothomagi edita, utq; fontes supplicio afficerentur, efflagitaret, cum eum *frigidum & resistãtem* cerneret, liberè *Tyrãnum* ita est allocutus: *Periculum fore, nisi in seditiosos illos exempla fiant, ne Pontificii inde audaciores facti, majora aggredi adjiciant, quorũ insolentiam cùm ferre nõ possint* RELIGIOSI, *ad arma*

recurrere cogantur, si sibi legum præsidia denegari videant: unde adeo funestum, quàm unquam antea, exoriri bellum necesse esset.

Hac oratione excitatus *Tyrannus Mommorentio* dat provinciam Rothomagum proficiscendi, ibiq; omnia justis & cõvenientibus remediis componendi. Interea cùm è *Tyranni* conspectu secessisset *Bricomaldus*, omnes etiam è cubiculo exire jubentur, ut pro libidine DEUM horrendis execrationibus detestari, ac secum ipse solus stomachari posset *Tyrannus*. Tum intromissus *Lignerollius*, ob nescio quid negotii, illũ ita furentem conspicatus, irarũ causas humiliter scisciari audet: facilè cerni posse illius *Majestatem* acriter esse perturbatã. Cui *Tyrannus* Dei ventrem, *mortem, sanguinẽ*, tertio quoque verbo detestans, Annon mihi moveret stomachum os illud impudens, *spurci illius paderastis* (sic n. plurimum viros etiam graves atq; integros appellare solet) oratio, qui mihi huc insultatum advenit, ac quodammodo bellum indicit, *nisi de Aulercis pœnas sumi decernam?* Huic subjicit *Lignerollius, Rex potentissime*, noli te ideo cruciare, *expectanda est munitionis oppugnatio.* Hoc verbum *Lignerollio* excidit, *Tyranni* animum leniendi gratia, utq; subolfaciendi illi ansam præberet, se consilii etiam esse conscium, *ex eo se tam hebetem esse, quàm sibi solers videbatur, prodens.* Quo audito, *Tyrannus* ne sua paterent consilia veritus, *quã* inquit (mortem DEI dejerans) *mihi munitionem narras? Nescio quid loqueris.* Munitionem quam nosti (excipit *Lignerollius*) *dierum nuptiarum.* Plura quàm voluisset *Tyrannus* audiens, aliud ex alio fingens *Lignerollium* dimittit, *qui nimis serò fortassis sensit & expertus est, q præstitisset digito compescuisse labellũ.*

Confestim *Tyrannus* accitam *matrem* interrogat, num tam bene celandum cõsilium retexisset?

De

De eo jam nescio quid (Dei *sanguinem & mortem* pro more execrans) mussitari. *Matrem* vero innoxiam esse, & nemini quidquam indicasse comperiens, ad se *Comitem Retium* accersiri jubet. Quem ex abrupto, & nihil dum tale suspicantem ita excipit: *Ganeo vilissime & illiberalissime, te* EGO (Sanguine Dei detestans, dejerandi enim & blasphemandi consuetudine, si quis alius, mirum in modū delectatur *Tyrannus*) *mendice inertissime ex illiberali & infimo homuncione, in altum amplitudinis locum evexi, sed tibi cristas adeo resecabo, adeo humile atq; abjectum reddam, ut neq; hiemi reptans conspiciaris.*

Túne ergo plenus rimarum hac illac perfluens, mea consilia palam facere ausus es pudico impudentissime? Merapiant mille Cacodæmonum cohortes, &c.

Nequam ille Cynædus *Peronius* ubi se ita comiter acceptum & salutatum videt, exanimis & semimortuus, cùm sese vix tandem ex magno timore recreasset, *Tyranno* respondet. *Imò* REX *invidissime, ne quidem oris hac de re aperiundi mihi unquam in mentem venit opinio, hoc tibi ego per omnes* DEOS, *ac tuā* majestatem *affirmo & juro: si secus deprehenderis, me infelici arbori suspendi jubeto, quod te supplex oro atq; obtestor.* Quum nihil contrà arguere posset *Tyrannus*, *Fratrem* rectà contendit, an cuiquam de hoc negotio verba fecerit, rogat. Cui *Andicus* veniam deprecatus, nō inficiabor, inquit, soli me *Lignerollio* verba fecisse, quod illum *sagacem, & acris ingenii virum, ac tacituram judicarem.* Hoc equidem præcepi, inquit *Tyrannus*, haud mihi rem gratam feci sti, posthac tibi adeo facilè mea consilia credere cavebo. Cæterùm *Lignerollio pereundum est, fatuus est, & insulsus nebulo. Scito enim nolle me, ut os cuiquam alii unquam posthac, hac de re aperiat.* Dux *Andicus* suo & *Lignerollii* agnito errore, fratrisq; metuens inflammatum animum, obmutuit, nec se quicq̄ morari profitetur. Ab

Ab eo tempore *Tyrannus* vocatum ad se *equitem fratrem nothum* jubet, ut *Villequierium* juniorem adeat, ac suo nomine significet, se illum pro nequam, imbelli & ignavo habiturũ, nisi injuriam ab *Lignerollio* illatam ulciscí conetur, eiq; ad hanc rem sex septémve delectos strenuos ac intrepidos stipatores socios administret. *Eques* hoc munus diligenter obiit. *Villequierio* hoc modo armato, stipato, & ulcionis percupido, addit animos. At *Villequierius* obvium *Lignerollium* adoriri, ut expetebat *Tyrannus*, non audet, ei quippe *frigidus per ossa cucurrit tremor, riguitq; in pectore sanguis.*

Quod cùm resciviſſet *Tyrannus*, eum ad se vocat, innumerisq; in eum jactis contumeliis & scõmatibus imperat, ne unquam ante suum in conspectum prodeat, nisi jam *Lignerollium interficiat*: ei ensem validum & acutissimum dat, illumq; ipsemet proprio thorace æneo induit, denuò *Equiti* mandat, ut firmiore, quàm antea virorum præsidio stipatus *Villequierius Lignerollium* bene cæsum vita privet, nec farit aliter: hoc idem sociis suo nomine denunciet. Hoc accepto mandato novus rursus redintegratur conatus. *Comes Mansf. Germanus*, is qui pontificiæ religionis partibus studet, *Comitis Mongomerii* frater, cui *Sancti Joan.* nomen est, *ac nonnulli præterea nobiles* sese comites *Villequierio* addi patiuntur, suamq; ei navant operam. Hoc apparatu & comitatu *Villequierius* confirmatus, quærit miserum *Lignerollium*, in quem obvium repentè irruit, & vulnus infligit, ac ille tandem miserrimus pectus gladii ictu transfixus cecidit. Atque hic exitus fuit *Lignerollii* Adonidis *aulici, quo nemo apud aulicos gratiosior habebatur.* Quod ad Procancellarii *Biragii* fabricatam machinationem attinet, licet sapiùs tentata fuerit, effectumq; nuptiarum tempore castellum, tamen

quoniam

quoniam eò pellici non posse *Amiralium* præsen-
serunt, paucósque interfuturos Religiosos nobi-
les, aliam aggredi rationem oportuit *Tyrannum*,
ex consilio, & sententia *Aumalii* ducis ac *Niver-
nensis*, qui ejus primarii sunt consiliarii. Dum hæc
ita geruntur, *Dux Guisius* veritus, ne *Amiralius*
(quem potissimùm odio infestissimo & irrecon-
ciabili prosequebatur) è manibus suis evaderet,
nevé ab aula, prout impensè cupiebat, recederet,
Sclopetario conducto, vulnus, quod nosti, infligen-
dum ei curat, *die Veneris ante illam lanienam*. Quo
facto accidit, ut denuò institutum & propositum
mutare cogerétur, ex re nata & occasionum natu-
ræ bellum illud suum perfidum & proditorium
adversus bonos viros gerentes, quibus suis aulicis
lenociniis, incautis, simplicibus, oscitantibus & o-
culos perstrinxerant. Hæc sunt quæ in aula verio-
ra & certiora, pro re comperta, habui. *Eusebius
Philadelphus Cosmopolita Dialogo secundo pag.* 115.

ERAS. *de lingua.*

33 SUnt vitia, quæ conciliant odium & invidiam,
veluti arrogantia & violentia: sunt quæ con-
temtum, veluti luxus & libido, ignavia & stultitia:
nullum tamen omnium reddit hominem vel vili-
orem, vel magis aspernabilem, ac magis etiam in-
visum, *quam futilis & importuna loquacitas.*

LII. De *Rustico quodam.*

QUi vitare velit permulta incommoda tutus,
Obsérvet celebrem sedulus *Harpocratem.*
Posteriora loqui interdum melius, mihi crede,
Quam linguam, dixit Rusticus Armicola.

Joannes Atrocianus ad Joannem Valtenbergi-
um in Epigram. quæ Elegiæ de Bell. Rustico acces-
serunt.

LIII. De *Fure Britanno.*

34 QUOD dicam, accidit apud Anglos *Londini.*

Fur

Fur quidam per tegulas irrepserat ædes venandi gratia. Nec successit venatus: prodidit hominem strepitus, ortus est tumultus, etiam vicinis concurrentibus. Ille videns tumultum, miscuit se turbæ, velut unus è numero vestigantium furem, atq; ita fefellit. Cùm putarent furem elapsum, desitum est quærere. Fur, quoniam frustra tentaverat elabi per fenestras, vicinis arcentibus, decrevit exire per ostium, credens futurum ut illic falleret, quemadmodum fefellerat in venatu, & fefellisset, nisi tam parum continentem habuisset linguam, quàm habebat manus parum abstinẽtes. Offendit præ foribus complures de fure confabulantes. Et hic male precatus est furi, cujus gratia perdidisset pileũ. Exciderat autem fugitanti pileum, quod exceptũ est in hoc, ut ejus judicio fur posset aliquando deprehendi. Ex ea voce nata est suspicio. Captus est, confessus est & pependit. D. *Erasmus de Lingua.*

LIV. De *Astrologo quodam.*

QUidam ex astris prædixerat, *Henricum Anglorum Regem* ejus nominis VII. eo anno perituru̇m. Res est ad Regẽ delata. Accersivit hominem verbis honorificis, dissimulans, quod resciverat. Rex inter cætera percontatus hominem, num ex astris certa prædici possent? Ajebat, num ipse esset ejus artis peritus? Annuebat, sperans se tantò pluris habitũ iri à Rege. Tum Rex, *dic igitur mihi, ubi tu futurus es hisce festis natalitiis?* (Instabat enim natalis *Domini*) hærebat. Quum urgente Rege, negaret se posse certũ prædicere, ergo inquit *Rex, ego sum artis peritior quàm tu, nam scio te futurũ in turri,* (sic enim vocant locum munitũ, *Londino* imminentem, in quo servãtur, quos volunt esse in tuto) *simulq; innuit, ut duceretur.* Illic ubi satis refrixerat divinandi calor, cum risu dimissus est.

Idem ibidem.

LV. De

LV. *De inconsulto quodam Consiliario.*

RFeram fabulam, quam audivi Lutetiæ, cùm illic agerem, an veram nescio, certè verisimilem. Ostenditur in foro frumentario, ni fallor, os cloacæ, in qua se sepeliri jusserat quidam, quem tserò pœnituit mali consilii. Viderat Regem tristem ac solicitum. Causa mœroris erat angustia rei pecuniariæ. Is quò regem sublevaret, suasit ut ex minutis etiam rebus, quas Rustici deferunt in urbem, unum aut alterum æreum numulum exigeret, idq; in biennium duntaxat. Ex eo cum videret in urbe frequentissima colligi pecuniæ vim non modicam, videlicet juxta sententiam *Hesiodi* ex multis minutis, conflato ingenti acervo, non remissum est, quod semel cœptum est dari, χαλεπὸν χρείων κύνα γίνεσθαι. Imò ad hoc exemplum plures exactiones excogitatæ sunt. Qui dederat consilium, cùm videret se non idem auctoritatis habere in dissuadendo, quod habuerat in suadendo, quo de seipso pœnas sumeret inconsulti consilii, simulque moneret alios, ne ad eundem impingerent lapidem, testamento cavit, *ut in ea cloaca sepeliretur, in quam totius illius fori sordes confluunt, in quo manet etiamnum in hunc usque diem exactionis executio.*

Idem ibidem.

LVI. *De Thalete Astrologo, & anu quadam rustica.*

ARdua fortè *Thales* cœli dum sydera lustrat,
In foveam gressu præcipitante ruit:
Hunc *anus* ut quædam delapsum *rustica* vidit,
Quæ vitreo liquidas fonte petebat aquas.
Sic super illudens cùm perveniset ad ipsum,
Alloquitur quatiens voce tremente caput.
Astra quid inspectas cœli sublimia stulte,
Nec tibi quæ prosint inferiora vides?

Dumq;

Dumq; futura studes aliis prædicere fata,
Cernere quæ jaceant, non potes, ante pedes,
Johannes Silberborner in 1. editione Epig. D. Philippi.

LVII. *De quodam incontinentioris linguæ homine.*

REX quidam *Britanniæ*, quodam à proceribus in convivio multa garriente in *Abbatem* quendam prædivitem, & commemorante quot genera ciborum, quot missus ad unius mensam inferrentur, finxit se mirari *abbatis* ingluviem. Ille verò, ut magis delectaret *Regem* hac fabula, quam existimabat esse perfacetam, studio exaggerabat omnia, non parum etiam, ut fit, affingens veris. Jam ubi tempus esset interpellandi *blateronem*, rogabat eum Rex, *abbas ille num gigas esset, aut cyclops?* Respondit esse mediocri statura. Ventrem igitur, inquit, habet prævastū? Ait hac parte non multum præcellere cæteris: Quonam igitur, inquit, recondit tantum ciborum? Mihi non fit verisimile, quod narras. Hìc *rabula* constrictus, non solus, inquit, hæc comedit *ô Rex*, habet convivas multos, & familiam numerosam. Phy, inquit *Rex*, quid igitur novi narras *qui multos habet ci-bos qui multos alit?* Alioqui quicquid tibi dictum est in *abbatem*, possis & in me dicere. Hac arte castigavit *Rex* inepti convivæ stultam loquacitatem. *Erasmus de lingua.*

LVIII. De *alio quodam blaterone.*

NOn pauci sunt, qui fictis quæstiunculis excitant quorundā loquacitatem, *ut rideant*. Præsidebat in convivio negotiatorum *Dominicanus quidam*, adhibiti sunt de industria, qui hominem promtum & confidentem rogatiunculis exagitarent. Ille incontanter ad omnia, & quidem seriò. Tandem inter quæstiones ad negationem pertinentes hanc proposuit quidam: Num rectè faceret, qui pactus lactis ovilli duo dolia, lac redderet gallinceum. Ille nihil

contatus distinxit. *Si lac*, inquit *gallinaceum utilius sit illi cui redditur, quàm vellum, satis fecit qui reddidit.* Risus omnium consecutus est. *Idem Ibidem.*

LIX. De *Rustico quodam.*

TRaditur quendam *Rusticum* satisq; deformem, cùm esset pulcrorum liberorum cupidissimus, uxorem multò deformiorem duxisse. Eum cùm amici riderent, & rogarent, quo pacto sobolē formosam ex tali conjuge speraret? Ille tum nihil respondit, verùm se in forum contulit, atque ibi pulcerrima signa & tabulas coëmit, domumque reversus in cubiculo eas collocavit, uxorem jussit eas assiduè contemplari. Unde factum est ex ea quotidiana spectatione, quadam συμπαθείᾳ, ut proles non ad matris formam, sed ad tabularum exemplar fingeretur. D. *Martyr in* 1. *Sa.* 1. *pag.* 2. *fa.* 2.

LX. De *quodam Saxone.*

IN concione quidam ut audiit Saxo
Futura quondam verba judicis Christi.
Ego esurivi, & vos cibum negavistis,
Sitii, & nihil dedistis ut biberem: dixit,
Veni ad meas ædes, & unico verbo
Te prode, sat tibi superque depromam,
Anniculum petasonem, & integrum ventrem,
Denique suffitas adhæc bovis carnes,
Et optimo te liberaliter Zytho,
Donec vomas inebriatus, opplebo,
Qui honestius, qui te suavius tractem?

Cordus lib. 6. pag. 177.

LXI. De *Iacobo Henrichmanno, & insulso quodam Rustico.*

EGo cùm hyeme quadam ob maximam nivem, quæ omnia viarum vestigia occluserat & texerat, a recto itinere equitando paululum aberrassem, tum *Rusticus* mihi comes acriter me castigare & objurgare cœpit, inquiens. *Proh tu artium magister es, & a vero*

à vero itinere devia sti, & viam nescis? Arbitrabatur hebes ille *rusticus*, quum philosophus essem, quem nos artium Magistrum vocamus, omnes vias mihi cognitas esse, *imo & calceos me suere posse opinabatur.* Henrichmannus in operis sui Grammatici ad *Bebelium* præfatione.

LXII. De *inepta quadam mulierecula.*

IMprudens quædam mulierecula à vicina correpta, quòd nudo capite, & eo quidem raso scabioso, domo exiisset, vestibus sublatis à natibus caput tegere cœpit. *Velando capitis scabiem, podicis fœditatem non sine risu ostendit.* Idem in epistola ad Caspar. Humel.

LXIII. De *Sartore quodam.*

OStolidi & ignavi homines, adhuc modicum lumen est in vobis, qui cùm nullos unquam poëtas aut oratores legistis, inter grammaticos tamen connumerari discupitis, non secus certè quàm equinum stercus, quod dum in aquis cum pomis fluctuaret, dixisse fertur, *Nos poma natamus.* Qui dū fratris Alexandri versiculos didicerint, se *Prisciani* totum volumen comedisse gloriantur, ut *Sartor, qui caprinum stercus ante pharmacopolæ officinam repertum, pro pillulis devorasse dicitur.* Idem ibidem.

LXIV. De *Astrologo quodam, & aratore.*

DIxerat *Astrologus* cœlum sine nube futurum,
Principe sylvarum lustra petente suo.
Dixerat econtrà ruiturum nubibus imbrem,
Vertere consuetus bobus arator humum.
Vix ingressus erat *Princeps* nemus illico densum,
Cum subitò pluviæ præcipitantur aquæ.
Laudat *aratorem princeps*, ipsumque doceri
Astra: sed *Astrologum* sumere rastra jubet.
Sabinus in Epigramm.

LXV. De Rustico quodam, & Nauta.

RUsticus ex nauta quæsivit ubi tuus, eia,
Mortuus est genitor? mox ait ille, mari.

Quâ periit sed avus? mari & ille. Ubi nam tuus ille
Quæso atavus? tumido scilicet ille mari.
Et tu non metuis, pereásne, ingressus in illo?
Talia quærenti navita rursus ait:
Quæso, tuus pater est ubi mortuus? ille toro, at quâ
Namque avus ac atavus? lecto obiére suo.
Et tamen haud metuis, ne tu moriaris in illo
Lecto, ad quem toties ipse redire soles?
Qui, vel ubi moriare, parum differre putabis,
Quælibet ad cœlum mors satis apta via est.

Panthaleon Candidus Concione funebri tertia pag. 56.

LXVI. De *Ioanne Friderico Duce & Electore Saxoniæ & Centauro quodam.*

CEntaurus quidam dicebat ad Principem Ioannem Fridericum Electorem: Domine Princeps, hi sunt (monstrans prę clarè armatum exercitum) qui *Celsitudinem vestram retinent apud regiones & subditos* bey Land vnd Leuten erhalten. Verùm pius Princeps impudentissimi Poliphemi vocem reprimens respondit: O miseros tutores, si non Deus ipse nos tuetur. D. *Wigantus in XI. Danielis cap. pag. 408. fac. 2.*

LXVII. De *Sacrificulo quodam.*

VEnit mihi in mentem historia, quæ in ea disputatione accidit, quam Lutherus Wittenbergæ habuit de Missa, quam Philippus Kluenspieß meus Mæcenas civis Mansfeldensis, qui tanquam studiosus interfuerat, sæpe mihi commemoravit. Quum enim ibi graves rationes exponerentur, cur Missa Papistica abroganda esset, quidam in medio cœtu surrexit, studiosé exclamans; Quid igitur nos sacrificuli futuri sumus Missa abolita? Mox audita est alia vox ex cœtu studiosorum, Lemures & Larvæ. Eam vocẽ subsecutus est cachinnus totius auditorii.

D. Wigandus XII. Danielis cap. pag. 434. fa. 1.

LXVIII. De *Francisco quodam & Rustico.*

FRanciscanus quidam (rem notam narramus) valdè

dè Rhetorica contentione FRANCISCUM suum cum aliis Divorum ordinibus conferebar. Quo in numero te *Franciſce* clamabat collocabo? num locũ inter *martyres* tibi deputabo? *At martyres* longè ſuperas. vis inter *confeſſores* collocari? Sed & hos a tergo relinquis. Inter *Virgines* ſedere vis? *O Virginum Virgo* ubi dignus te locus? Non video locum ullum in quo te locem. Hæc cùm voce interiore, ſcilicet ad movendas aniculas vociferatus eſſet, *Ruſticus* quidã feſtivior, *ne ergo* inquit *ſolus Divorum ſtare cogatur tuus Franciſcus, in meo colloca eum loco, mi* Domine. Atque hoc dicto ſurrexit, & abiit, miſero ac feſſo *Franciſco* locum ſuum cedens. Ex *præfatione Gretterorum fratrum, pericopis Brentii præfixa.*

LXIX. De *quodam cauſidico, & itemque Ruſtico.*

INgreſſus *Rabulæ* quæſitas *Ruſticus* ædes,
Vidit ab uncata, pendula dona, trabe.
Auritos lepores: &pingues dercadis armos
Atque recens capti nobile ſumen apri.
Tum ſua mox triſti vertens veſtigia vultu,
Heu, ait, hic pauper vincere nemo poteſt.

Cordus lib. 10. Epig. 238.

LXX. De *Veneto quodam.*

EGo aliquando vidi Venetum quendam, qui cùm navim conſcendiſſet, ut primum intellexit, nautam appellari *Maltempo*, è navi illico, cæteris videntibus, proſiliit, nec ullo modo cum eo iter facere voluit.

D. Joannes Bonifacius in Tractatu de furtis §. Eſt. num. 128.

LXXI. De *Bruſcheto Henrici II. Regis Galliarum Morione.*

CARDINALIS *Lotharingus* per mare Romam profecturus, *Bruſchetum morionem* ſibi adjungi petebat, ut hujus facetiis, itineris faſtidio levaretur.

Nunquam autem *morioni* huic persuaderi potuit ut navem conscenderet. At dicenti quidem *Cardinale*, nihil periculi esse, quia sanctissimi Patris auspiciis navigaturi sint, respondit: *Audivi saepius, Papam dominium habere in cælo, terra, & purgatorio, sed maris imperium, eidem assignatum esse, nunquam audivi.* Cave igitur adduci me posse, ut propter ipsum me tam furioso & instabili elemento committam.

LXXII. De Leopoldi Austriæ Ducis Morione.

IN Helvetiorum annalibus legitur, *Leopoldum* hujus nominis primum Austriæ ducem, cùm consultaret de invadendis tribus Helvetiorum pagis, fatuum suum per jocum interrogasse, quid nam ipsi videretur. Consultatis omnibus, ille respondit, de ingressu in hanc terram, neminem audio consultantem de exitu. Quæ vox magnō quidem risu excepta est, sed prudenter eum respondisse, postea eventus comprobavit. D. *Lavaterus in comm. pro. Sol. pag. 39.*

LXXIII. De *fatuo quodam Anglo.*

CARDINALIS *Eboracensis Thomas Volsejus* in Anglia pretiosum sepulcrum condidit. Cùm sæpè ad sepulcrum veniret, ut videret quomodo procederet opus, *fatuus* quidam astans, ei *jussit ut si hoc sepulcro uti vellet, vivus ingrederetur: in hoc enim sepulcrum mortuum non condendum.* Ac ita evenit. Nā Rex propter mala quædam ab eo administrata, adversus eum exarduit, deque eo supplicium sumsit. D. *Martyr in 2. Sam. 18 pag. 292.*

LXXIV. De Fatuo quodam Germano.

VIdeo plerosque intempestivè properare ad graviores, ut vocant, disciplinas. Quosdam ad jura discenda, ad medicinam alios spes quæstus rapit. Alii ad Theologiam contendunt, priusquam robur aliquod fecerint in studio artium dicendi. Qui si suo quæque ordine adgrederentur, DEUS bone, quantò rem feliciùs gererent. Nunc malè tentato compendio,

dio, ipsi sese morantur. Fuit apud nos *Morio* quis piam, qui inheri culinam ex more ligna ferebat. Is solitus ex infima strue ea revellere, quæ moveri sine magno negotio non poterant. Interrogatusque cur hoc faceret, respondit, se difficillimam laboris partem primum confecturum, summa illa facilius moveri. Nec vidit, quantum referret, singula ordine tollere. Hujus mihi persimiles videntur, qui fastiditis his artibus, ad sublimia provolant. Nam & augetur discendi labor, & incommodius omnia tractantur cùm nondum sint perpoliti primis rudimentis. D. *Phil. Mel. in encomio eloquentiæ.*

LXXV. De *Fatuis quibusdam.*

OMnium commodissima ratio est docendi *tyrannos*, opulentos & magnates hujus seculi, quòd *non dii sint sed homines*, si potenti manu DEI sternantur, humanisque miseriis subjiciantur, ut conditionis humanæ miseriam, in carne & spiritu sentiant. Fabula quædam fertur de *quibusdam fatuis*, qui cùm unà in ripa fluvii cujusdam consedissent, ac pedes quisque suos aliorum pedibus conjunctos in fluvium demisissent, cùm surgendum esset, ignorare cœperunt, utri utrius pedes essent, donec transeuntis cujusdam baculo percussi, suos quisque pedes, sensu videlicet verberum admonitus, ad se traxissent. Consimili modo divini judicii baculo feriendi sunt stulti isti *Tyranni*, qui se homines esse nesciunt, ut vel plagis admoniti, miseriam humanam in carne sua experiantur atque cognoscant. Sic Nebuchadnezar, sic Alexander Magnus, sic Herodes mortalitatis & humanæ miseriæ conditionem experti, oculos tandem aperuerunt, quibus se homines esse viderunt. **Es kan jhnen Gott auff die Menschen Haut also schlagen / daß sie jhrer widrumb gewahr werden.** *D. Musculus in explicatione Psalmi 9. pag. 92.*

LXXVI. De *Morione quodam.*

ÆTherea clarisono *fatuus* modulamine repleta
Cùm ponenda rogi mater in igne fuit.
Objurgatus, ait: *quid me pater improbe stultum*
Stultior & nato semper habende, vocas
Surripiet pretio conducis funebre carmen,
Matris ego gratis, ad nigra busta, canam.
Sebast. Scheff. lib. 1. Epig.

LXXVII *De quodam Maximiliani Imperatoris ejus nominis I. Coquo semifatuo.*

ACcepi ab hominibus fide dignis lepidam historiam de *Maximiliano Imperatore*, cui, cùm esset generis sui investigandi admodum curiosus, *ineptus quidam nugator* persuasit, se originem ejus ex arca Noæ invenisse. Quæres tam vehementer ipsum affecit, ut negotiis omnibus prætermissis, huic uni investigationi assiduè intentus esset, nec ab ullo se interpellari sineret, ne à Legatis quidem, qui de rebus magnis cum ipso tractaturi venerant. Cùm hanc vanitatem mirarentur omnes & tacitè reprehenderent, nemo autem posset mederi, vel auderet, tandem *Coquus illius, quem etiam pro morione habebat*, & cujus dictis sæpe oblectabatur, petita loquendi venia, ut Imperatoriæ dignitatis studiosus, hoc studium investigandæ originis, nec utile nec honorificum ei fore dixit. Nunc enim tuam Majestatem colo, inquit, & te ut DEUM aliquem veneror. *Quod si ad arcam Noæ veniendum est, illic futuri sumus cognati Nam illinc descendimus omnes.* Hoc *Morionis* dicto sic commotus est Maximilianus, ut eum puduerit instituti, cùm antea neque amici, nec consiliarii, nec negotia eum revocare potuissent. Sensit enim fore, ut nomen suum, quod atavorum investigatione illustrius reddi volebat, omninò vilesceret, si ad primam usque stirpem veniretur, à qua Principes & plebei, nobiles & ignobiles, originem duxerunt. *D. Calv. in Esa. p. 188.*

De

LXXIIX. De Cuntzen von der Rosen / ejusdem Imperatoris fatuo.

FOrtè parat *Cæsar* convivia *Maximilianus*,
Ad quæ læta venit turba vocata *Ducum*.
Hîc undam famuli manibus dant ordine *regum*,
Mensisque instructis accubuère duces.
Deinde epulis onerant mensas, & plena reponunt
Pocula, quæ miris sculpta fuére modis.
Postquam epulis domuere famem, & sua corpora læti
Curarunt: *ludos mensa secunda dedit.*
Iam media in mensa pingunt longo ordine turrim
Et carbone notant atria parva nigro.
Hic spes quisque suas, hîc præmia pacta reponunt,
Inqua novum bellum nomina quisque dabat.
Partem aliquam talis deposcit *Morio* belli,
Conrado nomen cui Rosa pulcra dedit.
Post primum incipiunt pictis colludere chartis,
Nec fortuna diu Regibus æqua fuit.
Nam favet illa magis stultis, superare potentes
Nec fert, exiguos sed juvat illa viros.
Illa ferat tota restantia præmia turri
Depictos reges bis duo si quis habet.
Tres fortuna dedit *Conrado* heroas habere,
Fortunæ auspicium protinùs arte juvat.
Mox itaque exclamat, nec longo gaudia differt
Tempore, sed tales reddidit ore sonos:
Vicimus, & fortem vocat ad se *Maximilianum*
Amplexumque tenens, talia verba refert,
Ecce tria in chartis *Regum* simulacra videtis,
Qui vincat quartus Maximilianus erit.
Seria seu ludos agitat, succumbere nescit,
Nunquam fortunæ cessit & iste minis.
Dixerat, inque suam prædam simul involat, atque
In nummos avidas injicit ille manus.

Theodoricus Reiffenstein.

LXXIX. De *excordi quodam coquo.*

OCtavo Kalend. Octob. dum omnis ordo & ætas circa mœnia propugnaret, *Coquus*, magnanimus ipse inter primos (si Dius placet) in fastigium phani scandendo irrupit. Inde bellantium utrinque cædes & vulnera securè, minimè tamen otiosè, prospexit. Nam hostibus, à quibus neque videri, neque audiri poterat, procul in aere minabatur, defensoribus agitatione vexilli ibi reperti (ut videbatur) animum addens. Et primùm ab hominibus religiosis *Divus Johannes* æstimabatur, inde cognitus homo, vocatur furcifer, verbero, sacrilegus, proditor, fautor hostium, qui eis è specula signum faceret. Et quanquam crebrò missi nuncii qui ad desciscionem illum hortarentur, nihilominus suam personam egit, donec jaculis & lapidibus funda excussis, impeditus descenderet.

Ibi mox turba puerorum & mulierum circumfusus rapitur, cæditur, mulctatur miser, unus barbam evellebat, alius depalmavit faciem, tertius conculcavit ventrem, quartus jugulo ensem intentavit; accurri, & hominem ereptum è fati faucibus, in publica vincula conjeci. Hac pœna non contenta muliebris commotio, opera puerorum carceres effregit, & collo grandi fune nautico injecto (quam manibus puerorum sors obtulerat) miserrimum inter verborum ludibria & contumelias ad crucem protraxerunt, pars sacrilegum, pars proditorem, multi recutitum appellabant, nonnulli constantius asserebant *Turcam* esse, & missum exploratorem. Perierat infelix manibus furentium, nisi commodùm renunciatum & assertum fuisset ab antistite templi, esse *culinarium* suum, natum in Gallia ad fossas Marianas, nec Turcicæ nec Græcæ linguæ peritum. *Jacobus Fontanus Brugensis libr. 2. de bello Rhodio.*

Du

LXXX. De *quodam cordato coquo.*

REx quidam multis epulis excepit amicos,
Instruxit mensæ magnificasq; dapes.
Cumq; omnes modici transgressi munera Bacchi,
Implerent dulci, libera corda, mero.
Ille jubet munus, procedere quenq; petitum,
Id nulla dicit se dare velle mora.
Munera cumq; omnes à summo *Rege* tulissent,
Ultimus accessit his quoq; fortè *Coquus*.
Ille nihil aliud, tantum hoc à Rege *petebat*
Se seu ut in Arcadicum vertere*t ille pecus.*
REX hominis ridens scurrilia dicta prophani,
Miratusq; levis, rustica vota, joci.
Ecquid habes aliud quod poscas improbe dixit,
Anne hæc in nostra sunt tua vota manu?
Tum Coquus, ingentes asinos Rex *optimè novi*
In summum quos tu vexeris *usq; gradum.*
Humanam quare si possem vertere *formam,*
Magnas sperarem, factus asellus, opes.

Erasmus Ebnerus.

LXXXI. *Analecta.*

De *Asinis*, quòd horum sors & conditio plerunque melior sit, quàm eruditorum & præstantium virorum, dum his quidem posthabitis, spretis, atque neglectis, illos provehi, in pretioq; haberi, videamus, & lippis atq; tonsoribus sit notum.

De Leone & asino.

CErtabat de regno *Asinus* cum Leone, convenit, ut decerneretur cursu, essetque penes eum rerum summa, qui cursu vicisset. Spatium cursui describitur, ut à mola quadam mons proximus trajiceretur. Nihil moratus Leo à linea. *Asinus* quia sequi non poterat, non procul à linea consistit. Ubi verò superavit montem Leo, deprehendit pascentẽ in valle alium quendam *Asinum*, quem quia putabat eum esse, quo cum pepigerat, dolet se victum, neq; cessu-

rus

rus videtur, nisi rediens eodem spatio rursus prævertat cutrendo; placet conditio, & Leo majori vi contendens ad metam, non procul a mola *Asinum*, quo cum primùm pactus erat, offendit. Hic quia putabat se rursum ab asino victum, cessit ei regnum, *manetq; hactenus summa rerum penes asinos.* Stephan. Riccius in Miscel. 93.

Vide Prov. Feli Crocoton. Et Germanorum proverbium est in honoratum indignè: Suem Rhenone vestire, **einer Saw einen Beltz anziehen.**

Κόρακες ἀηδόνων ἀιδεστιμώτεροι.

Corvi luscinijs honoratiores.

Esel haben besser Glück: Als gelehrte Leute.
Ihe gröber Narr Ihe besser Pfarr
Ich nehm für war ein Handvoll Gunst/
Und ließ dir ein Sack voll Kunst.

Summa *rudes asini* rerum fastigia scandunt,

Maximus hoc illis tempore venit honos.

Et nisi sis *asinus*, nullum tibi nomen habebis,
Ac omni spretus destitueris ope.

Cordus lib. 1. Epig.

Alexander Alesius in Præfatione Libri de Authoritate Verbi Dei pag. 8.

Negliguntur sæpè doctiores, & negligentiores, pigriores & indoctiores evehuntur. Qua in re Principes advigilare debeant, ne quod apibus capiendũ esset, hoc interciperent fuci.

Philip. Melanchth.

Pastor quidam in vicinia patriæ nostræ, qui sæpius veniebat ad nos, & nos vicissim ad ipsum, hortabatur nos ad discendum his rythmis: **Lernstu wol/ so wirstu gebratner Hüner voll.**

Lernstu übel/ so mustu mit den Schweinen essen auß dem Kübel.

Potius dixisset: **Lernstu wol/ so wirstu der Plagen voll.** Quia contrarium est verum. Nam Canonici,

nici, qui nihil dedicerunt, Die werden gebratner Hüner voll: docti verò & sapientes pro nihilo habentur, & aliqui quoque exulare coguntur.

Dentibus antiquas solitus producere pelles
Et mordere luto putre vetusque solum.
Prænestina tenes defuncti rura patroni,
In quibus indignor, si tibi cella tuit.
Rumpis & ardenti madidus crystalla falerno,
Et puris Domini cum Ganimede tui.
At me litterulas stulti docuere parentes:
Quid cum Grammaticis, Rhetoricisq; mihi?
Frange leves calamos, & finde Thalia *libellos,*
Si dare Sudori, *calceus ista potest.* Martial.

LXXXII. *De Fatuo quodam.*

NIdderngandriæ *Joannes* quidam *Jacobum* hospitem agebat, homo, ut ab iis accepi, qui familiariter ipsum noverunt, & bonus, & honestus, & satis locuples. Ad hunc divertebant aliquando viri nobiles Brunsuicenses tres: cumq; totam ferè noctē strenuè strenuéq; perpotassent, vino ad extremū cōfecti cœperunt Philippo *Landgrævio Hassiæ Principi* Opt. Max. quo cum ipsorum Duci *Henrico* non ita bene id temporis conveniebat, necem interitumque minitari, ita ut primus quidem has voces jactaverit; Equidem optarim, *Hessi* mihi nunc istius copiam potestatem que dari: quo quidem voto potiri si mihi liceret, næ ego ipsum unguibus hisce meis discerperem. Alter verò in hæc verba erupit: Quid tu verò de unguibus dicis tuis? Ego profectò ensem ipsi meum per costas adigerem, posteaq; membratim, in millēque partes conscinderem. Et tertius deniq; dixerat: Ast ego canibus illum meis fame ante probè enectis dilaniandum devorandumque objicerem. Has igitur æacidinas istorum minas, hospitis filius, qui post fornacem sedebat, & fatuus erat, cùm audiret, non diutiùs sibi silendum ratus, relicto fornace confestim

ſtim ad nobiles ſe confert; ipſisq; aſſidens ita verba facere inſtituit: Audivi equidem *rigidi troſſuli* cujuſq; veſtram ſententiam, ut *bonum illum Landgravium* è medio tollere velitis. Ac ſunt ſanè exquiſita illa (quis neget?) ſupplicia, quibus eum mactandum, ex fini-busq; humanæ naturæ exterminandum putatis. Sed audite me quoque, quod ſine moleſtia veſtra fieri poſſit. Nam & ipſe, ne neſciatis, acetum habeo in pectore, & non intelligo nihil. Si me quidem audietis magnanimi heroes, hoc illum ſupplicio affectum communi hac luce privabimus. Ego utraque manu mea cùm ori, tum naribus ejus firmiſſimè admota, ſpiritum illi intercludam hoc loco omnem: Vos verò linguis veſtris podici ipſius inſertis culum illi etjam atq; etiam obturabitis, atque adeò obſtabitis ut ne Spiritus inde aliquis evolet aut erumpat. Ita me herculè futurum eſt, ut ſpiritu uſquequaque compreſſo coarctatoque, ipſe miſerandum pudendumq; in modum ſuffocatus, vitam cum morte commutet, neq; vobis ſit amplius unguis, quod ajunt, in ulcere. Hoc falſo inſulſi & fatui hominis reſponſo nobiles pudefacti, prorſus obmutuerunt, incerti omninò quid contra afferrent, maximè cùm exploratum haberēt, fatuum ex nullius cujusdam inſtinctu, ſed per ſe ſua ſponte iſthæc prolocutum eſſe. Quamobrem equis mox conſcenſis, hoſpite inſalutato diſceſſerunt, implacatiſſimè ferentes, ſe à ſtulto aliis riſui ludibrioq; expoſitos eſſe. Erant enim in eodem conclavi Heſſi quidam, quibus quidem ut nobiles iſti ægrè facerent, bilemq; moverent, iſtas comminationes, & alias contumelioſas voces (quas ſilentio involvere placuit) in *Landgravium* omni laude ſuperiorem principem ejaculabantur.

LXXXIII. *De Criſpo quodam.*

ERAT *Ratisbonæ* Dæmoniacus quidam. Is in ſacram ædem deducebatur, ut publicis totius Eccleſiæ

cleſiæ precibus, ille cœlum atque terras tuens & regens Deus & imploraretur, & exoraretur quò hujus miſertus, diabolo imperaret, ut miſſum eum faceret. Cæterùm cùm piorum ſupplicationibus Sacrificorum quoque exorciſmi adjungerentur, atq; his quidem Cincinnatus quidam permiſtus aſtaret, qui mirificè ſibi de intortis iſtis capillis ſuis placebat, *Satanas* reſpondit: Sentio equidem domum mihi hanc meam omninò purgãdam deferendamq; eſſe. Quod quidem cùm non repugnanter facturus ſim, rogo vos, ut mihi bona veſtra cum venia in *Criſpulum* iſtũ tranſmigrare liceat. Quo audito criſpus totus obſtupuit: ad extremum tamen ad ſe rediens, ita reſpondit: tranſi meum in podicem, **Du ſolteſt mit in den Arß fahren.** Statim verò ut verba hæc fecit, eorum ipſum pœnitere cœpit: ideóque podicem mox moxque ſacroſanctæ crucis ſignaculo, ceu repagulo quodam obſeravit, hac addita obſecratione, *cuſtodi me Domine, cuſtodi me.* Tulit idipſum implacatiſſimè *Satanas*, ſic quidem ut colaphum ei infregerit, atque hanc quidem in rationem ipſum objurgaverit: Malam verò peſtem nebuloni tibi, quem convivas invitare, atque illos ipſos tamen jam jam advenientes iſthoc pacto repellere minimè omnium pudet. Nunc quidem herclè ſum excluſiſſimus. **Daß dich das Hertzleydt ankom du loſer Schelm/du lädeſt Gäſte / vnd ſchleuſt darnach die Thür vor jhnen zu/ Muß nun zwiſchen zweyen Stülen niderſitzen** Quis hîc non videt Diabolum nauſeabundi delicatíve ſtomachi haud eſſe, quippe qui culi iſtius ſordes atque fœtorem nihil fuiſſet quicquam moraturus, niſi crucis peſſulus, vel piæ potiùs precationis obex interveniſſet?

Veteres patres, ut ſæpe in ſcriptis ipſorum legitur, cruce ſe muniebant, & ſic Dæmones fugabant. De virtute Crucis ſcribit Lactant. lib. 4. cap. 27. Non autem putandum eſt, hanc crucis ceremoniam per ſe

dæmones pepulisse, sed quia crediderunt, se à Dæmonis potestate, crucis Christi beneficio esse liberatos, *Lavaterus in Ruth pag 67.*

56 LXXXIV. *De Judæo quodam.*

GRegorius Romanus libr. Dialogorum 3. scribit, Judæum noctu ingressum templum idoli, ut ibi dormiret, visis noctu permultis cacodæmonibus eo in loco, cùm vehementer expavisset, se muniviſse signo crucis, cumque Princeps malorum spirituum hominem cognovisset adesse, Diabolo cuidam jussit, ut illum accederet, ac exploraret quisnam esset. Qui cùm contemplatus esset, rediit ac dixit, *Vas quidem inveni vacuum, sed signatum*, Judæumque reliquit prorsus illæsum. Quod ille secum reputans, ad CHRISTI religionem accessit. *D. Martyr 3. Reg. 7. pag. 56.*

57 LXXXV. De *Apella quodam.*

FErtur aliquando Judæum cum Christiano disputasse, & diu habita disputatione tandem Judæum dixisse: Quî fit quòd plures claudi, cæci & mendici inter Christianos reperiuntur, quàm usquam inter gentes? Christiani respondenti se ignorare, dixit ille: Christiani nimiis perjuriis offendunt DEUM suum magis, quàm ullæ aliæ gentes. Ideo etiam magis puniuntur à suo DEO, propter perjuria & blasphemias. Et cùm perjuria hodie valde usitata sint, atroces pœnæ, tam publicæ, quàm privatæ imminent. *Selneccerus in explicatione 3. præcepti.*

58 LXXXVI. *De Verpo quodam.*

AUdivi ego ipse olim Moguntiæ, cùm ibi operam literis darem expleriſq; Judæis dicentibus: Quid vos Christiani de vestra religione gloriamini? Tamen nihil in vobis conspicitur imitatione dignum, vos scortamini, vos ad summam usque gutturis partem vino repleti, turpissimo vomitu omnia etiam in triviis inquinatis. Præterea adulteriũ apud

vos

vos pro delicto non habetur, fornicatio ludus est, usura proximum depilatis. Super hæc omnia (horribile auditu) per nomen Dei & Christi vestri passionem unus alteri maledicit, cujus tamen passione vos redemtos esse diciris, & cœlestis regni præ nobis consortes factos. Cur igitur sic impiissimam vitam ducitis? Quis nisi mente planè captus, vos Dei populum esse credet? His & similibus verbis ego audivi Iudæum non indoctum (ut mihi tum temporis commendabatur) satis argutè loquentem, & ipsum certè scopum attigit. *Summus enim saltem Christiani ipso nomine, re ipsa Iudæis fermè dixeram, Turcis longè deteriores.* Christophorus Imlerus in Commentar. super epistolas D. Petri pag. 26.

LXXXVII. *De Anu quadam Christiana & Iudæis.*

DUm talia in secunda Bojaria geruntur, in prima Vindelicia Monachii anicula quædã infantulum Iudæis vendidit, quem illi Deo immolant, punctim acubus cædunt, necant, cruorem malluvio excipiunt, quo perlitare creduntur. Eadem venifica alterum infantem surreptura, à patre deprehenditur, accusatur, in vincula conjicitur, quæstionibus admota facinus confitetur, corpus interemti infantis indicat, moxque pœnas luit. Vulgus viso corpore ita vulneribus confosso, sævire cœpit, conclamat, concurrit, insanit, non expectata judicum sententia. Judæis mortem intentant. Aulici atque prætores ducis impetum compescere conantur, minas, verbera frustra ingerunt, consulturíque Judæis eos in fanum lapideum, synagogam nuncupant, commigrare jubent. Quo cum Hebræi confugissent, fit acrior tumultus. Populus convolat, ligna, ignem ædi submittunt, faces, sulphur, tædas & hujuscemodi sementa, quæ facilè ignem conciperent, subjiciunt, die quem sextum nominamus prophani Veneri dicavére, centum & octoginta Judæos unà

cum templo igne concremant. Nemo prohibere, nec dux, nec aulici, atque prætores potuére, adeò sævit ignobile vulgus, nulla tempestas tantos ciet fluctus. *Aventinus Annalium Bojorum lib. 7.*

LXXXVIII. De *quodam reiutito.*

IUdæus quidam aqua Christiana ablui atque adeò *Christo* nomen dare gestiens, quærebat, Ubinam Christianorum *Deum* inventre posset? Itaq; Romam ad Vicariũ *Christi* rejicitur. Ubi quidem cùm dies aliquot confeciſſet, in hæc tandem aliquando verba erupit: Quin hîc quidem verus habitet *Deus* dubitari neque debet, neque potest. De eo namque omnes Prophetæ nostri testificantur, quod sit clemens, beneficus, misericors, atque adeo eximia patientia atq; longanimitate præditus. Quod si igitur alius Deus hîc habitaret, is quidem tot enormia flagitia, ad tantam idololatriam, ad tantam injustitiam, ad tanta denique stupra, quæ quotidie hic exercentur, tam diu haud conniveret, eáque inulta sineret. Ideóque extemplo baptisari voluit. *Matthæsius concione V. de Luth. habita pag. 36. unde hæc transtulimus.*

LXXXIX. De *quibusdam Iudæis.*

PErfida Judææ gens & nequissima sectæ,
Quæ nequit in media cernere luce diem.
Hoc immane pio crimen sub principe tentans
Ausa fuit summum dedecorare Deum.
E templi foribus venerabile Sacramentum
Arripit, & media spargit ubique via;
Et pedibus calcans, & sævo verbere lædens
Immensis odiis ludibrióque premit.
Heu immane nefas, tantum tua pectora cæcæ
Noctis habent, Stygio gens crucianda lacu?
At scelus horrendum Princeps non liquit inultum,
Judæos cunctis convocat ille locis.

Dumq;

Dumque scelus coram sævo tortore fatentur,
Imposuit rigidis turpia monstra rotis.
Attamen haud tantis gens impia territa pœnis,
Christe potens odio dum furit usque tuo.
Majus adhuc istis (quis crederet?) instituit ausis,
Nec mortem stygio ducta furore timet.
Impia sacratum quædam fors fœmina panem
Vendidit extructis digna cremare rogis.
Judæus pretium tacito sed fœdere solvit,
Hostia sacrilego redditur alma cani.
Accipit atque acubus gens effera pungit acutis,
Seque putat Christum lædere posse Deum.
Vagit attactu (dictu mirabile) panis
Totus, & (horrendum) sanguinolentus erat:
Detegitur facinus, sævis gens impia flammis
Obruta, sulphureis tristis adivit aquis.
Inclytus hic princeps Christi defendit honorem:
Nunc ergo rutili vivit in arce poli.

Ioannes Bocerus lib. 2. de origine & rebus gestis Ducum Megapolensium.

XC. *De Sabbatariis quibusdam.*

IN Urbe Magdeburg Judæus inciderat in cloacam, & quidem in ipsorum Sabbato. Venerunt igitur Judæi ad Magistratum, & petiverunt mandari aliquibus Christianis in urbe, lictoribus, aut aliis ministris publicis, ut extraherent omnes. Episcopus miratus impudentiam, quærit, quare vultis extrahi eum à nostris? quia, inquiunt, nos servamus Sabbatum. Episcopus inquit & ego prohibeo meis omnib^s ne in hac re, vel hodie, vel cras faciant, quod petitis. Hodie non debet fieri, quia vestrum est Sabbatum: Cras prohibebo fieri, quia est nostrum Sabbatum. Ita cogebantur ipsi extrahere eum, ne periret. Accidit hoc sub Ernesto Episcopo Magdeburgensi, Duce Saxoniæ. D. *Pezelius parte quarta Postil. Mel. pag. 188.*

XCI. *De simplici quadam muliercula.*

MOnachus quidam *Gotschalcus* nomine scribit, se noviſſe fœminam, quæ cum graviſſima oculorum infirmitate laboraret, accedit quēdam Scholaſticum, conqueritur de dolore oculorum, petit, ut ſi quid poſſit, ſibi ſuccurrat, promittit mercedem liberalem. Quid hic facit Scholaſticus? Etſi remedium ignoravit, tamen propter ſpem lucri promittit ſe effecturum, ut convaleſcat. Sumit ergò chartam, in qua ſcribit characteres, nunquam antea a ſe cogitatos, vel viſos, infra hos addit hæc verba majuſculis literis, *Diabolus eruat tibi oculos, & foramina ſtercoribus repleat.* Hanc chartam implicatam & incluſam panno, juſſit mulierem alligare collo. Mulier obtemperat, & ſervatur. Verùm poſt annum unum atq; alterum, mulier cupiens ſcire, quid charta contineret, aperit, curat legi, iraſcitur, abjicit chartam. Quo facto morbus oculorum redit. Quis nō videt, quod nec in characteribus, nec in verbis ſcriptis fuerit aliqua efficacia? Unde ergò: niſi à Dæmone, qui iſta fraude delectabatur. D. *Hemmingius de vitandis ſuperſtitionibus magicis.*

XCII. *De quadam puella confitente.*

FUnigero peccata fatens virguncula fratri,
Cum trepido cœpit pauca timore loqui.
Ac mox in mediis reticens ſermonibus hæſit,
Quam ſic exhortans Sanctulus ille monet.
Dic, age, ne pudeat quicquid, mea filia, noſti,
Omne licet tutò nunc aperire ſcelus.
Tunc ait, heſterno veſtrum ſub veſpere patrem
Cum domina vidi concubuiſſe mea.
Hic tetrico, indignans, Vah dixit hypocrita, vultu,
Talia de caſta Virgine verba tace.
Divus ab excelſo fuit hic *Franciſcus* olympo,
Cujus ſub noſtris eſt ſoror illa togis.
Is ſolet (intenta quoties nos mente precamur)

Con-

Consolans servis numen adesse suis.
Quisquis erat, tum virgo tuum femorale reliquit,
Hac num fas divos credere veste tegi?
Est, ait ille, cave digitis ne forte prophanis
Id temeres, sanctæ sunt quia relliquiæ.
Quas in nostra pio cras templa feremus honore,
Has sterilis dum vult gignere, turba colit.

Cordus lib. 6. epig. pag. 178.

XCIII. De *Sacrifico quodam Franco.*

IN Franconia sacris præfuit homo, cùm ab omni liberali doctrina alienus, tum à commodis etiam emendatisque moribus perquàm sanè remotus. Is quidem puellas quasdam Quadragesimarum tempore peccata sua confitentes admodum asperè & ferociter excepit. Etenim cùm erratis suis veniam verecundiùs peterent, hanc in rationem illas corripuit. Mussitatis vos nunc quidem, atque adeò labris mordicus cõtractis loquimini, sic ut tertium quodque verbum, vix aut ne vix quidem exaudiatur. At verò solæ cum adolescentibus ruri ubi estis, seu fruges demetentes, seu fœnum siccantes, seu stipulam denique colligentes, tum quidem podices vestros, quatenus potestis, dispanditis. Intererat autem magistratus providere hoc quidem ne fieret, Germanicè sic. **Wen ihr beichten sollet/so stehet ihr/wis wis wis/ vnd kan kein Teufel hören was jr saget. Aber wen ihr mit den knechten auff dem feld seyt/ Frucht schneidet/ vnd Hew machet/ so könt ihr dẽ Arß weitlich auffsperren/ da solt ein Obrigkeit ein einsehens haben.** Vide, amabo te, quam nihil hunc scurram pudeat, hæc obscœna castissimarum puellarum auribus instillare. Num magistratum, cedo quæso, egregio honore afficit, cùm hujus quidem oculos illarũ in culis defixos hærere velit? Ipse meherculè dignissimus, qui totus in cloaca & jaceat, & pereat.

Juxtà illud Martialis lib. 2.

Hæreat inguinibus potiùs tam noxia lingua,

Idem illud Catulli ad Victium.

Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
Culos & crepidas lingere crabatinas.

XCIV. *De mulierecula quadam Bruxellensi.*

64 NOnnulli sic assueverunt verbis obscœnis, ut frequenter & imprudentibus excidant. Hujus rei vidimus exemplum memorabile Bruxellis in æde Divæ Gudulæ sacra. Quum esset illic densissima hominum frequentia, ingressa est matrona quædam cum primis honesta, clariqúe nominis. Cùm subitò collapsa esset in pavimentum, ex invecta pedibus nive lubricum territa magna voce exclamavit, nominans, quod pleræque faciunt ex assuetudine, pudendum viri membrum. Ingens omnium risus obortus. Illa miserè erubuit. *Erasmus* de Institutione Christiani matrimonii, &c.

65 XCV. *De Eremita quodam Macario.*

ERemita quidam nomine *Macarius*, cùm deprehendisset furem in suo tugurio compilantem supellectilem, tantum abfuit, ut prohiberet à furto, ut etiam perinde ac si ipse & fur & peregrinus esset, adjuvaret ipsum, & sarcinas colligaret, & quo fur tutior esset, aliquousque comitaretur. *D. Brentius Hom. 58. in Lucam.*

66 XCVI. *De aliis quibusdam ejusdem farinæ fœtus.*

VAldè ridiculum est, quòd quidam Eremitæ hæc verba: *Ne resistatis malo*: adeò superstitiosè interpretati sint, ut ne culicibus quidem & pulicibus restiterint & à suo corpore abjicerent. *Idem ibidem.*

67 XCVII. *De simplice quodam deprecatore.*

RIdebatur nobis olim quidam Lovanii, vir simplex potiùs quàm impius, qui solitus est peractis sacris obambulare per singulas aras, & divos, ac di-

vas

vas aliquot, erga quos peculiarem gerebat affectum, precatione dominica salutare: eo peracto, flexis aliquantulum genibus, edebat nomen Divi, aut Divæ, in cujus gratiam oraverat, dicens, hoc tuum est sancta Barbara: hoc tibi habe sancte Roche, ne quis divorum, qui in eadem ara stabat, præriperet sibi, quod alteri fuerat destinatum, atq; inter Sanctos nasceretur contentio. *Erasmus de modo orandi.*

XCVIII. De *insulso quodam presbytero.*

SAcerdos quidam rusticanæ plebis, rusticior pastor, cùm primùm esset baptizaturus infantem, ac in libro, unde solennia verba pronunciabat, minimo adscriptum offenderet, *Sal ter*, quibus verbis librarius admonebat, tres rerrò paginas esse revolvendas, mox jussit, ut ædituus adduceret hastile, quo crux imposita circumfertur. Eo accepto, Bene sit, inquit, ante hac nunquam idem expertus sum, sed ita res postulat, & hastili innixus, aspidem saxeam ter transiliit, atque ita recepta codice, reliqua peregit. *Erasmus Annotationibus super Novum Testamentum, pag. 283.*

XCIX. De *stulto mulieris cujusdam voto.*

IN Bavaria excelsum quoddam est, in quo *Sanctus Leonhardus* vulgò colitur & invocatur. Hujus aliquando turris cùm igni conflagraret, uxor Pandochæi, cujus domus excelso erat è regione vicina, votum faciens clamabat: Sancte Leonharde serva domum nostram. Si feceris, promitto tibi vaccam. Maritus audito uxoris voto confestim reclamavit. Quid facis stolida? Non vides illum suam ipsius domum servare non posse, & quomodo nostram servaret? Absit ut consentiam voto tuo, & vaccam frustra perdam, servet se ipsum, si quid potest. *D. Musculus in Isaiam, pag. 516.*

Lactantius de orig. erroris lib. 2. c. 4.

Quæ vanitas aliquas ab his sperare tutelas,
Quæ tueri semetipsa non possunt?

C. *De Antonio* Urceo Codro.

MUltò ineptior muliercula ista fuit Codrus, qui quidem incendio in musæo suo coorto, in hæc verba proruere non erubuit. Quódnam ego tantum scelus concepi *Christe?* quem ego tuorum unquam læsi, ut ita inexpiabili in me odio debaccheris? Conversus postmodum ad simulacrum virginis. Audi *Virgo*, inquit, ea quæ *tibi mentis compos & ex animo dicam: Si fortè, cùm ad ultimum vitæ finem pervenero, supplex accedam ad te opem oraturum, ne me audias, neve inter tuos accipias oro, cum tu fernis diis in æternum vitam agere decreveris.* Cæterùm nocte, quam is ultimam in his terris egit, videbatur sibi videre quendam ingenti magnitudine, capite raso, barba ad terram usque promissa, ardentibus oculis, faces in utraque manu gestantem, ac toto corpore tremebundum. Hunc pavore verba dictantem, his alloquitur verbis: *Quisnam tu es, qui solus furiali habitu, ea noctis parte, qua mortales somno altissimo præmuntur, deambulas. Noli ad me, qui* Dei *amicus sum, infestus accedere: Effare, quid quæras, quo ire pergas?* Hæc cùm dixisset, è strato prosiliit, quasi illum in se irruentem, vitaturus. *Bartholomæus Bononiensis* ad Mimum Rescium, in Codri vita pag. 50. b. sum. pag. 54. a.

CI. *De quodam Principe.*

NOvi principem, cujus præfecti viam ad oppidum, in quo annunciebatur *Christus*, observantes, si qui prostibula meretricia se petere dicerent, eos ingredi oppidum, collaudantes eorum propositum, sinebant. Si verò suspecti tantum essent, quod causa conciones audiendi Christianas, ei se conferrent, domum illos, non sine contumeliis & verberibus redire cogebant, aut certè abducebant mancipandos carceribus. *D. Bucer. in enarrat. Sophoniæ p. 11.*

De

CII. *De Comite quodam.*

SUperattendens quidam Comitem suum flagitabat, ut bona ipsius cum venia sibi liceret in ditionis ipsius Ecclesias Excommunicationem postliminio reducere. Id quod nullo negotio a Comite impetravit. Quid fit autem? Ipse Comes aliquantò licentiùs vivit. Itaque pastor cum ipso expostulans, inquit, Generose Domine, nisi ad meliorem frugem te receperis, equidem non potero non te quoque anathematis fulmine ferire. Hic igitur Comes, magnus alens magnas venis turgentibus iras: Tu verò Diabolum, non me excommunicabis, ait. Facta tibi libera abs me potestas est excludendi meos cùm rusticos, tum etiam cives. At me quidem herclè, in eo more vivere sines. *Gigas in post sua pag.* 143. unde hæc utcunq; transtulimus.

CIII. *De Nobili quodam.*

NOn puduit quendam Germanicæ nobilitatis virum palam affirmare, nihil sibi molestius accidere posse modulatione cantilenæ hujus, *Da pacem* DOMINE, &c. Hãc enim, inquit, quoties equidem cantari audio, toties mihi in mentem venit optare, ut Diabolus cùm Sacerdotem, tum ipsum etiam fanum funditus deleat. Ac quantopere ipsi quidem DEUM pro pace, tranquillitate, atque adeo otio conservando implorant, tantopere ego contra ipsum sollicito, ut omnis generis turbas, seditiones atque adeo bella in nos immittat. *Vox mehercule bovis non hominis vel incarnati potiùs Diaboli.* Selneccerus in explicatione Psalmi 118. unde hæc convertimus.

Sturmius de Nobilitate literatæ, pag. 21. b.

Vituperanda est nostra nobilitatis consuetudo & agrestis opinio, in qua plerique sunt, qui existimant non se satis militares atque bellicosos haberi, si literarum periti videantur, quos doctrinæ pudet, morum

rum non pudet, qui mores cujusmodi sint in aliquibus, me pudet commemorare.

CIV. De *Milite quodam.*

PAx tibi sacrificus dixit fera castra sequenti,
Ille subindignans ceu maledicta tulit.
Moxq; ait, & pereat tibi purgatorius ignis,
Qui te non secus ac me mea bella fovet.

Cordus lib. 5. Epig. pag. 171.

CV *De Milite quodam.*

SOlet recitari historia de quodam nobili divite, qui cùm esset pius, una cum uxore & liberis semper solitus est dicere precationem ad mensam. Risit autem Servus. Id cùm aliquando videret uxor, indicavit marito; Qui observàs servi gestus inter orandũ, vidit illum ridere. Interrogat igitur seriò cur rideat? Respondet servus, quidni rideam? *Qui vos oratis sicut cives, nec cogitatis vobis non opus esse oratione, cum Rustici vestri cogantur omnia apportare.* D. Paulus ab Eizen in Postilla sua pag. 278.

CVI. De *Consule quodam.*

IN Urbe Helvetiæ non obscura, Consul ejus Civitatis, vir opulẽtus & potens ædes regali luxu ædificabat, evocatis aliunde artificibus, inter alios quẽdam Tridentinum sculptorem & latomum excellentem conduxit, erat is religionis per quam studiosus & amans, & ideo suam operam illi locare noluerat, dicens, se diversam religionem amplecti, nec posse tutò in eo loco laborare, quoniã à sacris ipsorum abstineat. Ille contrà pollicebatur, nullum illi periculum fore, ac se religionem liberam ipsi relicturum. Sed cùm diu illinc servivisset, & mercedem sui laboris postularet, quædam inter eos contentio orta est, ac jussu domini in carcerem conjectus fuit, & ab eodem accusatus, quòd ad usitatæ Pontificiorum sacra non accederet, & quædam contra ipsorum religionem secutus esset: capite damnatus fuit. Cùm autem

ad

ad ſupplicium abduceretur, hilari fronte, animo forti & conſtanti mortem ſubiit, coram omnibus teſtatus ſeſe libenter pro fide ſua, quam veram eſſe noſſet, mortem ſubiturum. Conſulem tamen, qui mortis ſuæ auctor fuerit, ſe intra triduum ſubſecuturum, & judicio Domini ſiſtendum. Atque ita accidit. Conſul enim, qui adhuc in flore ætatis erat, & firma valetudine utebatur, illa ipſa die ſubitò, modò æſtuare, modò frigere, & novo neſcio quo morbo confligi cœpit. Atque ita ante diem tertiam, Ioannem Tridentinum ſubſecutus eſt. *D. Simlerus in Narratione de ortu, vita & obitu D. Bullingeri pag* 32.

CVII. De *Senatu quodam.*

IN quadam urbe ſuum jam cœpit ſpargere verbum
Plebejo tandem victus amore Deus.
Quod mox reſciſcens coïit, vetuitque *Senatus*,
Et ſic prudentes conſuluere viri.
Ipſe ſuum Chriſtus regat & moderetur olympum,
In noſtra Domini nos ditione ſumus.

Cordus lib. 7. Epig. pag. 201.

CVIII. De *Nobili quodam.*

EGO memini quendam Nobilem in menſa deridere conſuetudinem recitandi precationem dominicam, quia dicebat, ſe etiam gemitu poſſe precari. Aſſidebam tunc Doctori Hieronymo Schurffio, qui cùm proximè aſſideret nobili, imò, inquit, ſcriptum eſt: *cùm oratis, dicite &c.* Ille ſtatim ſe repreſſit, & dixit, Domine Doctor rectè facitis, quod me refutatis. D. *Pezelius par. 2. Poſt. Mel. pag. 778.*

CIX. De *quodam, qui in puteum ceciderat.*

QUomodo aut qua ratione fiat, ut peccatum & mors ab Adamo in omnes homines dimanet atque derivetur, difficilè cognitu eſt, neque ad ſalutem neceſſarium. Quamobrem *Auguſtini* ſententiam ſalutarem eſſe puto, qui ſcribit quenque noſtrûm potiùs debere ſtudere, qua ratione ab hac labe

& no-

& noxa originali eximatur, quam ut velit curiosè inquirere, quomodo in eam inciderit. Et narrat quendam semel in puteum cecidisse, qui cùm ejularet & conquereretur supervenienti cuidam & sollicitè inquirenti, quomodo illuc esset præcipitatus, respondit, *Quomodo huc ceciderim quærere desinas: illud verò quæso te sedulo cures, ut me hinc extrahas.* D. Mar. 1. Cor. 15. pag. 415.

CX. *De ægroto quodam.*

VOce laborantì consolatrice Sacerdos,
Dulcis in Elysii prata veheris, ait.
Æger ad hæc: benè habet, nam si via longa teratur,
Non possem pedibus debilis ire meis.
Sebast. Scheff lib. 1. Epig. pag. 92.

CXI. *Amuletum contra febrim.*

SUnt qui norunt, quid mihi acciderit ante annos plus minus 24. Docui Dialecticam, & cùm περὶ τῆς εὐποιΐας τῶν ποιητάτων agerem, recitavi & declaravi versus hos olim in scholis usitatos:

Fecana, cageti, daphenes, gebare gedaco,
Gebali stant, sed non stant phebas, hecas & hedas.

Hìc joco addidi, valere hos versus contra febrim, si singula verba inscriberentur pani, & ægroto ordine darentur, ita ut quotidiè unum frustrum panis cum inscripto verbo comederet. Quid hic accidit? Aderat quidam homo simplex & bonus, qui jocum non intellexit, sed credidit rem seriò agi. Cùm ergo post paucos dies famulus, quem tum habebat, incideret in gravissimam febrim, dat ægrotanti primo die frustrum panis, cui inscriptum erat primum verbum *Fecana*, & deinde usque ad sextum verbum *Gebali*, tum enim sanabatur febricitans. Alii autem videntes efficaciam *amuleti*, secuti sunt exemplum, & multos curabant. Tandem patefacto joco, virtus *amuleti* defecit. Quid possumus hìc aliter dicere, quàm

quàm Diabolum hic homines delusisse? *D. Hemmingius de superstitionibus magicis vitandis.*

CXII. *Amuletum contra pulices.*

NE te nocturni pulices pecudesq; fatigent,
Hunc exorcismum candide lector habe.
Manstula, Correbo, Budigosma, Tarantula, Calpe,
Thymmula, Dinari, Golba, Cadura, Trepon.
Hos novies lectum scansurus concine versus,
Tresq; meri calices ebibe quaque vice.

Cordus lib. 7. Epig. pag. 193.

CXIII. *De Pulicum calliditate.*

ACriùs exagitat pulicum muliebria cœtus
Corpora: securos & sinit ire viros.
Scilicet hi tribuunt escam tantummodò, potum
Illa simul vivo tradere fonte solent.

Sebastianus Schefferus in lib. 2. Epig. pag. 107.

CXIV. *De quodam mendaci.*

NUgo quidam lepidus jactare solebat in conviviis, celebres se peregrinando urbes lustrasse quinquaginta, atque in singulis earum exegisse sesquiannum. Quum verò interrogaretur, quotũ jam ætatis suæ annum ageret, responderetque nondum quadragesimum, protinus revocabatur res ab auditoribus ad calculum, deprehendebaturque *nugonem illum xxxv. annos priusquam in lucem editus esset, peregrinando perlustrasse urbes.* D. Bullingerus contra Cochlæum lib. 1. cap. 26 pag. 58.

CXV. *De Nugone quodam.*

ALium quendam non puduit omni asseveratione affirmare, se fuisse in regione quadam, ubi apes ovibus magnitudine nihil quicquam cederent. Hoc quàm mendacissimè ab illo dici, cùm vel surdus audiret, quidam ex auditoribus ita illi respondit. Oportet igitur istic quidem alvearia perquam capacia esse. Tum nugo, non capaciora nostratibus inquit. Respondit alter iste, non sunt ampliora nostra-

noſtratibus? Deus bone, quid ego audio! Ecquomodo igitur ingentes iſtæ apes tuæ, alveria noſtratibus haud majora, intrare poſſunt? Cui nugo in mendacio ſuo veluti mus in pice hærens, totusque pudefactus, reſpondit: Hujus equidem rei curam ipſis relinquo, **Da laß ich ſie vor ſorgen.**

CXVI. *De duobus halopantis.*

QUiſquis es, ad celeris qui tendis flumina Rheni,
Aſpice, quæ ſit ibi populus illa cava,
De qua forte ruens noſtra in convivia nobis
Advena revera talia fatus erat:
Populus eſt ingens, eſt proceriſſima, dico,
Terra ſeneſcentem quam Palatina tenet.
Quodq; caducarum rerum ſit more cavatam
Tempus edax totam fecerat intus eam.
Vix ejusq; cavum cubito definit utroq;
Jam quater & decies menſio facta viri.
Addo, quòd in campo tardi mihi pauca ſubulci
Cura relinquebat (dixerat ille) ſuem.
Aſt erat hæc prægnans, cupido requietis, in antrum
Populeum ſeſe ſubdideratque, pede.
Unde mihi rediit, ter ſex enixa tenellos
Fœtus, poſt triduum porca reperta mea.
Hæc ubi dicta dedit, nullis ambagibus uſus,
Alter & hoc ipſi reddidit ore ſuo:
Dic age, quod verum quoq; nobis eſſe videtur,
Plus magis eſt ingens populus illa tua.
Quo ſic ille fuit dicto pudefactus, ut hujus
Poſt ab eo fieret mentio nulla Suis.
Non adeo longi delapſa temporis hora,
Cœpit & hic nobis mira referre nova.
Venit ab extremis præſtanti corpore Vacca
Gris Landgravius quam Ludovicus habet.
Quæ quadringentis florenis conſtitit una,
Aſt etiam largi copia lactis ei eſt.

Namque

Namque quacunque die ſitulas ter quinque capaces
Illa ſuo dulci lacte replere poteſt.
Quæritur, hæc ſtabulo poſſit qua Vacca teneri?
Huic quidam illudens, ante locutus, ait.
Populus iſtius patet acceptiſſima Vaccæ,
Huic qua vix ſedes aptior eſſe poteſt.
Hæc cùm de ſtabulo populno verba ſonarent,
Neſcio quis ſubiit tum rubor ora viri.
Namque viris aliquot doctis atque arte politis
Talia qui dixit, doctus uterque fuit.
Quo poteris charo riſum captare ſodali,
Quoque agitare jocum, candide lector, habes.
Nam mirum bellum, ſi culpat aſellus aſellum,
Eloquio vulgi dicitur eſſe. *Vale.*

Iacobus Crucius Scholæ ad Sanctum Guarinum Rector, adoleſcens morte præmatura extinctus, at vita meherculè longiore dignißimus.

CXVII. De *Cardinalium quatuor Virtutibus cardinalibus.*

A Philoſophis quatuor præcipuæ virtutes numerantur, quas vulgò *cardinales* vocant, in quas omnes filii *Eli* peccarunt. Primum prodiderunt ſe ipſos imprudentes, quòd legum functionis ſuæ eſſent ignari. Deinde juſtitiam contemſerunt, quod aliena repeterent. Tertiò nec fortes dici poterant, cũ eſſent molles & effœminati; nec ſua prandia paterẽtur differri. Poſtremò intemperantia ſe polluerunt, cùm adulteriis & ſcortationibus vacarent. Hæc porro vitia, non ſunt cardinales virtutes, ſed potiùs vitia quorundam *Cardinalium*, in quibus eſt plærunque ſumma legis divinæ ignoratio, inexplebilis rapina & injuſtitia, mollities incredibilis & luxurioſiſſima intẽperantia. Cumque *Deus* puniverit iſtos illius ætatis, et jam hos ſuo tempore juſtis pœnis afficiet. *Martyr I. Sam. 2. pag. 15.*

De

CXVIII. *De Erasmo Roterodamo.*

GEorgius Saxoniæ Dux, quem honoris causa nomino, *Erasmum* aliquãdo de religione consulebat. Quum verò *Veterator iste* admodum ambiguè dubitanterque responderet, sic quidem ut nihil certi de illius sententia statui posset, ita eum prudentissimus Princeps redarguit: *Mi Erasme*, lava mihi quæso hanc vestem pellibus suffultam, sed cave per fortunas, ne eam madefacias. Equidem *Wittenbergenses* laudo, qui quidem farinam in ore haud retinent, sed apertè & ingenuè suam sententiam tum confitentur, tum profitentur. *Matthæsius concione 7. quam de Luthero habuit, unde hæc utcunque transtulimus.*

CXIX. *De eodem.*

QUidam, ut *Monachis* illuderent, barbarum & crude eorum dicendi genus imitati, epistolas ediderunt *obscurorum virorum* titulo inscriptas, quibus non tantùm genus dicendi, sed mores quoque Theologorum falsè perstringuntur. Hic liber cùm primum Erasmo oblatus esset à *Ioanne Iacobo Ammerino Tigurino*, adeò ejus lectione in risum profusus fuit, ut abscessum in facie natum, quem medici secari jusserant, præ nimio risu ruperit. *D. Simlerus in Narratione de obitu D. Bullingeri.*

CXX. *De eodem.*

AMicus quidam à me rogatus, quare tam magnificè ædificaret? Ut, inquit, æmulis meis ostendam, mihi non deesse pecuniam. Imò inquam, isto pacto declarabis, tibi deesse pecuniam. *Erasmus in Ecclesiaste lib. 2. pag. 484.*

Martialis lib. 9. Epigrammat.

Gellius ædificat semper: modò limina ponit:
Nunc foribus claves aptat, emitq; seras.
Nunc has, nunc illas mutat reficitq; fenestras:
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit;

Oranti

Oranti nummos, ut dicere posſit amico
Unum illud verbum: Gellius ædifico.

Et Horat.

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

CXXI. *De Eodem.*

QUum Romæ agerem, quidam non optimè sentiens de dogmatibus fidei Christianæ quibusdam congerronibus ostenderat in *Plinio lib. 7.* cap. 55. in quo vir ille miserandus deridet eos, qui putant, animas hominum à morte supereſſe, secus quàm aliorum animantium. Accitus sum, nam aderam in eo conclavi, cum alio confabulans. Veni. Rogatus sum, ecquid haberem, quo tantum authorem refellerem? Respondi, me nulla re magis confirmari ad credendum immortalitatem animarum, quàm illo capite, quo nihil esſet in illo authore stupidius, aut indoctius. Existimat enim vehementer absurdum, si quis credat aliter spirare hominem, quàm ranas, aut asinos. Deinde ait esſe quædam animantia vivaciora homine, quibus nemo tamen tribuit immortalitatē. Ad hæc rogat, quomodo animæ exutæ corporib. cogitent, vigeant, audiant, gustent, olfaciant, tangant, quæ si desint putat nihil boni esſe reliquum. Et quod omnium est stolidissimum, solicitus est, ubi sedeant tot animarum millia. Nullum autem plausibilius vincendi genus quàm cùm hostis suo jugulatur gladio. *Idem ibidem.*

CXXII. De *Granvellano.*

QUUM D. *Crucigerus* nostræ partis Notarium Wormatiensi in colloquio ageret, ac non modò omnia cum *D. Philippi*, tum etiam Eccii verba literis memoriæque mandaret, verùm etiam *D. Philippo* identidem suggereret, quemadmodum *Eccii* sophismata dilui possent, Granvellanus actionis istius præses dixit, *Lutheranus, vel unus est scriba, qui quidem Papicolas nostras ad unum omnes quoque, quot illi*

sunt, eruditione longè longéque antecellit. Matthæsius concione septima de Martino Luthero habita pag. 69. unde hæc convertimus.

CXXIII. *De Divi Maximiliani filia Margaritæ.*

QUum Sophistæ Lovanienses Lutherum passim pro concione inimicissimè insectarentur, quòd universum terrarum orbem suis hæresibus impleret atq; inficeret, Maximiliani filia ex iis sciscitatur, ecquis nam *Lutherus iste* esset? Huic Sophistæ responderunt, *Lutherum esse indoctum monachum.* Itaque Imperatoris filia. Si me ergo audietis, inquit, indoctum istum monachum stylo persequemini, atque adeo conficietis. Ita namque futurum est, ut vobis eruditioribus, scilicet, plus fidei, quàm ipsi illi habituri simus. *Matthæsium concione 2. de Luthero habita pag. 19.*

CXXIV. *De Iacobo Latomo.*

SUmmo loco inter Theologos nostri temporis habitus est *D. Iacobus Latomus*, propterea quòd contra *Lutherum* scripsisset doctius aliquantulum, quàm vel Clitophæus vel Eccius, vel Rossensis: & judicabant eum omnes virum candidum esse, & exanimo sic sentire, ut scripsisset. Is cùm jam morti vicinus esset, jussit convocari *Magistros nostros*, & astantibus cum gemitu & suspiriis ex alto ductis, inquit: Vos propterea jussi vocari, ut testarer vobis, doctrinam *Lutheri*, quam furenter persequimini, esse veram Christi & Apostolorum, & Ecclesiæ doctrinam, & hanc quam vos defenditis esse impiam, & diabolicam, & me propter quædam scripta, quæ sciens & prudens contra conscientiam recens edidi in gratiam vestram adversus *Lutheranos*, esse damnatum. Cùm attoniti & stupidi ad hanc vocem sese intuerentur, ac cordatiores eum juberent non desperare de misericordia Dei, etiamsi judicaret se malè feciss-

illo

ille de suppliciis & exilio, qui authore ipso vel occisi, vel patria pulsi essent, multa commemorans, tandem ingemiscens addidit: *frustra laboratis me consolari, quia certum scio me esse damnatum, & cum hac voce exspirabit.* D. Alexander Alesius in enarratione Ps. 41.

CXXV. *De Gaspare Contareno.*

MEmini quendam Episcopum Ratisbonæ *Contareno* dicere, necessariò concedendum esse conjugium presbyteris, quia alioqui defuturi essent ecclesiis Pastores, & jam multas stare desertas sine ministris. Tū *Contarenus* miratus, posse se mederi huic rei, inquit, quia Italia Monachis abundet, quos sit missurus Pontifex ad vacuas ecclesias. Quid agent, inquit ille, cùm linguam nostram nesciant? *Contarenus* respondet, sacrificaturos esse de more. Episcopus verecundè respondit, necessarium munus esse docere populum & Euangelii cognitione alendam esse pietatem: non sufficere spectacula ceremoniarum. D. *Philippus in Responsione ad Colonienses.*

CXXVI. De *Hieronymo Emsero.*

EQuidem hoc loco historiam in medium proferam, quæ *Dresdæ* accidit. Hic quidem *Alexius Crosnerus*, antequam papisticis erroribus explosis, purior Euangelii doctrina reciperetur, (quod sub duce HENRICO demum, Principe Opt. Maximo, quem honoris caussa nomino, factum est) concionatoris aulici officio per annos tres fungebatur. Quia verò *Alexius* doctrinam Euangelii purè & castè tradebat, multorum in se odium acerbissimum concitabat. Hi ejus conciones & carpebant, & in pejorem partem rapiebant, & dicam ei subinde scribebant. Itaq; loco ad extremum movetur. Cæterùm cùm suppellectili sua currui imposita abitum jam pararet, in *Hieronymum Emserum* papisticæ doctrinæ propugnatorem forte fortuna incidit. Is quidem hanc in rationem eum affatus est. Vidi equidem tandem

aliquando eum diem, cùm tibi hæretico definita hora atque adeo solis ante occasum, urbs hæc, duce atque comite diabolo purganda est, cùm ego contra hìc durem. Itaque *Alexius* sic ei respondet. Ego verò *Emisere συν θεῷ* hinc demigro, ac cùm hac quidem in regione prior te fuerim, in spem maximam, & quemadmodum confido, verissimam adducor, futurum, ut te sublato, ego adhuc in hac ipsa ætatem agam. Quid accidit? Ea ipsa mox vespera *Emserus* civibus quibusdam Lipsensibus cœnam dat, genio suo indulget & Bacchanalia vivit. Cæterùm cùm cives illi domum jam sese retulissent, *Emserus* occupato sedili, cùm horrendas in Deum blasphemias evomit, tum indecorè etiam gesticulatur, tum verò morte repentina extinguitur. Idque ferè accidit hora vespertina nona, præsente famulo, & culinaria, qui rem omnem deinceps, ita ut gesta, & à nobis exposita jam est, divulgarunt, *Selneccerus in Jer. cap. 38. unde hæc utcunque transtulimus.*

CXXVII. *De Doctore Turco.*

84 DOCTOR Türck Jureconsultus videt in morbo suo, quo extinguitur, Diabolos ad lectum astantes, ideóque digitis in parietem infixis se defendere nititur, ne vivus avehatur ab ipsis, & contra ipsos sibi opem ferri miserabili clamore petit. Mortuo deinceps ad prolixi digiti longitudinem, atra ex ore dependet blasphema lingua, qua sæpe in bello Germanico hæc verba protulerat. Ubi nunc sunt illi, qui hactenus cantarunt, *Turris fortissima nomen* DOMINI, Ein feste Burg ist vnser Gott Moritur autem Lipsiæ pridie ejus diei, quo explicatur Euangelium de Divite & Lazaro. Affirmabant igitur cives Lipsenses, *Doctorem Turcum ad consortium invitatum esse in infernum à divite epulone.* Nobis & est & erit in omnem æternitatem, turris fortissima nomen Domini, cùm *Turca* ille, nomine & re, cum divite epulone

lone & omnibus Diabolis inferni immensos cruciatus sustineant. *Simon Paulli in explicatione Euangelii Domin. Trinitatis.*

85

CXXVIII. *De Canonicis Misnensibus.*

UBi Canonici Misnenses audiunt, cruento prælio victum esse *Ioannem Fridericum Electorem, principem optimum & laudatissimum*, Læti in summum templum conveniunt, & de justi calamitate triumphantes, inchoant ecclesiæ cantilenam, *Te* DEUM *laudamus*. Deus autem ostendens sibi hanc petulantem ἐπιχαιρεκακίαν improbari, Canonicos fulmine ejicit, & inflammat templum, cujus magna etiam pars incendio hoc periit. *Idem ibidem.*

86

CXXIX. *De Thoma Moro.*

QUoties hunc locum lego, simile exemplum mihi potissimùm in mentem venit, quòd præ cæteris huic conveniat, nempe *Thomæ Mori*, qui eodem munere fungebatur, quo hic *Sedna*. Erat enim ut satis notum est, Regis Angliæ Cancellarius. Is cùm acerrimus esset hostis Euangelii, atque pios homines ferro atque flammis persequeretur, eo etiam nomine famam suam celebrari, suæque impietatis & sævitiæ monumentum extare volebat. Itaque sepulcro, quod sumtuoso & magnifico opere extruendum curarat, virtutis suæ encomia inscribi jussit. Atque Epitaphium suum, quòd ipse descripserat, Basileam misit ad *Erasmum*, cum equo gradario, quem illi dono offerebat, ut illud typis excudendum curaret. Adeò scilicet avidus erat gloriæ, ut famam & laudes, quas obitum suum secuturas putabat, vivus delibare vellet. Inter alia encomia hoc erat celeberrimum, quòd *Lutheranorum*, hoc est, piorum profligator maximus fuisset. Quid accidit? Accusatur proditionis: damnatur, capite plectitur. Itaque patibulum ei pro sepulcro fuit. An apertiora DEI judicia requirimus, quibus superbiam impiorum & effre-

BIBLIOTHEK
MUSEUM FÜR
VOLKSKUNDE, WIEN

nem gloriæ cupiditatem, blasphemam etiam jactan-
tiam punit? In hoc certè populi Dei infensissimo ho-
ste, non minùs, quàm in Sobna, summa DEI provi-
dentia agnoscenda & exosculanda est. *D. Calvinus in Esaiam cap. 22. pag. 215.*

CXXX. *De Monacho, cui Scrofæ cognomen.*

EX alto media suggestu cœpit in æde
Plebi sermonem dicere *Scrofa* suæ.
Cumq; *Lutheranos* ferus inveheretur in hostes
Fracta pedum strepitu per tabulata ruit.
Subtrusisq; togis imam delapsus ad alvum,
Ridiculum nuda pube pependit onus.
Imposuit falso mendax cognomine frater
Arcadicum Verres cuspide vicit aprum.
Cordus lib. 7. Epig. pag. 192.

CXXXI. *De Enyalio Canonico Moguntino.*

LÆta frequentabant rasi convivia mystæ,
Quo jungit Rheni flumina Mœnus aquis.
Qui Canones simulant, & asoti cætera vivunt,
Et pascunt populi sanguine ventris onus.
Ut caluêre mero: reliquos qui excepera: hospes,
Ebrius hos madido reddidit ore sonos:
Quid tamen audistis, quam spem proponit Enyo,
Quantum de Synodo dicitur esse super?
Quando erit, ut videam victricibus acer in armis,
Hæreticos tandem succubuisse duces?
Pace sumus miseri, spes pendet ab omine Martis
Ille decus nostrum restituisse potest.
Adversis utinam liceat concurrere telis,
Quolibet hîc sævo sævior esse velim.
Ut sit *Alexandro* similis virtutibus HESSUS,
Non metuam huic fortes conseruisse manus.
Néve diu verbis teneam vos, credite, rebus,
Pectoris invicti signa probanda dabo.
Parte domus summa, belli quorum indiget usus
Ordine dispositas Martis habebat opes.

Evolat,

Evolat, & corpus fulgentibus induit armis
Et framea dextram munit, & enſe latus.
Edit & in tignis fictæ ſpectacula pugnæ
Quaſſat & ingenti domata tota ſono.
Et ſibi quos ferro proſternat fingit, ut Ajax
Pro forti miſerum ſtravit *Vlyſſe* pecus.
Mente putant captum, triclinìaque obice claudunt,
Ille tamen qua ſe liberet arte, videt.
Nec mora faſciolas ſectis lodicibus aptat,
Se quibus ex alto mittere certus erat.
Fata viam fallunt, rupitque ligamina pondus.
Et miſer in duram præcipitatur humum
Tam pius *Heſſiacum* caſus ſervavit *Vlyſſem*
Quo ſibi cauſa *Ajax* ut moreretur erat.
Impia Pontificum quid ad hoc tibi turba videtur?
Incipe, ſi bellum te juvat, omen habes.
Stigelius Tom. 4. lib. 1. Eleg. 22.

CXXXII. *De Vacca Cuntzionatore.*

CUm celebre infamis per templum *Vaccæ* boaret,
Et ſua non credi verba videret, ait:
Si non *Hæreticus Chriſto* veniente *Lutherus*
Perditur, hanc tunicam victor habeto meam.
Prudens *Vacca* ſapit, ſua vivus tegmina ſervat,
Nullis tartareus veſtibus hoſpes eget.
Cordus lib. 13. Epig. pag. 280.

CXXXIII. De *Mulomarito Bormatiæ ſubmerſo.*

POſſe pium vinci, pareret ſimula, *Lutherum*
Quidam deridens pontifices vir ait
Audiit hæc gaudens Italorum cætus, & inquit
Maxima nunc cauſæ eſt ſpes Aleandre tuæ.
Scilicet hoc *Galbæ* ceſſit feliciter omen
Ut Latia fieret ſummus in urbe pater.
Et ſimili oſtendo *Victo* Babylona *Darius*,
Cœpit. Et hic verax eſſe prophetа poteſt.
Quare ſi quid habes Judææ fraudis & artis
Perdendo ſollers inſidiare viro.

Nos soluto uxores pectemus strigile mulas,
Et tanto pariet forsitan una grege.
Post paucos manifesta dies fraus illa patescit,
Phuh inter fœdum prenditur unus opus.
Quem post dum rapidis Rheni submergeret undis,
In medio ridens agmine lictor ait:
Tunc tua convictum superabit Roma *Lutherum*,
Illud ubi ebiberis *Mulomarite* vadum.
Cordus lib. 4 pag. 152.

87 CXXXIV. *De Petro Bembo.*

BEmbus, qui postea Cardinalis factus est, cùm ad *Sadoletum* venisset, & eũ in enarratione Epistolæ ad Romanos aliquid operæ collocare intellexisset: *Omitte, inquit, has nugas, non decent gravem virum tales ineptiæ.* Talium judiciorum plena est Italia, ubi ingredientes in templa dicunt se accedere ad communem errorem. Alii, etsi non judicant, Euangelium esse inanem fabulam, tamen nativam ejus sententiam oderunt tanquam facem seditionum & dissipationem politiarum. Nonnulli fascinati pravis opinionibus, execrantur Euangelii sapientiam, tanquam corruptelam bonorum morum & disciplinæ laxationem. Hæc impia & prophana judicia gravi oratione taxat David, appellans Euangelium suam gloriam, sicut & *Paulus* inquit: Non pudet me Euangelii, cùm sit potentia *Dei* ad salutem omni credenti. *D. Strigelius in explicatione Psal. pag. 30.*

88 CXXXV. *De Angelo Politiano.*

POlitianus Canonicus Florentinus interrogatus an legeret *Biblia*? respondit: *Semel perlegi librum illum, & nunquam collocavi pejus ullum tempus.* Nos qui volumus esse Christiani non cogitemus, ut *Politianus*, sed amemus historiam & lectionẽ Biblicam: non ita jocosè agamus. *Pezelius par. 2 Post. Mel. p. 553.*

89 CXXXVI. *De Biliccio.*

QUid potest horribilius dici à *Biliccio*, quàm cùm

in

in Wormatiensi convētu impuro ore efflavit, Biblia *esse materiam litis*. Qua quidem voce auctoritatem sacrarum imminuere ille immundus porcus conabatur. *D. Wigandus in XII. Danielis cap. pag. 429.* Et cùm olim Wormatiæ instituta esset disputatio inter nostros & Pontificios, in ipso statim limine colloquium hanc ob unam causam abruptum fuit, quod cùm nostri sibi judicem denominarent scripturā, responsum à Pontificiis tulerunt, Scripturam non esse vocem Judicis, sed materiam litis. *D. Ægidius Hunnius* in Relatione Historica de Colloquio nuper Ratisbonæ habito inter Augustanæ confessionis Theologos & Pontificios.

CXXXVII. De *præfecto quodam Lugdunensi.*

QUum ex captivis *Ludovicus Marsacus* homo militaris, è sacris literis multa recitaret, qui aderant inquisitores rogabant, *num ipsius esset legere sacros libros, & quî sciret hæc esse Euangelica?* Præfectus etiam regius duos esse duntaxat ajebat Euangelistas *Matthæum & Ioannem*. Reliquos enim duos & *Paulum etiam* veluti centones quosdam consuisse: quòd nisi Ecclesiæ doctores eam *Paulo* tribuerent autoritatem, *se non plurus facturum ejus epistolas, quàm Æsopi fabellas*. Sleidanus lib. XXV.

CXXXVIII. De *Iacobo Gretsero Doctore Pontificio.*

PErgendum est ad confessum NONUM, ubi pro Pontificia thesi cœpit argumentari pulcerrima illa forma Jesuitica. Videamus ergò non jam quem catulum illa pepererit, sed quod tetrum ac immane monstrum in conspectu Principum, omniumque spectatorum & auditorum, enixa sit, obstetricis munus obeunte ipsomet patre, JACOBO GRETSERO. Id monstrum est execrabilis illa blasphemia *Gretseri* Jesuitæ, non modò in scripturam, sed in

ipsum Spiritum sanctum jactata, quando blasphemavit, nec scripturam sacram, UT EST VERBUM DEI; NEC SPIRITUM SANCTUM per scripturam loquentem, posse esse JUDICEM controversiarum religionis. Hoc per experientiam, ut ajebat, probaturus, correpto, & aperto libro Bibliorum in hanc erupit vocem: Si Spiritus sanctus potest me condemnare per hanc scripturam, age faciat, veniat, & dicat: *Jacobe Gretsere* tu erras, *Jacobe Heilbronnere* tu rectè sentis, & statim transibo ad scamnum vestrũ. Sed NON POTEST me Spiritus sanctus judicare per hanc scripturã. Et hanc enormem blasphemiam, præcipuè quod NON POSSIT Spiritus sanctus per scripturam ipsum judicare, multoties non sine stupore omnium Euangelicorum repetere, & ceu mortiferum cramben recoquere non exhorruit. Neque verba sua (per hanc scripturam) intellexit de nuda litera, quemadmodum à Typographo typis exscripta est, (qui quidem ipse dolus esset in re tanta minimè ferendus) sed *ρητῶς* de scriptura locutus est, UT EST VERBUM DEI, & ut per illam Spiritus sanctus LOQUITUR, quemadmodum ipsemet determinationem istam claris verbis adjecerat D. D. *Ægydius Hunnius in Relatione colloquii Ratisbonensis* inter Theologos Augustanæ confessionis & Pontificios nuper edita.

CXXXIX. *De eodem.*

REfutatum etiam est argumẽtum ipsius impium pariter & stolidũ, cujus crassa stoliditas vel manibus palpari queat, & à pueris cognosci quod stultissimè somniat, Spiritum sanctum non condemnare JACOBUM GRETSERUM erroris, nisi in individuo dicat: JACOBE GRETSERE, tu erras, & nisi *Jacobus Gretserus* evidenter sciat & agnoscat, se judicari: sicut & in alia sessione stultè nugatus est, scripturam non judicare ARRIUM aut NESTORIUM, quia

quia nominatim illos non exprimat. *D. D. Ægydius Hunnius ibidem.*

CXL. De *Leone X. Pont. Max. & Petro Bembo.*

PEtrus *Bembus* præstantissimus ille ac doctissimus vir, qui postea etiam Cardinalium in numerum allectus fuit, cùm in consessu aliquando Leonis X. Scripturæ aliquod pronunciatum in medium afferret, *Leo* hoc ipsum graviter ferens atq; molestè, his eum mox verbis odiosè satis increpuit atque repressit. *Quid (malum) tu mihi allegas* Bembe aut *narras istam fabulam?* Digna verò vox Pontifice Maximo atq; adeo *Christi*, ut audire illi gestit, vicario. Unde quidem perspicuum cuivis evadit, ecquonam loco atq; numero sacræ apud ipsum fuerint divinæque literæ. **Statthliche Außführung** / *pag. 412.*

CXLI. *De eodem.*

LEo decimus convocavit Synodum ad definiendum, *utrùm anima hominis esset immortalis.* Et cùm audivisset omnium sententias, fertur dixisse, difficiliorem esse controversiam, quàm ut posset ipse judicare, quæ pars haberet firmiores rationes: Sed quicquid de anima esset futurum, se nolle fraudare animum suum præsentibus vitæ commodis, delitiis & voluptatibus. Et si esset aliqua vita post istam, se libenter etiam istis cum altis gavisurum esse, *quos putaret non futuros deteriores socios, quàm hic essent,* D. Alexander Alesius de authoritate verbi Dei, pag. 44.

Ejusdem Epitaphium.

Sacra sub extrema, si fortè requiritis, hora,
Cur *Leo* non potuit sumere: Vendiderat:
Fragstu/warumb Bapst *Leo* sein Endt
Genommen hat ohns Sacrament:
Er hats andern vmbs Gelt verkaufft/
Darumb must er seyn deß beraubt.
Statthliche Außführung / *pag. 414.*

De

CXLII. *De Antonio Vrceo Codro.*

CIrca Christianum dogma si non re, verbis saltem plerunque claudiebat. Rogantibus amicis quid sentiret de immortalitate animæ, nescire se respondebat, quid post mortem de se futurum esset, viveret ne animus sive anima, an interiret una cum corpora, quæque de inferis homines prædicarent, anilia dicebat esse quædam terriculamenta. *Bartholomæus Bononiensis in vita Codri pag. 53. fac. 2.*

D. Iesus Matth: 22. vers. 29.

Erratis, nescientes Scripturas, neque potestatem *Dei.*

Chrysostomus.

Τοῦτο πάντων αἴτιον κακῶν, τὸ μὴ εἰδέναι τὰς γραφάς

Hæc est, crede mihi, cunctorum causa malorum
Scripturas Domini non didicisse sacras.

CXLIII. *De Bertholdo Schessero cive Esuicensi impiè & scurriliter faceto.*

HIc in publicis aliquando nuptiis, verbi divini quibusdam præconibus & aliis itemque gravibus & honoratis viris audientibus, dicere non erubuit, audax fuisse Spiritus Sancti facinus & temerarium, quòd persona columbæ assumpta cælitùs sese tum dimittere, tum Christo etiam incumbere non dubitasset, quando is quidem à Zachariade illo homine propè superiore tingi haud dedignaretur. Eam quippe rem cum summo fuisse periculo cõjunctam, quod & in accipitrem aliquem incidere, & ab eo intercipi, & miserabiliter denique devorari potuerit. Hanc impiam illius & sacrilegam vocem Ecclesiæ Eschuicensis antistes D. Conradus Clericus implacatissimè ferens, cùm graviter ipsum ea re objurgabat, tum has quoque minas jactabat: Næ, ego te Bertholde vita defunctum asini sepultura afficiendum curaverim (**Werde dich lassen auff den Schinderteich begraben**) nisi ad frugem te meliorem recipies, Lucianæ istæ scurrilitati nuncium remiseris. Ber-

tholdus

tholdus hanc illius comminationem susque deque faciens pro nihiloque putans, respondebat. Magnam tu verò gratiam abs me inieris *Clerice*, si in loco cadaveribus excoriandis desponso, quem minitaris, me sepelieris. Ita namq; futurum est, ut in communi illa mortuorum resurrectione, equo aliquo conscenso, quàm celerrimè ad tribunal Christi deporter, ac mortales reliquos ad unum omnes, qui in cœmiteriis humati jacent, multis parasangis antevertam, à tergoq; relinquam, cùm hi quidem pedibus incedere, & lento me gradu subsequi cogentur.

CXLIV. *De Pœnitentiario quodam Constantinopolitano.*

PRIMUS.

ERAT in Ecclesia presbyter quidam, cujus officium erat pœnitentes audire, cumq; illi matrona confessa esset, grave quoddam se peccatum admisisse, jussa ab eo ut in templo vacaret precibus & jejunio. Id illa cum facere sese simularet, consuetudinem stupri habuit cum Diacono. Quod cùm jam innotuisset, & ministerium ob id palam malè audiret, *Nectarius Constantinopolitanus Episcopus* illam rationem confitendi omninò sustulit. *Extat historia apud Socratem lib.5.cap 9. apud Sozom. lib.9.*

CLXV. *De quodam Monacho.*

TUrpia confessam Veneris patrata puellam
Audiit in sacra funiger æde pater.
Noluit imposita tamen ille remittere dextra,
Ni quoque concubitu posset & ipse frui.
Atq; subobscurum prensam raptavit in antrum,
Dulceq; spectanti plebe peregit opus.
Non maledic, imò miserebere mentis egeni,
Nemo cacaturiens, se cohibere potest.
Cordus lib.13. Epig.283.

De

CXLVI. De *Monacho quodam ruri mendicante.*

RAsus ubi nuper rus Caseolarius isset,
Et media prorsus nocte fuisset agro,
A quodam petiit communia tecta colono,
Et lectum stravit non gravis ille suum.
Et se stramineo procul in centone locavit,
Tanta, boni, pietas relligioque viri.
Ante vocata aliò Lucinæ ad munia Conjunx,
Tunc obstetriceam, forte ferebat, opem.
Quæ rediit decimam, sed rerum ignara, sub horam
Altus ubi pressit languida membra sopor.
Hanc vigil indomitis excepit hypocrita votis
Consortem patiens credidit illa suum.
Tot mirata vices tandem, & grave Ventris omasum,
Calvum, per lunam conspicit, esse caput.
Mox quendam stupefacta putans Cacodæmona clamat,
Et vocat amissum, terque quaterque, virum.
Irruit hic, & ut id sacro audit in hospite crimen,
Turpe statim juxta fœmina scindit onus.
Et, tantos Eunuchus habes tu perfide testes,
Tam potes indignum sumere nomen, ait?
O miseros cives, infelicesq; maritos,
Qui magno saturant talia monstra malo.
Multa Semiramis hac sat Pasiphaéque necesse est
Illi, qua regnant urbe boves & equi.

Idem lib. 4. Epig. pag. 149.

CXLVII. De *Wolffenschiessio quodam Austriæ Principis ministro, ob insidias alienæ pudicitiæ intentatas, securi in solio, quo lavabatur, contrucidato.*

PRope Engelbergum Monasterium non longè à pago **Wolffenschieß** locus est, **auff Alzehlen** nominatus, ubi habitat Rusticus quidam *Conradus à Bomgarten* dictus, uxorem habens eximiæ formæ, hanc

hanc fortè in prato aliquid operis facientem vidit *Wolffenschiessius* nobilis præfecti Vicarius, qui illac Engelbergo domum suam Rozebergum revertebatur, & quoniam maritum absentem esse didicerat, illuc divertit, ac mulierem solium sibi temperare jubebat, se enim labore & æstu fessum (erat autem tum finis æstatis) sudorem velle abluere. Mulier tyranni imperio, quamvis invita, paret, verùm cùm illam hortaretur, ut ipsa quoque depositis vestibus balneum ingrederetur, se quidem paratam obsequi, ait, modò servi discedant, habebat autem secum duos famulos, his dimissis, mulier moram nectit, simulans se mox venturam, interim per posticum effugit. Ibi illi solicitæ & anxiæ maritus è sylva domum rediens obvius fit, atque rebus omnibus cognitis domum ingressus securi, quam fortè secum gerebat, præfecti Vicarium in solio adhuc sedentem, trucidat, atque meritas ab eo pœnas alienæ pudicitiæ attentatæ sumit. D. *Josias Simlerus de Repub. Heluet. lib. 1. cap. 13.*

CXLVIII. *De quodam Anabaptista.*

ANNO 1525. 8. Novembr. quidam Anabaptistarum sæpè inter disputandum à præcipuis suæ partis disputatoribus petierat, ut se cum *Zuinglio* congredi permitterent, se enim brevi finem actioni huic impositurum. Hunc sedabant & coërcebant ejus in Anabaptismo fratres, quippe qui illius institutum nossent, quod *Zuinglium* adjurare decrevisset, ut interroganti sibi veritatem fateretur. Sperabat autem ipsum planè responsurum Pædobaptismum è Diabolo, Anabaptismum verò à *Deo* esse. Cùm verò sæpe reprimeretur, tandē tamen prorupit. Nā meridie cùm jam omnes consurgerent ad *Zuinglium* accurrit, clamans, *adjuro te Zuinglî per* Deum *vivum, ut mihi veritatem dicas. Zuinglius* verò illi cōfestim respondit, & ait, Faciam, *ac dico te tum malum atq; seditiosum rusticū esse, qualem alibi Senatus noster habet*

habet neminem. Hoc inexpectato responso obstupuit Anabaptista. Populus verò ridebat, atq; omnes consurgentes domum discedebant. D. *Bullingerus libr. 1. adversus Anabap. cap. 5.*

CXLIX. *De nonnullis Catabaptistis.*

ACcidit eodem tempore, ut Anabaptistis Tiguri disputandi gratia summum templum ingressuris, puella quædam exquisitissimæ formæ, sed quæ ipsorum Religionis esset, in fani vestibulo consisteret. Hujus in collum plerique omnes Anabaptistæ perquam familiariter ruebant blanda hac salutatione præmissa *Salva sis ô Soror nostra.* Quum autem propter hanc eandem decrepitus quidam senex istius avus staret, neq; hunc illi perinde ut nympham istam amplecterentur & oscularentur, sed insalutatum prorsus præterirent, *Zuinglius* idipsum animadvertens, hunc ad modum eos insectabatur. Perquam sanè amanter *Sororem* hanc vestram & salutatis & comprehenditis & suaviamini. Scire autem pervelim, quid sit, cur bonum hunc senecionem *fratrémque* vestrum ita irreverenter prætereatis, ut ipsum neque consalutatione, neque complexu, neq; osculo denique ullo dignum ducatis. Næ vestro vos judicio *Hypocritæ* tanquam sorices proditis, quo spiritu ducamini. Hinc profectò meridiano sole clariùs elucescit, quàm libidinosi, salaces atq; adeo impuri nebulones sitis. Hoc pacto *Zuinglius* salsè admodum petulantem stellionum istorum lasciviam perstrinxit. Id quod omnes, quotquot aderant, risu planè syncrusio prosequebantur.

CL. *De Theodorico Sartore Anabaptista seu Enthusiasta.*

ANno Domini 1535. tertio Id. Feb. Ambsterodami in Vico salinario, in ædibus Johannis Siberti pannicidæ, qui tum procul domo aberat, septem viri & quinque fœminæ Anabaptistæ convenerant. Inter hos

hos unus, cui *Theodorico Sarctore* nomen erat, afflatus, in terram se aliquandiu coram cæteris fratribus & sororibus porrexit, qui tandem evigilans, precatione facta magna gravitate, id est, hypocrisi, Deum, inquit, se in sua Majestate vidisse, aliaque in cœlo & apud inferos lustrasse omnia, adesse magnum extremi judicii diem, &c. Vestes deinde omnes exuit, ita ut ne interula quidem reliqua esset, ad tegendas verendas corporis partes. Mandat sub hæc cæteris fratribus & sororibus, ut suo exemplo totos se exuant. Universum enim id, quod è terra factum natumque sit, filios Dei exuere & deponere oportere. Præterea cùm veritas nuda sit, nihilq; circa se patiatur, oportere ipsos quoque ut veraces, penitùs nudos esse. His factis, cùm omnes nulla verecundia ducti, nudi astarent, omnibus mandat *Theodoricus*, ut se imitarentur. Mox igitur nudus in publicum à domo egressus, horribiliter clamabat, *Væ, Væ, Væ, divina vindicta, divina vindicta.* Hunc deinde cæteri viri & fœminæ nudæ sequebantur, & quasi furiosi currebant & horribiliter clamabant, ut nunquam horribilior clamor auditus fuerit. Quamobrem cives ad arma concurrunt, quippe qui ignorarent, urbsne ab hostibus capta esset, aut quid tandem hic tumultus sibi vellet. Capti demum sunt nudi illi & impudentes homines, & quæstione habita, quinto Kalend. Martii septem viri percutiuntur, horum primus clamabat, *Laudate semper Dominum.* Alter. *Vindica sanguinem tuorum Domine.* Tertius. *Aperite oculos.* Quartus. *Væ, Væ. &c.* Postea etiam mulieres supplicio affectæ sunt. Cùm capti essent, vestitum oblatum rejecerunt, dictitantes, *Veritatem nudam esse oportere.* An verò talis impudētia unquam visa aut audita est? *Adamitas* quosdam ferunt olim nudasse seipsos. Verùm hoc omniū aliorum impudentiam superat. Cùm *Adamus* nihil aliud in promptu haberet, foliis sici se tegebat. Hi

verò cùm facilè vestes habere possent, quanam de causa quæso se ipsos non tegebant? Verùm tum homines huc deveniunt, cùm deserunt verum DEI verbum literis mandatum, & suis, immo verò Sathanæ imaginationibus auscultant, & tam impuras res etjam Spiritui sancto adscribere audent. Quanta gravitate Paulus jubet mulieres in Ecclesia tecto capite esse, 1.Cor.11. Quid verò ille dixisset aut fecisset cognita tam impudenti nuditate. D. *Bullinger. lib. 2. contra Anabapt. cap. 1.*

CLI. *De Thoma & Leonhardo Schykeris Enthusiastis.*

ANno 1526. duo uterini fratres *Thomas & Leonhardus Schykers*, habitantes prope urbem & montem, qui à fago nomen habet, & Mullegus etjam appellatur, 7. Feb. cum aliis suæ factionis in paternis ædibus sub noctem convenerunt. Integra autem ferè nocte Anabaptisticis sermonibus, & admirandis gestibus & visis Enthusiastarum consumpta, sub ortum solis, qui dies octavus erat Februarii, *Thomas* apprehenso fratre Leonhardo, cum in medio in conspectu parentum & cæterorum omnium in genua procumbere jubet. Cùm autem alii ipsum monerent, caveret, ne quid conaretur, quod fieri non deceret: respondit, nihil metuendum esse, neque enim hîc quicquam præter voluntatem patris fieri posse. Interim gladio educto, fratris, qui in genibus fixus coram eo procumbebat, caput detruncat. Cæteris igitur omnibus metu perculsis & lamentãtibus, *Thomas*, qui cædem fecerat, continuò in urbem rectà currit, horrendis gestibus utens, quemadmodum plerunque Enthusiastæ facere solent. Nam tantum interula & caligis vestiebatur, & discalciatus erat. Erat autem tum consul S. Galli *D. Joachimus Vadianus* doctrinæ & pietatis nomine longè celeberrimus, coram hoc horrendis gestibus additis clamabat,

mabat, *Diem Domini adesse, diem Domini venire.* Addebat etiam res magnas eo diluculo factas esse (facinus tamen horrendum non exprimebat) voluntatem patris impletam esse, & acetum ac fel epotum esse. Consul graviter ipso increpato propter immodestum clamorem & furorem, jubet eum veste operiri, ac domum redire, & quietem agere. Verùm statim horrendo ejus facinore evulgato, captus est, & quæstione diligenti, de horrendo & inaudito ejus facto habita, capitali supplicio affectus fuit. Quàm quæso penitus oblivioni tradidit Anabaptisticus spiritus verba Joannis, qui inquit: *Per hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli, quisquis non exercet justitiam, non est ex* Deo, & *qui non diligit fratrem suum. Quoniam hoc est nuncium, quod audistis jam inde à principio, ut diligamus alii alios, non sicut Cain, qui ex illo Malo erat, & occidit fratrem suum,* 1. Joan. 3. Verùm Deus justo judicio horrendum hoc facinus ab Anabaptista fieri permisit. Vult enim pro sua fide & bonitate, nos omnes ex hoc inaudito facinore infelicem & inauspicatum Anabaptismum, & præsertim fratres Enthusiastas agnoscere & fugere. Det Deus omnibus illis, qui hoc gravi errore tenentur, oculos ad videndum, & cor, quod quàm longissimè ab hac abominatione fugiat. *Idem ibidem.*

201

CLII. De *Homicida quodam, sui ipsius tum accusatore, tum condemnatore.*

PAndochæo seni honesto, unica erat filia, heres, bonis moribus, & re mediocri: Cujus nuptias ἀνέπτης, homo cæteroquin frugi & industrius ea de causa frustra expetierat, quòd peregrinus, quod pauper, & quod servus esset. Et tamen eo loco ob fidelitatem apud patremfamiliâs erat, ut hic cum uxore & filia ad thermas profectus, Oeconomiam illi administrandam traderet. Factum autem est, ut absente sene, diverteret Mercator in eo diversorio,

quem prima statim nocte Famulus ille, qui domui præerat, nefariè obtruncat, & in equile sepelit, equo & vestimentis postero die divenditis. Nemini mortalium præterquam auctori de tanto constabat facinore. Ubi domum Pandochæus revertisset, omnia rectè à servo administrata putans, majore illum benevolentia prosequi cœpit. Nec multò pòst infelix ille latro, hanc commentus est technam. Conscribit literas, quasi à propinquis suis de morte parentis reditúque in patriam scriptas ad se. Eas è foro reversus una cum mediocri pecunia (opinor fuisse 80 coronatos) affert patrifamilias. Ait se nec equum empturum, ut propinqui monerent, nec tot coronatos ἀροδίων gratia secum sumpturum. Addit, se illibenter alibi quàm in ea urbe, in qua percommodè annis aliquot vixisset, acturum. Quid multis? Bona parte pecuniæ penes patremfamilias depositа, & spe reditus facta iter ingreditur. Erat perquàm incommodum patri-familias, eo temporis articulo hominem dimittere. Sed humanitati id dãdum videbatur. Nec multò post redux, reliquam pecuniam penes eundem deponit, nonnulla de facultatibus paternis aperit, & tandem tinnulis istis rationibus perficit, ut gener factus, socero demortuo succederet. Quod autem honesti essent illius mores, ad Senatoriam dignitatem evectus, diuq; ea sic functus est, ut haberetur ἀνέγκλητος. Sed tandem malæ conscientiæ doloribus sic excruciatus est, ut homo αὐτοκατάκειτος mori mallet, quàm diutius in tantis versari angustiis. Die quadam præfituta judicio capitali, homicidæ cujusdam nomine, quod ipse quoque è Judicum numero esset, jussus est adesse. Ibi miser mane summo Missam de more aditurus, uxorem, qua cum bellè ipsi semper convenerat, rogat, ut ferculum aliquod sibi non ingratum appararet, quod molesta ju-

dicii

diciii capitalis provincia sibi defungendum esset eo die, nec ita benè haberet. Ubi è templo domum regressus esset, audit interea allatum caput vitulinum, de quo aliquid libenter gustare solebat. Ejus videndi studio ductus, arculam, in qua illud reconditum jacebat, aperit, & horrore perfusus, *caput hominu ibi reconditum queritur.* Sed ab uxore benignè de errore admonitus, sese repressit, & in curiam progressus, suo loco judicibus assedit. Cùm ordo postularet, ut sententiam suam proferret, statim ubi secundùm Legum præscriptum capite mulctandum homicidam pronunciasset, assurgit, & eandem sententiam de semetipso sese ferre testatus, expositisque latrocinii olim à se commissi circumstantiis, suppliciter petiit, ne supplicium gravius subire cogeretur. Erant qui melancholia hominem laborare putarent, auctoresque essent, ut domum reversus, sui rationem haberet. Verùm ille, *Scio*, inquit, *vos me suspectum non habere, nec sanè alterius alicujus atrocioris sceleris mihi conscius sum. Quæso tamen etiam atq; etiam, ut justo capitis supplicio affectum, ab atrocissimis istis* conscientiæ *doloribus, quos multis jam annis sustinui, supplicio, quod promeritam statuo, liberetis, efficatisq;*, ut satis fiat justitiæ DEI. Factum itaque est, ut eo loco, quem indicarat, olim obtruncati Mercatoris ossibus inventis, homo αὐτοκατάκριτος unà cum homicida illo volens duceretur & decollaretur. D. *Joan. Jacob. Grynæus in explicatione Jonæ, pag. 123.*

CLIII. De *Nobili quodam.*

NObilis quidam *Silesius*, cùm invitasset convivas, & hora convivii jam instante & apparatu facto, spe frustratus esset, excusantibus se convivis, cur non comparerent, prorupit iratus in hæc verba: *Veniant igitur omnes dæmones, si nullus hominum mecum esse potest.* Hoc dicto domo egreditur in templum, ubi pastor Ecclesiæ concionem habebat, & ut ira-

cundiam suam concoquat, auscultat aliquandiu. Dum verò in templo moratur, veniunt equites in aream domus magni & nigri, & jubent servum Nobilis, ut Dominum suum advocet, eique significet adesse hospites. Servus consternatus abit in templū, & indicat hæc Domino suo, qui nescius consilii, pastorem consulit. Pastor abrumpens concionem, hoc consilium dat, ut tota familia domo exeat. Quod cùm fieret, & famuli & ancillæ properarent, fortè obliti infantem in cunis jacentem & dormientem, secum non auferunt. Dæmones incipiunt commessari, & vociferari, prospicereque per fenestras formis ursorum, luporum, felium & hominum, & monstrare pocula vino repleta; assaturas & pisces. Hæc Vicini, Nobilis, Pastor & alii cùm viderent, *Ah* inquit pater *ubi infans meus?* Vix cùm hæc dixisset, unus ex Dæmonibus ulnis suis infantem ad fenestram gestat, quasi monstraturus parentibus. Nobilis prorsus consternatus & sollicitus de incolumitate infantis, fidum habet servum, quem interrogat, quæso, tu dic, quid agam? Servus, Domine, inquit, commendabo & committam vitam meam DEO meo, & in nomine Domini ingrediar, & ut infantem afferam auxilio & beneficio DEI, videbo. Benè, inquit, Nobilis, Deus tecum sit, & juvet te, animumque tibi confirmet. Servus accepta benedictione à Pastore & reliquis, ingreditur, & ante conclave, in quo erant Dæmones congregati, procidit in genua, & se Deo commendat, & hoc animo aperit januā & videt Dęmones horribili specie sedentes, stantes, obambulantes, serpentes, & uno impetu accurrentes ad se, & vociferantes, Huī, Hui tu quid tibi hic? Ille sudans & tamen divinitùs confirmatus, alloquitur Dæmonem, qui infantem gestabat: Tu, inquit, mihi infantem trade. Nequaquam respondet iste, meus jam est infans, dic domino tuo, ut veniat, & accipiat infantem. Cui

Servus,

Servus, ego jam fungor officio meæ vocationis, in quam me Deus collocavit, & scio quicquid in hoc officio facio, id Deo gratum esse. Quare ratione officii mei, & auxilio, nomine & virtute *Jesu Christi* aufero abs te infantem, & patri ejus restituo. Atque ita ipse apprehendit infantem, & brachiis suis amplexus est. Isti nihil aliud responderunt, nisi vociferantes, hui nebulo, hui nebulo, relinque infantem, relinque, alioqui te discerpemus. Ille nihil curãs minas diabolicas abiit incolumis, & incolumem infantem patri nobili reddidit. Dæmones postea, aliquot diebus elapsis, evanuerunt, ut in ædes denuò migrare tota familia nobilis potuerit. *Selneccerus in Genesin pag. 159.*

CLIV. *De quibusdam Nobilibus.*

AUdivi nuper Lipsiæ ex hospite Numburgensi honesto viro, se habuisse quosdam nobiles hospites, qui cùm vellent esse asoti, destruxerunt fornaces, fregerunt fenestras, lacerarunt pulvinaria, & plumas exemtas partim in conclavi, partim extra fenestras dissiparunt in aërem. Deniq; quicquid facere quisque potuit monstrosum, per totum triduum hoc fecit. Discessuri solverunt pro cibo & potu. Postea dixerunt, nos debemus etiam aliquid dare pro asotia. Dederunt ei aliquod Joachimicos. Hospes respondit, quanquam est aliqua compensatio damni, tamen ista ὕβεις seu vita inordinata adeo mihi displicuit, ut non velim accipere centum Joachimicos, & adhuc semel ista videre. D. *Pezelius Post. Mel. par. 2. pag. 45.*

CLV. De *aliis quibusdam Nobilibus.*

SEderunt in quodam loco Nobiles aliquot hellu-
Santes tres continuos dies. Inter hos unus in conspectu cæterorum extinctus est. Cæteri hoc tristi spe-

ctaculo nihilo saniores redditi, infuderunt mortuo instar dormientis sedenti ad mesam, vinum, quoties ordo poculorum exhauriendorum ad ipsum rediret. *Idem Post. Mel par. 3. pag. 132.*

CLVI. De *Novitio quodam Nobili.*

NOvi ego quendam Nobilem novitium, (emerat enim ille nobilitatem suam pecunia in aula Imperatoris) is rigidus fuit erga subditos suos, qui cùm haberent servitia indeterminata, **Die Unterthanen hatten ungesatzte Dienste / Musten thun was man sie hieß.** Et non tantùm excoriabantur ab eo, sed etiam tyrannicè tractabantur. Quare de hac inaudita sævitia non tantùm per pastorem, quod parcere deberet subditis in die Dominica, sed etiam admonitus per suum advocatum, cujus opera utebatur in causis juridicis, quod ista servitia subditorum, etiamsi essent indeterminata, & quidem jurata, nihilominus tamen ita intelligenda & accipienda essent, ut ad arbitrium boni viri, judicis scilicet, reduci debeant, sicut jure hoc dispositum esset per text. in l. si libertus D. de oper. libert. Ille verò nolens parere, neque pastoris, neque advocati sui admonitioni, instar *Nicanoris* superbè respondisse dicitur: *Nihil sibi esse cum Sabbato, se esse* Dominum *suorum subditorum, & se jus habere imponendi servitia etiam in die Sabbati.* Ob quam Tyrannidem & contumeliosam vocem, tandem tragico casu interiit, sicut *Nicanor* 2. Macc. 15. D. *Doctor Joachimus à Beust, Jureconsultus Sanctissimus & nobilissimus Theologus Postilla sua par. 2. pag. 295.*

CLVII. *In Hectorem, qui nobilitatem emit.*

RAptor es & potor superûm contemtor, & æqui,
Usuraque tuas congeris *Hector* opes.
Scortaris, dirum maledicis, & omnia juras
Per sacra, præfractus, terribilisque tuis.

Gallica

Gallica prætereà te vexat psora: quid ergo est,
Quòd non nobilibus connumerêre viris?
Cordus lib. 6. Epig. pag. 178.

CLIIX. De *duobus fratribus nobilitate generis præstantibus, qui in lacu quodam, ubi natando sese exercebant, inspectante suo patre, miserabiliter perierunt.*

EST in vicina ERGOVIA Arx ad lacum sita, in qua patrum memoria vir stemmatis, virtute, & religione nobilis, diversatus est, cum grandæva conjuge, & duobus frugi filiis. Præter hos duos, qui jam tum adoleverant, nulli ipsi liberi, res autem familiaris lauta erat. Evenit autem messis tempore, quum servi & ancillulæ in agris abessent, nemo ut domi remaneret præter patrem & matrem-familias, & duos heriles filios. Quum autem his duobus placuisset refrigerandi corporis & exercitii causa in lacu limpido, cœlo sereno sese exercere natãdo: patre heroïco sene è sublimi prospectante: ibi verò alter è duobus natando longius provectus in altum, incidit in quandam voraginem, in qua circumactus & demersus interiit suffocatus. Quòd aqua limpidissima tum esset & Solis splendor clarissimus, cernere pater cum morte luctantem & demum succumbentem in agone filium poterat. Ut autem *nulla ferè calamitas sola est*, alter ut fratri laboranti subveniret, natando propius accedens, ipse quoque patre ista suis oculis minimè siccis spectante demersus, supraq; Germani vix dum extincti corpus jacens, exspiravit. Aderat nemo mortalium, qui periclitantibus succurreret. Pater cùm lacrymis & lamentationi horas duas dedisset, lota facie, absterfis lacrymis, altum corde dolorem nonnihil premens, descendit, & ἐγκύκλια οἰκονομικὰ tractantem conjugem offendit. Aperuerat autem illa arcam ingentem, ut lineamina diu non visa exploraret. Tum

nobilis, Die mihi, ait, *carissima conjunx, qua tandem consolatione tibi utendum censes, si quem intelligas frustra deplorare omnium pretiosissimæ rei jacturam, quæ neq; opibus, nec consilio ullo, nec ullâ cognatorum & amicorum operâ redimi, aut recuperari valeat?* Respondit heroina. *Equidem auctor illi essem, ut suam voluntatem divinæ reverenter subjiciens, moderatè & patienter ferret id, quod mutari non potest.* Tum ille rursum erumpentibus præ dolore lacrymis, lamentabili voce usus, Det, ait, *tibi* DOMINUS JESUS *eam gratiam, qua tibi mihiq; nunc maximè opus est, quando ἀπὸ κοινοῦ nos spectante, duo carissimi filii nostri in lacu submersi interierunt.* Heroina his auditis sensit aliquid humani, quum in deliquium animi prius incidisset, quàm consolatione seipsam erigere posset. D. *Jo. Ja. Grynæus epist. 1. nuncup. Danielis enarrat. præfixa.*

CLIX. *De duobus Italis, hominibus tum nobilibus, tum literatis.*

MEmoria patrum, quum PAULUS III. pontificem ageret, Romæ duo amici viri nobiles & literati de more congressi, ita de statu generis humani conferre cœperunt, ut alter *Heraclitum*, *Democritum* alter, egregiè sanè referrent. Querebatur ille, quòd ambo tum infelici seculo ἀθλιώτατον βίον vivere necesse haberent, quo omnia turbata pessum irent. Atque utinam, ait, nati essemus olim seu Judæis parentibus, patriarcharum tempore, quorum egregia fuit fides erga Deum: seu Græcis parentibus, & in ipsa Græcia, eo tempore, quo Sapientes illi viri floruerunt: seu denique Christianis parentibus, seu Apostolorum seculo, quo maximè viguit non simulata charitas. Alter εὐγενέων lepidè respondit: Enimverò injusta est hæc tua querimonia, quum nullum esse possit. Etenim si Fidem desideras, annon plerique omnes in Romana nostra ecclesia multò plura

& alia

& alia quoque credimus, quàm ulli unquam Patriarchæ crediderint: nec quisquam Romæ facilè reperiatur, qui sese credere negat? Sapientiam & sapientum virorum copiam si fortè requiris, an te fugit Græciam olim tantùm de septenario Sapientum gloriatam: hoc tempore Romæ esse prorsus neminem, qui se stultum esse ac nihil scire fateatur? Denique si etiam amorem exigas, annon vides *Camillos nostros* eo sic ardere, ut malint animarum jacturam facere, quàm castè vivendo amoribus suis nuncium remittere, aut suos *Amasios*, aut etiam suas *Thaides* missas facere, & ablegare? Tum prior ille: Rectè, ait, pronuncias. Mihi verò ista prius in mentem non venerant. *Idem in epistola ad Mittendorfium Theoritum Theol. par. 2. pag. 58.*

CLX. De *Othomaro Luscinio.*

PAtrum nostrorum memoria fuit quidam *Othomarus*, qui *Luscinium* se dici volebat. Ei maledicis quibusdam & insulsis versiculis, nobilem virum D. *Huldrychum ab Hutten* piè hac vita defunctum insectanti, *Philippus Melanchthon* ita respondit:

Quum laceres miseros crudeli carmine manes,
Nomen erit *Vultur*: non *Philomela* tibi.

Idem ibidem pag. 74.

CLXI. *De Rusticis quibusdam Saxonicis.*

IN Saxonica quadam ditione interdictis execrationibus, Agricolæ se familiam sine diris regere non posse conquesti, prætorem orarunt, ut saltem domesticam aliquam (sic enim loquuntur) imprecationem sibi concederet. Qui rogati quam vellent? Pestem inquiunt, quæ blasphemia caret. Tum ille, si ita vultis, inquit, atque necesse est, habetote vobis etiam morbum gallicum, **Habt ihr an der Pestilentz nicht genug/ so habt euch die Frantzosen darzu.** Ancipiti responso, petitione illorum & derisa & approbata. D. *Hier. Wolff. in Com. in Off. Cic. p. 334.*

De

CLXII. De *Peccatore quodam pœnitere nescio.*

QUidam cùm omne vitæ suæ tempus in peccatis contrivisset, in agone mortis constitutus, de pœnitentia tandem aliquando agenda cogitationem suscipit, eamq; sic auspicatur: DEUS *in adjutorium meum intende.* At Diabolus, cui ille perpetuò servierat, his auditis per æra ipsum abripit, ita dictitans: *Quæ (malum) hæc est, Sacordia, nunc demum Vespertinus precibus vacare velle, quum Completorium cantandum sit?* D. Fischerus in Concione de Pœnitentia, quam expositioni VII. Psalmorum pœnitentialium præmisit.

CLXIII. De *Hugone Latimero, Episcopo Vigornienſi.*

LAtimerus aliquando Episcopus Vigornienſis in Anglia, & posteà constantissimus testis & Martyr CHRISTI, cùm vellet Episcopos cohortari ad officium faciendum, inter alia dixit: *Nullum esse in* ANGLIA *diligentiorem Episcopum, quàm* Diabolum. *Illum enim semper docere, monere, instituere, ornare Ecclesiam suam.* Hortatus igitur est, ut, si DEUM audire & sequi nollent, saltem imitarentur Diabolum. Sed ille surdis cecinit. Plerique enim tum Episcopi ita erant comparati, ut nec Diabolum sequi vellent, nec DEUM. D. *Martyr in Comment. 2. Sam 11. pag. 233.*

CLXIV. De D. *Joanne Keiserſb ergio.*

D. *Keiserſberg*, qui fuit Concionator Argentinensis, vir clarus & religiosus, solitus est dicere, se libenter revocare nomen Episcopi ad Etymologiam germanicam, ut sit **Bischoff**/ quasi **bey den Schafen.** Sed non moveri Episcopos, qui nunc sunt, sive græca sive germanica Etymologia, ut facere velint officium suum. Ideo se cogi, ut contrariam etymologiam afferat, ut dicatur **Bischoff** / quasi **beiß die Schaf.** Sic enim magis congruere ad præsentes Episcopos nomen germanicum **Bischoff** / cum qui jam habeant

habeant nomen Episcoporum, non sint vel inspectatores veri Ecclesiarum, vel pastores & curatores ovium, *D. Pezelius Post. Mel. par. 1. pag. 166.*

CLXV. *De Georgio Episcopo Bremensi.*

MEmini fratrem Ducis Henrici Brunsuicensis Georgium Episcopum Mundensem & postea Bremensem (qui erat bonus Princeps & valde beneficus erga pauperes) dicere aliquando: Ego sum factus Episcopus, cùm essem adolescens. Pater meus putabat, satis esse, si haberem ditionem, unde viverem. Non sum adhibitus ad studia, & tamen debeo præesse Ecclesiæ. *Idem ibidem pag. 452.*

CLXVI. *De Davide Episcopo Trajectensi.*

NOn abs re fuerit hoc loco referre, quid acciderit *Davidi Episcopo* quondam *Trajectensi*, Ducis Philippi cognomento Boni filio. Vir erat apprimè doctus, reíque Theologicæ peritus, quod in Nobilibus & illius præsertim ditionis Episcopis prophana ditione onustis, perrarum est. Audierat inter tam multos, qui sacris initiabantur, pauciſſimos esse qui literas scirent. Visum est rem propiùs cognoscere in aula, in quam admittebantur examinandi, jussit sibi poni cathedram, ipse singulis proposuit Quæstiones, pro gradus, quem petebant, dignitate. Hypodiaconis futuris leviores, Diaconis aliquando difficiliores: Presbyteris Theologicas. Quæris eventum? Submovit omnes, exceptis tribus. Qui his rebus præesse solent, existimarunt, ingens Ecclesiæ dedecus futurum esse, si pro trecentis, tres tantum initiarentur. Episcopus, ut erat fœcundo ingenio, respondit: Majus fore dedecus Ecclesiæ, si in eam pro hominibus admitterentur asini, & omnibus asinis stolidiores. Instabant ii, quibus hinc aliquid emolumēti metitur, ut moderaretur sententiam, reputans hoc seculum non gignere *Paulos* aut *Hieronymos*, sed tales recipiendos, quales ea ferret ætas. Perstitit Episcopus, negans

gans, se requirere *Paulos* ac *Hieronymos*, sed asinos pro hominibus non admissurum. Hic confugiendum erat ad extremam machinã. Admota est. Quænam? Si quæ cepisti, inquiunt, visum est pertendere, salaria nobis augeas oportet, alioqui sine his asinis non est, unde vivamus. Hoc ariete dejectus est erectus ille præsulis animus. *Erasmus de Ratione concionandi libr. 1. pag. 118. Sleidanus libr. XI.* Illud vitium, quod à Simone Mago nomen habet, sic obtinuit, & in Ecclesia planè dominatur, ut plerosque nihil pudeat, &c.

CLXVII. De *liberali quodam Superintendente*.

Quare dicitis esse liberalem
Illum, quo nec avarior per urbem,
Nec clarior esse possit ullus?
Sed quid? Dicitur inde liberalis,
Quòd sæpissimè liberat gravatos.
Nam munuscula lætus adferentes
Duro fasce studet levare cunctos.
Qui portant lepores, & ova, carnes,
Pisces, Vasa repleta lacte, poma,
Butyrum quoque, Caseos ovinos,
Lini fasciculos, pecuniamque.
Ab his tollere sarcinas vir ille
Quovis tempore promtus invenitur.
Gallinasque domesticos volucres.
Clausis cruribus anseres ligatos
Pulchrè solvere & expedire novit,
Non est ergo homo liberalis iste
Qui tam plurima liberare novit?

M. Ludovicus Milichius.

Omnium quidem dulcissimum est accipere, inquit, *Seneca*. Contra vero *Augustinus*, in Psalm. 49. Multi in hac vita manducant, quod postea apud inferos digerant.

De

CLXVIII. *De Rustico quodam.*

DEprensum leporem portavit *Rusticus Alcon*,
Obvius huic pagi forte Magister ait.
Sex numera libras edictam perfide mulctam,
Prendisti, quam scis principis esse, feram.
Portaturus eram tibi, mendax rusticus, inquit,
Quamvis cauliculos roserit ille meos.
Non voluit nudis Præfectus credere verbis,
Sed sanctè astricta certior esse fide.
Itum est vicinas rasi pastoris in ædes,
Juret ut hic CHRISTI per sacra verba DEI.
Quæsitusque Euangelii liber omnibus antris,
In tota nullus sed fuit ille domo.
Hic ficto intrantem puerum gravis ore Sacerdos
Corripuit, quis ohe *Biblia* nostra tulit?
Cui puer, hesterno bene potus vespere, nescis?
Fregisti, nostram dum fureres in heram.
Et simul ostensas ibi post cunabula partes
Collegit laceri sedulus alveoli.

Cordus lib. 4. Epig.

CLXIX. *De Consule quodam.*

REnovatur mihi hoc loco Consulis istius L. memoria, qui quidem per omnem suam vitam Sacra *Biblia* non legerat. Quum verò doctissimus quidam ipsius amicus (qui etiamnum in hac vita commoratur) illi Sacrum *Bibliorum* codicem donaret, ab eóque contenderet, ut ne pervolutate eum, atque adeo diuturna nocturnaque manu versare dignaretur, ille se hoc facturum stipulatur. Cæterùm interrogatus Consul aliquanto post tempore, num *Biblia* evolvisset, quemq; ex illorum lectione fructum percepisset? Respondit: Ego verò non putassem isto *Bibliorum* volumine tam lepidos sales contineri. **Ich hette mein Lebetag nit gemeint / daß so gute Schnacken in der Bibel weren.**

CLXX. *In Episcopum illiteratum.*

MAgne pater clamas, Occidit litera: in ore
Hoc tuum, Occidit litera, semper habes.
Cavisti bene tu, ne te ulla occidere possit
Littera: Non ulla est littera nota tibi.
Nec frustra metuis, ne occidat littera, scis, non
Vivificet qui te spiritus, esse tibi.

Morus in Sylva, quæ accessit Regno Papistico Nov. pag. 55.

CLXXI. *De indocto quodam Sacrificulo.*

QUidam Sacrificulus cùm interrogaretur, quid esset *Epiphania*, dixit fuisse mulierem quandam, quæ fuerit nutrix CHRISTI. Putavit esse nomen proprium, ut si nomines *Epiphaniam*. Sed est Appellativum: φαίνω Græcis est ostendo, unde est & φαὸς lumen. Et Epiphania à Divinitate monstrata in Baptismo CHRISTI. D. *Pezelius par. 1. Postil. Mel. pag. 427.*

CLXXII. *De alio quodam indocto prafractoq; Sacrificulo.*

MUmpsimus orabat triginta circiter annos
Indocti quidam Sacrificus generis.
Sumpsimus interea quantumvis esse legendum
Admonitus, tenuit Mumpsimus ille suum.
Sic hodie multi retinent, didicére quod olim,
Nec bona complecti, nec meliora volunt.

Hermannus Buschius.

CLXXIII. *De Sponso quodam.*

QUidam interrogatus apud Germanos à presbytero in ipso copulationis Ecclesiasticæ actu, an puellam sibi acciperet uxorem, cùm Ja deberet respondere, nequiter respondet Jahr / idque tam perplexè, ut astantes non animadverterent imposituram. Posteà deserens malitiosè uxorem, improbè solitus est dicere, se tantum ein Jahr / hoc est unum annum spospondisse, perinde ac si latinè fuisset respondendum

dum *annuo* & veterator dixisset, *annum*. Wigandus, *de conjugio. Cap. de Desponsatione.*

CLXXIV. *De alio quodam sponso.*

DItem pauper anum juvenis sibi duxit, & ipsa
In socii ut cepit mutua jura thori.
Omnes in geniale viros conclave vocavit,
Estque gravi exorsus taliter ore loqui:
Vos chari affines, vos quotquot adestis amici,
Appello testes hac ego nocte meos.
Quòd mendax fuerit conjux, si objecerit olim
Hanc nudis natibus me subiisse domum.
Ac simul has picta redimitas Sindone partes,
Rejectis pronus vestibus exhibuit.

Cordus lib. 5. Epig.

CLXXV. De *Fure quodam.*

COnstitit horrendum furti reus ante tribunal,
Et vinctas tenuit post sua terga manus.
Hunc ubi formosum juvenem paupercula virgo
Cerneret, in socium poscit habere virum.
Ad quam conversus morti modo proximus ille,
Argutum nasum pressaque labra videt.
Moxque assistentem lictorem hortatur, & inquit,
Ad jussam propera, vivere nolo, necem.
Mortuus utilius quia quàm tabesco superstes
Atque brevem malo, quàm sine fine, crucem.

Cordus lib. 4. Epig.

Sunt tria mala macra, Anser: Fœmina: Capra
Non nisi Damonibus, convenit iste cibus.

CLXXVI. *De triginta notis elegantiæ mulierum.*

TRiginta hæc habeat, quæ vult formosa vocari
Fœmina: sic *Helenam* fama fuisse refert.
Alba tria: & totidem *nigra*: & tria *rubra* puella:
Tres habeat *longas* res: totidemque *breves*:
Tres crassas: totidem *graciles*: tria stricta: tot *amplas*
Sint idem huic formæ, sint quoque *parva* tria.

Alba *Cutis*, nivei *dentes*, albíque *capilli*,
Nigri *Oculi*, *Cunnus*, nigra *Supercilia*.
Labra, *Gena* atque *ungues* rubri: sit *Corpore* longa,
Et longi *Crines*, sit quoque longa *Manus*.
Sintque breves *Dentes*, *auris*, *pes*. *Pectora* lata
Et *clunes*, distent ipsa *supercilia*.
Cunnus & *Os* strictum, stringũt ubi cingula stricta.
Sint *Coxæ* & *culus* Vulvaq́, turgidula.
Subtiles *Digiti*, *Crines*, & *labra* puellis,
Parvus sit *nasus*, parva *mamilla*, *caput*.
Cùm nulli aut raræ sint hæc: formosa vocari
Nulla puella potest, rara puella potest.

Franciscus Corniger.

CLXXVII. *De puella quadam & Juvene.*

ASpexit juvenem formosa puella superbum,
Illius in vultu lumina fixa tenens.
Hic ait, in terram potiùs tu dejice ocellos,
Non oculos habeat casta puella vagos.
Imò, ait, hæc magis in terra tu lumina figas,
Ex terra primùm nam tua facta caro est.
Nostri principium fuit ortus costa virilis:
Hanc quæro, & jungi me velit illa sibi.

D. Phil. Mel. lib. 4. Epig.

CLXXVIII. *Cur fœmina citius crescant viris.*

UT lolium segetes crescendo vincit, ut altè
Emicat hortorum carduus inter opes:
Fœmina sic maribus citius consurgit in auras,
Fœmina non ullum ferre parata modum.
Nimirum pravæ crescunt vel ociùs herbæ,
Fœmina quas inter connumeranda fuit.

Schosserus in Epigrammatis.

CLXXIX. *Cur Silenus parum Vini producat.*

CUM pater edomitis rediisset Victor ab Indis,
Quem genuit Semele pulcra, Jovisq; femur.

Dicitur

Dicitur immensum vites plantasse per orbem,
Culturam populos & docuisse novam.
Tigribus has etiam vectus devenit in oras:
Et coluit patriæ ditia rura meæ:
Indeque Mysonum fœcundans arva, subivit
Quam secat innumero vomere Silesus humum.
At senior vectus pigro Silenus asello,
Fertur & ipse tibi Bacche fuisse comes.
Immodico qui dum vini madefactus ab usu,
Lentiùs inceptum continuaret iter.
Lassus & in molli captaret gramine somnum,
Conjunxit vires rustica turba suas.
Vectoremque senis manibus truncavit iniquis
Membraque ferventi turpia coxit aqua.
Atque loco leporis cupidam demisit in alvum,
Simplicitas certè non levis illa fuit.
Quatenus è cœso manavit corpore sanguis,
Sponte sua vites terra rigata dedit.
Noluit ulterius sua crescere munera Bacchus,
Ac subiit fines Marchia culta tuos.
Hac ratione sui sortem fuit ultus alumni,
Unde parum vini Silesia dives habet.
Et quæ ferre famem malè provida turba nequivit,
Cogitur hinc sicco gutture ferre sitim.

Idem ibidem.

CLXXX. *De quadam puella.*

CUM quædam, cur sim barbatus, virgo rogaret,
Hoc, dixi, vultu territus hostis abit.
Tunc illa id falsum tibi vel me teste probabo,
Quæ glabra tuta fui, facta sed hirta petor.

Cordus lib. 9. Epig.

CLXXXI. De *Rustica quadam puella.*

RUstica conscendit noctu fœnile puella,
Hanc sequitur poscens dulcia furta puer.
Ad quem correpto fœni conversa maniplo,
Te miserè feriam, me nisi linquis, ait.

Idem lib. 5. Epig.

CLXXXII. *Monacho conspecto quid faciendum?*

OCcurrente tibi *Monacho* tua pectora signa,
Nam stygium, certum est, semper adesse ferum.
Si niger est *Satanam*, sin albus credito *matrem*
Illius, at mixtum fuscus utrumque refert.

Cordus lib. 10. Epig.

Monachi descriptio.

Tegmina nigra gerit Monachus quoque pectora nigra.
Discere mos illi est: vita, sed est bibere.

Eorundem studia.

Si quæras, quid agant? stertunt, potantque, cacantq;
Ventris in his munus vertitur omne tribus.

CLXXXIII. *De Monachis Franciscanis.*

LIGNIpedes celebrant dum fratres festa Lycæi,
Dum certant plenos evacuare cados.
Certatim socia dum non sine Laide saltant,
Et Veneri laudes ebria turba canunt.
Christiparæ solitos suetam cantare salutem,
Quæ jubet ad socios evocat hora choros.
Incipit ante alios senior, patrióque tenore
Lassatæ Glaphyræ dulcia furta canit.
Ebrius est alius, titubans pede, corpore languens
Dum populum sacræ flumine lustrat aquæ:
In medio officio ructante vomebat ab ore,
Ceu fluvium, hyberna qui nive plenus erat.
Morio lustralem cui proximus eripit urnam,
Et cœcam toto flumine fundit anum.
O anus amissa cœlo dignissima culpa,
Si culpam sacræ copia tollit aquæ.

Stigelius in Sylva quæ Regno Papistico accessit pag. 61.

CLXXXIV. *De Sacrificulo quodam ebrio.*

POntificis quidam non ultimus inter alumnos,
Mystica devota dum sacra voce canit.

Hester-

Hesternæ crapulæ faciente gravedine somnum,
Sopitus positos labitur ante deos.
Excitus a famulo, *prosit si verterit*, inquit,
Inter convivas se ratus esse suos.
Quis vos pontifices famulos neget esse Deorum,
Non alio debet Bacchus honore coli.

Idem ibidem pag. 43.

CLXXXV. De *Alio quodam temulento sacrificio.*

ANTE annos non ita multos accidit, quod dicam. Quidam exorsus apud temulentum Sacerdotem peccata sua confiteri; Ubi sensit hominem altum dormire, surrexit atque abiit interrupto sermone. Hoc digresso successit alter. Cumque rursus obdormivisset, excitavit hominem confitens, non inquit, audis, quæ dico? Ille somno delirus, existimans eundem hunc esse, qui priùs cœperat confiteri, imò probè audio, inquit, dixeras te effregisse scrinium vicini tui, perge cætera dicere. Hoc meminerat ex confessione prioris, velut insigne, tametsi dormitans & semisomnis. At confessor ille exclamavit, negans se unquam fuisse scriniorum perfossorem. Hoc casu, qui successit, rescivit superioris arcanum. Itaque discessit uterque vinctus & pudefactus ob unius temulentiam, *Erasmus de lingua.*

CLXXXVI. *De Legato quodam.*

FErtur de quibusdam civitatibus Imperialibus, voluisse aliquando eas fœdus inter se inire, & conclusisse unanimiter, ut ad deliberationem de fœdere faciendo viri graves & senes adhiberentur, & nullus, qui esset infra annos LX. admitteretur. Accidit autem, ut vel consilio, vel fortuito Legatus quidam juvenis mitteretur, quem, cùm in consessum reliqui admittere nollent, initio interrogarunt, quot annos natus esset, procul enim dubio scire ipsum, unanimi consensu omnium decretum esse, ne ullus senatui

interesset, nisi sexagesimum ætatis annum ad minimum attigisset. Legatus ille respondit, se excessisse dudum annos centum. Quidam hoc responso se irrideri putantes, quidam insanire statuentes, quæsiverunt, quomodo possibile illud esset? ille respondit, se ante paucos annos adhibitum fuisse ad eandem de fœdere confirmando deliberationem, & tum temporis fœdus initum & confirmatum esse ad annos quinquaginta paulò post autem tumultu exorto, illud ruptum & solutum esse. Meminisse verò se, denuò repeti & sanciri confirmationem ad annos XXX. se autẽ etiam horum finem vidisse. Hi igitur anni conjuncti faciunt, LXXX. Et legatus, cùm primum fuisset adhibitus, tricenarium se fuisse ostendit. Hoc responso audito, quidam Seniorum dixit, meritò illum admitti, & verè rectéque ætatem suam demonstrasse, sibi autem imputandum esse dedecus & temeritatis in fœderibus facilè faciendis, & inconstantiæ & levitatis in illis iterum & levi occasione solvendis. Ludere enim plerosque fœderibus & juramentis, ut vetus verbum est, sicuti pueri ludunt astragulis. *Selneccerus in Genesin pag. 401.*

CLXXXVII. De *Legatis quibusdam.*

RECITAVI vobis alhâs historiam, quæ accidit in Ducatu Wirtenbergensi. Eam sæpe audivi ex Doctore juris, viro bono & sapiente, qui ei rei interfuerat. Erant missi a Duce Wirtenbergensi tres ad quendam Principem, apud quem debebant exponere & expedire, quæ habebant in mandatis a suo Domino. Unus erat Eques auratus. Alter Doctor ille, qui mihi ipse hæc enarravit. Tertius senex nobilis non tamen eques auratus. In itinere cœperunt disputare de mandatis Domini sui, quia innotuerant, eis aliquæ circumstantiæ, quæ videbantur requirere

alii-

aliquam mutationem Eques auratus primùm dixit suam sententiam, & ut erat ingeniosus & facundus disputavit, mandata, quæ accepissent, non congruere ad præsentes circumstantias, oportere illa mutari. Secundus cùm esset Doctor, ut ostenderet se quoque non pauciora dicere posse, quam miles dixisset, disputavit pro & contra, non esse discedendum omnino à mandato Domini, & tamen moderandum esse mandatum. Perventum est ad tertium Senem nobilem. Hic audivi, inquit, disputationes vestras, & video rem totam à vobis sapienter cogitatam & disceptatã esse. Sed audite q̃so, quid mihi videatur faciendum esse. Noster Princeps habet tres gradus cõsiliariorum Primus gradus est summorũ, qui pro sua sapientia vident, ubi sit aliquid mutandũ, & habent simul auctoritatem, ut possint defendere eam mutationem, & manere in gratia Principis. Tales sunt Cancellarius noster, & Marschalcus: Secundus gradus est eorum, qui ét sunt sapientes, possunt judicare de reb. & moderari aliquid pro sua sapientia, sed non habẽt auctoritaté mutandi, quia non sunt ita potentes, idcò non facilè audent discedere à mandatis. Talis est in aula nostra præfectus quæstorum, & scriba provincialis, **Renthmeister vnd Landschreiber**. Tertius gradus est illorum, qui neque sapientes neque potentes habentur. Qui sunt primùm asciti ad consilia Principis, non habent auctoritatem magnam. Ideo rectissimum est tales facere quod jussit Princeps, nihil diminuere vel addere mandato, nisi principe conscio Ex isto gradu sumus etiam nos. Ideo exequamur mandata principis, nec quicquam mutemus. Hanc sententiam sequuti sunt reliqui. Talia exempla sunt observanda, ut si qui aliquando accessuri ad Rempublicam, discant distinctionem Legatorum, & assuefaciant se, ut maneant intra metas mandatorũ, quę acceperũt à suis dominis. *Et multo magis ut hi, qui ad mi-*

nisterium ecclesiæ sunt accessuri, discant non sua, non aliena, sed Christi mandata exponere aliis. D. Pezelius Postil. Mel. par. 2. pag. 618.

In bello, qui rem a Duce prohibitam faciebat, aut mandata non servâsset, capite puniebatur, etiamsi res feliciter cessisset, text. *in l. 3. §. in bello. Verb.* In bello, qui rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite punitur, etiamsi res bene gesserit. *D. de re militar.* Francisc. Cremens. *Singul. 151. in. fin. Mandatum* Manlius Torquatus filium è medio sustulit, quòd cum hoste contra præceptum suum dimicâsset, hostemque superâsset: satius esse judicans patrem forti filio, quàm patriam militari disciplina carere, Valer. Max. *lib. 2. cap. 2.* & Titus Livius 1. *decad. lib. 8.* Æneas militibus suis præcepit, ne se absente vel inscio quicquam contra hostem attentarent. *Virgil. lib. 6. Æn.*

Namq; ita discedens præceperat optimus armis
Æneas, si qua interea fortuna fuisset,
Nec struere auderent aciem, nec credere campo
Castra modò & tutos servarent aggere muros.

Parcendum tamen Capitaneo nonnulli rectè existimant, si pro re nata, & ex nova superveniente causa mandato summi Ducis non obtemperaverit, quæ causa ipsum Ducem tempore belli latebat: per textum valdè singularem & mente tenendum *in l. si hominem* 30. D. *Mandat.* ubi procurator generalis potest ex justa causa, quam dominus ignorabat, fines mandati excedere, & mutare ea, quæ sibi à domino specialiter erant cõmissa. Ita tenet Franc. Cremens. *d. singul.* 151. Anton Trigon. *singul.* 32. *num.* 2. Anton. Corset. *in singularib. suis, in Verbo, juramentum.* Alex. *ad Rubric. & ad l.* 1. D. *de offic. ej. cui mandat. est jurisd.* Jas. *in l. non solum §. Morte, num.* 17. *D. de nov. oper. nunciat.* Hæc diligenter pro Legatis, Oratoribus; & Commissariis Principum obser-

vanda

randa sunt, quòd ex causa nova, quę committentem latebat, quandoq; ex tempore, pro re nata limites mandati sui pro utilitate & in rem domini excedere possint, maximè si mandato vel instructioni, ut vocant, generalis illa clausula inserta sit: Reliqua tuæ prudentiæ & discretioni committimus, pro ut hoc exemplis declarat Crem. *de singul.* 151. Et ego quandoq; cum laude in gravissimis causis Legatos Principum feciſſe memini. Tutius tamen est, si tempus & occasio ferant, super nova & incidenti causſa cõmittentem consulere, ne, si res aliter opinione cadat, ipsi Oratores in vitæ, honoris, & bonorum periculum, ob non arcte servatum mandatum, adducantur, cum mandati fines, præsertim in negociis principalibus diligenter custodiendi sint, text. *in l. diligenter. D. Mand. & in l. sed & si pupillus. §. Conditio. D. de Instit. act. cum sim.* & notus est versiculus:

Quis nescit longas Regibus esse manus?

D. Andreas Gail. *1. de pac. publ. cap. 4. num. 26. & seqq.*

Trifariam peccat legatus, si vel non peragit ea, quæ accepit in mandatis, vel obiter aliquid agit, quod commissum non erat, vel alioqui in moribus aliquid ostendit, quod leganti pariat ignominiã, qui tali oratori negocium suum commiserit. *Erasmus de ratione concionandi lib. 1. pag.* 101.

CLXXXVIII. *De alio quodam Legato.*

MEmini etiam, quid acciderit in his terris. *Dux Georgius* miserat Doctorem *Breidenbach*, expediendi certi mandati causa. *Breidenbach* erat homo doctus & ingeniosus & valebat auctoritate apud Principem. Reperit occasiones alias ad negotium conficiendum. Discessit à mandatis Principis, & egit alio modo pro suo arbitrio. Cùm rediisset domum, re bene expedita commemoravit Principi, quomodo negotia omnia re, essent constituta, &

quid ipse, & quomodo egisset. Ibi Princeps Georgius sedit tacens aliquandiu: tandem dixit D. Breidenbach: Vos bene expedivistis, sum contentus hoc tempore, sed nolite hoc facere amplius, ut discedatis à meis mandatis. **Ihr habts wol genug verrichtet/ihr seyt aber meinem Befelch nicht nachkommen / thut mirs nicht mehr** Erat enim severus Princeps, & Doctor ipse inter recitandum illa, quæ egerat, metuens iram Principis, nonnihil trepidabat.

Idem ibidem.

101

CLXXXIX. *De Joanne Eccio.*

ECcius ante annos duodecim in Conventu Augustano petierat Sacerdotiũ, quod tum vacabat Augustæ, cùm ille fortè moreretur eo tempore, qui tenuerat sacerdotium in mensa papali. Erat ibi *Cardinalis Campegius*, **der hat es zuverlehnen.** Eccius accedit Campegium, dicit, domine legate, ego peto mihi dari hoc sacerdotium, quia sustineo labores & sumtus propter Romanam ecclesiam, est æquum mei haberi rationem. Habebitur tui ratio, inquit ille, tu habebis hoc Sacerdotium. Eccius abit, putat interea, neglecta illa Regula, *Vigilantibus jura subveniunt*, putat rem esse certam. Venit postea nobilis *Gumberg*, homo perfectè Curtisanus, quem bene novi, fuit mecum in schola Tubingensi, ille ad Cardinalem attulit 400. aureos. Dixit, domine Cardinalis, peto mihi dari hoc sacerdotium, & donat illi istos 400. flor. Cardinalis inquit, Ego promisi Eccio, ô inquit ille, facilis res est, ego habeo intercessionem Ducum Bavariæ, dicat tua reverendissima Dominatio, te non potuisse illis denegare. Cùm impetrasset consensum, jubet sibi literas componi, & has curat obsignari statim. Redit Eccius post aliquot dies ad Cancellarium, *Lucam Pataŭinum*, qui erat homo industrius & comis, petit ab eo literas. Ille respondet, jam alteri sunt traditæ. **Eccius miratur, annon habeo hanc præben-**

dam

dam inquit? Non. Quomodo accidit? Nescio, potes adire dominum, ego habui mandatum, cui oportuit me morem gerere. Venit ad Cardinalem Eccius, & petit literas. Sed Cardinalis, tu nunc quiescas, inquit, habebitur tui ratio in alia aliqua re. Iste habuit intercessionem Ducis Bavarici, cujus preces non potuimus sustinere. Ille laboravit pro *Gumbergero*. Eccius vehementissimè commotus, venit ad nos, & conquerebatur de sua infelicitate & injuria. **Die Stückiein treiben die** Episcopi **vnd** Canonici, negociantur ut publicani, & helluantur de publicis eleemosynis, **wie in** Epist. Petri **stehet** ὅτι τῶν ἀχάπων. *Idem parte 1. pag. 102.*

CXC. De eodem.

FUit *Eccius* homo supra quàm dici potest gulosus: neque ulli ferè rei seriæ tractandæ aptus atq; idoneus, nisi nonnihil potus. Enimverò audivi ex fide dignis hominibus, quibus magnus olim usus cum ipso intercessit, hunc fuisse illi morem, ut singulis diebus mensuram vini Malvatici integram, jentaculi vice, exhauserit, **Hab alle Tag an statt eines Morgensuppen ein gantz Maß Malvasier außgeschlurckt**. Verè igitur Philippus Melanchthon de eo scribit:

Multa vorans, & multa bibens, mala plurima dicens
Eccius, hac posuit putre cadaver humo.

Et alius quidam:

Qui vini & dapibus ventrem, linguamq; veneno
Pavit, conditus hîc *Eccius* ecce jacet.
Quas habeat sedes animus, ne quære viator,
Huic Deus atq; Animus, venter & esca fuit.

Et Petrus itemq; *Martyr.*

Non hunc Elysii campi, nec tartara condunt,
Hæc loca sunt hominum, *Cantharus* iste fuit.

De

CXCI. *De Castellano & Bigotio.*

DUo sunt in Gallia viri excellenter docti, *Castellanus & Bigotius*. Et quia Castellani disputationes crebrò a Rege audiuntur, hortatur quispiam ex proceribus, ut Bigotius etiam audiatur. Interrogat Rex, in quo doctrinæ genere versetur. Cumq; alii honorifico testimonio eum ornarent, tandem Castellanus, quia augeri ejus opinionem nolebat, interpellans inquit, quid tantopere prædicatis? Est Aristotelicus. Rex interrogat, qualis sit ea descriptiò. Dicam, inquit, Castellanus, Aristoteles ἀειτοπεγπάν affirmat meliorem statum esse, quàm regnum. Hac voce apud Regem sciebat se omnem auctoritatem & Aristoteli, & ejus studiosis detraxisse. Cumque Rex interrogaret, an hoc scripserit Aristoteles, & cæteri id affirmarent, audissetque defendere Bigotium Aristotelicas sententias, delirare Aristotelem, inquit, & negavit se defensorem harum ineptiarum auditurum esse. Facilè Castellanus vicit tali judice. *D. Philippius in Responsione ad Colonienses.*

CXCII. *De moribus aulicorum, seu instructio aulica.*

INstrue me, dominæ quî fiam commodus aulæ,
Et placeant mores Areolane mei.
Illam quandoquidem callere catissimus artem
Diceris: infanti doctus ab ungue puer.
Excute synceram recto cum pectore mentem,
Ingenuumq; tuo prodeat ore nihil.
Indue serviles animos, fictoque favore,
Vel minimis famulis, qua potes arte, place.
Blandus adulator, levis assentator haberi,
Ne pudeat, nullus sit pietatis amor.
Nullis flagitiis, nulloq; offendere fastu,
Indignissima fer; quæq; nefanda proba.
Dissimula, simula, servi bene, sed malè fide,
Deniq; nulla bonus vir tibi dona pete.

Hen

Hen quid ais? cupit hoc sapiens homo vivere pacto,
Cui vel nuda domi rodere crusta licet?

CXCIII. *De egregio quodam aulico.*

QUum inopi alicui atque egeno Pastori confertur frumenti modius aut decem aurei, putant, quòd beaverint ipsum. Interea dantur *Ephestiani* alicui multa millia. Sicut ego memini uni datos esse mille aureos, quòd tanta ejus virtus esset, ut auderet cacare in medio convivio in mensam. *Erat heroicum facinus.* So gehts in mundo. *D. Pezelius par. 3. Postil. Mel. pag. 456.*

CXCIV. *De Sacerdote quodam.*

SUccurrit mihi hoc loco lepida narratiuncula. Quum concionator quidam Papisticus Sermonem in oppido celebri Germaniæ haberet de Missis, quæ fiunt pro defunctis, in nostros invectus, qui eas rejiciunt, dixisse fertur. *Esto non prosint defunctis, tamen nobis prosunt*, intelligens superstites. At plebs intelligens Nobis, hoc est, *Sacrificulis*, ad quorum uberrimum quæstum faciunt, hanc ejus vocem magno risu excepit. D. *Lavaterus in* 11. *cap. proverb. Sol. pag.* 100.

CXCV. *De Theobaldo Thammero.*

PRodi, æternis nunquam finiendorum infernalium ignium crutiatibus desponse destinateque *Apostata Theobalde Thammere*, ac cùm omni tua vita nihil abs te quicquam boni profectum sit, hoc saltem in præsentia nos imperti, ut risum nobis, si quidem potes, commoveas. Inficias ire nequis Apostata, Francofurti te publica pro concione omni asseveratione affirmasse, Christi te Jesu exemplo cruento sanguine manaviisse. Ideoque auditores tuos cohortatus es, ut ædes tuas ingredientes, ipsum lectum cõtemplarentur, si quidem verbis tuis adhibere fidem nollent. Quod quidem cùm illi facerent, nidum te

tuum

tuum probè probéque perminxisse, non oculis tantùm, sed & naribus indicibus deprehendunt. Patefacta hîc est planissimè tua insignis hypocrisis atq; vanitas. Scilicet non putaras *Apostata*, quenquam futurũ, qui quidem fidem tibi derogans, rem ipsam coram inspiceret. Dignus mediusfidius, qui flagris ad necem concidare, quò sanguinem affluentissimè exsudes. Sed novit *Satanas*, qui sunt sui, cui audito te identidem supplicare, *Tibi pater me dedo propeccato magno paululum supplicii satis est patri.*

CXCVI. *De eodem.*

HUic eidem Apostatæ Illustrissimi Cattorum Principis vestiarius, *Christophorus Laufferus Helvetius* egregiè aliquando comam circumtondit, atque adeo fucum fecit. Etenim cùm Francofurti in nundinis jam tum agens ex hospite suo accepisset, *Apostatam* postridie concionaturum esse, hora definita sacram in ædem se contulit, è regionéque Apostatæ consedit. Statim verò ut incarnatus his Diabolus verba facere cœpit, vestiarius cùm chartam atramentumque depromit, tum concionem se etiam literis mandare velle assimulat. Id quidem seriò, atque adeò Landgravii jussu fieri *Apostata* arbitrabatur. Itaque non solùm distinctè, ut excipiomnia possent, sermocinabatur, sed summam etiam curam atque diligentiam adhibebat, ne quod sibi verbum excideret, quo suo sese indicio, tanquam sorex proderet. Duravit hæc concio ad horas prope tres, sic ut fatuum vox ad extremum deficeret. Vestiarius autem tametsi & manum identidem moveret, & atramentum subinde sumeret, & chartam pulvere conspergeret, & denique paginas verteret, verbum tamen nullum, quod quidem ex impuro *Apostata* sacrilegoque ore exiret, literis prodebat.

CXCVII. *De eodem.*

A Concione vestiarium convenit (eo namque familiarissimè olim utebatur) ex eoq; quærit,

satin' salvæ res Hessiæ forent? hisque mox subdit, cedò quæso, quis Hessorum tuorum sermo de me sensusque est? Tum vestiarius, quandoquidem id scire gestis *Thammere* inquit, non committam equidem, ut de eo te cælem. Persuasum autem est plerisque futurum, ut germani tui fratris exemplo longam tandem aliquando literam ex te facias, vel certè *Francisci Spira* vestigiis insistens, extrema in desperatione, execrabilem animam effles. Hæ quidem voces ita *Apostatam* exanimarunt, ut propè corrueret. Tandem verò ad se rediens, hanc in rationem vestiario respondit. Mihi misero cerebrũ excutiunt tua dicta *Vestifitue*, lapides loqueris, eoque valere jusso in pedes se conjecit. Abeunti autem illi *Helvetius* magna voce & bonis lateribus, Christi hoc dictum occinuit. *Qui offenderit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collum ejus, ac demergatur in profundum maris.* Et item illud. *Omnia remittuntur filiis hominum peccata & convitia, quibuscunque convitiati fuerint. At qui convitium dixerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno judicio.*

CXCIIX. *De eodem.*

REcitabo partem Colloquii, quod habuit *Thamerus* cum socero meo piæ memoriæ D. *Erhardo Schneppio*, cui ego ipse interfui. Summa commẽti Thãmeriani hæc fuit: *In ore duorum aut trium testiũ ratũ erit omne verbũ.* Sunt aũt (inquit) tres testes de Deo. Primus est *Creatura*. Alter est nostra *cõscientia* seu *Lex naturæ*. Tertius testis est *Scriptura Prophetica & Apostolica*. Sed lõgè certiores sunt duo priores testes, quã tertius. Quia creatura semper manet eadẽ & sui similis, nec temerè mutatur. Idem n. nũc est ordo corporum mundi, qui fuit ab initio, idem numerus stellarum, eædem leges motuum. De-

inde

inde *Conscientia* semper eodem modo judicat juxta legem Naturæ, approbans recta, & damnans contraria. Quare hi duo testes dicunt immotum & minimè fallax testimonium. Tertius verò testis, qui vocatur *Scriptura Sacra*, est incertus, obscurus, flexiloquus, quem alius huc rapit, alius illuc. Non enim congruunt versiones Bibliorum. Multa aliter legũtur in textu Hebraico, aliter in Chaldaica, aliter in Lutheri Germanica interpretatione.

Ergo summa est incertitudo scripturæ, & per consequens anteferendi sunt duo testes, videlicet *Creatura & conscientia*, ipsi scripturæ. Nihil affingo cuiquam vivo aut mortuo, quia totum Colloquium, cujus feci mentionem, exceptum tum fuit à Notariis. Eò etiam impudentiæ tùm progrediebatur *Thammerus*, ut diceret non per scripturam aut colligi ecclesiam, aut monstrari hominibus iter ad æternam salutem, sed per Creaturam & conscientiã. Huc detorquebat sophisticè dictum Christi Mar. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, id est, (ut ipse interpretabatur) per omnem creaturam. *D. Vict. Strig. lib. Dialect. pag.* 1138.

CXCIX. *Catalogus quorundam pseudoprophetarum nostri temporis, à Joan. G. Arhythmis ex tempore concinnatus.*

CUM videas multos jactare Sophismata stultos,
Quid tumidis verbis furiose *Papista* superbis?
Christicolum fuci postponunt omnia luci,
Eccius atq; Faber, Roffensis, Pighius, Emser,
Nausea, Cochlæus, Ditbergius, & Clithophæus.
Herborn, Sagêrus, Trevir lapicida, Todiscus,
Alphonsus, Mensing, Prierus, Catharinus & Using.
Hochstrat, Servetus, Rex Anglicus, & Sadoletus,
Gropper, Kirspensis - Stephanus quoque Vintonienſis,
Crocus & Alardus, rostro crepitansque Pelargus.

Son-

Sonnius atque Ruard dictus cognomine Stappart,
Alveld, Hoffmeister, Monachus clamosus & ater,
Witzel, Campanus, Schneball, Thanner malè sanus.
Factio prava schedis hæc scripsit plurima fœdis
Ut premeret tristi velamine dogmata *Christi*.

CC. De *Joanne Fabro Episcopo Viennensi.*

IN Conventu Spirensi, qui fuit anno 1529. fortè ad me ex Academia Heidelbergensi *Simon Grynæus* exspaciatus fuerat. Ibi cùm *Fabrum Viennensem Episcopum* audivisset in concione quadam tetros errores defendere, sequitur egredientem ex templo, ac reverenter salutat. Postea narrat se non petulantia aliqua, sed bono studio moveri, ut quædam dicat. Non detrectat *Faber* colloquium. Ibi *GRYNÆVS*, dolere se ait, quòd vir instructus doctrina, & antecellens auctoritate, confirmet errores palàm contumelioso adversus DEUM, & quos constet manifestis testimoniis Antiquitatis ecclesiasticæ refutari posse. Scribit *Irenæus Polycarpum* solitum aures obstruere audientem portentosos errores fanaticorum hominum. Quo te animo, putas, audisset jam *Polycarpus* differentem, quid mus comedat arrodés panem consecratum? Quis non deploret ecclesiæ tenebras? interpellat *Faber*, plura additurum, ac interrogat nomen. Nihil dissimulat hic, sed placidè fatetur se *Grynæum* esse. Erat omnino *Faber*, ut multi norunt, flagitiosè timidus in concressibus doctorum, vel potius erat, ut veteri proverbio dicebatur, *nullus, magnus, malus, piscis*, id est, pavidus, protervus, insidiosus & infans. Quare cùm *Grynæi* eruditionem, eloquentiam, copiam, ardorem animi, præsertim in tali causa metueret, simulat se à Rege vocatum esse, nec esse nunc ocium ad disputationem de re omnium maxima pertexendam, simulat se maximè cupidum esse & amicitiæ *Grynæi*, & colloquii longioris. Et cum sua causa, tum propter rempubli-

cam orare incipit, ut cras ad se redeat, monstrat hospitium, & horam constituit. *Grynæus* seriò hæc dici putans, non gravatim promittit. Relicto igitur *Fabro* ad nos recta accedit. Vix assederat mensæ, (jam enim cœnæ tempus erat) & recitaverat partem Disputationis mihi & aliis, cùm ego assidens ad mensam subitò ex conclavi evocor, hic me, nescio *quis Senex*, singularem gravitatem vultu, oratione, & vestitu præ se ferens, nec quis fuerit unquam rescisscere potui, alloquitur ac narrat, mox adfuturos in hospitio nostro lictores missos jussu Regis, apud quem *Faber Grynæum* accusasset, ad abducendum *Grynæum* in carcerem. Jubet, ut statim ex urbe excedat, ac hortatur ne contemur. Ita dicta salute *Senex* abit. Ego ad sodales redeo, jubeo ut surgant, ac narro quid *Senex* nunciaverit. Mox per publicam plateam deducimus *Grynæum* acceptum in medium agmen, & ad Rhenum pergimus, ubi nos in ripa citeriore tantisper restitimus, donec in alteram ripam *Grynæus* cum suo comite in parva cymba transvectus est. Postea reversi in hospitium intelligimus statim adfuisse lictores, cũ nos exiguo spatio ab ea domo progressi essemus. Quanto autem in periculo futurus fuerit *Grynæus*, si in carcerem abreptus esset, ex *Fabri* sævitia facilè æstimari poterit. Quare judicabimus consilium illud crudele divinitus elusum esse. Et ut affirmare nõ possum, quis fuerit ille *Senex* μυστὴς, ita lictorum ea fuit festinatio, ut nisi ab *Angelis* tectus fuisset *Grynæus*, evadere nõ potuisset. Rem autem ita gestam esse, ut narravi, certum est, ut norunt quidam boni viri adhuc superstites, qui adfuerunt. Agamus igitur gratias Deo, quod nobis custodes Angelos addit, ut eò tranquillioribus animis vocationis officia obeamus. D. *Philippus Melanchthon in explicatione X. capitis Danielis pag.* 80. 81. 82.

In

In eundem.

Nequis fortè putet, si cui *Faber* obvierit iste,
Qui nisi sacrilegas fabricat insidias.
Non est, Lemniacos qui condit & excitat ignes,
Ora tamen similis, cætera dissimilis.
Namque licet tractent ambo fabrilia fabri,
At variant dominis, usibus, arte, loco.
Ille Jovi fulmen parat, hic mendacia *Diti*,
Ille igne, hic fumis, quod facit, aptat opus.
Ille specum colit, hic regalem principis aulam,
Ille DEUS, verùm hic nec DEUS est nec homo.
Ille unam Venerem, multas hic permolit. Illi
Crus claudum: lingua & pectore claudus hic est.
Ille tegit durum squallenti corpus amictu,
Induit hic teneram veste nitente cutem.
Ille fuit præceps in terram trusus olympo,
Hic terra in stygias dejicietur aquas.
Noscitur his signis Fabro Vulcanus ab isto,
Qui nisi sacrilegas fabricat insidias.

Joannes Sapidus.

In eundem.

Mula nec est asinus, nec equus, sed utroque parente.
Contra naturæ jura, modumque venit.
Sic *Faber* ex aula & templo fit nil nisi monstrum,
Quod nihil aut aulæ, aut relligionis habet.
Quin prius est asinus, vel equus, vel denique mula,
Quam *Faber* aulicus, aut relligiosus erit.

Idem.

In eundem.

Tempora quid faciunt? patrem olim CHRISTUS habebat
Fabrum: nunc hostem cæpit habere *Fabrum*.

Idem.

In eundem.

Ὡς ἥφαιστος ἀεὶ κλυτόμητις ἔγειρε γέλωτα
Ἀσβεστόντε πᾶσι, καὶ μέγα χάρμα θεοῖς.
Ὡσαύτως ὁμότεχνος ἐν ἀνθρώποισι πολυφράγμων
Οὗτος μωροσόφων ἔξοχος ὃς φάβης.

Excitat ut risum semper Vulcanus Olympo,
Continuoque refert gaudia magna deis.
Inter mortales sic multa negotia tractans
Et stultè sapiens est Faber egregius.

Erasmus Roterodamus in hunc eundem Matrimonii contemtorem.

Mente cares, si res agitur tibi seria, rursus
Fronte cares, si sic ludis amice Faber.

Eadem historia Carmine elegiaco conscripta à D. Nicolao Selneccero.

Tempus erat quando res Relligionis agendæ
Hîc ubi sunt Nemetum mœnia clara, foret.
Jamque salutiferi post incunabula CHRISTI
Ter centum fuerant addita lustra tribus.
Et bis septenos Phœbus confecerat orbes,
Splendida qui nitidi permeat astra poli.
Hîc aderant quorum pietas nomenque decusque
Ætherei replet solis utramque domum.
Hoc inter fulgente gravis virtute *Philippus*,
De quo, qui bonus est, optima, quaque refert.
Ergo revisendi causa *Grynæus* amicos
Mœnia cum sociis illa viator adit.
En aliquis complens vesano templa boatu
Verba *Faber* demens & sine mente facit.
Arrodens panem sacratum quid comedat mus
Pluribus & nugis corda tenella movet.
Audit eum media fantem *Grynæus* in æde,
Donec sit finem concio nacta suum.
Inde *Fabrum* sequitur, verbis compellat amicis,

Ille

Ille sed ut redeat solo sequente jubet.
Quid fit? adit Regem mendax delator & aulæ
Moribus insidias, vincula dura parat.
Nil metuens structæ *Grynæi* candida fraudis
Simplicitas, ad te, *clare Philippe*, redit.
Et cœna subitò properata voce vocaris
Astantemque vides ipse *Philippe, Senem.*
Hic ait, advenient lictores agmine denso,
Grynæum abducent, si patiare moram.
Vive *Philippe* diu: trepida mox mente *Philippus*
Significat sociis nuncia mœsta *Senis.*
Assurgunt, & *Grynæum* medio agmine ducunt
Sollicitâ, ad Rheni flumina flava, manu.
Hîc aurâ facili ventosque hortante secundos
Ore DEI, tutas cymbula sulcat aquas.
Hospitii repetunt reliqui cùm limina, missam
Percipiunt turbam vix abiisse domo.
Sic fuit elusus *Fabri* divinitus astus,
Angelus ille Senex quàm bene rexit opus!
Sic nos quotidiè servamur, & *Angelus* astat,
Qui nobis tutum sternere novit iter.

CCI. *De insulso quodam Suffraganeo.*

STultus quidam *Suffraganeus* degradabat, ut loquuntur, quendam Sacrificum mox comburendum, ob eam causam, quod Euangelium prædicaverat. Et dicebat se illum ab Ecclesia *Christi* militanti & triumphanti separare. Cui *Martyr* ille prudens & constantissimus respondit. Quid tu mihi triumphantem ac militantem Ecclesiam *Christi* narras? *Nulla me Creatura potest inde avellere.* Atque tu cùm Episcopum agas, frustra tentas contra verbum DEI me à corpore *Christi* recidere. D. *Martyr in explicatione capitis* 1. *ad Corinthios pag.* 60. *editionis posterioris.*

CCII. *De Doctore quodam.*

QUidam Doctor Pragæ forte fortuna in Carbonarium incidit, hujus vice utpote hominis ab omni religione alieni miseratus, quæsivit, ecquid crederet: Huic Carbonarius respondit: Ego verò id credo, quod Ecclesia credit. Itaque Doctor, quid ergo Ecclesia credit? inquit. Ei respondet Carbonarius, quod ego credo. Æterum cùm Doctor hic in agone mortis constitutus jam esset, ita de fide à Satana exagitatus fuit, ut extremis omnino in angustiis versaretur, neque quieto & tranquillo animo esse posset, tantisper, dum fateretur, se idem cũ Carbonario credere. *Lutherus Tomo 2. pag. 215.*

CCIII. *In doctorem quendam bullatum.*

DOctorem te bulla creat, tibi bulla decori est,
Bulla tibi vires, bulla parit titulos.
Sed caveas, ne fortè nimis te bulla perennet,
Bulla homo es, & doctor bulla, quid ergo tumes?
Usque adeo te tollis humo, te fastus obumbrat.
Ut te, quod non es, turpiter esse putes.
Insigne ingenuis fuit olim bulla puellis,
Quum non sis, bullam cur capis, ingenuus?
Scortea sume igitur, quadrant mage scortea: prolem
Libertinorum sic decorato tuam.

C. Roff. in Sylva quæ Regno Papistico accessit pag. 418

Imperitus Legum Doctor.

Dicturus nullam centeno verbere legem,
Non legum es Doctor vane, quid ergo? *Dolor.*

F. And. ibidem.

CCIV. *De indocto quodam Magistrando.*

ANni sunt circiter 11 cùm Marpurgi literarum quidã studiosus, laureæ secundæ consequendæ gratia, certas de auditu theses quasdã disputandas defen-

defendendasq; suscipiebat, illas quidem non in su[a] fabricatas officina, quæ admodū frigebat, sed ex alterius cujusdam eruditi Stoa cùm profectas, tū responsionibus etiam ejus probè munitas. Etsi verò argumenta eorum, qui contradicturi illi erant, omnia jam ante & viderat, & diu multumque ventilârat, ideóque alacri & excelso animo cathedram conscendebat, in spem magnam erectus, nullo se ea negotio refutaturum, tamen cùm pro rostris jam consisteret, ac ingens literatorum esset adolescentium corona circumfusa, cœpit & expallescere, & toto tremere corpore. Itaq; Candidatis cæteris sua jam in ipsum tela ejaculantibus, excipit quidem illorum argumēta atq; assumit, sed minimè omniū refellit, aut diluit, ita quidem, ut magis esset mutus, quàm piscis, ac caput omninò sine lingua. Quòd igitur *Johannes Lentzius Leovardiensis Frisius*, adolescens egregius, & cum Poëta insignis, tum Iuriscōsultus etiā & Philosophus eximius, amicus meus summus & fraternè mihi dilectus, auditorium ingressus esset, ut una cum aliis quibusdam eruditis juvenibus asinum istum rudentem audiret, admiratus pudendam hanc hominis fustigandamque insciti am, commilitonibus suis in aurem insusurrabat: Næ prudenter Candidatus hic noster fecit, quòd de auditu theses sibi disceptandas elegerit. Etenim non respondentis utique, sed audientis personā sustinet, labore atq; molestia solvendi argumenta omni in unum Præsidem devoluta. Quibus quidem verbis tantū ille cæteris risum movit, ut illicò consurgentes exierint, Pythagoréo isto valere jusso.

CCV. *De Nicodemo Frischlino, & literarum quodam studioso Sabaudo.*

PRoponebat in Academia olim Tübingēsi Nicodemus Frischlinus, Theses de Mundo quasdam

Philosophiæ Candidatis publicè disputandas, in quibus & hæc quidem erat. Mundus est duntaxat unus. Hanc Sabaudus quidã, adolescentulus cũ mirè confidens, tum vana etiam eximię alicujus eruditionis persuasione imbutus, præter cæteras deligebat, quam quidem diu multumque disceptando revelleret. Proinde argumentis probè suffarcinatus in palestram literariam provolat, atque rem hoc quidem pacto agere aggreditur. Vestra verò illa thesis, qua mundum astruitis esse tantùm unum, tam est falsa, quàm quæ falsissima. Id quod ego autoritate Domini Iesu, qui est ipsa veritas, ac mentiri utiq; nescius, comprobo, planumque facio. An non enim hæc illius sunt verba? Nónne decem mundi facti sunt? Et si verò Frischlino proclive esset respondere, fallaciam esse æquivocationis, atque hac quidem ratione audaculo isti linguam mox moxque intercludere; ista tamen omissa responsione atque posthabita, ad hanc sibi confugiendum esse putavit, ut diceret: Solutio est plana & quidem ex ipso textu, qui sic se habet: Ubi autem sunt novem? Unde non risus tantùm coortus est multò maximus, sed & Philautus ille à Scholastico cœtu exibilatus fuit atque explosus; ita quidem, ut è vestigio sese subducens fugámq; arripiens, auditorium purgaret, ac plura in ipsum tela ejaculari desisteret.

CCVI. *De Doctore Iohanne Lonicero & M. Iohanne Molitore.*

COntendebat olim Marpurgi Johannes Lonicerus pro publica disputatione, eandem omnino baptismi hodie esse rationem, atque Circumcisionis in veteri fuerit testamẽto. Huic *M. Johannes Molitor* contradicens, hanc in rationẽ argumẽtabatur:

Si eadem esset Baptismi ratio, quæ olim fuit circumcisionis, puellæ tum æquè fuissent circumcisæ, atque nunc baptizantur:

Atqui

Atqui hoc factum non est.

Conficitur ergo, non eandem esse baptismi rationem, atque circumcisionis, sed diversam omnino atque disparem.

Huic respondet Lonicerus: Imò D. Magister circumcidebātur etiam puellæ, sed suo quodam modo, cutello non ferreo, illius responsum impatienter ferens Molitor non sine stomacho exclamavit: Tantámne rem tam negligenter agier? hisque dictis extemplò in Musæum suum se refert, studiosis cæteris effusè cachinnantibus, ac risu propè corruentibus.

CCVII. *De quodam Magistello.*

ADolescens quidam non ita pridem Magister creatus à principe suo per libellum supplicem petebat, ut in scribarum ipsius numerum cooptaretur. Quòd igitur epistola ejus satis esset pro re nata latina atque elegans, & literis insuper pulcrè scitéq; pingeret, Princeps facilè annuit, atque Cancellario mandat, ut ipsi locum aliquem inter scribas suos tribuat. Quamobrem cùm jam primùm ingressus esset dicasterium, Principis Vicarius, cui in mentem veniebat suspicari, libellum istum supplicem ex ipsius officina minimè prodiisse, faciendum sibi putavit, ut & ipsius eruditionis periculum aliquod faceret, & ipsum itemq; sui officii commoneret. Quamobrem ex ipso quærit: quot es annorum? Eo autem respondente, viginti unum, pergit eum rogare, num Magisterii insignibus sit redimitus. Quod ipsum cùm minimè dissimularet, respondit Proprinceps: Bene mehercule non est: Es ist nicht gut/ tacitè innuens, oportere illum majori aliqua eruditione excultum esse, qui quidem Magistri personam sustinere gestiat, posteáq; hominem admonuit, ut ne poculis operam daret, nec furtivis puellarum indulgeret amoribus, sed studiosè ea diligenterque curaret, quæ ipsi deinceps demandarentur. Quod quidem cùm facturum

sese confirmasset, missum ipsum fecit. Scilicet ex primo mox congressu, ac parva collocutione ista satis jam superq; cognorat Proprinceps, vir omni liberali disciplina politissimus, quantos ille haberet in optimarum artium studiis progressus. Incredibile porrò est, quantopere Magistellum hunc cæteri scribæ eo nomine posteà in aula exagitaverint. Quid quæris? aliter profectò nominatus ab aulicis plerisque omnibus non fuit, nisi viginti unum, ita quidem, ut & ipsi Caculæ eo viso vociferarentur Fintunum fintunum. Enimverò valdè peccatur, quòd promiscuè & nullo ferè discrimine Magistri creantur quilibet, nulla nec eruditione nec honestate vitæ commendati, plerique etiam multùm adolescentes, ac propè pueri. Quin autem idipsum fiat interventu pecuniæ, dubitari certè non potest, ac nemo non intelligit.

CCIIX. *Dè Nicodemo Frischlino & quodam Poëtastro studioso Marpurgensi.*

Annis ab hinc duodecim, cũ Nicodemus Frischlinus Poeta atq; Orator celeberrimus, quem honoris causa nomino, Marpurgum venisset, dici meherculè non potest, quantum ei non Academiæ modò illius proceres, sed & studiosi plerique opulentiores omnes honorem habuerint. Etenim prandia illi cœnasque saliarem in modum apparatas certatim præbebant, & honoraria illi non pauca largè effuseq; identidem donabant. Inter cæteros autem scholasticos Saxones quidam adolescentes tum pereruditi, tum verò bene nummati, per id tempus juris civilis scientiæ atque disciplinæ operam istic dabant, qui quidem Ieremiæ Stammi quæstoris, viri & literatissimi, & prudentissimi, & honoratissimi mensa vivebant. Hi quidem hospitem hunc suum uno ore rogabant, ut ne magnificam ipsis lautamque cœnam facere gravaretur. Sibi namque in animo esse D. Frischlinum

linum officii causa ad eam vocare, & prolixè opiparéque accipere. Annuit quàm primum quæstor, idq; haud gravatè, erat quidem homo planè optimus juxta ac humanissimus. Et eo ipso mox die cœnam adjicialem (ut cum Budæo loquar) ornat.

Cæterùm erat in hoc Stammii hospitum numero adolescentulus quispiam, ille quidem minimè indoctus, sed qui ex philautia graviter admodum laboraret, ac plus sanè sibi quam par erat, arrogaret ac tribueret. Hic a convictoribus suis, licet ipsum illi & ætate, & eruditione multùm antecederent, contendit, ut sibi bona ipsorum cum venia D. Frischlinum ad cœnam carmine aliquo festivo, (utor ipsius verbis) invitare liceret. Id quod nullo negotio ab ipsis impetravit. Quamobrem de mensa è vestigio surges, domum, quantum quidem potest, properat, & se totum in literas abdit, et versus nonnullos conficit, & hos memoriæ mandat, posteaque splendidè vestitus pulcreque comtus, ad D. Frischlinum proficiscitur, ut apud hunc quidem Carmen istud suum magna voce & bonis lateribus pronunciet, hoc est, turpiter sese det, deridendumque propinet. Quem ipsum etiam diu satis investigatum in diversorio ad extremum ocrea insignito cum studiosis quibusdam strenuè pergræcantem offendit. Proinde salute dicta versiculos suos recitare occipit, brachio in latus inserto, ac vultu ad severitatem composito. Quid multa? Arrigit quisque aures mox suas: singuli & ora & oculos suos admirabundi in Oratorem hunc novum confestim convertunt conjiciuntque, audire mirum in modum gestientes, ecquid tandem peroraturus esset. Ecce autem tibi, vix aut ne vix quidem verba facere instituit, heu obstupescit miser & obmutescit, adeo quidem, ut plura in medium haud proferret, quàm carminis sui proœmium: Tu Frischline vates. Porrò cùm hæc verba ali quoties, ali-

quoties

quoties autem? imò verò ad ravim usque iteraret, neque ulterius progrederetur, Frischlinus versum hunc, ut mea est opinio, expleturus, has quidem erupit in voces: Tu mihi linge nates. Unde quanti risus, quanti cachinni, quanti denique strepitus extiterint ipsi mecherculè per vos facilè, vel me tacente, existimare potestis. Proinde ORATOR hic noster in pedes mox sese conjecit, explodi se utique, exibilarique ratus, cùm tam effusè illi tam diuque cachinnarentur. In area tamen aliquantisper substitit, animi pendens, vellet ne Frischlinum revisere, atque id quidem pertexere, quod exorsus non ita bene fuerat, an verò domum remeare, suumque negocium per epistolam aliquam agere. Interea hospes virgula plane divina exit. Huic ergo exponit, quamobrem accesserit, acilli cum carmen suum D. Frischlino exhibendum tradit, tum per omnia etiam sacra ipsum rogat, obsecrat atque obtestatur, ut se non solùm D. Frischlino, verùm ipsius etiam convivis excuset, quod obrigescente præter omnem opinionem suam mox lingua, frugi oratoris officio functus haud esset. Hujus enim rei culpam in ipsis illis residere, qui & oculis intentis nimium se aspexissent, & auribus arrectioribus auscultassent. Hanc nimirum esse causam unam, cur aqua sibi hęserit, ac lingua obtorpuerit, officiumque facere suum recusaverit, se alioqui satis esse disertum. Hæc perloquens, incredibile est, quantopere miser toto corpore tum tremuerit, tum æstuaverit. Quocirca hospes hominem consolatus jussit, ut bono animo esset, Frischlinum hac ipsius purgatione facilè acquieturum: posteaque eo dimisso in hypocaustum se recepit, ac Frischlino cum oratoris versiculos exhibuit tum illius etiam excusationem commemoravit. Unde novus mox risus & is quidem multò maximus coortus est. Eo sedato, Frischlinus & oratoris versiculos legit, & hoc elogio cohonestavit.

Enim-

Enimverò concinnum hoc est Poëma ac neutiquam spernendum. Malè mihi sit, si secus loquor, ac sentio. Malam autem pestem autori, cùm quidem, quod bene panxit, ac bene memoriæ infixit, meru quodam servili impeditus in medium proferre nesciverit. Magni meherculè animi Poëtam esse addecet, qui nihil reformidet, nihil extimescat, nullius cujusquam, quantus quantus sit ille, vel conspectu vel autoritate aut perturbetur aut debilitetur, aut frangatur. Quēadmodum enim oculus conturbatus non est probè affectus ad suum officium fungendum: sic conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum.

Tametsi verò Frischlinus cum ipsum D. Quæstorem hospitem, tum hujus etiam convictores, de his omnibus in dubia ista cœna, sui in honorem instituta, pulcrè celaverit, res tamen emanavit ac divulgata postea fuit per alios. Quamobrem infelix Orator nō solùm à suis popularibus, verùm etiam à quibuscunque studiosis aliis mirificè fuit incredibiliterq; exagitatus. Quid quæris? quoties profectò in publicum provolavit, ac duo tresvé facti sunt illi fortè fortuna in publica via congressuvé familiari obvii, toties quidem alter eorum exclamavit: Tu Frischline Vates: alter verò digito in ipsum intento risuque sublato subjecit, Tu mihi linge nates.

Harum igitur ille quotidianarum divexationum injuriarumque pertæsus prorsus ac satur Marpurgū aliquanto post purgavit, Wittenbergamque se contulit. Ubi dubium non est, quin animos nonnihil contraxerit, demiseritque, ac modestiam quidem virtutum omnium pulcerrimam, & adolescentiam cumprimis decentem, colere atque amplecti didicerit.

PCCIX. De *Andrea Colbio, & Petro Pagano.*

PEtro Pagano valdè familiariter utebatur olim Andreas

Andreas Colbius. Etenim illius carmina typis suis describenda subinde accipiebat, & cum ipso quotidiè ferè compotabat. Quo nomine incredibile est, quantopere Colbius sibi placuerit. Quodam autem tempore, cùm porcus illi mactatus esset præpinguis, atque ei & anser, & capus, & gallina, & columbæ suppeterent, & cùm leporem tum pisces etiam ex sententia esset nactus, faciendum sibi omnino putavit, cœnam illi ut dubiam appararet daretque, atque ad hanc quidem ipsum Petrum etiam Nigidium seniorem adhiberet. Proinde hunc quidem coram invitat & sermone vivo, illum verò per epistolam ligato sermonis genere exaratam. Cujusmodi porrò carmen ille fecerit, nunc accipite:

Domine Petre, domine Pagane,
Colbius rogat, velis ut Andreas,
Vesperi quarta mactabimus suem,
Ad se venire.

Hoc accepto carmine Paganus ad horam constitutam comparet, Colbiumque hanc in rationem alloquitur. Me verò hactenus fugit D. Andrea, scribendi te carminis gnarum esse atque peritum. Moriar equidem, ni plurimùm me illud delectaverit. Utinam in hoc literaturæ genere exercuisses te aliquantò diutius, evasisses profectò in Poëtam minimè vulgarem. At maluisti tu scilicet isto abjecto studio laborioso, typographiæ quæstiosissimæ operam dare, eique te tradere arti totum, quod dolendum mehercule est. Hæc bonus Colbius seriò a Pagano dici arbitrabatur, quod is quidem vultum ad severitatem composuit, ac barbam ipsi probè probéque circumtonderet. Interea accedit & Petrus Nigidius, qui itidem Colbii Carmen summis ad cœlum laudibus effert, hoc est, adunco ipsum naso suspendit. Quid multa? cùm uterque jam vino incaluissent, istud Colbii carmen plenis subinde tibiis de-

canta-

cantabant atque modulabantur. Quod Colbius non in sui ludibrium, sed honorem fieri ratus cùm assurgit semper, tum caput aperit, tum arrectis etjam auscultat auribus, tiaram utraque manu perquam religiosè tenens, ac ne minimo quidem suspicionis odore sentiens, sibi illudi, ac pro oblectamento se haberi. Quamobrem cùm ineptum hoc illius Carmen ad ravim jam usque ac plus millies cecinissent, domum sese ad extremum, albicante jam propè die, recipiunt, non modò perquàm hilares, verùm ad ambas etiam usq; aures vino ingurgitati.

CCX. *De VVicelio Episcopi Moguntini fatuo.*

HAbebat Guolphgangus Episcopus & Elector Moguntinus, VVicelium quendam in aula sua, hominem neque latinæ linguæ prorsus ignarum, & per quàm facetum, & fatuum. Hunc adolescens quidam nobili loco natus exagitaturus dixit: Tu verò VViceli Latinæ tibi linguæ peritiam & facultatem, nescio, quam somnias & arrogas, cùm tamen sis asino indoctior, ac vix aut ne vix quidem Æsopum contriveris. Quid? ausim equidem de pecunia vel aureum tecum deponere, exploratum te minimè habere cujus generis sit mater. Huic extemplo & quidem perquam festive respondet VVicelius: Deus bone quid ego audio! Tibíne ego usque adeo indoctus videor, idipsum ut ignorem? Ne verò tibi non planum perspicuumque evadat explicatum mihi idipsum esse, Enajo ego, meam quidem matrem esse generis fœminini, tuam verò generis communis.

Quo quidem festivo & aculeato responso ille cùm adolescentulo huic planè attonito linguam sic intercluſit, ut, quod amplius diceret, haberet planè nihil, cæteri verò, qui audierant, risu propemodum corruerent.

106

CCXI. *De indocto quodam Magistro.*

QUid magis proclive est quam verbo aliquo aut schemate falli? Nuper quidam ex Magistris nostris cùm enarraret ea, quæ de Melchisedec in Genesi prodita sunt. Rex Salem panem ac vinum obtulit, &c. non animadvertens *Salem* loci nomen esse, multa de condimenti vi atque natura disseruit. Imposuit enim bono viro vocum affinitas. Nam olcitantiùs omnia legunt, qui ingenium dicendi artibus non exercuerunt. *D. Philippus in Eloquentiæ encomio.*

CCXII. *De quodam Philauto.*

JUvenis quidam ad miraculum usque, si diis placet, eruditus, literas Græcas ad Lutherum non parum quidem sæpe dabat. Lutherus autem rogabat ipsum, ut ne literas tam eruditas, quasq; parum intelligeret, ad se mitteret. Quum verò ille ejusmodi literas exarare non desisteret, hunc ridiculum versum hebraicis characteribus depictum, epistolæ suæ *Lutherus* inseruit.

Mer Dauid sotis, lis fuden ab do die not ist.

Quòd verò multa vocabula Hebræo non sunt absona, *Græcus* iste de iis explicandis non mediocriter laborat. Ideoque & Hebræos nonnullos consulit, & item Augustam Vindelicorum ad eruditos, qui Comitiis intererant, proficiscitur, ut horum quoq; sententiam de Hebræo isto versiculo expiscetur. Quando autem *Lutherus* jam ante ad eos perscripserat, ut Græculi istius elatique scioli philautiam ultus esset probè iste probeq; exagitatus derisusq; ab illis fuit. D. *Matthæsius concione* 12. *de Luthero habita pag.* 143.

CCXIII. *De Magistris nostris.*

QUamvis sit nostri appellatio vana *Magistri*,
Omni qui vacuum fert ratione caput.
Attamen est *nostro* reverentia danda *Magistro*
Et suus est asinus attribuendus honos.

Felicem

Felicem ô *noſtrum* cui contingit eſſe *Magiſtrum*,
Non tribuit cunctis Laida amare Venus.
Dulce ſonat, Bene veneritis Venerande Magiſter
NOSTER, & in primo docte ſedete loco.
Quòd Scholæ ab ignavo curantur ſæpe *Magiſtro*,
Hoc eſt immundos ſceptra tenere ſues.
Magna *Magiſtrorum* ſolet eſſe ſuperbia *noſtrum*,
Larvas bullati qui ſubiere DEI.
Scilicet indoctis eſt gloria danda *Magiſtris*,
Et ſua blaſphemo laus tribuenda gregi.
Juſſit ALEXANDER ſic declinare *Magiſter*,
Hoc miſerum pueris nomen inane viris.
Per caſus omnes eſt beſtia ſtulta MAGISTER
Inflat quem nudi larva Magiſterii.

V. O. in Sylva quæ Regno Papiſtico
Thomæ Naogeorgi acceſſit pag. 41.

CCXIV. *De inepto quodam Flaciano.*

ANte quinquennium, cùm inſtituta eſſet illa infelix & infauſta Diſputatio, Vinarienſis quidam *Flacianus* in arce proponebat textum de Martha & Maria, inter enarrandum (ut erat ineptus) ſubinde repetebat hæc verba: *Martha tace, tace Martha*, exoremus *Martham*, ut ſileat. Hæc verba poſtea aulici, homines faceti ad hanc ſententiam detorſerunt, ut dicerent, *exoremus* FLACIUM, *ut ſileat*. Sed videmus, inquiunt, nos hæc non poſſe obtinere ullis precibus, ergo rem tentemus alia via. Quod factum eſt. Ejectus eſt tandem ille *Rex*, qui ſomniaverat novum Regnum Anabaptiſticum in Thuringia D. *Strigelius lib. 1. Dialect. 898.*

CCXV. *De alio quodam ejusdem farinæ homine.*

REcitabo junioribus Narrationem, in qua ſi eſt aliquid ruſticitatis, peto mihi veniam dari. Ego cum quodam *Magno Theologo* (ſi dis placet) conferebam de ſtudiis Mathematicis, & inter alia ſuſcipie-

bam patrocinium Astronomiæ, quam ille deridebat ex alto. Cumque usus essem multis argumentis, quibus sentiebat ille se esse victum, tandem erumpebat in hanc vocem, *Non Theologo sed BOVE dignum. Ego*, inquit, *concacarem astra.* Ego dicebam, mi Domine, si vis concacare astra, oportet te altiùs assurgere. Nam hoc in loco non attinges astra. Tum subjiciebat mihi, *tu philippizas, tu nimis es deditus Philosophiæ.* Hæc recito, ut videant juniores, quàm sint inepta multorum judicia, vel potius deliria. Olim in Scholis dicebatur: *De bonis modalibus non gustabit* ASINUS. Sed veriùs dici potest, *de bonis Geometricis & Astronomicis non gustabit* ASINUS, qualis est ille, qui voluit concacare astra. *Idem lib. 4. Dialect. pag. 856.*

CCXVI. De *duobus Cardinalibus.*

Quum Cardinales duo ad Concilium Constantiense proficiscerentur, in quo eodem *Johannes Hussus*, constantissimus ille Christi Martyr exustus fuit, inciderunt in quendam opilionem, qui se lamentis muliebriter lachrymisque dedebat. Itaque ex eo quærunt, quid sit, quamobrem tantam lachrymarum vim profundat. His ille respondet. Equidem bubonem (alii bufonem fuisse contendunt) hic conspicor, quo quidem certè volucre quicquam deformius, aut turpius fieri vix, aut ne vix quidem potest: cùm ego è diverso homo ratione utens, atque adeo ad imaginem DEI conditus sim. Quid igitur opifici illi mundi ædificatoríque DEO, per omnem vitam ne semel quidem de eo gratias egerim, cùm me tamen æquè bubonem seu noctuam creare potuerit atque avem istam, id verò non possum non summis fletibus prosequi. Quo audito *Cardinales* quoque obstupefacti, fatentur neque sibi quidem de eo unquam venisse in mentem, cùm tamen longè majores, utpote amplioribus dignitatibus aucti, de eo

gratias

gratias agendi Deo habuerint occasiones, quàm miser iste opilio. Perhibent etiam alterum ipsorum ita fuisse animo perturbatum, ut de equo continuò delapsus, tandemque ad se rediens, hanc in rationem verba fecerit: O AUGUSTINE *sancte, quàm verè dixisti: Surgunt indocti & ruunt in cœlum, sed nos cum doctrina nostra volutamur in carne & sanguine*. Selneccerus in explicatione Psalmi 119. pag. 151.

CCXVII. *De Cucullatis.*

IN curvicervicum Cucullatorum habet
Grex id subinde in ore, se esse mortuum
Mundo: tamen edit eximiè pecus, bibit
Non pessimè, stertit sepultum crapula.
Operam Veneri dat, & voluptatum assecla
Est omnium: idne est mortuum esse mundo?

Aliter.

Interpretare: Mortui sunt herculè
Mundo *Cucullati*, quòd iners terræ sint onus,
Ad rem utiles nullam, nisi ad scelus & vitium.

Stephanus Doletus.

CCXVIII. *De Iisdem.*

INnumeri indutis hac tempestate *cucullis*,
Se cœlo dignos esse, Deósq; putant.
Sic miseram falsa venantur imagine plebem,
Et sua sub dulci melle venena tegunt.
Sic pia prætextu virtutis pectora fallunt,
Illudunt vulgò, simplicibúsq; nocent.
Quid monstrosius est *Monacho*, qui præter amictum,
Nil aliud veræ relligionis habet?

CCXIX. *De Impostura apud Muretum facta.*

QUid modò seclorum miracula facta priorum
Ridemus? risu sunt nova digna magis.
Si lapides, aurum, argentum, ferrúmq; putarunt
Majores, statuas, lignáq; muta loqui.
Mira quidem, verùm ludibria Dæmonis, ut nos
Arte sua in casses præcipitaret, erant.

Artibus aſt homines hominum luduntur, & illos,
Qui imponunt, ſanctos plebs putat eſſe rudis.
Mureti uncta oleo nuper teſtatur imago
Sacrificûm, mixto ſanguine, tincta manu.
Perſuadet populo fictus ſudare Sacerdos
Effigiem Chriſti: credula turba probat:
Et pene eſt totum res hæc diſperſa per orbem,
Sic crevit falſa credulitate dolus.
MURETUM accurrunt cœci, quò cernere poſſint:
Et muti, ut poſſint libera lingua loqui.
Quid? claudi, ſurdi, ſani, morbóque gravati
Depictæ reddunt plurima vota cruci.
Ille offert veſtes, hic cerea lumina, rarum
Hic linum, à ligno quisque requirit opem.
Lintea dat pauper, togulam pro munere ſervus,
Unctor próque oleo maxima dona rapit.
Fraus abit in vulgus, ſceleris traducitur auctor,
Cogitur ille uncta pro cruce ferre crucem.
Iuſtus Vultejus.

CCXX. De *Diabolo & quodam Metallico.*

FRibergi in Miſnia vera hæc, atque adeo memorabilis hiſtoria accidit. Quum ſingulari Dei Opt. Maximi munere atque conceſſu hîc quoque verbum Dei annunciaretur, *Satanas* ſuos ludos iſtic exercere ſtudens, viſibili ſpecie ad quendam *Metallicum*, adverſa valetudine oppreſſum, acceſſit, è regionéque illius conſidens, poſtulavit, ut omnia per omnem vitam commiſſa flagitia, ordine ſibi recitaret, ſe enim adeſſe, ut literis ea memoriæque conſignaret. *Metallicus* initiò quidem exanimatur, tandem verò animo reſumto, Chriſto ſeſe erigit atque ſuſtentat, itaque reſpondet. Age cùm iſtanc conſignandorum meorum ſcelerum provinciam tua ſponte ſusceperis, non faciam equidem, ut vel minimum eorum tacitus præteream, ſed ingenuè omnia & fatebor, & in ſinum tibi effundam. Hoc unũ autem abs te poſtulo, ut exordii

ordii loco, isti meorum peccatorum futuro elencho hoc elogium præfigas: *Semen mulieris contrivit caput serpentis.* Quo quidem Cacodæmon audito, in pedes se illicò conjecit, isto Catalogo ne inchoato quidem tantùm abest, ut perfecto atque absoluto, incredibilique fœtore bono isti viro valedixit. *D. Christophorus Fischerus concione 16. super Psalmum. 91.*

CCXXI. De *Puero quodam.*

WIttembergæ vivente *Luthero*, puer quidam fertur missus à parentibus ad studia. Huic cùm parentes pecuniam non in manus darent, sed præceptori committerent, & puer tamen nollet pecunia carere, invocat Diabolum, & facto contractu cum Diabolo apparente, obligavit se scripta schedula sanguine suo, quam tradidit Diabolo. Puer habens pecuniam interrogatur sæpius, unde acceperit, & cùm nihil certi extorqueri posset, tandem sæpè & seriò interrogatus, confitetur lachrymans suam impietatem. Hoc opus, hic labor. Puer ducitur ad *Lutherum*, qui convocatis aliis piis viris, audit ex puero, ut res gesta sit. Deinde precibus una factis seriò ad Deum cum puero, cogitur tandem Diabolus reddere schedulam sanguine pueri scriptam. Postea puer institutus, absolutus & ita liberatus est à Dæmonis tyrannide. *Selneccerus in Pædagogia, pag. 273.*

CCXXII. *Rabinorum quædam Fabulæ.*

NOn justè ageretur, si anima sola vel esset beata, vel in pœnis affligeretur, cùm habuerit corpus sibi consociatum, in edendis tam rectis, quam pravis actionibus. Itaq; par est, ut unà cum corpore gaudia vel pœnas experiatur, cùm per illud omnia gesserit. *Rabini* apud Judæos, ut hoc testarentur, fabellam quandam confinxerunt, dicentes, quendam potentem & opulentum hominem paradisum sibi plantasse, nobilissimis arborum generibus, quæ fructus

præstantissimos ferebant. Ne autem deriperetur, apposuisse custodes. Et quoniam ab ipsis etiam custodib. erat cavendum, duos ita factos adhibuit, ut unus perspicuè videret, sed ita claudus, ut nullo modo posset incedere: alter valebat quidem pedibus, sed erat cœcus. Cùm abiisset horti Dominus, cœperunt mali custodes inter se consultare de fructibus comedendis. Cœcus ajebat, ego quidem cupio, sed non video. Claudus ajebat, ego verò illos cernò, sed accedere nequeo. Post multa convenerunt, ut cœcus ad terram ipse prosterneret, & super dorsum reciperet claudum, qui cùm videret, manu regebat cœcum. Itaque simul conjuncti ad arbores pervenerunt, & fructibus illis arbitratu suo desiderium expleverunt. Paradisi Dominus redit, & animadvertens damnum datum, custodes increpavit. Claudus excusabat, se non potuisse ad arbores accedere. Cœcus autem dicebat, se non valuisse fructus cernere. Tum herus cognita illorum vafritia atque astutia: Conjunxistis, ait, operas: propterea ego quoque vos rursus conjungam, & una plectam. Alligavit igitur rursus eos, & cædendo & percutiendo utrumque simul punivit. Ita inquiunt, in homine res habet. Animus quidem cognoscit, intelligit & sapit, verùm externa per se non potest obire opera. Corpus verò per se est stupidum, nec sapit, quod tamen ab animo cùm impellitur & movetur, idoneum instrumentum est actionũ externarum. Quod cùm ita sit, ratio postulat & justitia, ut post mortem conjungantur denuò ad perferendas pœnas & præmia. D. *Martyr 4. Reg. 4. pag. 215.*

CCXXIII. *Alia Fabella.*

OLim fabula quædam excogitata fuit, quòd Judęus quidam ex tribu *Dan* nascendúsq; in Babylone, appetente judicii die, futurus sit Antichristus. Ita homines vero Antichristo videlicet Pontifice Romano, præterito, alium expectarunt. Veluti cùm fur ali-

aliquis in frequentissimo foro clamat, comprehendite furem, interea dum homines circumspectant, per fugam elabitur. *D. Lavaterus in expl. Proverb. Sal cap. 9. pag. 80. editionis prioris.*

CCXXIV. *Fabula Iudaica de tempore Messiæ.*

IN libro Sanhedrim fabulantur Judæi, tempore Messiæ terram promissam producturam panes coctos & formatos, ac si essent in clibano percocti, & eandem terram promissam germinaturam & producturam tempore Messiæ vestes sericeas ad cujusq; hominis voluntatem & necessitatem (**Diß geschicht im Schlauraffen Land / nit in dem Gelobten Land**) & quia hæc nondum ita evenerunt, colligunt nondum venisse Messiam. D. *Georg. Major Tom. 1 pag 965.*

CCXXV. *De divite Sacrificio moriente.*

NUNCIUS horrendum jamjam properabit ad orcum,
Quo tibi non ullus certior esse potest.
Si quid habes scelerum Stygio mandare tyranno,
Hoc age rem, fidus crede minister erit.
Ast opus est alio, tibi qui mandata reportet,
Hic semel hoc mensus, non remeabit iter.

Ioannes Sapidus.

CCXXVI. *De Ioanne Tezelio indulgentiarum nundinatore.*

QUum Tezelius in Missia publica pro concione de indulgentiis verba faceret, perquam magnificè pollicitus fuit, se à prandio peculiares quasdam atq; adeo raras Sanctorum reliquias auditoribus suis ostensurum esse, pennam nimirum D. Archangeli Michaëlis, quam ei capitalis ille humani generis hostis Diabolus, eo in prælio, cujus *Joannes* Apoc. 12. mentionem facit, evulserit. Hoc tam splendidum ipsius luculendumque mendacium ejus loci ludimagistri observant. Itaq; cùm & ipsi cum pastore prandaret, Tezeliusq; thecam suam, in qua pennam

istam asservari dicebat, incautiùs juxta fenestram collocasset, pennam ei clanculum inde auferunt, ac carbones aliquot ejus loco substituunt. Cæterùm cùm Tecelius, bene jam potus, reliquiisque sufarcinatus, suggestum iterum conscendisset, easque summis non dico laudibus, sed mendaciis ornasset, capsulam ad extremum aperit, reliquias istas imperitæ multitudini commonstraturus, reperitque non pennam divi Michaëlis Archangeli, sed carbones aliquot supposititios. Ne verò se ipsum turpiter daret, duce Diabolo, qui omnis mendacii pater est, hoc commentum mox invenit, ut diceret: Amici mei putabam equidem me assumsisse thecam illam, in qua divi Michaëlis pennæ asservantur. At mea me fefellit opinio, quod eam arripuerim, in qua quidem continentur carbones, quibus D. Laurentius tostus fuit. Quid tibi cedò quęso de hoc hominis impudentissimi mēdacio videtur? *Joa. Lāg. de beatæ vitæ, fo. 176.*

CCXXVII. *De pube, habitæ pro capillis Divæ Catharinæ.*

IMproba ridiculo genitalem fœmina barbam
Cestidos insignes donat habere comas.
Credulus hic toto circumfert orbe capillos,
Allicitur plebes in nova vota levis.
Conveniunt, orant, & crinibus oscula figunt,
Culta fuit Bromii non ita Verpa patris.
Efficit (hæc fidei vis est) miracula pubes.
O quoties umbram res pietatis habent:
Verius in divis colitur, quod vivit olympo,
Posthabitis terræ, quæ sua, relliquis.
Qui vita superos & moribus exprimit, ille,
Ille colit superos, & colitur superis.

Joannes Sapidus.

CCXXVIII. *De superstitiosis quibusdam mulierculis.*

MEmini, quæ me puero Imagunculis parochiæ nostræ

noſtrę fieri ſolebant. Quum *Stephani* feſtum appropinquabat, ornabantur Carnifices, qui ipſum lapidibus obruebant, cum ſertis, tum monilibus, non minus, quàm ipſe *Stephanus*. Eos dum mulierculæ cernebant ita ornatos, *Stephani ſocios* eſſe exiſtimabant. Itaque ſua cuique candela offerebatur. Quin etiam id fiebat *Diabolo Michaelis*. Idem accidit in *Reliquiis*. Sic confuſa & permixta ſunt in iis omnia, ut Martyris alicujus oſſa haberi nequeant, quin periculũ ſit, ne latronis aut furis, vel etiã aſini, aut equi, aut bovis oſſa adorentur. Annulus D. *Mariæ* aut pecten, aut cingulum adorati non poteſt, quin periculum aliquid ſit, *ne ex mundo ſcorti cujuspiam adoretur*. Calvinus in admonitione de reliquiis.

CCXXIX. *De Sarctore quodam Sacrificula.*

EQuidem à parentibus meis accepi, fuiſſe annis abhinc quinquaginta Hotzfeldæ Sarctorẽ quẽdam hominem admodum cerebroſum, audacem & confidentem, qui quidem cum Sacrificulum quempiam è medio ſuſtuliſſet, & anathematis fulmine percuſſus, & Haſſiam itemque purgare, ſolumque vertere coactus fuit. Itaque Romam profugiens, duos ſe obtruncaſſe ſimulavit, literasque indulgentiarum dari ſibi petiit, quas item numerata pecunia, nullo negotio impetravit. Neq; verò neceſſe habuit *quadragenas* ex vetuſtæ illius regulæ præſcripto, pro peccato iſto ſuo pœnitere aut ſatisfacere. Quum igitur literis iſtis indulgentiarum munitus domum rediret, ſalvoque conductu impetrato, apud ſuos jã tutus extraque omnem periculi aleam verſaretur, gloriabatur hic Stellio, ſe adhuc unum habere in reſiduo, quem morte delere ſibi liceret, quandocunq; vellet: eumq; fore primum quenque, qui ipſum vel torvè aſpiceret, vel aſperè alloqueretur. Eaque re perfecit, ut omnes totius & Bidencapienſis, & Bat-

tembergensis diœceseos Presbyteri eum reformidarent, ac quisque sibi caveret, ne Vitilitigatoris istius iram odiumque adversus se concitarent: non enim tam nebulonem istum, quam literas indulgentiarum, a quibus illum instructum armatumq; esse noverant, metuebant. Ecce tibi, hi verò fructus illi præclari sunt, quos quidem indulgentiæ profundebant. D. *Georgius Nigrinus in historica sua relatione de quadruplici Jubileo, & duobus indulgentiarum generibus. Cap. 14 unde hæc Latina fecimus.*

117
Melanchon
XXV, 778
Varnhagen
Sonnellow,
84

CCXXX. *De Rustico quodam atque Sacerdote.*

NOn procul à Spira fuit quidam *Rusticus*, cui uxor erat mortua. *Sacerdos* venit ad Rusticum, & jussit eum curare, ut uxori suæ *Requies* caneretur. Noluit rusticus, quia, inquit, non opus est; Scio eam esse jam in cœlo. Sacerdos ægrè ferens, ivit in Civitatem ad præfectum, & illum accusavit. Dūriter eum tractavit præfectus primo judicio, quod contra mandatum fecisset. Dixit Rusticus, ego nolui conducere, quia habeo literas papales, & mea uxor fiducia istarum literarum mortua, jam est in cœlo, neque ego debui illas literas falsitatis arguere. *Schwabach* judex tum temporis dixit, vale & sis modestior, & literis tuis noli fines illos transire, quos non debes, quia sic est constitutum. Ita indulgentiæ habuerunt admixta multa mendacia, dixerunt de purgatorio & similibus impostoris. Initio autem Indulgentiæ dictæ fuerunt relaxationes legum seu pœnarum Canonicarum, quæ tamen & ipsæ non fuerunt necessariæ, **Darnach haben sie einen** quæstum **darauff gesetzt/** mutarunt in mercatum. *D. Pezelius par. 4. Postil. Mel. pagina 594.*

CCXXXI. *De Indulgentiis Julii, P. M.*

FRaude capit totum mercator *Julius* orbem,
Vendit enim cœlos, non habet ipse tamen.

Vendè

Vende mihi q̃ habes: nam qui pudor, ut mihi vendas
Ipsum te *Juli* cujus egere vides?
Quin fera centimanos emittat terra Gigantes
Julius expulso vendat & astra Jove.
Donec enim cœlos alius regit, & tonat inde,
Non ego tam magni muneris emptor ero. *Hutten.*

CCXXXII. *De Nobili quodam juvene.*

JUVENIS quidam generosus & nobilis, qui cùm in aula *Caroli* Cæsaris versaretur, indecorè parumq; reverenter atque inhonestè se gessit, siquidem virginis cujusdam, quam deperibat, pudicitiam expugnavit, quod in cœtu confessuq; heroicarum virginum capitale censeri solet, ac morte piandum, tametsi nulla vis illata sit, ac puella tacito quodam consensu non magnoperè repugnare obluctariq́ue videretur. Itaque in carcerem conjectus est, postridiè plectendus capite: nam id rigidè observare solent, ne quis impunè tale quiddam attentare, ac decus aulicum stupro fœdaq́ue libidine contaminare audeat. Quum autem ea nocte tædio ac mœrore conficitur, ex angore mentis conceptaq́; mortis formidine, ita immutatus est, ut sequenti die, quum pro tribunali consisteret, à nemine eorum, quibus cum familiariter vixerat, ne à *Cæsare* quidem agnosci potuerit: adeo illi mortis horror, vitæq́ue desperatio, paucarum horarum spacio colorem vigoremq́ue corporis ademerat, ut omnis species formæq́ue decor & venustas defluxisse appareret, sic, ut supra, quàm credi possit, squalida sit effecta facies, color ex florido luridus & cadaverosus, aspectus horridus, indecora canities, barba situ & squalore fœdaq́; illuvie deformata. *Cæsar* cùm in illum defigit oculos, suppositi tium esse suspicatus, ac fucum sibi factum, explorari jussit, an ipsus is esset, & an ementita aut adulterina canitities, barbaq́ue medicato aliquo liquamine oblita foret, ac delibuta. Quum autem nihil tale subesse animadverteret,

verteret, aspectu viri attonitus atq; obstupefactus, ex vindicta in commiserationem animum deflexit. Itaque satis pœnarum dedisse ratus, culpam illi remisit, ac violatæ ereptæque pudicitiæ crimen condonavit. *Lev. Lem. l.b.2 de Complex. cap.2.*

CCXXXIII. *De Henrico Angliæ Rege ejus nominis* VIII.

HEnricus ejus nominis octavus, quum ad preces quorundam procerum homicidæ cuidam ignovisset, & ille rursus rediisset ad ingenium, & alium quendam occidisset, & rursus iidem proceres sese pro illo deprecatores interponerent, Rex vehementer animo perculsus, *ille* ait, *unum tantum priore interfecit: nam istum posteriorem ego*, inquit, *occidi.* Jussitque, ut de illo primo quoque tempore sumeretur supplicium. *D. Martyr. 2. Reg. 4 pagina. 205.*

CCXXXIV. De *Henrico Imperatore ejus nominis* VII.

SCribitur de Henrico Lucembergensi Imperatore, cùm in Italia esset, & præteriret quandam arcẽ non procul à Bononia. Duo Jurisperiti, qui erãt in ejus Comitatu, alter eorũ de altero quæsivit, an esset Imperatoris arx, quam præteribant? Is affirmavit, quòd omnia essent Imperatoris. Alter negabat dicẽdo, bona esse propriorum dominorum, non Imperatoris. Et cùm aliquandiu contendissent, judicẽ pari consensu & voluntate fecerunt Imperatorem, ea lege, ut qui victus esset, victori solveret equum. Imperator pronunciavit, quod judicavit ex re sua, nempe omnia esse Imperatoris. Tum qui negaret, alteri dedit equum. Unde jocus in vulgum sparsus est: *Iste dixit æquum, sed alter habuit equum.* Idem 3. Reg. 21. pag. 170.

CCXXXV. *De Maximiliano ejus nominis* I.

MAximilianus Imperator, qui esset omniũ, de quib. fando audivimus, liberalissimus, ma-

ximus

ximusque pecuniæ contetor, multos putatur non benè instituisse facilitate hac sua, qui non modò Regni proventus ad se converterant, sed ipsius etiam arcas compilarant. Morem hunc ille habebat, ut ante cœnam manus cùm lavaret, alicui de astantibus detractos annulos traderet servandos, donec detergeretur. Inter hos erat unus, nequaquam contemnendus vir, sed avarior. Is igitur cùm annulos accepisset, quasi re magna & necessaria oblata, interea dum lavabat *Rex*, sæpius discedere, & aliquãto post referre annulos, quasi re confecta: sæpe seriò, tanquam negotiis distracto animo, illorum oblitus. Tandem non animadversum iri furtum sperans, aliquos retinere, neque unquam referre universos. At *Imperator* simulabat se non sensisse. Tũ jam ille annulos retinuit audacius. Quodam tempore cùm manum, ut acciperet ab *Imperatore* lavaturo, porrexisset, retraxit suam ille, atq; abnuit se daturum, sine quidem convitio, cum hoc modo diceret: *Se ante quoque illi annulos dedisse, quos ad eum usque diem nondum retulisset. Quare se amplius fidei illius periculum facere nolle.* Risu autem exorto, & illo erubescẽte, tanquam qui manifestè teneretur, oculosque in terram defigente, *Bonum*, inquit, *Imperator, animum habe. Jam enim aurum & gemmæ vilescunt copia, quã ista India Insula suppeditant, ut confici alii annuli facilè possint, quibus mox paratus, iterum & tu licet accipias.* D. Camerarius in Rhetoricis suis pag. 261.

CCXXXVI. *De eodem.*

MAXIMILIANUS primus habebat Secretarium, quem diligebat propter elegantiam manus. Is imitatus chirographum Imperatoris, bis térve Imperatoris nomine scripserat ad *Jacobum Fuccharum*, & ipse literas obtulerat, postulans aliquot millia aureorum mutuò. *Fuccharus* cum semel atq; iterum dedisset pecuniã, suspicatus est tandem aliquid

quid fraudis subesse. Venit igitur ad Imperatorem, & chirographum ei exhibuit, quod cùm vidisset Imperator: Hæc, inquit, certè *est manus mea, quando verò scripserim, nescio.* Jubet vocari Secretarium, & interrogat eum. Portastine tu hoc meum chirographum Jacobo? Portavi, inquit Secretarius. An ex mandato, inquit Imperator? Tum Secretarius expavescens, & procidens ante genua Imperatoris, petivit veniam. Imperator commotus precibus, remisit illi factum, ac dixit, *abeas, nec revertaris deinceps in mea regna.* D. Pezelius par. 3. Post. Mel. pag. 203.

CCXXXVII. *De Eodem.*

IN aula Maximiliani fuit Comes nobilis & magnus. Ille sedebat aliquando apud Imperatorem in mensa, & quidem vultu tristi sedebat. Rogat Maximilianus, quid tristis esset? Respondit ille, **Ich hab mich an E. M. vergriffen / hab derselben eine gute summ Geldes entwandt.** Si vultis mihi remittere, ego cras ero animosior & fortior. Respondebat Imperator. Ego remittam. Comes postulavit, ut confirmaretur donato diplomate scripto. Maximilianus respondit: **Er wolt jhm einen Trunck drauff bringen.** Accepit igitur cyathum, propinavit, atque ita remisit. *Idem ibidem, pag. 474.*

CCXXXIIX. *De Eodem.*

PATER MAXIMILIANI FRIDERICUS vocavit filium **ein fraw das gütlein.** Erat enim senex admodum rigidus. Miserat *Maximiliano* filio frenam, cùm esset Noribergæ. Fuit patina plena pomorum pulcerrimorum, & additi erant XX. aurei Rhenenses. Cubicularii, quibus erat conjunctum, exhibuerunt munus adolescenti. Venerunt in ejus habitaculum, & meditata oratione dixerunt: Imperator pater vester mittit vobis hoc munus, & precatur vobis felicem annum, & postulat, ut precemini Deum, ut cum vobis, imperio & nobis diu incolumem

mem servet: præterea ut studeatis diligenter. Adolescens, acceptis muneribus, respondit: Oro Deum æternum, ut ipse patrem meum carissimum incolumem servet multos annos, & ei confirmet vires corporis & animæ, & optate ei meo quoq; nomine faustum annum. Accipio autem hoc munus cum debita reverentia, & faciam Deo juvante, quæ mihi præcipit. Assiduè orabo pro ejus incolumitate, & diligenter incumbam studiis. Ista pulcrè dixit, ut fuit Maximilianus natura non tantùm facundus, sed etiam eloquens. Postea cùm essent ibi collocata dona, inspexit pecuniam, & inter commilitones abjecit, & dixit: Ista dividatis inter vos, sed poma nolite attingere. Ego mihi asservari ea volo. Redeunt illi ad patrem. Is interrogat, quid filius agat, qualis fuerit ejus oratio, qui gestus, ut solent patres de omnibus inquirere. Illi recitabant orationem filii bene compositam, & narrabant, quomodo aureos abjecerit inter socios, poma sibi servari jusserit. Ibi pater risit, & dixit. Ego bene scio: **Er wirdt ein straw Gütlein werden** Erit prodigus, non studebit parsimoniæ. *Idem par 2 p. 210.*

CCXXXIX. *De D. Stabio Maximiliani Imperatoris Mathematico.*

QUum proceres olim nonnulli de molestiis aulicis ultrò citroq; agitarent, ac varia conquererentur, subridens piæ memoriæ Cæsaris Maximiliani Mathematicus D. *Stabius*, ait: Qui propiùs illustres heroës sunt, æstu sibi nimio videntur extinguis qui procul vivunt, intolerabili gelu constringi. Etenim in aulas recepti, cupiunt aulica servitute levari; contrà qui privati degunt, noctes atq; dies adlaborant, ut in aulicorum numerum transferantur. Quæ vita aulica mihi similis videtur cordib. aut caveis gallinaceis, in quib. captæ gallinæ vivētes, magis geniali foventur sagina. Sed ut alię liberę nitorē istum vidētes, appetunt tam splendidam vivendi rationem, ita

corta-

cortales miseris adstrictæ conditionibus, in libertatem pristinam gestiunt restitui. Et *Apollonius* olim cum ante regias fores consisteret, videretque homines quosdam tanquam Deos adorari, alios autem supplices venerabundosque coram illis stare, tum ingredientiumque strepitum ingentem animadverteret, dixit. *Hæc negotia videntur balneis rectissime comparari posse.* Nam eos qui extra sunt, video intus ingredi properantes; qui verò intus, cum celeritate egredi animadverto. Ut igitur, qui balneorum æstu incaluerunt, egredi laborant; & gallinę caveis inclusæ liberius vivendi genus exoptant: Ita qui ad ignē aulicum accesserunt, cupiunt retrogredi. Et qui libertatem rem caram æstimant, abhorrent ab aulis, quòd qui utiles sint, & consiliis valentes, molestus inibi atque laboribus infinitis prorsum exhaurian-tur. Qui verò inutiles, omnibus ridiculi circumagantur. Unde natum proverbium. **Wer zu Hoff tüglich ist/den treibt man zu todt / der untüglich ist/der muß ein Narr seyn/**

hoc est.

Consultus jugi consumitur aulicus usu,
Qui stolidus, molli scommaque jocusque choro.

Hadamarius de Institutione principis pag. 143.

CCXL. *De Joanne Manardo.*

Joannes Manardus Ferrariensis in Pannonia Uladislao Rege medendi artem exercuit: eandemque demum in gymnasio Ferrariæ professus, Epistolarū librum edidit, quo magna medentibus & pharmacopolis utilitas paratur: quum terræ frugibus Indicisque præsertim in medicinæ usum adoptatis, obsoleto antiquo nomine, & incerta virium potestate per obscuris eruditam claritatem attulerit. Duxit autē uxorem plane senex, & articulorum dolore distortus, ab ætate formaque florentis juvenis thoro dignam, adeo levi judicio & lethali quidem intemperantia,

rantia, ut maturando funeri suo, aliquantò prosis, quam vitæ cupidior, ab amicis censeretur. Hinc Latomus ita jocatus in illum fuit.

In fovea qui te periturum dixit Aruspex,
Non est mentitus: Conjugis illa fuit.

Paulus Jovius in Elogiis Doctorum virorum pag. 189. Poterat idem Manardus illud Propertii usurpare:

Multi longinquo perière in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.

CCXLI. *De Camillo Querno Archipoeta.*

CAmillus Quernus è Neapoli LEONIS fama excitus, quum non dubiis unquã præmiis, poëtas in honore esse didicisset, in urbem venit, lyram secum afferens, ad quam suæ Alexiados supra viginti millia versuum decãtaret. Arrisere ei statim Academiæ sodales, quòd Appulus præpingui vultu alacer, & prolixè comatus, omninò dignus festa laurea videretur. Itaque solenni exceptum epulo in Insula Tyberis Æsculapio dicata, potantémque sæpè ingenti patera, & totius ingenii opes pulsata lyra proferentem, novo serti genere coronarunt. Id erat ex Pampino, brassica, & lauro eleganter intextum, sic, ut tam falsè quam lepidè, ejus temulentia brassicæ remedio cohibenda notaretur, & ipse publico consensu *Archipoetæ cognomen*, manantibus præ gaudio lacrymis, lætus acciperet, salutaretúrq; itidem cum plausu, hoc repetito sæpe carmine:

Salve Brassicea virens corona
Et lauro, Archipoeta, Pampinóque
Dignus Principis auribus Leonis.

Nec multò post tanto cognomine percelebris productus ad Leone, infinita carmina in torrentis morẽ rotundo ore decantavit: fuitque diu inter instrumẽta eruditæ voluptatis longè gratissimus, quũ cœnã-

te Leone porrectis de manu semesis obsoniis, stans in fenestra vesceretur, & de Principis lagena perpotando, subitanea carmina factitaret, ea demum lege, ut præscripto argumento bina salte carmina ad mensam tributo nomine solverentur, & in pœnã sterili, vel inepto longè dilutissimè foret prębibẽdum. Ab hac autem opulenta hilaríque sagina, vehementer incidit in podagram: sic ut bellissimè ad risum evenerit, cum de se canere jussus, in hunc hexametrum erupisset:

Archipoëta facit versus pro mille poëtis.

Et demum hæsitaret, inexspectatus Princeps, hoc Pentametro perargutè respondit,

Et pro mille alijs Archipoëta bibit.

Tum verò astantibus obortus est risus, & demum multò maximus, quum *Quernus* stupidus & interritus hoc tertium non ineptè carmen induxisset:

Porrige, quod faciat mihi carmina docta falernum.

Idq; Leo repente mutuatus à Vergilio subdiderit:

Hoc etiam enervat debilitatq; pedes.

Mortuo autẽ Leone, profligatisq; Poëtis, Neapolim rediit, ibíque demũ, quum Gallica arma perstreperent, & uti ipse in miseriis perurbanè dicebat, prouno benigno Leone, in multos feros Lupos incidisset, oppressus utraque præduræ egestatis & insanabilis morbi miseria in publica hospitali domo vitæ finem invenit, quum indignatus *Fortunæ acerbitatẽ* præ dolore, ventrem sibi & intima viscera forfice perfoderit. *Idem ibidem.*

CCXLII. *De Clemente Marotto, Poëta Gallo.*

CArdinalis Lotharingus Romam aliquando Põtificis Maximi salutandi causa profecturus, *Clementem Marottum* itineris sibi comitem adjunxit, quo hujus quidem facetiis recreari atq; adeo itineris molestia levari posset Itaq; cùm ad urbem jã diis (quod ajunt) hominibúsque plaudentibus, perve-

nisset,

missset, sanctissimũ mox patrẽ hoc *Clemente Marotto* atq; aliis quibusdam Cardinalibus comitatus, adit. Ecce autem cùm Cerberus triceps, & huic Cardinali, & cæteris itémque impuros pedes osculandos exhiberet, *Marottus* Cardinali hero suo valere jusso, in pedes sese quantum potest, conjicit.

Quod quidem cùm ipsi Antichristo, tum hujus etiam Creaturis perquam sanè admirandum accidit. Itaque actutum quosdam exstipatoribus suis amandat, qui hominem ex fuga retrahant. Revocatur: Pontificíque sistitur. Is quidem ex eo quærit, ecquid repentina ista atque inopinata fuga sibi vellet? Tùm *Marottus* ridẽti ore, verebar equidem Beatissime pater, inquit, ne nõ mihi inutili servo podex tuus suaviandus foret, cùm meos hosce dominos pedibus tuis oscula dare oporteret. Quamobrem & ne mihi ipse deessem, fugam mox moxq; capessere volui. Hoc salso atque adeo arguto respõso, incredibile est, quantos ille cùm Pontifici Maximo, tum purpuratis etiam patribus, risus conscitaverit. Quod si alius quispiã hæc in verba erupisset, capitis sine dubio, tanquam hæreticus atque adeo Sacrosanctæ Sedis contemtor, fuisset condemnatus. *Marottus* autẽ quòd & facie & facetiis esset ridiculus, atque adeo pro *semifatuo* haberetur, impunè hoc tulit.

Vos osculemini (licet) olidos hircos
Pedes Paparum: síque vultis & culum.
Nos filium autem (ut Spiritus jubet sanctus)
Exosculabimur, illiúsque vescemur
Pane, ac bibemus, ille quem dedit, potum.

Naeogorgus lib. 2. adversus Machiam Bredenbachium p. g. 100. circa finem.

Pomponius Lætus in suo compendio Romanarum historiarum ita scribit: Imperatores antea manus exosculandas nobilibus præbebant, post suis manibus sublevabant ad oris osculum. Vul-

gus genua exoſculabatur. Diocletianus edicto ſanxit, uti omnes ſine generis discrimine proſtrati, pedes exoſcularentur, quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis, & margaritis. Quod feciſſe antè Cajum Caligulam memorant, &c. Hæc ille. Poſtea Romani quoque Pontifices, qui, ut illi tyranni divinos honores ſibi haberi volunt, pedes ſuos exoſculandos aliis præbuerunt. Id quod Sibylla Cumana prædixit Sermon. 8.

Ἔσται ἄναξ πολίκρανος, ἔχων πέλας ὄνομα πόντου,
Κόσμον ἐποπτένων, μιαρῷ ποδὶ δῶρα ποιίζων.

Hoc eſt:

Rex erit ſano capite, aut galero, nomen habens vicinum ponto,
Mundum ſpectans, ſcelerato pede munera conferens.

Magni enim muneris loco habere illos oportet, quibus pedes ſuos exoſculandos præbet.

Lavaterus in librum Ruthæ Homilia 6.

CCXLIII. De Paparum creandorum ritu immutato.

Fœmina Petre tua quõdam auſa ſedere cathedra,
Orbi terrarum jura verenda dedit.
Hinc compreſſa quidem multos latuiſſet in annos,
Facta foret partu ni manifeſta novo.
Poſt hæc Roma diu ſimili ſibi cavit ab aſtu,
Pontificum arcanos quærere ſueta ſinus.
Nec poterat quisquam reſerantes æthera claves,
Non exploratis, ſumere, teſticulis.
Cur igitur noſtro mos hic jam tempore ceſſat?
Ante probat ſeſe quilibet eſſe marem.

Joannes Pannonius in Sylva, quæ Regno Papiſtico Naogeorgi acceſſit pag. 37.

Du

CCXLIV. *De Joanne Rodolpho Lavatero Consule Tigurino.*

JOhannes Rodolphus Lavaterus Anno 1524. à Republica noſtra una cũ Jacobo Werdmullero, urbis Quæſtore, ad *Clemẽtem VII.* Pontificem Romanum (de cujus morte extat pervulgatum illud, *Clementem nobis rapuit clementia fati*) ſtipendia debita petendi gratia legatus eſt. In qua legatione cùm illius collega ſuperſtitione adhuc imbutus ad Pontificis pedes proſtratus, ſupplex oſculum pro more illis figeret, & ut idem ipſe faceret, vel propius ſaltem ad Sanctiſſimum patrem accederet, à nonnullis eſſet admonitus, facere id noluit, magnoq; ſibi, quod tam propè ad illum acceſſiſſet, dolori eſſe reſpondit. Horrori namq; illi erat pontificius ille faſtus atque luxus, quum jam DEI beneficio veræ Religionis primordia primoribus, quod ajunt, labris deguſtaſſet. *Clemente* autem illo valde *inclemente* uſi ſunt, qui illos non modò vacuos & re infecta abs ſe dimiſit, verùm etiam duris & aſperis verbis iis exprobravit, quod noſtri *hæreticos* foverent, & eccleſiæ Romanæ contra morem Majorum ſuorum repugnarent. Deinde poſtulavit, ut illis vel ejectis, vel juſto affectis ſupplicio ad eccleſiæ Romanæ gremium redirent. Cui Legati noſtri piè ac fortiter reſponderũt, ſe quoad Religionem, Canonicæ ſcripturæ veteris ac novi Teſtamenti tanquam verò ſolidoque Religionis fundamento inniti, ex quo ſi melius aliquid & verius, quàm nunc credant, illis commonſtrari poſſit, ſe DEO & verbo ejus libentiſsimè obtemperaturos. Quod illorum reſponſum exploſum & irriſum fuit. D. *Joannes Guilielmus Stuckius in præf. Nehemiæ D. Lud. Lavateri præfixa.*

CCVL. *De eodem.*

IDem anno 1521. in Italica illa expeditione ſignifertũ egit. Quum igitur quẽdam ex gregariis militi-

tibus, Rusticum nostratem, prætereuntem gravissimáque in maximis caloribus siti laborantem animadvertisset, ex lagena ipsum sua vini potu liberaliter recreavit. Accidit igitur exacto fere post annis, cùm in Capellana illa clade ac trepidatione *Lavaterus* in fossam quandam, in qua multi alii interierunt, incidisset, nec ipse inde emergendi ulla superesset, ut ille ipse Rusticus, qui in Italia illum vini haustum acceperat, tanti beneficii memor atque gratus, ipsum porrecta manu, in ipso hostium conspectu, cum magno vitæ suæ discrimine ex fossa illa, ac proinde ex ipsius quasi mortis faucibus extraxerit. Quem cùm *Lavaterus* aux tunc non agnovisset, simulatque domum ad Kiburgensem illam præfecturam suam rediit, diligenter statim inquirendum curavit, quis nam is esset, qui eum tanto vitæ periculo liberasset. Quem tandem inventum, & ad se adductum, interrogavit studiosè, quid causæ esset, cur sibi cum tanto vitæ suæ periculo opem tulisset? Quia tu, respondit ille, mihi aliquot antè annis in Italia præ nimia siti de mea vita periclitanti vini potum præbuisti. Idcirco gratiam meritò tibi referre volui. Hoc admiratus *Lavaterus*, eique gratias agens, illum vestis pecuniæq; muneribus affectum, abs se dimisit. *Idem ibidem.*

CCVII. *De Henrico Reuchlino Quæstore Tigurino, D. Ludovici Lavateri Avo materno.*

IS sæpenumerò de Husi & ejus collegæ iniqua injustaque cæde, licet pontificiis adhuc superstitionibus addictus, conqueri atque dicere est solitus, in illa innumerabilium sacerdotum Concilii Constantiensis turba, illos, illos inquam, qui optimi inter illos sanctissimique extitissent, contra jus omne atque fas fuisse combustos. Crebrò quoq; domesticis atq; familiaribus suis dixit, sibi quidem dubium

non

non esse, quin magnis in erroribus atque superstitionibus versentur, sed illos nec cernere se, nec demonstrare certò posse, spem tamen sibi non esse exiguam, fore ut brevi aliquis existeret, qui errores illos mundo patefaciat. Itaq; cùm *Hilarychũ Zuinglium* Anno Domini 1519. primò concionantem, audivisset, incredibili exultans gaudio atque triumphans, Deoque gratias agens, nunc tandem se votì desideriique sui compotem factum esse dixit. Illum enim se audivisse virum, qui proculdubio cùm errores atque superstitiones, tum quæ veræ Religionis & æternæ salutis adipiscendæ via sit atque ratio, verè atque perspicuè sit demonstraturus, & Moysis instar populum Dei ex Ægypto sit eductus, hoc est, Dei ope atque auxilio tristi illo superstitionis jugo sit liberaturus. Quare & ipse conciones illius assiduè attenteque audiebat, & quosvis alios ad idem faciendum magno studio incitabat. *Idem ibidem.*

CCXLVII. *De quodam Anglo.*

IN Anglia quidam bonus homo erat condemnatus ad mortem. Erat Ludimagister Londini. Vesperi amicus aliquis attulit ei assaturam, & cænavit cum eo in conclavi, in quo captivus tenebatur. Cùm attigit carnem ferventem adhuc, læsus fervore, retraxit digitum, postea subridens *Ecce*, inquit, *trepido nunc, cùm tantum assaturam attingo, quid eras erit futurum, cùm ipse assabor?* Tamen postridiè constantissimè & animosissimè mortuus est. Cum Rex illi dixisset, si vellet recantare, velle se ei parcere, & servare eũ incolumem. Ille procũbens in genua egit gratias, & dixit se secundũ Deũ nullius auctoritate pluris facere, quam Regis: sed se non posse Deũ contumelia afficere, & amplexus fasciculum, qui erat signum mortis, dixit, *ô mihi dulcissimas virgas. Mori ego potius malo, quã contra Deũ facere.* Et sic mortuus est in optima cõfessione. Fuit scelestè delatus per calumniam,

& per calumniam palàm oppressus. Monuerat tantùm concionatorem quèdam amicum per scriptũ, nihil publicè docuerat, & ille prodiderat eum. *D. Pe. Zelius Postill. Mel. par. 3. pag. 531.*

CCIIL. *De Puerperâ quadam.*

NAZIANZENUS inquit, *Nihil ita exhilarat heminẽ, ut bona conscientia & bona spes.* Laurentius ligt da/habet bonã conscientiam, & spem vitæ æternę, & obruitur sensus externorum cruciatuũ, lætitia interiori, sicut etiam de Stephano versiculus dicit:

Ibat ovans animus, & spe sua damna levabat.

Sic illo ipso tempore, cum una ex sanctis matronis in carcere parturiens, jam valdè cruciaretur ut puerpera, dixit custos carceris ad eam: Ecce nunc tam impatiens es doloris, quid cras factura es, si ad supplicium duceris: Cui respondit: *Hodie patior tanquam misera mulier, in dolore pertinente ad sexũ meũ, propter peccatum, Cras patiar ut Christiana propter fidem in Christum.* Hæc tanta animi magnitudo inde fuit, quod habebat spem & bonam conscientiam. *Idem ibidem pag. 573.*

CCIL. *De duobus Rusticis.*

INitio controversiarum Lutheri duo Rustici congressi sunt casu, alter sobrius, alter ebrius. Qui sobrius erat, fuit interrogatus ab altero, an sit *Martinista*? respondit se esse Lutheranum. Tum ebrius stringit gladiũ, ægrè ferens quod non sit *Martinista*. Sæpe hoc accidit, ut certamina sint inter aliquos, quæ ipsi non intelligunt, qui inter se digladiantur. Dilabuntur à re ad personas. *Idem ibidem pag. 241.*

CCL. *De inepto quodam Cunctionatore.*

DOctor Martinus explorare aliquando volebat quendam, qui fuerat Monachus, an idoneus esset ad concionandum. Audivit eum paucis aliis adhibitis. Ille, qui concionem habere debebat, incipie-

cipiebat legere textum, *Ego sum pastor bonus*, Ich bin ein guter Hirt / & metu trepidans, tacebat aliquandiu. Post a rursus incipiebat, *Ego sum pastor bonus*, & rursus tacebat. Tertiò repetebat eadem verba, *Ego sum pastor bonus*, nec poterat ulterius legendo progredi. Tum Lutherus dixit ad eum: *Vos non estis bonus pastor*; Ihr seyt nicht ein guter Hirt / sonder ein alber Schaf. *Es ovis seu agnus incogitans.* Idem ibidem pag. 164.

CCLI. De *Eremita quodam.*

EREMITA quispiam, ut tradunt Ecclesiastica ἐξορκιστὴ, ejecit quendam Sathanam potu vini ex Dæmoniaco. Quum enim Eremita in solitudine vitam honestissimam & durissimam ageret, adductus est ad eum Dæmoniacus, quem precibus suis curaret. Dæmoniacus autem postquam Eremitam in prospectu haberet, cœpit horribiliter exclamare: Quid me ducitis ad vini potorem? Acceperat enim Eremita pauxillum vini a proximis suis vicinis, quò imbecillitatem suam sustentaret. Intelligebat autem Sathanam hoc in Dæmoniaco agere, ut usus vini per se impius judicaretur. Quare statim accepto calice & infuso, quod reliquum erat, vino, dixit ad Dæmonem: *Credo in Deum Jesum Christum filium Dei, quod priusquam hunc calicem vini ebibero, tu necesse habeas ex homine migrare.* Quid ergo factum est? Eremita bibit, Satan in Dæmoniaco fremit, sævit, & discedit. *Brentius in Matthæum pag.* 147.

CCLII. *Historia de puella quadam Francofordiensi.*

TOrrida cùm rapidis arderet solibus æstas,
Flavaq; maturis frugibus arva forent.
Virgo sub arborea capiebat fronde quietem,
Cespidis in viride gramine, propter aquas.
Hîc ubi vitiferos allabitur Odera colles,
Fessaq; dum placido membra sopore levat.

Clara quiescenti vox est audita puellæ:
Surge, tibi magnæ, surge, dabuntur opes.
Surgit, & attoliens excusso lumina somno,
Haud procul insignis conspicit ora viri.
Hic ita: Virgo tuum si me dignaris amantem,
Divitiis, dixit, sola fruere meis.
Thesauroſq; tibi magnos tellure recludam,
Illa sub hæc. *Noster, quisquis es*, inquit, *eris*.
Cumq; fidem verbis his astrinxisset amanti
Pristina mutatur forma repente viri.
Grandes igne micant oculi, frons torva minatur
Cornua, semicaper qualia Faunus habet.
Concipit his virgo perterrita mente furorem,
Fertur & humanis sensibus orba domum.
Nunc ea compedibus duris & vincta cathenis
Se stigii gazas promere Ditis ait.
Exhibet argentum custodibus, exhibet aurum,
Dextera signato nec vacat ære manus.
At nisi præripiant aurum, dextramq; prehendant
In sua per buccam viscera condit opes.
Fallor? an, insolito sunt plena quod omnia, luxu,
Admonet hæc auri prodigiosa fames?
Quodq; Dei spreto, mortalia pectora, verbo,
Sola parandarum cura fatigat opum?

Sabinus in Sylvas, quæ Regno Papistico Naogeorgi accessit, pag. 53.

CCLIII. *Historia Spectri Spirensis.*

URbs antiqua jacet celebri contermina Rheno.
Vangionum longè non ea distat humo.
Nescio, qui Nemetes hanc inoluisse feruntur.
Sunt tibi Francorum busta quaterna ducum,
Cæsareis sedes fuit illa cohortibus olim,
Nomen ob id Grajum, Spira vocata, tenet.
Hic humili modicis a stirpe parentibus ortus
Exiguæ quidam Navita puppis erat.

Qui

Qui calamo pisces, linoq; madente solebat
Fallere, jam radios sole tegente suos.
Is dum fortè leves hamos ac retia tractat,
Non procul à ripa lubrice Rhene tua.
Ecce per obscuræ tenebrosa crepuscula noctis
Obtulit ignoti se nova forma viri.
Atro tectus erat Monachum simulante cucullo,
Utq; solent, raso vertice tonsus erat.
Nauta propinquantem consueto more salutans,
Ecquid agis sero tempore noctis? ait.
Ille sub hæc. Adsum longinquis missus ab oris
Nuncius, ipse tua me rogo lintre vehas,
Ut cito transmisso contingam flumine ripam,
Dixerat, assumtum navita lintre tulit.
Jamq; ferè medios cursus nox atra tenebat,
Flexaq; tarda pigri plaustra Bootis erant.
Cùm procul in viridi venientes margine ripæ
Quinq; Cucullatos rursus adesse videt.
Exoptátq; illis Piscator, ut ante, salutem,
Quoq; velint media pergere nocte? rogat.
Ex quibus unus ait: Nos magna pericula cogunt
Obscura tutas carpere nocte vias.
Omnibus invisi sumus, intendatq; nefandum
Sacrificis nobis turba prophana necem.
At te si quis amor tangit, si cura piorum,
Transvehe navigio corpora nostra tuo,
Ut tumidas læti superemus fluminis undas
Néve moraturis impediamur aquis.
Sic æterna tuis fortuna laboribus adsit,
In tua sic multus retia piscis eat.
Annuit; & remo propellens navita cymbam,
Mox jubet adducta scandere puppe ratem.
Sed mihi quis, dixit, solvet mercede laborem?
Alter ad hæc. Nullas, scis, quod habemus opes.
Raraq; percipimus discendi munera vulgo,
Non tamen ingratos nos habiturus eris.

Si nos in ſolido rurſus fortuna locabit,
Præmia pro tanto digna labore feres.
Solverat extremo Piſcator margine navem,
Jamq; ferè medias illa ſecabat aquas.
Sidereas removent ſubeuntia nubila ſtellas,
Præcipiti fertur puppis & icta noto.
Incepere nigris horreſcere fluctibus undæ,
Sævaq; tempeſtas imbribus orta fuit.
Ipſe repentino faſſus pallore timorem
Nauta, Quid hæc, inquit, vult nova cauſa malis?
Nulla tamen pluviæ venturæ ſigna notabam,
Sol ubi flagrantes æquore merſit equos.
Nulla lacus uſquam circumvolitabat hirundo,
Ulla nec eſt oculis ardea viſa meis.
Tum neque luna nigro ſurgebat pallido vultu,
Clarus & occiduo lumine Phœbus erat.
Talia jactanti, diſturbant verba procellæ,
Impediuntq; graves ora loquentis aquæ.
Pene procellosâ ſubverſaq; turbinis ictu
Navis, & inſanis fluctibus hauſta fuit.
Ardua ſublatas tendens ad ſydera palmas
A ſuperis orans navita poſcit opem.
Quid facis? ex monachis ait unus: &, improbe, dixit,
Deſine voce tua ſollicitare Deos:
Moxque gravi tollens immanem pondere contum,
Nauta parum felix quo priùs uſus erat.
Illius hoc humeros pulſataq; terga fatigat,
Cæſus ad extremam dum fuit uſq; necem.
Proditus eſt tandem perverſi Dæmonis aſtus
Detectusq; fuit fraude patente dolus.
Vana receſſerunt in inanes corpora ventos,
Manſit & ingratus nave relictus odor.
Mox quoq; purgato fugerunt nubila cœlo,
Et rediit pulſis aura ſerena notis.

Territus

Territus hoc monstro, gelidum sine sanguine corpus
Tollit, & ad ripam navita puppe redit.
Istic in viridi procumbit languidus herba,
Donec ab Eois sol fuit ortus aquis.
Mane, sub Oceanum pulsis Hyperione stellis
Ducitur à puero prætereunte domum.
Omnia commemorans præsentibus æger amicis
Clausit adhuc illo fata suprema die.
Postera cum croceis fulgens aurora quadrigis
Protulerat roseas ore nitente genas:
Accidit & similis diverso tempore casus:
Acta sed eventu res meliore fuit.
Summa procul radiis feriente cacumina Phœbo
Carpebat solus mane viator iter.
Qui Nemetum postquam digressus finibus esset
Primus ubi positus distat ab urbe lapis.
Adventare nigro tectum velamine currum
Conspicit, hic monachis currus onustus erat.
Ordine quem juncti septem traxêre jugales,
Quarta sed ablato defuit axe rota.
Quique manu flexas auriga tenebat habenas,
Terribili naso conspiciendus erat.
Attonitus curru stat prætereunte viator,
Nec monachos illos, spectra sed esse videt.
Evolat extemplò sublatus ad æthera currus,
Mixtaque cum fumo flamma secuta fuit.
Tristis & infaustum belli mortalibus omen,
Horrida per nubes arma dedêre sonum.
Ille statim rediens, quæ viderat indicat urbi,
Est ea res certa cognita vera fide.
Hæc igitur vobis, alius quos sustinet orbis,
Carminibus duxi significanda meis.
Expositurus eram, si res interprete egeret,
Spectra quid infesti Dæmonis ista velint.

Effera

Effera Germanos agitat discordia Reges,
Proq; Cucullatis impia bella parant.
Hæc ea tempestas, impar hic & ordo rotarum
Hæc & cum fumo lucida flamma fuit
Sed DEUS est nobis orandus, ut arma quiescant,
Ille precaturis mitia fata dabit.

Idem ibidem, pag. 48.

CCLIV. De *quodam Monacho.*

MENTIO cùm fieret, fortuna ut sæpe modestum
Efferat, & faciat dissimilem esse sui:
Et cedent mores rebus plerunq; secundis,
Audivi à doctis hunc ego sæpe jocum.
Ignotis juvenem quendam natalibus ortum,
Ut monachis mos est, vota dedisse DEO.
Hunc submittentem trifti sua lumina vultu,
Non unquam læta fronte fuisse ferunt.
Et quocunq; iret, facie fudisse modesta
Sacras fucata relligione preces.
Cumque foret propter jam morum exempla bonorum
Abbas electus fratribus ille suis.
Tum nimium rebus sublata mente secundis
Mutavit mores protinus ille suos.
Et vultu incedens erecto: prodita tandem
Nequitia est monachi dissimulata pii.
Cumq; rogaretur, quæ mentis causa novatæ?
Talem commemorant mox retulisse jocum.
Frons demissa domus curabat quærere claves,
Lumina cùm crebro fixa teneret humi.
At cùm nunc habeat, se læto incedere vultu,
Quærere jam partas nil opus esse sibi.

Erasmus Eberus ibidem, pag. 59.

CCLV. De *adultera quadam Bohemica.*

IN *Bohemia* mulier quædam opulenta, Satana impulsore, qui nullam non perdendi occasio-

nem

nem captat, ideóque instar Leonis rugientis obambulat, quærens quem devoret, carni suæ frenos sic laxavit, ut viro suo quodam tempore peregrè profecto, cum alio quopiam corpus suum copulare, stupriq; consuetudinem habere non dubitaverit. Proinde gravida facta, filiolo patrem-familias non suo, sed alieno auxit. Qui quidem nothus, ut primùm nuces reliquit, ex ephebisque excessit, cristas mox erigere, majores sibi spiritus sumere, ferocire, atque adeo imperium quoddam atque dominatum in cæteros fratres usurpare & exercere cœpit. Quid quæris? animosi, audacis, alacrisque spurii officium strenuè strenueq; fecit. Ea res matri incredibilem dolorem inussit, sic quidem ut & ipsius adulterium hoc pacto è somno nunc demum excitatum, & ipsa itemq; conscientiæ suæ furiis noctes atque dies miserandum in modum exagitata discruciataq; fuerit. Itaq; marito suo rebus humanis nunc exemto, liberos suos convocat, eosq; multis lacrymis profusis, hanc in rationem affatur: Unus vestrûm, mellitissimi filii mei, illegitimè, proh pudor & dolor, procreatus est. Quod si igitur scire avetis, ecquis ille sit, non verebor equidẽ, eum vobis nominare: Filii inexpectato hoc matris sermone vehementer perculsi & exanimati, diu multúmq; hærent & deliberant, quidnam matri responsuri sint, unoquoq; subverente, ne non ipse fortè spurius ille foret. Ad extremũ tamen placuit hujusmodi responsum ipsi dãdum esse. Suavissima parens, incredibili sanè animi dolore atq; molestia istum tuu, de quodam nostrûm, illegitimo cõgressu prosemina to, sermonem accepimus. At verò quis ille sit, nos quidem scire haud laboramus. Fixum nobis potiùs constitutumq; est, totum hoc negotium Deo committere, & inter nos fraternè amare, quò cuique nostrum sua fama & existimatio sarta tecta pmaneat. Hoc ipsum filiorũ responsum, mœstissimæ matri, afflictissimæ

mæ viduæ perquam jucundum gratumque accidit. Ipsa tamen omnem reliquam ætatem in luctu atq; squalore conficiens, assiduis amantissimisque filiorum suorum consolationibus locum reliquit propè nullum. *Iounnes Gigas XI. Catechetica.*

CCLVI. HISTORIA *de tribus fratribus contendentibus de hereditate paterna.*

SUstulit ex cara Conjunx sibi conjuge quondam
Legitimo, ut credit, pignora terna, thoro.
Litigat effrenius cum conjuge fortè maritus,
Fœmina cui contra talia verba dedit:
Improbe, quid mecum toties mala jurgia nectis?
Intentans etiam verbera sæva mihi?
Quos natos reris proprio tibi corpore ternos,
Est unus tantùm sanguine ritè satus.
Quis suus è ternis gnatus sit, sæpè benignè
Vir rogat, ut Conjux diceret ipsa sibi.
Quod petit, illa negat: moritur post improba Conjux,
Quisque sit incertus filius ipse manet.
Post pater hic hæres moriturus scripsit ut esset
Gnatus, qui proprio sanguine natus erat.
Ipse pater moritur, cœperunt judice coràm
De patriis fratres quærere sæpe bonis.
Contendit verum se gnatum quisque parentis,
Illius atque sibi jure tenere bona.
Nullus erat finis, quoniam certaminis inter
Fratres, nec facilis causa probanda fuit.
Corpus ut effodiant, Judex jubet, atque sagitta,
Cor petat, intenta quilibet arte, patris.
Hunc tore defuncti gnatum hæredemque, sagitta
Proximior cordi cujus acuta stetit.
Judicis hæc sapiens placuit sententia cunctis,
Quæ dirimat fratrum jurgia longa citò.
Effodiunt nuper cari ergo reposta parentis,
Et statuunt jaculis, membra verenda scopum.

Et

Et Venere illicita praváque libidine nati,
Conjiciunt fratres tela nefanda priùs.
Legitimus casto fuerat qui natus amore,
Conjiciat jussus, talia verba dedit.
Absit, ut ingratus dilecti membra parentis
Ipse petam jaculis ossaque sancta mei.
Hoc ego quàm facinus mediter cõmittere, malim
Semper inops patriis his caruisse bonis.
Hac ergo monitus Judex pietate, parentis:
Hic, ait, est gnatus γνήσιος ille patris.
Et pius hic gnatus, cari est hęresque parentis,
Non qui læsistis membra paterna feri.

Lossius in Lun. Sax. pag. 156.

CCLVII. *Historia de pœnis trium falsorum testium contra Narcissum Episcopum Hierosolymitanum.*

Historiam hanc justi prætoris munere fungens,
Est solitus falsis dicere sæpe viris.
Narcissus Solymæ delatus Episcopus urbis
Infami & falso crimine sæpe pius.
Hic tres procidunt, falsum qui crimen iniqui
Testantur, tali conditione, viri.
Primus ait, falsum testor si crimen, ab alto,
Quo subitò exurar, decidat ignis atrox.
Herculeo peream morbo, precor, alter atroci.
Hæc ego si testor crimina falsus, ait.
Tertius his caris, ait, opto privèr ocellis,
Si refero falsus crimina falsa sciens.
Innocuus falsò damnatur Episcopus, Atqui
Perjuros sequitur pœna petita viros.
» Non oculus Domini magnus, qui cuncta tuetur
» In longum pœnas prorogat ille suas.
Sed pœnas subitò perjuris ingerit ultor,
Impia quas statuunt per maledicta sibi.
Sic periit primus flammis ultricibus ustus,
Testis continuò cum pereunte domo.

BIBLIOTHEK
MUSEUM FÜR
VOLKSKUNDE, WIEN

Sic rigidus subitò testis procumbit & alter
Morbo, quem petiit spumeus ipse, sacro.
Tertius ex casu sociorum, numinis iram
Spectans, nec oculos se latuisse Dei.
In medium populi prorumpit, & ordine pandit
Exclamans sceleris stamina terra sui.
Atq; dolens lacrymis oculos noctuq; dieq;,
Defendo facinus, perdidit ipse suos.
Hæc referens dixit, ne quisquam testis iniquus
Innocuo intentet crimina falsa viro.

Idem ibidem, pag. 197.

CCLIIX. *De Henrico Glareano.*

MAGNA fuit olim inter Professores Basilienses controversia, atque animorum suspensio, ecquem publicis in actibus HENRICO GLAREANO locum, jam tum suum in collegium cooptato, attribuerent. Etenim cùm illustris esset poeta Magistrorum in numero minimè omnium videbatur ponendus, sed altiore potius in gradu collocandus. Contrario autem cùm exploratum haberent, doctoralibus eum insignibus redimitum haud esse, neq; inter doctores quidem aliquem ei locum dari oportere arbitrabantur. Itaq; bonus *Loritus*, vel inter Scholasticos delitescere, vel Magistris extremus adhærere cogitur. Tulit id quidem molestissimè, dissimulavit tamen, futurum sperans, ut sibi honestior tandem aliquando assignaretur locus. Verùm posteaquam extenuari spem suam & evanescere vidit, toto ad extremum pectore hanc cogitationem est amplexus, quèadmodum certum aliquem inter professiores, honestumq; locum inveniret. Itaq; cùm nonnulli Doctores creandi jam essent, *asinum* & conducit & conscendit, & eo in gymnasium importatur, & ei deniq; tantisper inhæret, dum actum hunc interturbaret. Id quidem plerisque omnibus perquam admirandum accidebat: nonnullis subverentibus hominem

ex

ex potestate exivisse: quibusdam verò risu prope corruentibus, quoties *asinus* vel ruderet, vel pederet, vel calcitraret: aliis denique existimantibus fieri hoc ab eo, ut doctor audis i tis medium digitum ostenderet, eorumq; hoc pacto insulsitatem perstringeret. Quid multa? cœpit ad extremum ejus scholæ *Rector* ex ipso percontari, quamobrem jumento isto in palestram delatus sit? Ut, respondit ille, certa mihi atq; stabilis sit sedes. Tot enim nunc menses dubii atq; suspensi hæretis, inter *Doctores ne* an verò Magistros constituendus sim. Quamobrem, ut & vobis hunc scrupulum evellam, & mihi itemque ipse non desim, constitui equidem huic deinceps *asino* meo insidere, ex eoque vos disputantes cùm audire, tum etiam redarguere. Quid fit? non *Rector* modò, verùm universus etiam Senatus Scholasticus summo cum opere rogat, ut *asino* isto valere jusso, tum subsellia occupet, tum *Doctoribus*, inter quos suum deinceps locum habiturus esset, assideat. Quod quidem cùm impetrari à *Glareano* haud posset, actum hunc abrumpere, in diemq; posterum rejicere, sunt coacti. Ad quem quidem hercle *Loritus* honorificentissimè in Lycæum introductus, solenniterq; *Doctorum* in subsellia collocatus fuit.

CCLIX. *De Arcadibus & Athenienſibus.*

QUum in prælio contra Persas contentio incidisset inter Arcades & Athenienses, utrà gens prioti loco pugnaret ad Plateas: laudantur Athenienses, quòd in illo communi periculo patriæ maluerint cedere de suo jure, cùm dicerent: Ubicunq; collocati fuerimus, viros fortes nos præbebimus. Sic dixit *Dux Wirtembergenſis* in conventu Principum, cùm disputatio esset de ordine, seu loco Sessionis: *Collocetis me ſanè poſt fornacem, dummodo effigiamus id, ad quod ſumus congregati.* D. Pezelius par. 1. Post. Mel. pag. 334.

CCLX. De *Henrico Lorito Glareano.*

NEscio, quo adverso *Glareani* præposteróque fato acciderit, quòd Pont. Max. Anno 1559. Catalogum Hæreticorum contexente, ipse quoque in hunc relatus sit. Quod quidem ut senecioni huic præter omnem expectationem evenit, ita singulari quoque incredibiliáque dolori fuit. Ideoque Papæ per epistolam factus est supplex, quo isto quidem ex Catalogo deleri, in integrumque restitui, bona ipsi cum venia posset. Ne verò hoc non obtineret, Jovem lapidem juravit, nihil se quicquam adversus sacrosanctam istam sedem, omni in vita tentavisse, multò autem minus in posteritatem aliquid contra eam esse machinaturum *O Miserum Loritum*, quæ res maxima lætitia alios doctissimos homines eadem in navi versantes, affecit, eáne tibi tantum dolorem inurat? Vide ergo, ut ne ex libro vitæ deleare, dum quidem inter hæreticos istos minimè omnium numerari volueris. Nam Christus certè, inquit: *Quem puduerit mei ac meorum sermonum, ejus pudebit filium hominis, quando venerit in gloria sua, & patris, sanctorumq; Angelorum.*

CCLVI. De eodem.

QUi Loritum hunc propius noverunt, ii quidem perhibent, minus eum sapientem fuisse: ita ut non possint non admirari, tantam cum eruditione isto ingenio præditum consequi potuisse. *At Rodolphus Gualtherus* quidem, vir apprimè doctus, affirmare non dubitat, esse *Glareanum* doctissimum omnium stultorum, quos ipse quidem in omni sua vita esset conspicatus, Sagt: **Er hette sein Lebtag keinen gelehrtern Narren gesehen:** Id resciscens *Glareanus*, implacatissimè tulit, eaque re graviter cum *Gualthero* expostulavit, qui inter alia sic ei respondit: Veteres o im diu & multũ sapiente aliquo quæsito, vix semisapientem invenerunt tolerabilẽ. Nunc si

si quem neges esse sapientem, injuria est capitalis. O miseros illos priscos homines, qui tunc sapientem inquirebant, cùm nullus esset. Si in hanc eos ætatem natura reservasset, tam eis diligēter fuisset stultus quærendus, quàm tunc sapiens. Aut si quem sapientem esse negassent, vita eis propter injuriam esset amittenda.

CCLXII. *De eodem.*

HEnrico Lorico Glarona non ignobilis Helvetiorum pagus patria fuit. Quò quidem cùm amicorum visendorum gratia aliquando commearet, Tigurum Helvetiæ metropolim transiit, ibique ad Ensem divertit. Quoniam verò hic quoque necessarios quosdam habebat, adire ad eos collibitum est, ideoque ab hospite petiit, ut togam sibi quandā commodaret. Quòd enim diem totum sub dio cōfeciisset, sua, quæ pluviis madebat, uti non poterat. Hospes igitur ne *Loritum* non omni populo deridēdum propinaret, sibi præter amiculum domesticum quotidianúmque, unicum duntaxat esse caussatus est, idq;, quòd crocei coloris sit, ejus personæ minus fortasse congruere. Verùm *Glareanus* nihil hunc colorem quicquam moratus, tunicam confestim afferri jubet, eáque indutus, in publicum evolat, amicósque invisit. Itaque magnus puerorum grex cum novo isto habitu prolectatus, tum ab ipso etiam hospite instinctus, ingenti cum strepitu atque clamore insequitur, hoc præconióque nobilitat: *Ecce dominum Glareanum, cujus Grammaticam discimus.* Hūc ad modum *Glareanus* à pueris & deductus, & reductus fuit. Sic quidem, ut lippis atque tonsoribus, atque adeò non hominibus tantum, sed & pecudibus ipse innotesceret. Hunc autem honorem hospes ei habendum censuit, partim quod à *Zuinglii* amicitia, quo multos annos familiarissimè usus fuerat, in culinæ Romanæ gratiam transfugisset, partim etiā

quòd propter ipsum illum istic delitescere exoptaret. Erant alioqui ei plures atq; adeo pretiosiores togæ. Quod enim luteam hanc attinet, faciendam sibi eam curarat, cum Juuæ aliquando personam in Comœdia sustineret, ita ut nullus ejus usus, præterquam theatricis in ludis esset. Cæterùm *Glareanum* domum reversum hanc in rationem affatus est, *ex ore infantum & lactentium perfecisti laudem. Quàm pulcrum est digito monstrari & dicier, hic est?* Tantum autem abest, ut hæc quidem hospitis cavillatio *Lutio* stomachum fecerit, ut potius subridens dixerit: ita me, profectò pallium hoc tuũ civitati huic notũ fecit,

Notior ut jam sit canibus non Delia nostris:

ac denique præ se tulerit, sibi non parum quidem sæpe inter eundum venisse in mentem Martialis hoc carmen.

Rideris, multoq; magis traduceris Apher,
Quàm nudus medio si spaciére foro.

CCLXIII. De *Eodem.*

QUo primum tempore novum quoddam calceamentorum genus, quod supra pedem exsecatur, ad pedumque digitos nonnihil cùm fornicatur, tum etiam acuminatur, gestari cœptum est, *Glareanus* vehementissimè in novum hunc habitum Basileæ invectus est. In medio autem Declamationis suæ cursu, de rostris descendit, &, ut ipsi oculis usurpetis, inquit, quam parum hi calcei habiles ad pedem aptiq; sint, ecce nunc aliquantisper inter vos discurram. Quod quidem cùm aggrederetur, calceamina aliquoties de pedibus excutit, ut necesse haberet subsistere eaque redinduere. Cæterùm cùm nunc admodum satis diu inter Scholasticos discurrasset, seque egregiè his deridendum propinasset, suggestum tandem aliquando repetit, orationi vel ineptiis potius suis colophonẽ additurus. At verò cùm nimio opere festinaret, ecce tibi pronus per gradus delabitur, atq;

cùm

cùm os, tum etiam nasum perfringit. Unde studiosis quidem risus multo maximus concitatus est: ipse verò & ringi & quiritari cœpit, imperfectaq; oratione sua, recta falcatis istis atq; lunatis calceis suis, qui jam fixius pedibus ejus adhærebant, ad Chirurgum farciendi oris causa se contulit.

CCLXIV. De *Hermanno Buschio.*

OCCURRIT jam memorabile factum *Hermanni Buschii*, Poetæ, & olim in Marpurgensi Academia professoris celeberrimi, qui, ut audivi ex viris doctis & fide dignis, forte fortuna per forum descendens, magnam turbam civium præteriit, & quia domestico habitu indutus fuit, nemo debitum honorem ei detulit. Quod videns *Buschius*, statim domum reversus est, & deposita veste tenui, toga admodum prælustri se induit, forumq; è vestigio revisit. Ibi tum omnes assurrexerunt, omnes capita retexerunt, omnes reverentiæ signa dederunt. At verò doctus ille vir nihil talia moratus est, sed iterum se domum recepit, & togam pedibus conculcavit, dicens: *Es tu Buschius, vel ego sum?* Vehementer offensus est excellens vir præpostero hominum judicio, quos animadvertebat non homini, sed vesti deferre honorem. *Ludovic. Milich. in Oratione contra immoderatum vestitum.*

COLLECTANEA DE VESTITU.

QUod ad vestes attinet, earum origo fuit post lapsum primorum parentum: ut primùm enim peccarunt, aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, ut *Gen. c. 3.* legitur. Est posteà ibi quoque scriptum est: Deum Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas fecisse, & eos induisse. Cicer *de Oratore*, inquit, vestem primò frigoris depellendi causa repertam fuisse, & postea ad ornatum & dignitatē corporis fuisse adhibitam. Sed Plut. *quæst. 6 Sympos. con. 6.* inquit, *vestes nec calidas nec frigidas esse, & ideo*

Germanos illis contra frigus uti, Æthiopes verò contra æstum. Cùm postea legibus & moribus receptum fuerit, ut secundùm varias personarum qualitates variis vestibus homines uterentur dignitatis ergò: & etiam ut miles à Doctore, Monachus à Laico, plebejus à Senatore discernerentur, istisque notissimis signis indicarentur. Et si unus esset, puta Doctor & miles, in actibus doctoralibus vestes doctorales gestare deberet, & in militaribus militares, per tradita à gloss. *in c. Ecclesiastica 23. dist.* quam sequitur Joh. Andr. *in c. ut quisquis. de vit. & honest. Clem.* & in terminis nostris loquitur Ludovic. Roman. *sing. 33.* Hoc tamen esse intelligendum non de necessitate, sed de libertate: ita ut non cogantur, sed possint pro libitu vestes utriusque dignitatis portare, gloss. *in l. unic. C. de honorator. vehic. lib. 11.* & ibi. Bartol. dicit, licet viris in dignitate constitutis concessum sit, uti carrucis per urbem, non tamen cogũtur, sed volentes ipsis vehiculis uti possunt: & sic, inquit, ibi Bar. de Doctoribus, qui non cogũtur semper gestare insignia Doctoratus, sed possunt, si velint, etjam ubi adest Princeps. Sed ô tempora, ô mores! Per urbem nunc in hujusmodi illustrium virorum sellis trahuntur vilissimæ ac infames pecudes, meretrices, pellices, cinædi, & hoc genus omne. Sed ad vestitum redeamus, in quo non minus peccatur in exuperantia, quàm in defectu. Non enim minus reprehensibiles sunt, qui in hoc nimium exquisitã diligentiam adhibent, ut molles ac vani videantur, quàm qui nimiam negligentiam, ut agrestes & sordidi. In vestitu ergò mediocritas quoq; retinea tur, ut præcipit etiam Cicero *lib. 1. officior.* Quomodo autem & quibus aureatæ & pretiosæ vestes concessæ sint, habetur in tit. *de vestibus holosericis. C. lib. 11.* Advocati quoque coram Judice debent uti vestibus solaribus, & suo officio congruentibus, ut animad-

vertit

vertit etiam Specul. *in titul. de Advocat. §. 2. in princ.* Quia, quemadmodum illos contemnere videmur, coram quibus neglectis vestibus utimur: sic est reverentiæ & honoris indicium ad aliquem elegantissimis vestibus accedere: in domibus enim Regũ sunt, qui mollibus vestiuntur: *Luc. cap. 7.* Et ideo Principes inter se congrediuntur preciosis vestibus induti. Seneca, inquit uxori Neronis: Indue te delicata carissima, non propter te, sed propter honorem imperii: relatus à Spec. *in d. § 2. de advocat.* Et, quod attinet ad advocatos, hoc semper in illis & in omnibus, qui auram popularem aucupantur, fuit observatum: est enim quoddam aucupii genus: nam, quemadmodũ si essent sordido palliolo induti, pauperes à plebe existimarentur, & per consequens indocti: qui enim ex arte sua non lucratur, imperitus est. Sic cùm ex diviti vestitu bene nummati credantur, etiam periti censentur. Verum est enim illud, quod dici solet:

Vir bene vestitus pro vestibus esse peritus,
Creditur à mille, &c.

Et ideo Gell. *lib. cap. 5. noct. Atticar.* inquit, Demosthenem & Hortensium celebres oratores nimio corporis cultu fuisse notatos: sed hoc etiam eos feciſſe dici potest, quia continuò coram Principibus viris & magistratibus versabantur, dum causas agerent. D. Johannes Bonifacius *in Tractat. de furt. §. est. nu. 53. pag. 80. & seqq.*

Quidam me modò *Ruffe* diligenter
Inspectum, velut emtor, aut lanista
Cum vultu, digitoque subnotasset
Tunè es, tunè, ait, ille *Martialis*,
Cujus nequitias jocosque novit,
Aurem qui modò non habet severam.
Subrisi modicè, levique nutu
Me, quem dixerat esse non negavi.

Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi, quia malus sum poeta.
Hoc ne sæpius accidat poetæ,
Mittas *Russe* mihi bonas lacernas.
Martialis lib. 6.

Ipse licet CICERO Stygiis eruptus ab umbris
Viveret in nostris, sicut & ante, plagis.
Eloquioque gravi quamvis se vinceret ipsum
Conderet & scriptis utiliora suis.
Si tamen Assyrio saturatas murice vestes
Rennueret cultus simplicioris amans.
Pro nihilo caderent facundæ munera linguæ,
Et sine vir justo tantus honore foret.
Scriberet Andinus si nostro tempore vates
Carmina Pierio semper amanda choro.
Nec se purpureo demens vestiret amictu,
Vix docta miseram pelleret arte famem.
Tantum nunc tribuit popularis opinio lanæ,
Tectus ut hac populo, qui cupis, esse queas.
Christophorus Aulæus in Epigram
Vir bene vestitus, pro vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis Idiota sit ille,
Si careat veste, nec sit vestitus honestè,
Nullius est laudis, quamvis sciat omne quod audis.
—— Ille in pretio est, quem pulcra decorant
Vestimenta: caput venienti inclinat, & omnis
Assurgit populus: solusque hic nobilis, atque
Creditur esse bonus, prudens ac dignus honore,
Dignus amicitia: pannoso prorsus habetur
Nulla fides, tritamque irridet turba lacernam.
Sis licet Arpinas, cujus facundia toti
Præfertur Latio: vel fabri filius ille,
Attica quem tellus mirata est sæpe loquentem.
Carminibus quamvis possis æquare Maronem,
Mæoniique sonis divinos reddere cantus.
Non tamen idcirco speres tibi præmia laudis,

Sper-

Sperneris, mihi crede, locum projectus ad imum.
Tu Ganymedæos frustra sectabere vultus,
Optabis frustra teneram tractare puellam,
Si tectus vili pauper gradieris amictu.

Multi superbiunt vestibus, cùm tamen vestis nihil aliud sit, quàm signum reatus. Nam ante lapsũ homines fuerunt nudi. Neq; esset ullus usus vestiũ; nisi natura hominis esset subjecta peccato & morti. Quoties igitur aspicis tunicam aut palliũ, aut aliam vestem quamcunque; cogita te videre signum reatus, id est, signum commonefaciens te de primo lapsu *Strig. lib.* 1. *Dial.*

Multi, ut splendidè vestiti incedant, defraudant genium suum, ex hesternoque jure devorant atrum panem. Sic ut ego vidi. Aliquis Hispanus incedebat veste aurea, & quando volebat cœnare, gieng ehr zũ Brunnen/soff Wasser/fraß Salat / cum deberet etiam corpus rectè pascere. *Theatr. par.* 3. *Post Mel. pag.* 454.

Qui in domibus Regum sunt, ut mollibus vestimentis, ita & exoticis vestiuntur. Sic enim venditare se stulto vulgo, quàm virtutibus malũt. Hoc malo jam passim laboratur, nusquam autem magis, quã in *Gallia*, ita ut ipsi pridem hoc vitii de se notarint pictura quadam eleganti in arce *Blessensi*, ubi sarcinator Hispano, Anglo, Italo, Germano, suas cuique vestes, suo more paratas profert, utpote quorum vestitus figuram, tanquam certam & perpetuam, antea noverit. *Gallo* autem pannum & forficem porrigit, ut ipse sibi vestem, quali velit forma, paret, quandoquidem indies vestium formas ita solet mutare, ut sciri non possit, quánam figura vestem velit. *Sed proh dolor* GERMANI *in hac re* GALLOS *ita imitari cœperunt, ut fermè nescias, utri mollsiores sint.* D. Bucẽtus in Sophon. pag. 13.

Quid

Quid fastu turges? nitida quid veste superbis?
Inflatum quid homo tollis ad astra caput?
Quid caligis veluti pennato crure columbus
Quando colit tecti culmina celsa, tumes?
Cur Scythico gaudes habitu Germania pugnax?
Cur ratio vestis non tibi certa manet?
Anne levi folio primos velasse parentes
Sydereum patrem, mystica verba docent?
Scilicet exiguo te commonefecit amictu,
Quòd toga non deceat luxuriosa pios.
Ergo DEI pœnam metuas, ac parcite nummis,
Vestitu modico corpus inane tege.
Sic tibi pro votis feliciter omnia cedent,
Sic aderunt cœptis mitia fata tuis.

Hermannus Schroderus.

CCLXV. *De lascivo quodam nobilis cujuspiam Scriba.*

NOvi equidem nobilis cujusdã Scribam, hominem suprà quàm dici potest, salacem atq; libidinosũ. Is quidẽ cùm uni ex pediſſequis, exquisitissimæ formæ puellæ, ab hera sua negotium datum esse accepisset, ut cerasa in horto arci contiguo decerperet, eodem extemplò se confert, non tam ut cerasis vesceretur, quàm ut oculos pasceret, animumque suum expleret. Itaque cùm puellam, quam efflictim deperibat, in cacumine cerasi jam consistere conspicaretur, effrenata quadam libidine æstuans, sub arborem mox accurrit, quantumque potest, suspicit, spe certa ductus, ejus se pudenda spectaturum. Quod quidem puella animadvertens, cùm vestes actutum contrahit seque tegit, tum verò juvenem summis precibus obtestatur, ut abeat, sibique molestus esse desinat. At verò cùm precibus suis nullum locum relinqui cerneret, vestes tandem à natibus nonnihil removens, *Cunnilingo* isti faciem cùm permerdat, tum etiam permingit. Qui quidem ità pictus colo-

coloratusque non nauseat modò, sed & diu multũque vomit, *cerussamq; hanc* cum ex facie, tũ reliquo etiam corpore, non sine minis & execrationibus, eluit. Unde factum est, ut non hanc solùm puellam missam faceret, verùm aliis etiam deinceps minus molestus esset atq; insidiosus. Pleriq; autem omnes, quibus quidem de indomita Scribæ hujus lascivia atq; petulantia constabat, jure hoc ipsi obtigisse existimabant, atque adeo dicebant, omnes ancillariolos vulvarumque spectatores dignissimos esse, qui ejusmodi stibio pigmentove inficerentur.

CCLXVI. *De insano Pamphili amore, qui post multos atque innumerabiles labores, cùm se crederet jam nactum potiundæ GLYCERÆ opportunitatem, oleto perfundebatur.*

PAmphilus insano Glyceræ laqueatus amore,
Materiem risus præbuit insoliti.
Fabula quid sibi vult tacito sub corde volutas?
Versu me credis ficta referre tibi?
Cùm liceat, tamen haud nos tempore fingimus omni,
Ficta modum debent continuare suum.
Nec figmenta cano, res est verissima, nobis
Digna fide testis Græcia major erit.
Nec te decipiat vulgi stultissimus error,
Nec falso expositus doctus Aristoteles.
Mentiri certum divinos multa poëtas,
Quid sit mentiri corda prophana latet.
Si vacat, incipiet nostra enarrare Camæna,
Moverit ut risum Pamphilus insolitum.
Virgo erat Ausonium pulcrè celebrata per orbem,
Cui genitor Glyceræ nomen habere dabat.
Hanc, quia multiplici dote & virtute nitebat,
Maxima Pandoræ dona tulisse ferunt.
Vincebat forma Cypriam, facilesque Napæas
Atque Jovis gnatas, numina magna, novem.

Elo-

Eloquio Maja natam, ingenioque Minervam,
Nec non Phœbéos virgo tenella modos.
Virgine de tali vicinas fama per oras
Cùm vulgaretur, creſceret inque dies.
Spectatum innumeri veniunt, rarumque puellæ
Tam præcellentis noſſe decus cupiunt.
Quos inter venit juvenis quoque *Pamphilus*, alto
Sanguine prognatus, magnificisque viris.
Atque ut mirandæ conſpexit virginis ora,
Perſenſit vires, ſæve Cupido, tuas.
Sordeſcit Juveni Lugdunum & Gallia tota,
Sola mihi clamat vivere ROMA dabit.
Inde viam Oenotria potiundi virgine quærit,
Quærit delitias nocte dieque ſuas.
Quid non evolvit mente inſidioſus amator?
Quis, quem non vertat *Pamphilus* arte, lapis?
Conatur famulas auro corrumpere fulvo,
Ancillæ haud capiunt munera miſſa probæ.
Ante ædes Dominæ pſallit conductus Jopas,
Et dulces reſonant plectra ſonora modos.
Improbus incaſſum labor omnis abire videtur,
Amplifluam atq; operam perdit ineptus amans.
Hæc igitur ſecum: jamjam me ſcribere oportet,
Litterulásque iſtas dictitat alma Venus.
Inter mortales ærumnoſiſſimus omnes,
Pamphilus hoc *Glyceræ* mittit epiſtolium.
Lugduno veni Romam comitante caterva,
Conſpicerem ut formam lucida ſtella tuam.
Et poſtquam aſpexi numen mihi te venerandum,
Exarſit totum pectus amore meum.
Nulla quies miſero, jam nocte dieque laboro,
Et grave ſupplicium pectoris arca tegit.
Quî poſſem ulterius tantos ſufferre dolores?
Non ego, ſi ferrum, marmoreúsque lapis.
Unam igitur noctem petimus generoſa puella,
Concubitus petimus dulcis amica tuos.

Quod

Quod si non dederis nostræ, spes unica vitæ
Crudeli extemplò morte peribit amans.
Illud epistolium *Glyceræ* legère ministræ,
Ignorans quæ doli casta puella manet.
Consultant famulæ, atque aliis quæ grandior ævo
Inquit, fallatur perfidiosus amans.
Nos Lugdunensem ventura nocte vocemus,
Et credet *Glyceram* sic voluisse suam.
Ecce vocatus adest nocturno tempore *Gallus*,
Concubitus sperans casta puella tuos.
Illam sed ridens multo perfundit oleto
Ancilla, & dicit, *Pamphile* stulte venis?
Hæc res insolitum movit super omnia risum,
Et Lugdunensis fabula factus amans.

Joan. Atrocianus.

CCLXVII. *Iocus*

Ad Georgium Spalatinum, qui cum Lutheri ex sorore nepte eodem curru vectus ex conventu Smalkaldensi, conducta aliarheda, ut Lutherũ & Philippum, quos perendie hospitio excepturus erat, anteveniret, eversо curru in lutum projectus fuit.

Qualis luce nova cum primùm cornua com-
Hesperiis vehitur Cynthia pulcra plagis. (plet
Qualis & Eoo formosum lumen in orbe
Ante diem spargit candida mane Venus.
Talis in hoc curru vehitur *Spalatine* puella
Qui tibi non cæca sorte dicatus erat.
Hanc propè cùm posses solus *Spalatine* sedere,
Et teneris digitis implicuisse manus.
Et cùm colloquium posses miscere süave,
In casta patitur virgine quale pudor.
Cur tamen ignota solam regione relinquis?
Carpentóque alto cur fugere inde paras?
Durior Ægida es, qui raptam in littore liquit,
Debebat vitam cui tamen ipse suam.

Hinc

Hinc irata Venus, sortemque miserta puellæ,
In media properè est te remorata via.
Carpentúmque tuum cœno demisit in alto,
Hæc, pro neglecta Virgine, pœna fuit.

D. Philippus lib. 4. Epigr.

CCLXVIII. *Iocus*

M. Ludovici Milichii ad Ioannem Altum, de Amasiæ ipsius pudenda prolapsione.

NUper ut in lata placuit recreare platea
Mentem: dimidium pectoris *Alte* meum.
Me tua præterijt carissima forsan amica,
Et cervice duo pondera gessit aquę.
Quàm (pudor) invitus spectacula tristia vidi,
Ob quæ latratu congemuêre canes?
Ah duros lapidęs credo potuisse moveri,
Jam quoties illud cogito, sponte tremo.
In glacie cecidit magno projecta fragore,
Quàm mœstum sonitum parva ruina dedit?
Dúmque supina jacet, jam surgit in ardua vestis,
Omnibus ad nudum cernitur usque genu.
Hinc quoque labenti dum crura feruntur in altum,
Lymphas in medios excutit urna sinus.
Posteà surrexit madidato corpore pulcro,
Et conspersa gravi terga fuere luto.
Spectantes socii hoc lacerabant ora cachinnis,
Quorum nolo quidem prodere nomen ego.
Ast mihi (vera loquor) maduerunt lumina fermè,
Quis nisi mentis inops riserit illa videns?
Proh rigidum Boreã, contractaq; frigora Brumæ,
Proh tenues pluvias, proh Geticámque nivem.
Quando semel mittes nobis tristissima Bruma
Finem, sævitiæ pigritiæque tuæ.
En sternuntur humi juvenes simul atque puellæ,
Flumina quandoquidem stringis aquosa gelu.
Cede precor donec te turba poposcerit omnis,
Donec te claro nuncius ore vocet.

CCLXIX. *De Villico quodam & Rustica.*

CUm Rustica nemus paluſtre Villicus
Transibat ejus Compater.
Occaſionem qui libidinoſior
Nactum jocandi ſe putat.
Hinc ore (neſcio quid) illam clanculum
Amiciore flagitat.
Et pollicetur, ne repulſam inops ferat,
Quem corbe geſtat anſerem.
Sed criminatur & preces & præmium
Honeſta verbis fœmina.
Quid ille? non ultra periculum facit,
Et conficit mutus viam.
Proceſſerant jam ambo penè ſtridulæ
Ad extimum Sylvæ locum.
Cùm præmium manu prehendens altera
Dilecte compater, refert:
Jocum recordor jam priorem, nec quem
Oblivioni tradere.
Cupiditati tuæ locum ſi darem,
Ob anſeris plumas darem.
Vt filio qui te patrius colit vice
Vulvinar illius impleam.

Sebaſtianus Schefferus lib. 2. Car. pag. 202.

CCLXX. *De Mariti cujusdam commemorabili amore, inſignique fide erga uxorem.*

NArrat Pontanus ſua ætate uxorem cujusdam Agricolæ à piratis Tunetanis abreptam eſſe, & maritū re cognita in mare deſiliſſe, & raptores obteſtatum, ut ſe quoque cum uxore abducerent. Hi fidem atq; animum hominis admirati, ubi Tunetā applicaverunt, & præda expoſita eſt, Regi rarum facinus & memoratu dignum referunt. Qui quanquā Barbarus & Chriſtiani nominis hoſtis, virtutem

tamen hominis suspiciens, illum cum uxore libertate donavit, & inter custodes sui corporis scribi jussit. *D. Victorinus Strigelius in Psalm. 69.*

CCLXXI. *De Episcopo quodam Magdeburgensi.*

FUit ante annos aliquot Magdeburgensis Episcopus Comes à Bichlingen. Is cum vi a collegio ad Episcopatum pertractus esset, fortè accidit, ut Saxoniæ Dux ob simultatem aliquam bellum ei inferre pararet. Id cum resciviſſet Episcopus, tanquâ altum somnum dormiens, non contrà parare vim & arma, sed curare Ecclesias suas, in iis frequens esse, vitia earum corrigere, lectioni & orationi incumbere, perinde atq; si nullus usquam belli esset metus. Quum autem Ducis Saxoniæ speculator in aula Episcopi esset, & fortè nunciaretur, Saxoniæ Ducem jam susceptisse expeditionem. Ibi Episcopus bene est, inquit: Ego curabo meas Ecclesias. Deus autem pro me pugnabit. Hanc vocem excepit Speculator, eámque ad Saxoniæ Ducem detulit. Statim igitur ab optimo Principe intermissa expeditio, & dimissi milites sunt. Ita enim respondit: Se longè inferiorem esse, quàm ut contrà eum pugnet, qui pugnę socium habeat DEUM. *Lutherus in explicatione 30. Capitis Esaiæ.*

CCLXXII. *De Percussore quodam.*

QUidam in jurgio & pugna accepit primùm alapam. Deinde gravia aliquot vulnera in thorace & lateribus, quibus post paulùm vita est defunctus. Cùmque ei linerentur, cùm obligarentur vulnera, cùm adhiberetur, quod pro tempore poterat, remedium, subinde exclamabat, ne ista curatote, sed maxillam hanc, significans plus se dolere ob alapá, quàm de vulneribus, quæ illi præsentem mortem afferebant: Quantò rectiùs exclamasset, & prudentius: Sanate prius, si potestis, *ó medici*, hanc insaniam, deinde

ãcipde vulnera. *Joannes Ludovicus Vives lib. 1. de concordia & discordia.*

CCLXXIII. De cerebrosa quadam muliere.

QUidam maritus verberaverat suam conjugem solea, mit einem Pantoffel. Conjunx conqueritur de mariti tyrannide. Cognati conveniunt, & quærunt, cur cognatam suam tam duriter tractet, erat familia honesta, & ægrè ferebat. Ille respondit, se non iniquo animo ferre, quod eum amicè admoneãt, petit, ut causam cognoscant. Ego eam paululum verberavi cum solea, sed ipsa me prius duriùs verberaverat, mit dem Waschplauwel/id est, *lingua*, (quia admodum ei maledixerat) vos cogitate utrũ sit durius? Mit dem Waschplåweln geschlagen werden thut weher/als mit Pantoffeln sich schlagen lassen Usitatæ sunt illæ miseriæ vitæ. Es ist also. *O. Pezelius Post. Mel par. 3. pag. 437.*

CCLXXIV. De Edentula quadam semper latrante.

SI cutis à vetulæ nigra detraheretur anili
Corpore, detractæ quis precor usus erit?
Judice me, nullus: nisi viscus ut inde fabrilis
Tympana militibus non odiosa paret.
Vix semel hæc tenui si verbere præco feriret,
Inciperent totos octo sonare dies.

Sebastianus Schefferus lib. 2. Epig. pag. 111.

CCLXXV. De Quodam Franco.

FRancus ubi conjunx in agone jacebat, ovante
Tympana sublimi pullat in æde manu.
Cùmque juberetur testari fronte dolorem,
Si fugeret justus pectora dura dolor.
Meque meamque mero junxerunt gaudia plausu,
Sejungant eadem meque meamque, refert.

Idem ibidem pag. 107.

CCLXXVI. *De Monoculo quodam.*

DUxerat Unoculus deceptus amore puellam,
Quæ sine re nomen virginitatis habet.
Cumque pudicitiæ vir crimen exprobrat illi,
Conscius amissum, bile tumente, decus.
Non mutilo nubit *Lucretia* casta marito,
Ipsa refert. Cyclops Thaide dignus eras.
Causa fuit quòd sis minus integer, *hostis Amicus*
Integra quod non sim, sed mihi causa fuit.
Idem lib. 1. Epig. pag. 96.

CCLXXVII. De *Viro quodam, uxorem submersam quærente.*

FLumine demersam sociam crescente maritus
Quærit, & inverso tramite carpit iter.
Quò fluit unda, virum quidam jubet ire, siniſtrum
Fluminis accedis cur malesane caput?
Uxor in æternum non invenietur, amice
Alter ait, recto si pede forsan eam.
Moribus illa meis semper contraria vixit,
Quis neget adversus quin modo serpat aquas?
Idem ibidem.

CCLXXVIII. *De quodam Rustico.*

RUsticus ad cœlum defunctus tempore lucis
Pervenit, & manibus pulsat utrisque fores
Claviger huic aperit *Petrus*, & lætantis anhelum
Ad latus uxoris molle sedere jubet.
Conjugis ad nomen flectens vestigia retro,
Petre vale, dixit, non moror, uxor adest.
Ante breves nunquam sine lite peregimus horas
Secula tot vixit, quot peragenda forent?
Idem ibidem.

CCLXXIX. *De malo mala & cervicosa conjugis.*

NON est quòd timeat, mala cui malè contigit uxor,
Horrida Tartarei regna luemque Jovis.

Huic

Huic crux, huic styx est, huic purgatorius ignis,
Huic sine fine fames, huic sine fine sitis.
Ille repentino miserabilis orbe rotatur,
Ille renascenti viscere pascit avem.
Ille gerit subitò ruituri pondera saxi,
Illeque fert vanas irrequietus aquas.
Illeque pectentes furias pro crine colubros
Cogitur, heu misero, vivus in orbe pati.

Christophorus Aulanus in Epig.

Terra feras nutrit sævas, mala fœmina terræ
Sævior innumeris est feritate feris.
Est leo crudelis, crudelior ista leone est,
Nec Draco mitis, ei sed Draco cedit atrox.
Grande maris monstrum Cete, muliercula majus,
Noxius est sonipes, altera pejor equo.
In fovea veriti Daniela fuêre Leones:
Occisus Naboth à Jesabele cadit.
Aspides in latebris nemorum tremuêre Joannem,
Abstulit huic meretrix nobile prava caput.
Incolumem fovit Balæna sub æquore vatem:
Dalila Samsonem proditione necat.
Bruta verebantur quem ducere territa, currum
Per faciem mutili Tullia patris agit.
Tutius est igitur tenebris habitare jugosis,
Quàm pariter tantæ pestis inesse domo.

Sebastianus Schefferus lib. 3. Epig. pag. 123.

Sacerdotibus perquã similes sunt Fœminæ, quibus ex more preces illę in ore sunt assiduò, *Da quæsumº, præsta* quæsumus, concede quæsumus. *Ludovicus Cælius Rodingius lib. 15. Lect. Antiq. Cap. 14. pag. 783.*

CCLXXX. *De perjuro quodam.*

VErbi divini præco qũidã pro muneris sui ratione perjuriũ aliquãdo pro concione publica insectabatur: ac partim sacrarũ literarum autoritate demonstrabat, quàm atrox illud flagitium atque

detestabile esset, partim verò exemplis hinc inde conquisitis planum faciebat, ac ante oculos cuivis statuebant, quantopere justissimus ille Judex Deus quovis tempore, in eos animadvertisset, qui nefario isto inexpiabiliq; scelere obstringere se polluereque non dubitassent. Etsi verò huic concioni quidam interesset, qui sacrilego quodam fidem ac jusjurandum ausu aliquando violaverat, tantum tamē abfuit, ut concione ista fractus de perjurio sibi isto dolendum duxerit, ut eam potiùs pro nihilo concionem putans, astantibus sibi impuro ore dixerit: Etego quidem dextera aliquando hac mea pejeravi: interim tamen haud video, lævam illam vel minima ex parte breviorem esse factā. Verùm quid fit? Deus perjurii vindex & ultor acerrimus, hunc nebulonem ita è vestigio corripit punitque, ut ipsum illud brachium & intumesceret, & inflammaretur, & tantos illi dolores noctes atq; dies inureret, ut ne punctum quidem temporis respirare posset. Proinde accersito chirurgo, resecandum illud amputandumque curat. Quo factum quidem est, ut brachium illi dexterum multò nūc curtius sinistro existeret, desineretque Deo deinceps ejusque ministris consceleratus nebulo insultare, ac medium digitum ostendere, de suoque perjurio impunè lato gloriosè verba facere. *Gregorius Strigenitus* Homil. 15. de Conscientia pag. 112. Item *Christophorus Irenaus* in speculo infernali pagin. 190. unde hæc transtulimus.

CCLXXXI. De *quibusdam blasphemis militibus.*

Rege Danorum Friderico, Anno supra natum Christum millesimo quingentesimo trigesimo tertio, ex rebus humanis exemto, cœlestemque in patriam evocato, & Christiano filio, ejus in locum, ad regiæ dignitatis fastigium evecto, cùm

cùm alii quam plurimi ditioni ejus subditi, tum verò maximè Hafnienses, rebellionem adversus ipsum fecerunt, sic quidem, ut armata illos manu in fidem & clientelam adigere suam necesse haberet. Cùm igitur Hafniam oppidum obsidione militum cinxisset, evenit, ut in iis tres supra modum & efferati & impuri, & ab omni cum pietate, tum honestate alieni aversique, & suo duntaxat abdomini nati, eam in mentem unanimiter quasi sacramento conspiraverint, vino ut sese sublimato ad ambas usque aures tantisper ingurgitare vellent, donec eo prorsus cõfecti animam exhalarent, vitaque cum gemitu fugeret indignata sub umbras. Quod quidem votum illi suum impium & strenuè strenuéque perpotando, & plaustra Sacramentorum, aliasque, horresco referens, atroces & plane inauditas adversus Deum Opt. Max. blasphemias pleno ore, plenisque, quod dicitur, buccis eructando atque projiciendo, naviter exequi instituunt. Quapropter cùm nullum illi in contumelia Deo facienda neque modum neque finem facerent, qui cum ipsis stipendia merebantur milites honestiores nonnulli, ad extremum ita offensi fuerunt ac commoti, eam ut rem ad Magistratum deferrent. Etsi verò blasphemi isti tam nefarii graviorem erant pœnam promeriti, tum ob perpetrati sceleris flagitique atrocitatem; tum ut alii ipsorum exemplo absterrerentur, Capitanei tamen, nimis levi ipsis pœna irrogata, in compedes tantùm ferreos illos compingere voluerunt, in quibus aliquod ad horas detinerentur, postea rursus ex iis exsolvendi. Ante verò quam id fieret, fortè fortuna accidit, ut ex tormento majore de illo quidem loco, ex quo toto obsidionis tempore nulla erat bombarda machinavé tormentaria explosa globus in castra projectus, blasphemos una considentes, eransverberaret, & uni caput, alteri brachium, tertio

mediam corporis partem abruptam per aëra dispergeret, atque hac ratione, abstupescentibus omnibus, debitas scelerum suorum pœnas blasphemi isti nebulones Deo penderent, jacturam ita & corporum & animarum facientes. Qua quidem re, Jehova acerrimus blasphemiarum ultor, justissimæ suæ adversus eos Magistratus indignationis haud obscuram dedit significationem, qui quidem in ejusmodi facinorosos aut nimis leviter, aut omninò non animadverunt. Quam etiam in partem Nobilissimus & strenuus Dominus Adrianus à Steinberg rei militaris gloria Dux clarissimus, qui obsidioni isti & præfuit, & interfuit, & coram rem, ut gesta est, oculis suis vidit, factum istud pro singulari sua sapientia & pietate sæpenumero est interpretatus, *D. Johannes Beucherus in Chronic. Thuring. pag.* 502. unde hæc in Latinum sermonem transtulimus.

CCLXXXII. *De pejuro quodam alio.*

IN hac regione, quum quidam ad fraudem pejerâsset, repente in Apoplexiam incidit, ex qua nunquam postea locutus intra paucos dies interiit. D. *Theodorus Beza Homilia 26. in historiam passionis* CHRISTI, *pag.* 656.

CCLXXXIII. *De parente quodam, qui filium diris devovens optaret, eum à Diabolo corripi.*

SCIO quendam in Gallia fuisse patrem-familias cognitione veritatis donatum & eandem amplexatum, qui cùm per iracundiam unum ex filiis Diabolo devovisset, repente à Diabolo filium correptum, quo deinceps licet ardentibus & assiduis Ecclesiæ ad Deum precibus ejectis, tamen adolescentem illum vix sanitati redditum, paulò pòst morte sublatum esse. *Idem ibidem fac.* 2.

CCLXXXIV. *De D. Simone Simonio.*

DOctor Simon Simonius Philosophus celeberrimus

rimus, cùm Lipsiæ olim in Senatum Academicum legeretur, totus in eam curam atque cogitationem incubuit, linguam ut germanicam addisceret: Ne verò voto hoc suo non potiretur, non solùm cum studiosis germanis, & civibus Lipsensibus familiarissimè & amicissimè vivebat, sed & ancillæ cujusdam germanæ opera domi suæ utebatur. Porrò cum ipsum cupiditas aliquando atque desiderium vescendi haleces teneret, neque verò exploratum haberet, quomodo hoc piscium genus germanicè appellaretur, annumerata famulæ pecunia, inquit: Proficiscere properè in forum, atque pisces nobis naturam tuam olentes mercare. Famula arengas ipsum expetere intelligens, ipsas illas emit & attulit. Quòd verò hunc Simonii heri sui sermonem servula & propolæ, & civibus, & studiosis deniq; quibusdam exposuisset, disseminatus is fuit, non sine risu omnium per universam urbem. Unde haleces postea istic, pisces Simonii vulgò dicti fuerunt.

CCLXXXV. *De Georgio ab Havelen, & Henrico Stieli.*

GEorgius ab Havelen cùm superioribus annis stipendia meriturus in Gallias proficisceretur, interprete usus est Henrico Stielio, quòd is quidem aliquot annos Aureliis confeciisset, & linguam Gallicam exactè callere crederetur. Evenit autem, ut ipse in Gallia morbo correptus, interpreti isti suo mandaverit, ut cum hospite ageret, quò cancros sibi elixaret. Quòd verò Stielium fugeret, quomodo cancri gallicè appellarentur, adiit hospitem, coram eoque in genua manusq; prolapsus, cancri instar nunc progreditur, nunc regreditur, atque in hæc quidem verba erumpit: Istiusmodi verò amphibiis herus vesci meus gestit, hospes, quæ quidem perinde, atque ego nunc, ultrò citróque gradiuntur ac reptant. Hospes igitur cancros asinum postulare subodoratus, eos

protinus scitè mitigatos, nobili manducandos appo-
suit. Quòd autem & scriba, & cęteri Georgii admi-
stri coram oculis suis usurpâssent, quemadmodum
Stielius interpretis munere jam functus esset, rem o-
mnem ad nobilem suum deferunt, qui risu eam syn-
cruſio prosecutus, postridiè statim sese confirmavit,
meliuscule q; habuit.

CCLXXXVI. De *Salinario quodam & puella Marpurgensi.*

VIrgo, sales, emtura salem, salsissima fecit,
Dum stetit ad cutrus veste recincta sinum.
Incidit in gremium temo sublatus, & alvum
Ostendit nudam, quæ satis uda fuit.
Rusticus accurrit, viridem qui crinibus affert
Pileolum, & crines, nescio quos, tegit hoc.
Pileolo oppositò (captas sic sæpe volucres
Vidi) quæ decuit, vix potuêre tegi.
Quid non casus agit? pallam bene fœmina cingas,
Cum minimè credis, Zona soluta cadit.

Hermannus Kirchnerus P.C.

Gratulor ergo foro, tali præcone quod auctum est,
Pro sale qui vendit carmina salsa bono.

Burckhardus Wormbser.

CCLXXXVII. De *Presbytero quòdam Erphordien-
si Domino Stutzero.*

ANte annos non ita multos Erphordii Ecclesiâ-
sten quendam Catholicum, Sturzerum cogno-
mine, fuisse accepimus, qui quidem pro publica con-
cione dicere non est veritus, D. JESUM tum parum
fecisse prudenter, tum rationibus etiam suis pessimè
consuluisse, cùm quidem Judæis quàm infensissimè
fuerit adversatus, ac ipsos non solùm identidem
concionibus ad populum habitis perstrinxerit, sed &
templum ipsorum vituperabili quadam importuni-
tate atq; audacia expiarit, satis cum imperio partim
emptoribus, partim verò venditoribus inde exturba-

tis.

tis. Etenim si absque hoc fuisset, inquit, næ vel opulentissimus quisque Judæus gnatam illi suam in matrimonium collocasset, prætermissurus planè nihil, quod quidem ad augendum atq; cohonestandum ipsum momenti aliquid afferre posse existimavisset. Sed ût Christus (addidit) suæ sibi fortunæ fuit faber: ita hodie quoque non parum quidem multos reperias, qui sibi ipsi, veluti turdus, malum cacant. Propter hanc putidam concionem, & alias itemque hac multò ſacidiores hic Stutzerus, novo quodam apud Papicolas exemplo, cum in vincula conjectus, tum etiam exauthoratus, capiteq; diminutus fuit.

CCLXXXIIX. *De Rustico quodam Hesso.*

RUsticus quidam Hessus, homo tum bonus tum simplex, verbi divini præconem propatrem & amicum suum rogabat, ut animi relaxandi gratia in vineam secum commearet. Ei pastor non gravatè morem gerit. Quum igitur in vineam jam pervenissent, Vinitor ipsum & ultrò citroque ducit, & identidem admonet, ut tum uvas, tum poma persica decerpat manducetq;. Ubi autem omnem jam vineam sursum deorsum ambulando peragrâssent, domumque se reciperent, Vinitor Ecclesiasten hanc in rationem allocutus est. Vidisti ipse D. Propater, vites non parum quidem multas ab uvis planè vacuas nudasque esse. Itaque dubitari non potest, quin vindemiam minus uberem & copiosam habituri simus: Hunc consolatus Pastor, inquit: Bono verò animo esto compater. Potest enim ille cœlum atque terras tuens & regens DEUS pauca quidem promittere, & multa nihilo secius præstare & largiri, **Seydt zu frieden lieber Gevatter/es kan der fromme vnd getrewe Gott wenig erzeugen/ vnd viel geben.** Quo audito rusticus gaudio exiliens respondit. Enimverò D. Propater, si talem se Deus nunc quoq; nobis impertierit, equidem plurimi ipsum sum facturus, & erit

mihi

mihi magnus Apollo: **Nun wolan/thut er daſſelbige dieſen Herbſt auch/ ſo wil ich jhnen vor einen Vogel halten.** Eaq; ſimplicitate ſua riſum non parvum Myſtæ propatri ſuo movit.

CCLXXXIX. *De Juſto* **Schützen/** *Studioſo Jenenſi.*

ANni ſunt circiter XIII. cùm Jenæ optimarum artium ſtudiis operam dedit Juſtus quidam Schützi/ ille quidem minimè malus, ſed hebes aquè ac pecus. Is, Xylini aliquot ulnis a parente ſuo acceptis, thoracem ſibi conficiendum curavit. Quo quidem conſuto jam atque perfecto, ſartorem adiit, rogavitque, ut eum ſibi tantiſper crederet, dum ad nummos perveniret, quos pater intra octiduum eſſet miſſurus: iis acceptis, velle ſe ipſi mercedem bona fide pendere. Sartor, cui nivea Juſti ſimplicitas cognita atq; perſpecta erat, haud repugnanter annuit, hac tamen lege atque conditione, ut ſyngrapham ſibi daret, qua teſtatum relinqueret, groſſos ſe ipſi ſex debere. Juſtus igitur actutum conſidet, atque hoc quidem illi dat chirographum, quod ex ipſo illius autographo tranſcripſimus: **Ich Joſt Schütz bekenne/ daß das Wammeſt mein iſt/ welches mir Meiſter Erhart gemacht hat/ was den Macherlohn anlangt/hat ſeine wege/das wirdt ſich wol ſchicken/** hoc eſt, Ego Juſtus Sagittarius fateor atteſtorque, hunc thoracem, quem M. Erhardus conſuit, meum eſſe. Ad mercedem ipſi debitam quod attinet, nihil idipſum ad rem facit. De eo alio nobis tempore curæ erit. Cæterùm non ita multo pòſt tempore, nonnihil Juſti hujus populares hunc ipſum veſtiarium accedunt, ac fortè fortuna in ipſius Chirographum incidentes, eo lecto, riſu propemodum corruunt. Quòd autem unus ipſorum Juſtum pro oblectamento habere, ac miris modis exercere præter cæteros conſueviſſet, hanc ipſius ſyngrapham ad ſe recepit, ſarctori ſua merce-

mercede annumerata. Incredibile porro est, quantopere hominem posteà ea ipsa exagitaverit, ac quot modis eum etiámnum divexet, quoties quidem sibi copia illius potestasque datur. Audio ipsum in Thuringiæ quodam pago verbi divini prægnomen agere. Quod si jam non meliores ad populum habet ac doctiores conciones, quàm quidem syngraphas conficit conscribitque, næ verisimile est, illum

Stridenti stipula miserum disperdere carmen.

Hat er so schlimme vnd schützische Handschrifften gemacht/ so ist warlich zubesorgen/ es werden auch seine Predigten nicht viel dügen/ vnd müste derwegen ein armer Tenffel seyn/ dem er eine Seele entführen solte. Quod ipsum Dionysius Melander, Ecclesiæ quondam Cassellanæ antistes, quem honoris causa nomino, in pastorem quendam paganum, hominem sine sensu, sine sapore, stipitem, elinguem, rudem, tardum, in nuptiali quodam convivio, animadversa asinina ipsius insciti atq; ruditate, olim dixisse fertur.

CCXC. De *Inepto quodam Pastore*.

ANnis abhinc aliquot Pastor Thebarum Saxonicarum conjuges quosdam temerariè satis copulaverat, ac literis ipsis datis, hanc posuerat sententiam: Ego Episcopus in Düben copulavi has personas in hoc tempore. Si quis facti hujus mei rationem postulat, veniat ad me in meum Episcopatum, ubi ipsi expositurus sum meum in hac causa judicium. Illustrissimus Saxoniæ Dux atq; Elector Stellionem hunc in carcerem conjiciendum Torgæ curavit, & sic in ipsius Episcopatum pervenit.

CCXCI. De *Rustico quodam*.

INtercedebat cuidam diœceseos Marpurgensis Pastori, cum D. Johanne Draconite, ea tum in schola Theologiæ Professore celeberrimo, magnus ac propè domesticus usus. Itaque ipsum non parum quidem sæpè & invisebat, & munusculo quopiam ornabat, &

bat, & ad se itemque invitabat, prolixeq; accipiebat. Quodam autem tempore per villicum suum *Draconitii* mittebat, plaustrum lignorum, & itemque leporem, villicoq; suo *Draconitis* nomen diu multumque inculcabat, persuasissimum habens, ipsum ita *Draconitis* nomen insculpsisse, nunquam ut illud per oblivionem deponere posse videretur. At verò cùm Marpurgum jam pervenisset, cœpit ex cive uno atq; altero percontari, eccubinam Doctor **Lindwurm** habitaret? Illis respondentibus, nullum Marpurgi Doctorem ætatem agere, qui istoc quidem nomine appelletur. Quid vos nugamini, inquit, ego certum scio ævum in hac urbe degere Doctorem quendam **Lindtwurm**. Etenim ipse ille meum pastorem frequenter invisit, & meus pastor multum cum ipso est, ut ipsum nunc cum plaustro hoc lignorum, tum lepore etiam isto donat. Facite igitur, ut mihi plateam nominet s, quam incolit & inhabitat. Cives autem conspicati scholasticum quendam commodùm accedere, hominem ad ipsum illum rejiciunt. Hic interrogatus, ubi Doctor **Lindtwurm** habitaret, idem respondet, quod antea cives responderant. Ille nihilominus omni asseveratione affirmat, compertissimum se habere, commorari istic Doctorem quendam **Lindtwurm**/ubi ubi etiam delitescat. Itaque Studiosus, ecquas habes literas à tuo pastore, inquit, ad D. **Lindtwurm** perscriptas? Profer illas, & inscriptionem legam. Qua quidem perlecta: Tu verò stipes, inquit, investigas Doctorem **Drachen**/non Doctorē **Lindtwurm**/qui fortasse non est in rerum natura, nedum in hac universitate aut Academia. Respondet illicò rusticus, **Ja das recht ist/Doctor Drach heist er/Doctor Drach heist er. Ich wuste ja wol/daß es der bösen Thier eins ist.** Recte recte: rem acu tangis. Vocatur Doctor *Draconites*. Noram equidem, esse de sævis istis animalibus quodpiam.

De

CCXCII. *De Petro NN. studioso bibace.*

QUod nunquam tota videatur Petrus in urbe,
In templo rarus, rarior inq; foro:
An studiis illum credas incumbere? *Non, non,*
Musæo clausus quid facit ergo? *bibit.*

CCXCIII. *De quodam Episcopo guloso.*

IN mediis epulis audi, quid *Episcopus* olim
Sit questus, teneris non sine lacrymulis:
Mensa referta fuit capis præpinguibus: inde
Non turdus, perdix, non aberatq; lepus.
Illam delitiis oneraverat India raris,
Phasis & ipsa suas accumularat aves.
Deniq; cœna fuit, quæ verè regia dici
Posset, vel potiùs posset Episcopica.
Sed tamen hunc talis subeunt fastidia cœnæ,
Satq; ulla immensæ non sapit esca gulæ.
Appetit atq; petit peregrina cibaria quædam,
Quæ natura loci quæq; negabat hyems.
Tandem iræ impatiens, Ah sancta Ecclesia mater
Clamat, io pro te quot mala perpetimur?
Facit huc subsequens Carmen, quo fœda quorundam ingluvies notatur:

Ut bibat haud sitiens, vel edat jam ventre repleto,
Verberibus cogi bestia nulla potest.
Ergo homo deterior longe est, fateamur oportet,
Qui bibit haud sitiens, qui vorat ante satur.

Pertinet huc etiam Germanicum illud quorundam Epicuri de grege porcorum dictum: hominibus è religione Christianis planè indignum, sed uxorioso istius Episcopi moribus pulcrè quadrans: Quàm strenuè & vorandum & potandũ est, prius quàm de vita hac decedatur. **Wie muß man sich zufressen/vnd zusauffen/ehe man stirbet.** Quasi verò illud cum magno quodam ipsorum dolore, atq; invitis iis, accidat.

De-

CCXCIV. *De Oenophilo potore egregio moriente.*

OEnophilo Lachesis cùm rumpere fila pararet,
Lingua illi tales dat moribunda sonos:
Tantalus ante oculos semper versatur, & ingens
Excruciat miserum, quæ sine fine, sitis.
Namq; siti nequeam tantæ par esse ferendæ,
Nulla vel est horam cui tolerata sitis.
Tunc aliquis solans, est unus Tantalus illic
Qui sitit: haud sentit cætera turba sitim.
Æger ad hæc: si quem sitientem videro tantùm,
Materies fuerit non mihi parva sitis.
Ille iterum solans: Nil præter stagna lacusq;,
Quòd semper sitiat Tantalus, inquit, habet?
Quid tunc Oenophilus? Jam lætior ibo sub umbras,
Sola mihi vini est nam metuenda sitis.

CCXCV. *De Helio Eobano Hesso, Poëtarum Rege.*

HElius Eobanus Hessus, incõparabile illud Germanorum Poëtarum decus, objurgatus aliquando ab amicis, quòd poculis nimium deditus esset, respondisse fertur; ipsos de compotationibus quidem suis multa verba facere, de siti autem vehementiori, qua dies noctesq; vexaretur, prorsus eos silere, & ne verbum quidem ullum.

CCXCVI. *De Johanne Alto.*

UT Hessia patria mea Poëtarum feraciſſima est, quod sive hominum ejus terræ singulare cuidam indoli, sive loci naturæ (excelsissimis namque montibus, quibus Musæ Heliconiæ delectantur, abundat) acceptum referas, haud equidem magno in discrimine posuerim; sic hunc etiam ALTUM illum quidem in viridi juventutis flore extinctum, sed tamen Poëtam jam tum excellentem, in hanc lucem edidit. Is quoque vino sese largius invitare consueverat, crebro illud sermone usurpans: Ossa merum sitiunt.

sitiunt. Quum autem animam jam ageret, ab amico quodam, qui ipsum in hac sua adversa valetudine invisebat, rogatus, Domine Alte, an & nunc *ossa merum sitiunt*? repente divino quasi numine & entheo Poëtarum spiritu afflatus impulsusque, hoc ipsi carmine respondit:

Ossa DEUM *sitiunt, dum Spiritus astra petivit,*
Mundo vale, Christi mors mea vita fuit.

Neque multò pòst ALTUS, Deo naturæque concedens, ad altissimam in cœlis mansionem hinc emigravit, incredibili apud omnes bonos sui desiderio relicto.

CCXCVII. *De Alexandro Potore.*

LIppus Alexander vitiato lumine læsos
Est oculos questus diffluere in lacrymas:
Ut vino abstineat, multi monuêre. Quid? inquit,
Si vino caream, quis mihi potus erit?
Respondetur, aquæ. Bibere hanc se posse negavit,
Dictum est, diluti pocula sume meri.
Usus aquæ nullus mihi erit, si calceus illa
Offendat plenus, quid faciet stomacho?

CCXCIIX. *De Pontiliano Potore.*

CUM rapidus medio deservit in æquore Titan,
Fer puer huc cyathos, Pontilianus ait.
Cùm pluit, en, inquit, Deus admonet esse bibendum,
Qui nunc tam multo proluit imbre solum.
Si vacua à potu non unquam tempora ducit,
Curq; bibat, semper Pontilianus habet.

CCXCIX. *De Gallonio luxorioso.*

STertit ad octavam Gallonius: inde cubili
Paulatim assurgens languida membra levat.
Objicitur perdix, quam protinus ille calentem
Devorat: hac nulli cesserit arte bibens.
Spumantis Bromii cyathos octóve novémve
Adjicit, & sacris sic operatus ait:

Dii date mi constantem animũ, mentemq; quietam
Quam multis vita est nostra referta malis.

CCC. De *Amphago quodam.*

PAmphagus in patulam tam multa ingesserat alvum,
Quàm poterat denis plus satis esse viris.
Ecce venit caupo, preciumq; expostulat: ille
Ebria terribili lumina more rotans
Evomit in patinam vinumq; cibosq; receptos.

COLLECTANEA QUÆDAM DE EBRIETATE.

EST ebrietas species furoris, est, inquam, furor Dionysii, id est, Bacchi, unde Bacchanalia. Ubi enim ebrietas, ibi libido dominatur & furor, inquit Canon. Venter, distinct. 35. Quod quidem vitium omni tempore usitatissimum & pernitiosissimum fuit, & nostris temporibus non solùm in Germania, sed in Gallia, in Italia quoque, & ubique ferè locorum adeo hæc pestis percrebuit, ut bibaciores beatiores existimentur, non solùm *in cauponis*, sed etiam *in Regum aulis.*

Pessimum hoc est libidinis incitamentum, & ad omnia scelera urgentissimum irritamentum. Quia enim sine Cerere & Baccho friget Venus, ad ipsam Venerem excitandam hunc stimulum adhibent homines incontinentes, quia, ut inquit Poeta:

Et Venus in Venis, ignis in igne fuit.

Salomon in cap. 23. Proverb. inquit: Ne intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro colorejus, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit, ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Luxuriosa res est vinũ, & contumeliosa ebrietas omnis. Qui cum his miscetur, non erit sapiens, inquit summus Pontifex *in c. 3. dist. 35.* Et ebrietatem fuisse originem incesti concubitus, habetur in can. *Sexto die 35. dist.* & Verg. in hanc sententiam ait:

Nec

Nec Veneris, nec tu Vini tenearis amore,
Uno namq; modo Vina Venusq; nocent.

Paul. Ghirland. *in tract. de sortilegiis cap.* 13. *num.* 3. referendo ad hoc gloss. *in c. Moyses* 32. *quæst.* 2. dicit secundum quorundam opinionem, animam habitare in sanguine, & propterea Normannos, Anglicos, & Polonos multum bibere, ne contingat eorum animas habitare in sicco. Sed isti vinolenti ac temulenti suæ irritatæ procacitatis pœnam facilè luunt, dum in gravissimos morbos incidunt, & citò moriuntur. Libidinosa etenim & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti, inquit Cicer. *in lib. de senectut.* & Virgilius ait:

Et Venus enervat Viros, sic copia Bacchi
Et tentat gressus, debilitatq; pedes.

Et illud:

Quisquis ad infernas properas accedere sedes;
Huc iter accelerant, Balnea, Vina, Venus.

Non sum tamen adeo severus, ut prorsus convivia & compotationes vituperem. Nam sicuti laudo illos, qui modico, salubri, ac generoso vino delectantur: Sic eos non damno, qui interdum hilariter bibunt. Excitatur enim virtus, & liberaliter bibendo spiritus fiunt solertiores ad res grandes perficiendas. Nam, ut inquit *Horat. Carm. lib.* 3. *Ode* 12.

Narratur & Prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Et bonis Poëtis esse liberalius bibendum, idem Poëta suadet, dum in *Epist.* 19. *lib.* 1. inquit:

Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus.

Et postea subdit:

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosilit dicenda.

Et militibus quoque prodesse idem Poëta testatur, dum, *lib.* 1. *Epist.* 5. ait:

Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermen,
Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.

Abstineant autem à compotationibus illi, qui negotiis sunt à secretis, quia, ut inquit Horat.

——— Operta recludit.

Et ut Vergil.

Arcanum demens detegit ebrietas.

Principésque bibendo experiuntur, quibus arcana sua committere possint. Nullum enim secretum est, ubi regnat ebrietas, inquit Salom. cap. 31. Proverb. & aulicorum suorum naturam intimásque cogitationes perscrutantur, ut bonos amare, ac pravos contemnere valeant. Cùm enim, quis est bene potus, licet prorsus ebrius non sit, liberius & sine aliqua simulatione agens facilè abdita animi sui arcana pandit, verámque suam naturam patefacit, quod non præteriit Horat, cùm in Poët. scripsit:

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem prospexisse laborent,
An sit amicitia dignus.

D. Johannes Bonifacius in Tractat. de furt. §. animo lucri. num. 135. & seqq.

Petrus Monachus germanis bibacitatem suam hoc disticho objicit:

Germani cunctos possunt tolerare labores,
ô utinam possent tam bene ferre sitim.

Germanus respondet.

Bacchus Germanos vexat, sed fœmina Gallos,
Dic mihi quid gravius, vulva vel urna, nocet?
Divitias, animam, vires Germania perdit,
Potibus & mensis ebria facta suis.

CCCI. *De Hermico Lusitano vinaria angina extincto.*

IPse novi Romæ quendam haud vulgariter eruditum, qui hac angina seriò periit, Hermicus appellabatur natione Lusitanus. Correptus erat febricula

vir

vir corpore supra modum obeso, & ob id spirituosus. Decumbentem invisit Christophorus Fischerus patria Anglus. Vin' tu inquit, Hermice, auscultare medicis meras nugas præscribentibus? Bono vino rectiùs prolueretur hoc malum, simulque jussit afferri vinum Corsicum quadrimum. Propinavit ægroto, jubens bono esse animo. Ille persuasus hausit affatim, ac mox intercluso spiritu cœpit animam agere. Quosdam ebrietas è taciturnis reddit loquacissimos, quosdam contrà tam mutos, quàm ullus est piscis, citra valetudinis periculum. Utinam hæc οἰνάσχη minus frequens esset apud Germanos. *Erasm. Chil.4. Cent.8. Proverb.2.*

CCCII. De *quodam patrem suum per ebrietatem interficiente.*

Qua sanctus vixit pater Augustinus in urbe,
Dives, & eximio nomine civis erat.
Mascula progenies illi fuit unica tantùm,
Quam pater errantem corripuisse nequit.
Libertate sibi donata filius iste
Admittit quodvis patre vidente scelus.
Ebrius heu ipsum genitorem trajicit ante
Conspectum matris, sævus & ense necat.
Parce precor patri, prægnanti corpore mater
Dicit, & ad verbum mox etiam ipsa cadit.
Pergit is, ad mortem germanas vulnerat ambas,
Atque aliam (infandum) vi superare cupit.
O fons ebrietas scelerum, pelagusq; malorum,
O peccatorum campus & ampla seges.

D. Selneccerus in Pæd. pag. 211. Eandem historiam ex Augustino ad fratres in Eremo Ser. 33. refert D. Joachimus Beust. 1. part. postil. pag. 147.

Ita atq; ebrietas homini sunt noxia pestis,
Hæc fuge curarum semina, tutus eris.

CCCIII. *De Hanſone Fitzlero, ſatuo Cammerforſtenſi.*

CAmmerforſti, qui Thuringiæ pagus eſt, Johannem quendam Fitzlerum, hominem excordem ac planè fatuum novimus. Quem ejus Eccleſiæ adminiſter (qua religione ductus, ipſe viderit) die quodam Paſchatos unà cum aliis quibuſdam ruſticis ad ſacram ſynaxin aliquãdo admittebat. Cæterùm cum cœna dominica jam peracta, populum, præmiſſa & recitata benedictione conſueta, dimitteret, incredibilis hominum conſtipatio & coarctatio in ipſis templi foribus exiſtebat, quolibet ipſorum ad prandium feſtinante, quòd paſtor eos ultra tempus concione plus ſatis prolixa detinuiſſet. Cumprimis verò Fitzlerus fatuus præter cæteros miſerè mirificeq; coangustabatur, casúne an verò ex compoſito, equidem haud facilè dixerim. Proinde voce ille, quanta potuit, maxima exclamavit: Quid iſthæc (malum) conſtipatio vult veſtra? An certum eſt vobis D. Jeſum, intra viſcera mea jam receptum, perdere funditus? **Ey Mordio / Mordio / was den Teuffel ſols dringen? was habt jr vor? wolt jr mir vnſern Herrn Gott im Leibe entzwey trücken?** Atq; hac quidem quiritatione ejulatuque ſuo, cùm omnem iſtam coarctationem mox ſuſtulit, tum miros etiam riſus concitavit.

CCCIV. De *Opilione quodam & Pharmacopola.*

MArpurgum olim opilio quidam ovium gregem cogebat, ut hic quidem eum in nundinis divenderet. Quòd verò myropolium illi tranſeundum eſſet, evenit, ut ſubita & inſueta cum aromatum, tum unguentorum fragrantia nares ipſius feriente oppreſſius corrueret, atque adeo animi deliquium patereturr. Id conſpicatus pharmacopæus protinus procurrit, eiq; cum liquorem nardinum aſpergit, tum alia etiam unguẽta ſumma & acerrima ſuavitate condita adhibet, quibus quidem malum iſtud nullo alioqui negotio depellitur. At verò tantùm abfuit, ut

pharma-

pharmacis istis suis opem illi salutemq; tulerit, ut ei potiùs his ipsis interitum necemq; videretur allaturus. Porrò non ita multo pòst adolescentuli pater, virgula planè divina, advenit, qui quidem videns filium suum eum ad modum a myropola tractari, iracundia incitatus, ipsum cum in lutum projicit, tum hanc etiam in rationem increpat. Apagesis putido unctor in malam rem cum fœtore isto sordibusque tuis. Tibíne certum est gnatum hunc meum de medio tollere, morteque delere? Hísque dictis digitos mox sues pixidi pañoritiæ suæ, quam ex fœmoribus pendentem habebat, infert, unguentumque inde depromtum filii sui naribus illinit. Cujus quidem ille odore continuò consanuit, in pedesq; se erexit. Unde astantes pleriq; risu propè corruentes exclamarunt: Nihil cum amaracino sui. Huic quidem hercle nihil dulce olet, nisi quod oletum olet. Pharmacopola contrà fremebat, quod in sanando asino isto oleum & operam perdidisset, ac pro beneficio ipsi dato convitium insuper maleficiumq; reportasset, tacitus secum illud Plauti mussitans: Ut est acerbum, pro benefactis cum mali messem metas? *Plaut. in Epidic. Act. 4. scen. 2.*

CCCV. De *alio quodam opilionione.* Kein Schäfer ist frommer hab den Haar auff der Zungen.

VUlgò recitant sive tabulam sive historiam, opilionem quendam raptum a nobili esse ad supplicium propter scelera & furta. Quum autem jam agendus esset in crucem, interrogatum a Nobili, an sciret alium opilionem probum & fidelem, quem præficeret rei pecuariæ? negásse, se quenquam scire, & esse omnes ejusdem farinæ, imò alios aliquantò nequiores. Hoc responso motum ferunt nobilem, ut incolumitate concessa retineret opilionem, cùm meliorem alium neminem invenire posset.

Luth. Tom. 6. Wit. Latin. pag. 440 fac. 2

CCCVI. *De Maximiliano Imperatore, ejus nominis II. & Opilione quodam.*

THeneri equidem non possum, quin hoc in loco historiam de Maximiliano Imp. Ferdinandi filio, invictissimi Imperatoris nostri Divi *Rodolphi* semper Augusti felicis ac pii Victoris parente, laudatissimæ memoriæ Principe, literis in præsentia posteritatique prodam. Hic Maximilianus Bohemiæ Rex, cùm in Hispaniam a patruo suo Carolo V. Cæsare, qui filiam ei suam vitæ sociam desponderat, eò vocatus, navigioq; vectus, appulisset, cum ut nuptias celebraret suas; tum, ut Cæsare in rebus Germaniæ perturbatis constituendis componendisq; occupato, regnorũ ac terrarũ gubernationi interea temporis præesset, & animi relaxandi reficiendiq; causa prope *Granatam* ad venationem obeundam aliquando profectus, in cervum quẽdam incidisset, remis, quod ajunt, velisq; eum insequitur: atque hac ratione a familia sua in loca sylvæ devia dilapsus, cum per deserta & inhospita tesqua, & summa montium cacumina hinc atque inde diu multumq; obequitâsset, animo admodum tristi & perturbato, nocte jam appropinquante, quippe qui à feris bestiis vehementer sibi timeret, magno cum desiderio, anxieque de loco sibi aliquo dispicit, ad quem pernoctandi causa tutò divertat. Prospecta tandem opilionis cujusdam casa, calcaribus equo additis, quàm potuit celerrimè, eò profectus, pastorem, hospitio, ut sese nocturno excipiat, rogat, quod se facturum pastor affirmat, &, ut ex equo desiliẽs in tuguriolũ ingrediatur, jubet. Cæterùm opilio ille satis numerosam alebat familiã. *Etenim habebat domi suæ et filiũ viginti circiter annorũ, et servũ in omni nequitiæ genere insigniter exercitatum, & uxorẽ, & filiolam, & nurũ suam juvencula, adhuc sponsam, non itæ pridẽ domum deductam.* Quũ igitur Princeps optimus ex equo desiliisset, eũq; opilionis servo

pascen-

pascendum tradidisset, in pastoris tugurium ingreditur, ubi cœna admodum exili excipiebatur, & fortè portiuncula quædam carnis agninæ vel caprinæ ei apponebatur, & foco assidet, ab omni planè cura & sollicitudine vacuus, opilione & familia ejus ignorantibus, quisnã Maximilianus ille esset. Quòd autem & bene vestitus esset, & forsitan etiam aureos annulos in digitis gestaret, & facie esset heroica ac liberali, non obscuro ipsum loco natum, aut infimæ cujusdam conditionis hominem, sed Dominum quendam prædivitem esse, conjecturam inde faciut. In magnam igitur spem adducti, futurum, ut opimam ab eo prædam reportarent, de ipso è medio tollendo, mortéque delendo, consilium impium & nefariũ capiunt. Cæna jã peracta, lectulus Maximiliano in parvo & angusto cubiculo, cui janua & cariosa & fracta, & non satis bene claudés appedebat, sternitur. Qua quidem in re occupatis reliquis, *juvencula illa sponsa* ad Maximilianũ accedit, & fidem silentii ejus, quod ipsi patefactura esset, ab eo stipulatur. Silentium Maximiliano promittenti, consilia illa & machinationes nefarias, quibus quidẽ in necem ipsius cõspirassent, aperit, vel ideo, quòd primũ scelerati illius propositi conscia fuisset, & in illud cõsensisset, à quo tamen postea pœnitentia ducta discessisset, vel (quod magis credibile est) quia ex cæterorum concursu, & gestibus, & nutibus illos aliquid monstri alere, & scelus machinari animadvertisset. Itaque tum nefario illo & scelerato consilio, tum singulari quadam erga bonum Principem cõmiseratione adducta, rem totam ipsi patefacit. Etsi verò Princeps optimus indicio sui, consilium & institutum ipsorum facilè, nulloque negotio avertere potuisset, vitam tamen ipse suam manu defendere, quam opilionibus istis, veluti quorum perfidiam & scelus jam tum perspectum haberet, sese credere ac

committere maluit. Sumto igitur animo virili & masculo, fortunam potiùs omnem, quam fidem illorum periclitari, secum constituit. Non ita multò pòst ab hospite illo suo in cubiculum istud, quod ad eædem ejus destinatum erat, deductus fuit, in quod etiam, subsecutus hospitem, sine ulla sese tergiversatione contulit, & postea foribus clausis, cistam quãdam prægrandem admovit, ac bombardas suas probè prius probéque instructas, ad manus sumsit, eventũ exspectaturus. Opilio, qui hospitem suum ex venatione & obequitationibus valde defatigatũ esse perspexerat, arctè illum graviterque & lassitudine jam dormire planè sibi persuasum habebat. Itaque lento admodum gradu ac circa strepitum ad januam graditur, minimè omnium putans, tam probe illam ac diligenter clausam communitamque esse. Quum autem spes illum sua frustrata esset, Maximilianum, ut fores sibi aperiat, rogat, tegumenti enim cujusdam ex cista depromendi necessitatem sibi imponi. Verùm Maximilianus, quippe qui fucum olefaceret, &, quia somno non indulserat, quid in janua tentâsset opilio, inaudivisset, discedere hospitem jussit, eumque objurgavit, quod non priùs ex cista, quibus opus erat, depromsisset, se non posse, utpote qui vix dum ad quietem & somnum sese cõposuisset, surgere, eique januam aperire. Quod opilio indignè molestéque ferens inclamare & quiritari cœpit, vim sibi domi suæ fieri, potestatem sibi retũ suarum denegari, & quid de hospite sibi suo polliceri haberet, se non satis intelligere. Ad extremum, cùm clamoribus & quiritationibus nihil proficeret, vi cubiculum aperire molitur, & nisi ultro aperiat, mortem Maximiliano minatur, Jovem lapidem jurans, vita se potiùs sua velle, quàm rerum suarum copia potestateque per ipsum domi suæ carere. Interea & opiliones supervenerant, & alii in aperienda janua

nua magnopere desudant, alii per fenestras aditum quærunt. Satis namque superque jam sentiebant, machinas suas diutiùs latere non posse, & Dominum illum nõ obscurè animadvertisse, quid in animo haberent, Maximilianus & ipse rem jam virum postulare, & ad extrema deveniſse intelligens, ad fores bombardas suas dirigit, & per eas opilionem glande emissa transverberatum humi prosternit, & è vestigio cista à janua remota, fores aperit, & stricto evaginatoque gladio procurrens, filio hospitis caput amputat, & robustum illum opilionis servum in fugam conjicit. Verùm eo ipso periculum omne nondum evaserat. Opilionis namque conjugis clamoribus, & ejulatibus, & insolitis tumultuationibus alii quoque opiliones vicini expergefacti, & ab armis instructi domum circumdant, & Dominum illum omnino ex finibus humanæ naturæ exterminatum cupiunt. Maximilianus à rusticis sese tantisper tuebatur, dum primus eis iræ fervor deferbuisset, & animo erat præsenti ac imperterrito, donec dies lucere & albicare inciperet. Ibi magnam rusticorum turbam adventare conspicatus, animo ipsis intrepido & quidem tali tantaque fortitudine, qualis tantum Heroem & dominum decebat, se Vicarium & Gubernatorem regnorum Hispaniæ esse, & si parsuri sibi non essent, periculum & jacturam omnium fortunarum ac vitæ ipsis imminere, indicat: quòd si verò fidem hisce suis dictis non habeant, ut in præsentia saltem à vi sibi temperent, & Magistratus cognitioni rem totam permittant, illos obtestatur, si verò nulla horum omnium ratione habita vim sibi nihilominus afferant, contra omne jus & æquitatem secum agi, eamque rem ipsis ad unum omnibus interitum allaturã. Etsi verò imperita & promiscua multitudo & gestibus, & constanti præstantique ac gravi sermone magnanimi illius fortissimique Principis

addu-

adducebantur, ut crederent, ipsum eum esse, quem se indicabat, captum tamen illum manibusque retro tergum ligatis vinctum ad Capitaneum proximi Castelli, simul atque dies illuxerat, deducunt. Venerunt autem eò illum investigatum jam tum antea nonnulli ejus satellites atque ministri, qui dominũ suum, tam inhumaniter & indignè vinctum adduci conspicati, parum aberat, quin in isto iracundiæ fervore furiosas opiliones invasissent, & ad internecionem occidissent. At Maximilianus, ut ne hoc facerent, mandabat, & dehortabatur, quod tamen ægrè ab ipsis impetrabat. Ibi totam illis rem aperit, & autores hujus flagitii indicat, qui etiam merito postea supplicio fuerunt affecti. Opilionis servus capite multatus, & domus ista hostilis incendio concremata fuit. Sponsa verò juvencula ista magnis & præclaris muneribus affecta, ob id, quod de periculo certiorem ipsum fecisset, à Principe totaq; adeo familia aulica in summo est honore atque precio habita. *D. Cyriacus Spangenbergius in suo Dæmone Venatorio cap. 11. pag. (mihi) 86 fac. 2. & seqq. unde hac in latinum sermonem transtulimus.*

CCCVII. *De cive quodam Cygnæo.*

MEmini historiam recitari à D. Philippo de cive Cygnæo, qui in vallem Joachimicam ad fratrẽ profectus, cùm domum redire voluisset, à fratre comitante eum per sylvam bombarda occisus & spoliatus fuit. Frater igitur, cum scelus innotesceret, & ipse supplicio afficiendus esset, publicè confessus est, se in egressu sylvæ vocem fratris manifestè audivisse, vocantis ipsum ad judiciũ, & sibi illam vocem tantum animi metum & terrorem incussisse, ut jam mori malit, quàm supersesse in tanto conscientiæ pavore. Fuit hic casus eò τερατώτερον, quòd amborum uxores eo tempore partui vicinæ essent. *D. Selneccerus in Genesin pag. 249.*

De

CCCVIII. *De Johanne Diazio Hispano.*

DE Colloquio Ratisbonensi paulò supra dictum est. Profectus eò fuit cum Bucero, permissu Senatus Argentinensis, *Johannes Diazius Hispanus.* Is multis annis Lutetiæ Parisiorum dederat operam literis, & Theologiæ Sorbonicæ. Quum autem Lutheri libros & aliorum legisset, & indefesso studio sacram scripturam evolveret, cœpit ei doctrina illa sordere magis atque magis, & tandem, ut majori cũ fructu rem ageret, relicta Lutecia, venit Genevam, ubi Calvinus erat ecclesiæ minister. Ibi commoratus aliquandiu petit Argentinam: & quia magnam in eo doctrinam ac studium indefatigatum Bucerus animadverterit, aliquot pòst mensibus, colloquii caussa Ratisbonam iturus, autor senatui fuit, ut eum sibi comitem darent, sociumque laboris. Ubi Ratisbonam ergo mense Decembri venit, *Petrum Malvendam*, de quo diximus, quem Lutetiæ noverat, adit. Is, velut obstupefactus, deplorat & queritur, quod iis locis ipsum videret, & quidem in comitatu protestantium, qui de uno Hispano in ipsorum sententiam adducto magis sint triumphaturi, quàm de millibus aliquot Germanorum. Itaque cœpit admonere, ut sui nominis rationem habeat, neq; tam fœdam maculam sibi suæque genti & familiæ inurat. Diazius ad hæc modestè respondet, commendata protestantium doctrina, & quidem ita discedit; cumque post aliquot dies rediisset, uti convenerat, *Malvenda* machinas omnes admovet, ut eum abstterreat: déque Pontificis Romani potestate multa locutus, quam sit res gravis illius excommunicatio, prolixè commemorat: deinde, quia Cæsar brevi sit venturus, monet, ne illius expectet adventum, qui forte sit ei futurus periculosus, verũ obviam proficiscatur, & ad sacrifici Cæsarei pedes projectus veniam

niam admissi criminis petat: in eo se fidum fore ipsi adjutorem profitetur. Ad hęc Diazius masculè & copiosè respondet, & doctrinam protestantium esse Prophetarum ac Apostolorum doctrinæ consentaneam dicit, & Hispaniæ patriæ suæ miseriam deplorat, quæ tantis in tenebris versetur, & ipsum *Malvendam* atque socios, qui manifestam veritatem oppugnent, & Cæsari malorum consiliorum sint autores reprehendit, graviterque monet, ut desistat, & ipsius consilium repudiat, & salutarem hanc doctrinam professurum se, beneficio Dei, neque capitis ullum recusare periculum demonstrat. *Malvenda*, ubi confirmatum vidit, huc, inquit, frustra venisti: nihil enim hîc statuetur; quod si publicè prodesse volebas, ut quidem jactas, Tridentum ire oportuit. Pòst hunc congressum Diazius in posterum ab illo abstinet. *Malvenda* interim datis literis ad sacrificum Cæsaris, rem omnem exponit, & gravissimis verbis monet, ut nascenti malo statim occurrat. Cùm hæ literæ redderentur, aderat Hispanus quidam, *Marquina*, qui Roma nuper venerat. Is intellecta criminatione cœpit excusare Diazium, quem familiariter noviſſet. Paucis deinde pòst diebus domum redit, & Diazii fratri Alfonso Jurecõsulto, Romæ, quid à sacrificio Cæsaris audisset, recitat. Interim Diazius Ratisbona proficiscitur Nuburgum, quod est Ottonis Henrici Palatini Principis oppidum, ad Danubium, 12. supra Ratisbonam milliaribus. Causa profectionis erat, ut cujusdam libri, quem Typographo Nuburgensi miserat excudendum Bucerus, emendationi præesset. *Alfonsus* frater, excitatus oratione Marquinæ, fortè etiam literis quorundam, statim accingitur ad iter, & celeri cursu, primùm Augustam, deinde Ratisbonam venit, & ubi, quibus locis esset Diazius, cognovit, eò contendit, & admiranti causam adventus tamque insperati commemorat,

morat. Pòst, eisdem propè rationibus & argumentis utitur, quibus ante Malvendia, quem Ratisbonæ convenerat. Cùm id frustra faceret, pollicetur annuos census è sacerdotiis, modò secum eat Romam. Cùm ne id quidem succederet, interpositis aliquot diebus, victum se fatetur, & amare doctrinam Euangelii simulat, & illum, ut relicta Germania, quæ viris doctis abundet, & ipsius opera non indigeat, secum in Italiam proficiscatur, ubi multis prodesse queat, hortatur: venturos primò Tridentum: ibi multos esse magna eruditione viros & judicio præditos, quibus gratissima sit ipsius futura consuetudo: Pòst ituros Romam, Neapolim, atque ita fore, cùm ab ipso passim per Italiam multi rectiùs erunt instituti, per eam occasionem, hæc doctrina in Hispaniam quoque propagetur: itaque rogat & obtestatur, ut in eo sibi morem gerat: sumtum omnem, & quicquid sit necessarium, ipse pollicetur *Diazius*, magna perfusus lætitia, tum sibi tum illi gratulatur, & missis Ratisbonam literis ad Bucerum & alios, consilium illorum exquirit. Ii rescribunt, & ne comitetur eum, moneant. *Alfonsus* ergò dejectus ea spe, rogat, ut saltem Augustam usque Vindelicorum secum eat. Dum hoc agitur, venit Nuburgum Bucerus, domum rediturus, ut supra diximus, & ne pedem illinc efferat, hortatur, neque prius hinc ipse discedit, quam *Alfonsus* abiisset, quod fuit Martii die 25. Sed pridiè, quàm abiret *Alfonsus*, fratrem humanissimè compellat, hortatur ad constantiam, & se beatum esse prædicat, qui paucis diebus ex ipsius colloquio tantum profecerit in vera DEI cognitione: rogat, ut subinde sibi scribat, benevolentiam omnem promittit, & recusanti 14. aureos obtrudit, atque ita, profusis utrinque lacrymis, discedit, & curru vectus, Augustam venit, sex à Nuburgo milliaribus.

Postri-

Postridie blādis verbis & largitione remoratus auri-
gam, ut ipsum adreverteret, idem iter, unde venerat,
ingreditur, & itinere comparata securi, quam a fabro
lignario fortè emerat, 27. die Martii, prima luce
Nuburgum venit, & equis ante portam relictis apud
nuncium Augustanum, quem secum adduxerat, in
oppidum ingreditur, famulo sicario comitatus, &
ad diversorium fratris accedit. Famulus, ne statim
agnosceretur, tabellarii vestem pileumque sumserat,
& præcedens ostium pulsat, deque *Diazio* rogat, ad
quem literas habeat: ipse promissus ascendit, *Alphon-
sius* autem ad infimos gradus manet, observans, ne
quis conatum impediret. *Diazius* expergefactus
quum a fratre nuncius adesse diceretur, prosilit è
cubili, & palleo solum tectus atque pileo nocturno,
in proximum cænaculum egreditur. Mox adest ille
cum literis, easque reddit. Vix dum illuxerat. Litte-
rarum hæc erat sententia; valdè se sollicitum esse de
ipsius periculo: caveat sibi diligenter a Malvenda, &
id genus aliis hostibus Euangelii. Dum ista legit
Diazius, carnifex a tergo stans, occultatam sub veste
securim totis viribus illi in capitis partem dextram
infligit ad usque manubrium, sic ut ille subitò per-
ruptis omnibus organis cerebri, nullam ederet vo-
cem. Percussor securim in vulnere defixam relinquit
& ilico descendens, cum hero parricida statim ex
oppido properat. Ibi conscensis equis ante portam,
quum incredibili celeritate Bothinæum venissent,
quod est inter Nuburgum & Augustam medio ferè
itinere, oppidulum, acceptis equis recentibus, quos
relinquerant, Augustam petunt. Cubabat in eodem
cubiculo cu Diazio Claudius Senarclæus adolescens
nobilis, Sabaudus. Cædes autem adeo fuit tacitè fa-
cta, ut is nihil sentiret, nisi tunc primùm quando si-
carius per gradus descendens edebat strepitum cal-
caribus. Ibi consurgens ille, quum in cænaculum ve-
nisset,

nisset, miserum & acerbum ostendit spectaculum. Hujus tam horrendi sceleris & inauditi, fama statim Nuburgi divulgata fuit, & ex aulicis ministris nonnulli, qui Diazium amaverant, arreptis equis, illos subsequuntur: &, cùm Augustam venissent, neque reperirent, domum redire statuunt, re desperata: sed ex ipsis quidam ætate viribusq; præstantior, *Michael Herfferus*, maxima celeritate pergit, & quum illi quodam in vico somnum caperent ex itinere defatigati, prævertit, ac citius, quàm ipsi, venit Oenipontem, & rem omnem Magistratui recitat: Cumque non multò pòst etiam illi venissent, comprehensos cædis atque parricidii accusat, & ad principem suum Ottonem Henricum datis literis omnia perscribit. Princeps, ea re cognita, binos è suis consiliarios Nuburgo jubet Oenipontem ire, qui causam agant. Hi Calendis Aprilis eò veniunt, usi celeribus equis, & ne quis esset dubitationi locus, pileum nocturnum Diazii, securim adhuc cruentam ac sanguine respersam, & literas ad eum fratris afferunt. Sed priùs quàm hi venissent, concessum Alfonso fuerat, ut nonnullis de suo statu scriberet. Aprilis die secundo, Legati Nuburgici, cum adiissent Magistratum, & rem omnem docuissent, ut supplicium sumatur de illis, aut, si factum negent, ut subjiciantur quæstioni, petunt. Ab his rejiciuntur ad alios judices. Quum eò ventum est, reis dantur advocati: per hos de die in diem res ducitur: tandem actores jubentur accusationem exhibere latinè & Hispanicè, posteà Cæsaris dicuntur supervenisse literæ Ratisbonam euntis, quibus mandatum sit, ut ab actione desistant: nam in comitiis velle ipsum, quid rei sit, cum fratre cognoscere. Cùm aliud impetrari non posset, Otto Henricus & Palatinus Elector ab Senatu Oenipontano postulant, ut reos Nuburgum certa cautione mittant, ubi sit admissum parricidium: Illi verò per

literas Cæsaris excusant. *Joan. Schleidanus Commens. lib. 17 in princ.*

CCCIX. *De Alphonso Diazio fratricida.*

NOstra memoria Alfonsus Diazius Hispanus, qui Neuburgi in Palatinatu fratrem Joannem Diazium doctissimum Theologum, ob eam causam, quod hic Euangelium esset amplexus, nefariè occidit, Romæ in equili suo, sibi ipsi justo Dei judicio laqueum mandavit. *D. Ioan. Iacob. Gryn. in Dan. pag. 270. Ph. Mel.*

ALfonsus Diazius, qui anno 1546. fratrem suum Ioannem Diazium interfecerat, Neoburgi in Bavaria, propter solam Euangelii confessionem, cum ipse Alfonsus versaretur in aula Pontificis, in judicio Rotæ. Postea verò anno 1551. se ipsum interimit in concilio Tridentino. Inventus est enim se ipsum suspendisse à cello mulæ suæ.

CCCX. De *Eberhardo Wirtembergensium Duce.*

WIrtembergensium Dux D. Eberhardus qui per meram perspicacitatem & sagacem investigationem acceptis suorum subditorum conditionibus, rerumque omnium fortunis cognitis, eò provinciæ statum provexit, ut florentissimam eam reddiderit. Unde prudentia Ducis obstupefacti subditi, quasi numen quoddam eum coluerunt, dicentes, **Wan Gott nicht GOtt were / wer solt billicher Gott seyn / denn vnser Herre von Wirtemberg?** Hoc est, si Deus non esset Deus, nemo jure majore Deus esset, quàm noster Wirtembergensium Dominus. *Reinhardus Hadamarius in Institut. Principis pag. 123.*

CCCXI. *De Henrico Landgravio Hessiæ.*

ILlustrissimus olim piæ memoriæ Princeps, dominus Henricus Landgravius, non ut modò plerique fastuoso luxu diffluebat, qui nigra plerunque lanea veste

veste contentus in pileo gestare solebat argenteum siphunculum, qui duabus, quarum receptaculum fuerat, pennis gallinaceis exornatus, videbatur heroi maximum ornamentum. At jam videas puellam plebejam, cujus unicum reticulum vel redimiculum multò pluris constet, quam Principis illius summus omnis constiterit ornatus capitis. Et reperiuntur multi plebei, qui profestis jam diebus multò nitidiores atque comptiores, quam festis ille, soleant inambulare, & si fuerit opportunitas ostentandi, bis ter aut quater habitus pretiosos mutare. *O pauperiem superbam, odiosam coram* DEO *& hominibus.* Hadamarius de Instit. Princ. pag. 207.

CCCXII. *De Philippo Comite Cattimelibocorum.*

GEneroſus olim piæ recordationis Comes *D. Philippus* Comes in Catzenelnbogen, eximius Christianæ frugalitatis amator fuit, qui in arce sua Hadamaria contentus simplici, sed mundo rerum apparatu, faginis patinis, ligneis cohlearibus, tornatilibus poculis, & quernis candelabris usus. Illud autem, quo ipse solebat uti, candelabrum ab aliis fuit discretum, in summitate ferreos duos canaliculos aut fistulas, quibus candelæ superimponebantur, habens. Jam verò nemo civis est, qui non fastiditis ligneis supellectilibus, argento vel auro prandeat atq; cœnet, multò lautior, quàm ille, vivat, ambitiosior deniq; multò triumphet indies. *Sed redigitur ad inopiam, qui amat gaudia: & quisquis amat vinum & pinguedinem non ditescet.* Quod quidem verissimum esse, vel hoc præsens exemplum documento fuerit. Frugalis ille Comes omnia granaria frumentis, promtuaria penoribus, apothecas vinis, arcas denique argento atque auro pleniſſimas habebat. Unde quidam cum illo pactus, se nummum aureum daturum, si pecuniam & aureum thesaurum sibi videre liceret,

Comes non solùm videndi, sed etiam quantum unico raptu posset, auferendi potestatem obtulit, & statim ad arcam duxit hominem, inquiés: *Expacto jam rape, quantum potes.* Avidus prædæ manum thesauro protinus injecit, sed lupus hians, spe frustratus, abiit, nullo cum fructu, majore cum digitorum atq; unguium detrimento. Atqui nostro seculo, quo peregrina luxuria defluxit in Germaniam, nihil pecuniarum remanet. Universam enim auferunt Oenopolæ, gemmarii, popinones, nugivendi mercatores, & phrygiones exteri. *D. Hadamarius* de Instit. Princ. pag. 108.

CCCXIII. *De D. Anna Comitis hujus Philippi filia.*

PRædicti Comitis filia piæ memoriæ D. *Anna* illustrissimi Hessorũ Principis D. *Henrici Landgravii* uxor, nunquam purpurata vel quisquiliata incessit, sed simplicibus vestimentis laneis nigris usa, & quod viventes adhuc aliquot Marpurgenses cives norunt, humillimis calyptris, vulgaribus peplis & inemtis capitalibus ornamentis. Jam ferè nulla pauperis uxor est, quæ non pepla gerat lato triplici limbo aureo distincta, moniliáque auro rigida. Paucæ jam viros quiescere sinunt, nisi porcis, bobus, aut frumentis divenditis emant superbis uxoribus cestos aureos, scapularia vel amicula serico villoso fimbriata, crocotas denique bissinas, roseas, violaceas, aut prasinas. Ita miseri nos id modò nostris in uxoribus tolerare cogimur, quod olim in filia sua Julia ægerrimè tulit Augustus Cæsar, ad quem licentiore habitu veniens illa, patris tacentis oculos offenderat. Mutavit cultus sui postera die morem, & lætum patrem affectata severitate complexa est. At ille, qui pridie dolorem suum continuerat, gaudium suum continere nonpotuit. *Et quantum* ait, *in filia Augusti probabilior est hic cultus?* Hadamarius de Instit. pag. 109.

De

CCCXIV. De *Arnoldo Geldriæ Duce.*

DUx Geldriæ D. Arnoldus Caroli avus nimios aulæ ſtrepitus odio proſecutus, nunquam ſericã veſtem induit, uſus lanea Londina. Tandem acceperat ſericam villoſam à D. Philippo Duce Burgundionum dono miſſam unam. Hanc nihil admiratus cum ſemel atque iterum toto induiſſet anno, minimè ſuſpexit, nunquam oſtentavit, ſed potiùs ludibrio quaſi diſſi nilem ſibi redditam ſolitus fuit habere. *Idem ibidem pag 210.*

CCCXV. *De Arnoldo Cliviæ Duce primo.*

DUX primus Clivenſis Dominus *Arnoldus* in vehemẽter acerbum apparatus ſuperbi ac peregrini luxus odium pervenerat. Simplicem igitur ac modeſtam in aulis vivendi rationem à filio Domino *Johanne* ejus nominis Duce Clivenſi primo ſervari voluit. Sed hic in Galliis aliquot annos vitam exigẽs, patriam dedidicit, ac ſuperbioré exteræ gentis conſuetudinem aſſumpſit. Quare cùm è Navarrorum nobiliſſima familia duxiſſet uxorem, ſtatuit in patriã redire, ſed apparatu & equitatu gallico inſtructus. Adventantem filium & peregrino luxu tumidum videns, adhæc plurimorum inſuetas cãpanellas & tintinnabula multorum audiens, D. Pater excanduit, inquiens ſua dialecto: **Da kompt Hennicken mit den Bellen.** Hoc eſt, filius meus Johannes venit cùm tintinnabulis; quibus exprobravit illi peregrini, quem affectaret, luxus vanitatem. Hoc ipſo ſenis Principis dicto, ut proverbio celeberrimo filius ſæpenumero ſolebat uti, ac ſecum jocari, confeſſus, Dominum patrem vera dixiſſe. Nempe ridiculum eſſe, ſi quis Principũ frugalitatẽ patriã cũ luxu peregrino non erubuerit permutare. *Idẽ ibidem pag. 210.*

CCCXVI. *De N. N.*

ANte paucos annos fuerunt, qui cùm viderent

nimiam subditorum luxuriam in alimoniis & corporum ornamentis, dixerunt: Certam inituri sumus rationem, qua prorsus istam fastuosam tollemus exsuperantiam. Vulgo enim ita pecuniam extorquebimus, ut superbia vix habeat, quo nates contegat.

Idem ibidem, pag. 216.

179

CCCXVII. *De Carolo V. Imperatore.*

QUum Wormaciæ nuncios de Hispaniæ tumultibus, de regno Navarræ à Gallis occupato, & Belgii populationibus, iisdem ferè diebus accepisset, palam testatus est, se invitum ac repugnantem ad arma trahi, ac dolere se, Turcis, qui paucis mensibus ante Belgradum ceperant, intestinis bellis viam in Germaniam sterni. Orare autem DEUM, ut sibi Rempublicam orbis Christiani tranquillam & florentem perpetuò manere cupienti, opem ferat, & in causa justa adjutor, custos & vindex adsit. Has preces pluribus verbis à se conceptas, quotidie recitare solitus est. Nō tamen, ut à pueritia assueverat. Horas suas sive preces Canonicas in militia & domi legere intermittebat, ita ut familiares precum illius assiduitatem & prolixitatem cernentes Carolum alioqui natura taciturnum, *sæpius cum Deo, quàm cum hominibus loqui dicerent*, D. Chytræ. in oratione sua de hoc laudatissimo & sapientissimo Imperatore habita, *pag.* 26.

180

CCCXVIII. *De eodem.*

CUM ad vicinos Ingolstadio montes Germanorum Principum & Civitatum fœderatarum castra longissimo spacio extenta videret. Sunt ne isti omnes Germani? quærit. Et bene est, inquit. *Citò eis deerit consilium & pecunia.*

Idem ibidem, pag. 47.

181

CCCXIX. *De eodem.*

CUM de Principe quodam bellum moturo audiret, *Ignorat adhuc*, ait, *quid ad bellum requiratur.*

Idem ibidem.

De

CCCXX. *De eodem.*

ANno 1540 ineunte, per Gallias proficiscens, Parisiis pro ixa oratione, exquisitas omnium virtutum summi Imperatoris laudes ei tribuente, ac planè in cœlum efferente, exceptus est. Huic Oratori brevissimè respondit, gratam sibi esse Regis affinis erga se benevolentiam, sed laudes illas existimare se eo pertinere, ut commonefiat: *Qualis esse debebat.* Idem ibidem.

CCCXXI. *De eodem.*

ANtonio Leva &aliis Ducibus, Julii Cæsaris & Alexandri exempla laudantibus, nec uti Carolum suis victoriis, ad potentiæ & magnitudinis suæ amplificationem, quantum & posset & deberet quærentibus, respondit, Alexandro & Julio in bellis gerendis unum fuisse finem: *Honorem & gloriam.* Christianis autem Regibus duos esse propositos HONOREM, ET ANIMÆ SALUTEM. *Idem ibidem pag. 48.*

CCCXXII. *De eodem.*

REX Galliæ *Franciscus*, cùm aliquoties propinquis castris pugnam detrectaret: dixit *Carolus* optare se, Gallo vel plus audaciæ & felicitatis, vel minus verborum & odiorum inesse. *Idem ibid. pag.* 49.

CCCXXIII. *De eodem.*

TRajiciens aliquando Rhenum quærit ex Principe, qui aulam ipsius tum sequebatur: *Cur majores nostri arces & præsidia in excelsis montibus extruxissent?* Cùm responderet Princeps, munitiores illis arces in editis locis visas fuisse, censuit Cæsar, rectius eas in planicie collocari propter æquationis, & invehendi commeatus, & tormentorum & aggerum commoditatem. Sed *nunc* inquit *sub terra quidam munitiones ædificant, ut* inferno sint propiores. *Idem ibid.*

CCCXXIV. *De eodem.*

HIspanis quibusdam aulicis aliquando petentib. Ut Germanos Satellites & alios ex aula dimit-

teret, idque sine modo urgentibus, convocari Germanos jubet. His vultu ad severitatem composito, indicat Hispanorum petitionem & *Venite*, inquit: *Ego etiam sum Germanus, abeamus ex aula*, ne deinceps illis simus molesti, & abire se ostendit. Germani Satellites & alii alacres insequuntur. Sed Hispanis ad pedes Caroli abjectis, ac, ut maneret, & veniam stultitiæ suæ daret, suppliciter petentibus, restitit ac ignovit. *Idem ibidem.*

187 CCCXXV. *De eodem.*

REX Galliarum FRANCISCUS legens Symbolum Caroli V. Imperatoris, PLUS ULTRA, in pariete cubiculi, in quo captivus servabatur, atq; existimans suam calamitatē, CAROLI Imper. verò felicitatem & florentem fortunam notari, subscribit: *Hodie mihi, cras tibi*, volebat significare, idem Imperatori posse evenire, quod sibi acciderat.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxq; loco.

Reversus CÆSAR post aliquot dies, in idem cubiculum, & ea, quæ à Rege Galliarum adscripta erant legens etiam, subscribit: *Homo sum; humani à me nihil alienum puto.* Simon Pauli in explicat. Euang. Dom. XVI post Trinitat.

188 CCCXXVI. *De Selymo Turcico Imperatore.*

SElymus Turcorum Imperator dicere cōsueverat, se non nutrire prolixam barbam veluti *Bajazetes* pater fecerat, ne Bassæ manibus in illam injectis, ducerent Principem, quovellent, quemadmodum evenerat Bajazeti. *Paulus Jovius in Turcicar. rer. Commentar. in vita Selymi. pag. (mihi) 445.*

189 CCCXXVII. *De Antonino Bassiano, qui & Caracalla dictus est.*

SUbstitit post id *Antoninus* in Mesopotamia studio aurigandi, ac beluarum venationibus inten-

tus

tus. Erant præfecti exercituum duo, *Audentius & Macrinus*: quorum alter senex jam, rerumque civilium planè rudis, haud tamen imperitus rei militaris habebatur: Alter & in foro versatus, & legum consultissimus. In hunc igitur, ut parum militarem, minimeque fortem virum, publicè nonnunquam Princeps cavillabatur, nec convitiis quidē abstinens. Nā audito illum & victum usurpare liberaliorem, & aspernari vilissima abjectissimáque cibaria, quibus Antoninus militariter delectabatur, chlamidemq; & vestem cæteram ad urbanum modum gestare, quasi degenerem ipsum, morboque muliebri laborantem calumniabatur, minitans etiam occisurum. Quorum impatiens Macrinus, vehementer exacerbatus est. Accidit autem res hujusmodi. Quippe habitura finem aliquando fuerat *Antonini* vita. Nā cum suapte natura curiosior esset, non hominum modò res cognoscere studebat, sed deorum dæmonumque etiam rimari arcana, metuque semper insidiarū, nullis non oraculis incubabat. Accitis undique Magis, astrologis, haruspicibus, ac nullo planè præterito, qui hujuscemodi fallacas profiteretur. Sed eos quoq; suspectans, ut parum vera loquentes, omniaque ad assentationem vaticinantes, scribit ad Maternianum quendam, cui rerum suarum omnium curam in urbe crediderat, & quem sibi ex amicis omnibus fidissimum putabat, conscíumque omnium secretorum habuerat, magos undique optimos conquirat, atque evocatis manibus, de fine ipsius vitæ consulat, & an quisquam imperio insidietur. At *Maternianus* navata Principi opera, sive id revera manes significaverant, sive alioqui *Macrinum* perosus rescribit *Antonino Macrinū* esse, q insidietur Imperio, eumque è medio tollendum. Has igitur literas, ut mos est, cum reliquis obsignatas, dat ignaris, qui ferrent, tabulariis. Illi consueta usi itineris

neris celeritate, ad *Antoninum* perveniunt, quo ille potissimùm tempore ad aurigandum separabat, ac jam currum conscendebat. Ita ei reddunt integrum epistolarum fasciculum, in quibus erant etiam literæ, quæ ad *Macrinum* pertinebant. At verò *Antoninus* studio jam omni atque animo ad aurigandum intentus, imperat *Macrino*, uti ipse literas seorsum inspiciat, ac si quid majoris momenti sit, renunciet, sin minus ipse de more suum, hoc est, Præfecti officium exsequatur: quippe talia identidem injungere consueverat. Ipse deinde ad suum studium perrexit. *Macrinus* seorsum epistolis omnibus solutis, etiam in eam incidit, quæ ipsi perniciem afferebat. Cognito igitur quantum periculi impenderet, ac gnarus *Antonini* iracundiæ truculentiæque, præsertim tam speciosо prætextu, subtrahit epistolam illam. Cæterarum verò (ut solebat) argumenta Principi renunciat. Sed metuens, ne iterum super ejusmodi rebus *Maternianus* rescriberet, malens facere ipse aliquid, quàm exspectando pati, tale quiddam comminiscitur. Erat *Martialis* quidam Centurio unus è custodibus corporis *Antonini*, semper illũ affectari solitus, cujus fratrem paucis ante diebus Princeps delatum tantum, sed minimè redargutum occiderat, ipsumq; *Martialem* per contumeliam timidũ, ac degenerem, & *Macrini* amicum appellaverat. Hunc vehementer dolentem fratris nece, propriisque incitatum contumeliis, gnarus omnium *Macrinus* ad se vocat, studiosum jam pridem sui, ac multis obstrictum beneficiis, cui persuadet, ut captato quàm primùm tempore *Antoninum* obtruncet. Ille cùm promissis adductus, tum proprio odio, ac vindictæ fraternæ studio incitatus, libenter omnia se facturum pollicetur, cùm primùm occasio evenisset. Evenit autem haud multò pòst, quippe agens Carris, quæ est Mesopotamiæ urbs, *Antoninus*, deæ Lunæ invisit templum, quod

quod in ea regione distans aliquantum ab urbe, præcipuo honore ab incolis colitur. Eò secum paucos equitum eduxit, relicto exercitu cætero, ut sacrificio facto in urbem reverteretur. Medio autem itinere uno tantùm famulo comitatus, ac reliquis absistere jussis, recessit ad requisita naturæ. Quare aversis omnibus, & quam longissimè recedentibus, honoris ac reverentiæ causa, *Martialis*, qui omnes temporum captabat articulos, ut eum solum esse animadvertit, ceu nutu Principis ad videndum aliquid aut audiendum vocatus, accurrit illicò, aversumque & subligacula sibi deducentem pugione trajicit, quem celatum manu attulerat, & cùm in ipsam junctaram ferrum incidisset, letali scilicet vulnere de improviso *Antoninus* minimè defensus occubuit. *Herodianus lib. 4 pag. (mihi) 116.*

CCCXXVIII. *De Landgravio Ludovico, ferreo cognominato.*

HIc humiliter admodum demissèque se gerebat: nobiles autem ejus, supra quàm dici potest, fastuosi erant, sic quidem, ut ipsum & mandata ejus parvi facerent, & pro nihilo ferè putarent. Subditos enim illius passim & premebant, & pro animi sui libidine pecunia ipsos emungebant, & nullis non injuriis afficiebant. Cùm autem aliquando venationem obiret Landgravius, feram quandam offendit, quam tantisper est insecutus, dum à via aberrans nocte obrueretur, & cùm solus in multam usque noctē in sylva obequitasset, ignem quendam eminus conspicatus, profectione ad illum directa, ad fabrum quendam ferrarium in sylva habitantem, exili admodum vestitu de more indutus, pervenit. Fabro interroganti, quis esset, respondit, se Landgravii esse Venatorem. Ibi Faber: Malam verò pestem, inquit, Landgravio misericordi isti domino? quisquis eum nominat, vel quavis vice os abstergere debebat. Ad extre-

extremum tamen subjecit: Ego te hospitio excipiam. In isto tuguriolo fœnum reperies, eo liberum tibi esto equum tuum pascere, tu quidem vir bonus sis, sed in Domini tui misericordia illius Landgravii gratiam ne quidem permissurus tibi eram ingressum ultra limen meum. Quùm verò fabro de nocte operanti assisteret Landgravius, & videret illum ferrum ingenti quodam malleo subigentem percutientemque, hisce faber verbis Landgravium calumniabatur: Durescе, inquiens, utinam & Landgravius durescat, durescе inquam, ô tu infelix & miser Landgravie, & istam animi mollitiem ejice. Quid alioqui vita tua miseris tuis subditis prodesses, an non vides, quàm graviter Consiliarii illos tui premant atque excarnificent, & adunco te naso suspendant? Multis ita exemplis in medium adductis recensebat, quàm ægrè Landgravii ministri miseris subditis facerent, eosque tantum non expilarent. Porrò subjiciebat, si subditi de hac injuria conqueri volunt, aditus ipsis ad Dominum intercluditur, &, si fortè mandatum impetrant, nobiles eum irrident, ac per lubrium effœminatum ac mulierosum appellant, atque adeo medium ipsi digitum ostendunt. Atque hunc quidem ad modum faber ferrarius dominum suum indurescere contumeliosè non parùm quidem multùm ista nocte exoptabat. Landgravius studiosè, quis esset, celans, rem omnem imis sensibus reponebat, & pristina animi mollitie abjecta, ac severitate tanto viro digna assumta indutaque, refractarios in ordinem redigere studebat. Id quod ægrè ipsi implacateque ferentes, conjuratione facta adversus eum conspirabant. Quamobrem Landgravius nobili cuidam suo, qui multa adversus se protervè designaverat, bellum facit. Quod reliqui è nobilitate ferre nolentes, congregati suppetias nobili isti ferre cogitant. Sed Landgravius in bello prope Naumburgum

ad Salam commissō, ipsos vincit, & captivos secum abductos punit, quod omni juramenti religione ac fide, qua devincti sibi obstrictique essent, posthabita, adeo refractarios & rebelles sese exhibuissent, inter cætera hanc quidem in rationem ipsos allocutus: Equidem pœna inobedientia ista tam insigni digna vos affecturus eram, sed si facerem, dicerent fortasse nonnulli, me ministros meos ipsum necare, è medióque tollere, quòd si verò pecuniam vobis certam quandam imperarem, neque ita bene auditem; si vos prorsus impunitos dimitterem, indignationem vos meam nihili penderetis. Landgravius igitur rus illos abducit, & in aratro in agro fortè reperto refractarios illos quavis vice quaternos jugo jungit, & sulcum cum iis unum arat, & ministris ejus stivam tenentibus, flagello Landgravius ipse eos pellit, atque adeo cædit, ut sese aliquoties submittentes tantùm non corruerent. Cùm igitur sulcum arando jam effeciissent unum, rursus quaternos jungit, ita quidem, ut totum cum iis agrum aratri vomere perstringeret. Posteà ad sempiternam memoriam agrum illum magnis quibusdam lapidibus erectis designat, atque hac illum immunitate donat, ut quivis facinorosus ad eum delatus immunis foret, &, si quis istam violaret immunitatem, capite plecteretur. Agrum porrò istum nobilem agrum appellat, & nobiles illos Naumburgum secum abductos, denuo in fidem suam adigit, & sacramento homagióve obstringit. Posthæc verò Landgravium magnopere omnes venerabantur, usque adeo, ut isti, qui aratrum traxerant, solo ipsius nomine audito, toto mehercule corpore cohorrescerent, & rubore non leviter suffunderentur. Hæc quidem res longè fuit lateque sparsa ac disseminata, ac erant nonnulli de iis, quos aratrum trahere oportuerat, qui clanculum insidias Landgravio struerent. Ille verò graviter in eos, quos

instituti

instituti illius convicerat, ac severè animadvertebat. Qua etiam de causa perpetuò ferrea indutus lorica incessit, ac ferrei inde Landgravii cognomen tulit. *Beecherer. in Chron. Thuring. pag. 238. & seqq. unde hæc in latinum sermonem transtulimus.*

Fürsten vnd Herrn sollen nicht alles an die Râhte Edelleuth/vnd Secretarien lassen.

Qui summas igitur rerum tractatis habenas
Atque Dei geritis sceptra suprema locum;
Advigilate ipsi, nec vestris cuncta ministris
Credite, nobilium purpureoq; choro.
Sic erit in portu privata & publica causa,
Ac erit insidiis clausa fenestra malis.
Ludovicus Milichius.

Luc. 14.

Καλὸν τὸ ἅλας, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ ἐν τίνι ἀρτυθήσεται; οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν εὔθετόν ἐστι, ἔξω βάλλουσιν αὐτό.

Bonus est sal, si verò sal infatuatus fuerit, quo condietur? Neq; ad terram, neq; ad sterquilinium appositus est, foras eum projiciunt.

CCCXXIX. *De Dionysio Syracusanorum Tyranno.*

HIc quidem Tyrannus ipse indicavit, quàm esset beatus. Nam cùm quidam ex ejus assentatoribus *Damocles* commemoraret in sermone copias ejus, opes, majestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quenquam fuisse: Visne igitur, inquit, ô *Damocle*, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? Cùm se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcerrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures ornavit argento auroq; celato. Tum ad mensam eximia forma

forma pueros delectos jussit consistere, eosq; ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronæ: incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis extruebantur, fortunatus sibi *Damocles* videbatur. *In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari setâ equinâ appensum demitti jussit, ut impenderet illius Beati cervicibus.* Itaque nec pulcros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum: nec manum porrigebat in mensam: jam ipsæ defluebant coronæ: deniq; exoravit tyrannũ, ut abire liceret, quòd jam beatus nollet esse. *Satisne videtur declarâsse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat?* Cic. Tusc. Quæst. lib. 5. *Salomon Proverb cap. 23.*

Cùm sedebis ad comedendum cum Principe, intelligendo intelliges, quæ sunt coram te. Et pones cultrum vel spinam in gutture tuo, si dominus animæ es tu. Ne concupiscas cibos ejus, cùm sit panis mendaciorum.

Ludovicus Lavaterus ad hunc locum in Commentar. super Proverb.

Altior sensus est, prudenter agendum esse, si cum principibus versemur. Vide, quæ sint ante te, vide quid facias, quid dicas. Periculosa enim est eorum familiaritas, quæ per communem mensam intelligitur. Nam si quis vel dicit, vel facit aliquid, quod eos offendit, statim ulciscuntur. Nemo autem tam cautus est, qui non inter scyphos aliquando liberius aliquid effutiat. Multi bene poti dicunt, quæ subjecti tormentis non dicerent. Solent autem potentes, per vini leve tormentum, aliquando hominum cogitationes & consilia expiscari. In fabulis olla lutea aheni congressum vitat, ne incurrens in hoc, conteratur. *Ovid. lib. 3. de trist.*

Usibus edocto si quicquam credis amico,
Vive tibi: & longè nomina magna fuge.

Horat.

Horat. lib. 1. Epist.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuet, &c.

Plerique appetunt aulas Principum capti illecebris: sed tutissima vita est, quæ degitur cum æqualibus. Sin verò necessitas in aulam vocat, prudenter est agendum, ne temerè Principis offensam incurramus. Socrates suadebat, ut est apud Stobæum, ὡς ἥκιστα τοῖς δυνάσταις ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν. Proverbio dicitur, Procul à Jove, atque à fulmine. Syracides 13. multa habet de leonina illa societate vitanda. *Hactenus Lavaterus.*

Johannes Bonifacius in Tractat. *de furt.* §. *est*, *num.* 40 *pag.* (*mihi*) 66.

Ab humilioribus potentiorum vicinitatem esse evitandam nos monet apologus ille, in quo olla fictilis ollæ æneæ societatem renuit, dum ambæ in amni traherentur, ne fragilis à firmiori frangeretur. Quid enim cacabus ad ollam? Hinc illud desumitur saluberrimum præceptum, cum potentiori non esse ineundam societatem. Si quid enim infortunii accidit, illud totum in debiliorem cadit, isque exterminatur illæso potentiore. De qua re agit quoq; Alciat. in suo emblematum libello. Hucque spectat illud Salomonis: Nihil cum potente communica. Dissimilium enim est infida societas. Non ineptè igitur fecit, qui apologum illum composuit, in quo cochlea à Jove, omnia interdum, quæ ab eo peterentur, concedente, petiit, se propriam domum secum deferre posse, ut malos devitaret vicinos, &c.

CCCXXX. *De Nicolao Petro.*

PErhibent in Hassia rusticum quendam fuisse, qui ita se vino aliquando implerit, ut pedibus consistere, atque adeo ingredi nequiverit. Hinc factum est, ut misere in luto volutaretur. Quidam verò ex vicinis illius fortè fortuna interveniens, eumque in luto

luto tanquam murem in pice hærentem conſpicatus, ex ipſo quæſivit ecquid iſtic rerum gereret? Tum Nicolaus ei reſpondit. Hoc equidem in cœno ſenſum communem rationémve quærito, quã nimium potando amiſi. Ridiculum quidem reſponſum, at verum tamen. Abeunt enim homines omnino in bruta, ſeq; ipſi de ſanitatis gradu turpiter fœdeq; deturbant, cùm ultra, quàm natura requirit, bibunt.

CCCXXXI. *De eodem.*

SOlebat idem vina Rhenenſia in Haſſiam devehere. Accidit autem, ut amicis quibusdam publico in hoſpitio gratificaturus, aliquot vini menſuras ex dolio depromſerit. Quare, cùm poſtridie puteum quendam præterveheretur, dolium ex hoc ſibi replendum eſſe cenſuit. In quo cùm occupatus jam eſſet, interveniunt nonnulli, ex eoq; percontantur, ecquid iſtic rerum ageret? Tum Nicolaus. Ego verò, inquit, CHRISTI vices jam obeo, ex aquaq; vinum conficio: **Ich ſtehe allhie an GOTTes ſtatt/ vnd mache Waſſer zu Wein.**

CCCXXXII. *De Martino ab Hanſtein equite Eufeldiaco, & milite quodam circumforaneo.*

EST fucorum quoddam genus atque Stellionum, quod pro militibus ſe gerit, cùm tamen nullam militiæ partem unquam attigerit. Hæc quidem iniqua terræ pondera paternas opes ipſa ſtatim in adoleſcentia decoquunt atque dilapidant, poſteaque, virili toga aſſumta, per Germaniam diſcurrunt; miſerisque ruſticis multùm ſunt moleſti. Hos enim ſibi dare vel invitos compellunt, & panes, & ova, & lardum, & caſeos, & carnes infumatas, & item alia hujuſmodi. Dictu autem profectò mirum, quàm feroces erga miſeras mulierculas reliquumque imbellem gregem ſint, domo ubi viros abeſſe ſuſpicionis odore ſentiunt. Tum verò nihil non ab his extorquere

audent. Habitus horum terræ filiorum atq; vestitus est admodum monstruosus & barbarus: Caligas enim mirum in modum laxas ad talósque usque dependentes habent. Caput præacutus pileus, isque probè plumatus cingit ac tegit. Manicæ ipsis amplæ furtisque occultandis appositissimæ sunt, de quibus loculi quidam aut sacci potiùs dependent. Ensem à tergo erigũt, vagina eum dimidia ferè sui parte nudantes, quo mucro atq; adeo acies illius conspiciatur. Hæc monstra hunc ad modum ornata, meretrix veste discolor sectatur catellum ductitans, nonnunquam & spurium gestans. Sub veste autem gallinis, sæpe etjam anseribus, suffarcinata est. Has enim mira arte, atque adeo funiculis in hoc paratis surripere norunt, easque dein in cauponis passim divendunt. Evenit autem, ut hujus farinæ ganeo quidam *Martinum ab Hanstein* equitem Eisfeldiacum adiret, de viaticoque sollicitaret. Quod tametsi liberale accepisset, eo tamen minimè contentus, in gallinas impetum facit, ex hisque nonnullas surripit, parum memor, non in rustici alicujus, sed viri nobilis se ædibus jam versari. Nobilis ergo qui de fenestra prospiciens hæc coram vidisset, nebulonem mox per famulos accersi ad se jubet, atque ita alloquitur: Minimè me quidem fugit, vobis per privilegium quoddam vestrum, nescio quod, licere unam gallinam intercipere. Quod si igitur ad privilegii hujus præscriptum atque tenorem unam duntaxat habueris, non est, quod tibi succenseam. Sin verò plures penes te, quàm unam, invenero, dispeream equidem, si impunè id tuleris. Nec mora, nebulonem è vestigio perscrutatur. Atque prima gallina inventa extractaque, hæc verò tua est, inquit. At reliquæ ad me omnes pertinent, quas cùm scelerate mihi surripueris, pœnam nunc perpendes. Jubet ergo furem humi mox considere, à famulis teneri, sibique forcipem afferri.

Hunc

Hunc in os, quod propè ante colaphis demulserat, ei immittit, totque inde dentes eosque genuinos extrahit, quot ille gallinas tum quidem clepserat. Quoties autem forcipem denti admoveret, toties invitus hic dens, inquit, istinc discedit, mallet enim hic commorari, pluresque adhuc gallinas comminuere atque devorare, cumque jam dentem extraxisset, nebuloni ostendebat, hac addita interrogatione, quod cedo quæso, hocce dente gallinas contrivisti? Tandem servis mandat, ut galliphagum hunc abripiant, per gradusque præcipitem agant, Jovem lapidem jurans, futurum ipsum pensilem, istuc quidem si rediret.

Sic sic accipiendi forent hi patrimoniorum suorum gurgites, miserorumque rusticorum vulturii atque adeo carnifices, tum minor ipsorum haud dubiè numerus sit futurus. Profectò Principum interesset, prohibere ociosos hosce ventres tanta subditorum suorum cum vexatione suis in ditionibus vagari, furari, prædari, scortari, ac latrocinari. Nihil enim horum dici potest, quod in illos non cadat. A miseris rusticis, ut antea dictum est, quidvis extorquent, ac iis ne verbulo quidem gratias agunt. Pauperes alii sine eleemosyna interdum abire coguntur: at verò his cyclopibus nihil quicquam denegare licet.

CCCXXXIII. *De alio quodam impio atque impudente milite, impostore.*

ANNO 1565. hujus farinæ Stellio quidam, per Hassiam inferiorem vagabatur, multisque honestis hominibus, nova quadam, atque adeo nefaria inauditaque audacia imponebat. Etenim in urbes nonnullas profectus sibi in proximo pago, quem denominabat, uxorem filium peperisse præ se ferebat, pro quo ut primores ejus civitatis senatorii ordinis homines ad sacrum fontem fide juberent,

maximopere rogabat. Cumque autem hi annuerent, seque postridie in officio futuros affirmarent, tùm verò non erubescebat exhausto pudore omni scurra, argenti aliquid ab iis emendicare, illata causa, nudum se prorsus ab omni pecunia esse, ideoque illam necessariò petere, quo prandium apparare compatribus suis atque præbere posset. Hoc pacto, cùm bonos viros argento emunxisset se dein, quantum poterat, impedes conjiciebat. Quare illi postridie, amicis, ut fit comitati, ad pagum dictum cùm venirent, neque patrem, neque matrem, neque item infantem inveniebant, seque miseris indignisque modis delusos esse reipsa experiebantur. Hac ratione nebulo hic cum multos alios, tum etiam Christophorum Reinmannum civem Capellensem, qui ante multos annos peditum ordines in Galliam ductarat, rebusque præclarè fortiterque hic gestis, Imperatorium nomen meruerat, circumveniebat. Is igitur omni sibi opeenitendum esse putavit, ut ne hoc audax animadvertendumq; facinus Stellio iste inultum auferret. Itaque de eo ad *Guolphgangum Tarandum* socerum suum Reiquepublicæ Cassellanæ Capitaneum dat literas, quibus cùm egregiè suis eum coloribus depingit, tum etiam rogat, ut, si impostorem eo fortè venire contingat, eum in vincula conjiciendum, ob istudq; sacrileguin facinus supplicio aliquo plectendum curet. Quid fit? Paucis interjectis diebus Cassiliam impostor hic pervenit, atque hîc quoque eundem prorsus ad modum, & Friderico à Roltzhausen supremo Hassiæ Mareschallo, & Antonio Clavæ Illustrissimi Cattorum Principis Burggravio, & Levino Pontano ejusdem Pharmacopæo verba dat. Qui quidem homini & pecuniam liberaliter numerant, quo prandium sibi instruat, & affuturos se postridiè prolis suscipiendæ causa promittunt. Ecce autem tibi, cùm hos tantos viros tam liberales atque benignos

gnos erga se sensisset, faciendum sibi putavit, ut præter hos adhuc unum atq; alterum argento emungeret. Quare & ad Guolphgangum Tarandum Rheinmanni socerum se confert, ab eodemque petit, ut postridie proximo in pago suo pro filiolo ad sacram fontem fide jubere dignetur. Guolphgangus hominem omni & benevolentia complectitur, & libenter se idipsum facturum pollicetur, & denique assidere eum mox jubet, injecta spe, prandium se illi præbiturum. Ut ne verò fucus hic fucum olefaceret, mensuram mox vini afferendam curat, ac ex vicinis aurificem quendam accersit, qui interea, dum ex arca piscium ferculum depromat, compatri huic suo adsit. Quid multa? Frontem noster hic exporrigit, seque saltarem in modum pransurum sperat. Interea Guolphgangus ad Fridericum à Roltzhausen proficiscitur, eique literas generi commonstrat, quibus quidem cum impostoris illius technæ patefierent, eum in vincula conjici jubet. Ex his, paucis diebus interjectis, productus, contumelioso supplicii genere afficitur. Ambæ namque manus retrorsum colligatæ, funi è sublimi fori loco dependenti, implicantur, atque hunc ad modum ter in sublime attrahitur, novemque concussationibus demittitur. Quo examine ita illi scapulæ laxantur, ut ad pectus reflecterentur. Hoc supplicii genere mulctato, auris quoque dextera amputatur. Quod omnium ægerrimè tulit, sinistram sibi præscindi rogans. Etenim cùm hac in parte oculo quoque in pugna, ut ille asseverabat, esset orbatus, auris se vitium pileo eò commodiùs tegere, atque occultare posse putabat. At Carnifex nebuloni dextram amputavit, ut hîc quidem aure illic oculo careret. At incredibile est, quantis Carnifex verborum contumeliis nebulonem afficeret. Mihi verò uni inquiens, hic honor præter cæteros obvenit, ut ego tuus fiam compater, teque suscipiam.

piam. Atque hæc quidem verba toties ferè repetivit, quoties illum in sublime fune attraxit.

CCCXXXIV. *De alio quodam impio & conscelerato milite.*

EJusdem farinæ miles quidam, *Martinus Tholde* Mundensis, vulgo appellatus Stockholmer illectus pecunia illa, cæterisque honorariis, quæ compatribus suis illi novis, qui pro sobole ipsorum ad sacrum baptisma fide jubent, pro more instituteque, benevolentiæ testificandæ causa, largiuntur, filium decies suum baptizandum curavit. Quam ob rem Anno 1580. Hallendorphii Hessorum oppido, capitis supplicio affectus fuit, conjunx verò ejus scopis emendata. Quid autem aliud est Deo & hominibus scelerate imponere, hoc quidem si non est? Rectè igitur rationeque Imperatores Honorius & Theodosius in l. 2. C. Ne sanctum baptisma iteretur, constituerunt, ut si quis rebaptizare quempiam de ministris catholicæ sectæ fuerit detectus: una cum eo, qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic cui persuasum sit, supplicio percellatur.

Lucanus.

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Lotichius lib. 1. Eleg. 1.

Quàm miserum est rigido cum milite ducere vitam,
Qui putat armata cuncta licere manu?

CCCXXXV. *De Michaele Furstenwaldio Morione.*

HAbuit Morio hic parentem, ejusdem secum nominis, hominem honestum atque cordatũ, quique Cassillæ Hessorum metropoli cum pistoriam gnaviter laudabiliterque exerceret, tum ejusdem etiam Reipublicæ signifer, quoties militem in hostem educeret, esset. Cæterùm cum Morio, paternis in ædibus, pullos aliquando gallinaceos conspicatus esset,

esset, cœpit ex patre percontari, eccunde istud volatilium genus proficisceretur. Tum pater ei, Pulli verò hi gallinacei, ut sis sciens fili mi, insit, ex ovis, quibus gallinæ septimanas aliquot incubant, excluduntur. Tum Morio artem excludendi pullos rectissimè se jam tenere, atque adeo exercere posse ratus, matri clàm caseolos aliquot suffuratur (ova & caseos unum idemque esse ratus) hisque ad triduum incubat, in spem minimè dubiam erectus, se hinc pullos gallinaceos exclusurum. Investigatur interim miser ille per omnes urbis universæ regiones & angulos. At nusquam gentium apparet. Itaque parentes non in nullo metu trepidationeque sunt, Fuldæ eum aquis, à quibus non ita procul habitabant, suffocatum esse existimantes. Exacto autem quatriduo, cùm parentes postremum se gnatum hunc suum vidisse persuasissimum haberent, ac fortè fortuna superiorem ædium suarum partem ascenderent, ut inde scilicet frumenta in molam transvehenda molaque subigenda curarent, ecce tibi fatuum caseis quintum jam diem incubantem inveniunt. Itaque gaudio illi exiliunt: non tamen non cum ipso expostulant, quod toties tantóque clamore appellatus responderit verbum nullum, perinde ac si domi non, sed summo silentio sub tecto nidoque permanserit. Morio autem hanc in rationem sese purgat: Animadverteram equidem parentes chariſſimi, milvum pullorum nostrorum numerum rapacitate ista sua non mediocriter diminuisse. Quamobrem ut numerus iste instauraretur, pristinumque statum recuperaret, putavi, me frugi filii officium facturum esse, si caseis hisce incubans, alios pullos excluderem, ac successisset etiam sine dubio conatus, nisi vos vestra me præpropera intempestiváque intemperie interturbasletis. Quod ergo damnum istud à milvis accipitribusque nobis datum resarcire studuerim,

amore mehercule, non odio, aut ejusmodi objurgatione dignus videor. Facite igitur, ut pultem mihi avenaceam adipe etiam atque etiam circumfluentem apparetis. Quintus enim jam dies agitur, cùm cibum nullum viderim, nedum degustârim. Quid multis? Parentes stoliditate hac filii sui placati, ad misericordiam que reducti, voti eum sui compotem facturi, mora, nescio qua, præpediuntur. Itaque noster ille latrantem stomachum placaturus, ad caseos istos, unde pullos gallinaceos excluturus erat, conversus, eos ad unum omnes avidissimè devorat, nihil moratus quicquam, quòd quatriduo eos isto culi sui fumis probè probeq; macerâsset.

168

CCCXXXVI. *De Eodem.*

HUnc eundem parentes puerum, in scholas mittebant, in quibus ipsis tantùm profecit, ut expeditè non modò legeret atque pingeret, verùm latinè etiam nonnulla intelligeret. At verò cùm parentes eum quotidie magis magisque desipere animadverterent, à Musis tandem aliquando abstractum pistoriæ præfecerunt, quam ipsam quoq; artem utcunque perdidicit. Interim dominicis diebus condiscipulos suos diligenter invisebat, cum iisque lectiones olim in scholas auditas conferebat. Cumprimis autem Musices amore incredibili tenebatur, cujus cùm fundamentum aliquod jecisset, sibi non conquiescendum existimavit, tantisper dum integram perdisceret. Itaque vel hoc nomine indivulse scholasticis adhærebat. Evenit autem, ut *Johannem Nordecum* aliis tum studiis occupatum rudendo obtunderet. Itaque ira illè accensus, hanc in rationem Michaëlem corripuit. Cum Moricho sis stultior, nunquam tu quidem herclè artem hanc, aliis ratione utentibus perceptu difficilem atque operosam imbiberis. Quæ igitur (malum) dementia est, cùm te ipsum defatigare, tum aliis etiam molestiam exhibere. Ve-

Verùm lenem hanc correptionem, *Furſten Waldius* ſummæ in injuriæ loco poſuit, ideóque ſic illi reſpõdit: *Ego vero, Nordece*, minimè omnium ſum, morio, quippe qui & legere & ſcribere didicerim, & artem denique piſtoriam egregiè calleam. Crediderim autem parentem tuum haud gravatè aureos centum numeraturum eſſe, *ſi Philippus* frater tuus (erat is in eadem cum Michaele navi, hoc eſt, æquè atque hic fatuus) vel tam doctus eſſet, quàm ego ſum, vel non minus ſaperet, quàm ego ſapio. Quo quidem dicto *Michael* hic, cum omnibus audiẽtibus riſum movit, tum *Nordeco* etiam optimo alioqui juveni linguam intercluſit, ut rudere ipſum, quoad vellet, permitteret.

CCCXXXVII. De *Balthazare Morione futuro Muſico*

BAlthazar hic, puer adhuc, inter Stabularios Cattorum Principis locum inveniebat. Quoniam verò cum reliquis equiſonibus aulam conſectabatur, facilè animadvertit, Muſicos pueros aliquanto liberaliùs prolixiusque accipi, quàm reliquam equitum fecem. Itaque rei ſtabulariæ pertæſus, cœpit animum ad Muſicam appellere, *Johannẽq; Heugelium* puerorum iſtorum magiſtrum ſummis precibus obteſtari, ut ſe quoque Muſicis imbuendum ſuſciperet. *Heugelius* initio quidem multa prætendebat, quamobrem ſuam in diſciplinam recipi non poſſet. Verùm cum Balthazar rogandi nullum neque finem neque modum faceret, precibus ejus tandem aliquãdo locum reliquit, hac tamen adhibita præmonitione, futurum, ut largiter virgis cæderetur, ſi in diſcẽdo vel tardior vel negligentior foret. Hoc enim uno ſe fatuum abſterriturum putabat, ut ne in diſciplinam ſe daret. Verùm quid fit? Balthazar conditiones omnes, quascunque etiam *Heugelius* præſcriberet, accipit. Tantus nimirum diſcendæ Muſices ar-

dor, tantùm epulandi cum hujus alumnis desiderium hominē tenebat. Suscipitur igitur ad extremū. Caterùm cùm diem jam unum atque alterum apud Heugelium confeciſſet, puerisque, quoties Musicen exercerent, esset adhibitus, *Heugelius*, quē magna fatui satietas jam ceperat, ad eum conversus; Volo, inquit, *Balthazar*, ut reliquis pueris silentibus, unus, ut, quid biduo hoc profeceris, audiam. Dicto Heugelii Morio est audiens, librumque tum capit, tum etiam aperit. Verùm, cùm ne gry quidem, nedum canere posset, *Heugelius* scammo illum incumbere atque nates caligis nudare jubet, hásque ita ei virgis concidit, ut totæ cruore diffluerent. Morio autem hunc ad modum acceptus, in pedes sese mox conjiciens ad pristina præsepia recurrit, Musico ac Musis illius in secula seculorum valere jussis. Quin immò Heugelium per multos annos posteà cum in aula, tum etiam in publico non secus, quàm Diabolum quempiam fugiebat, tantum abest, ut cum ipso pransitare in aula, ejusvé pueris adhærere expeteret.

CCCXXXVIII. *De Rustico quodam.*

QUum Princeps atque Elector Palatinus Ludovicus, sub electoratus sui initium venationem obiret, complurésque jam apros prostravisset, quidam ex rusticis, qui molossos ductarat, homo, ut apparebat, simplex, venatorem adit, obnixè rogans, ut sibi pellem seu corium apri alicujus dono daret. Hęc quidem illius petitio cùm Venatori prorsus admiranda accideret, quęrit statim, ecquem in finem corium istud emendicet? **Was er darmit thun wölle?** Ego verò, inquit ille, ne te quid celem Domine, ex ea mihi caligas cervinas consuendas curabo. **Ich will ein Hirschen Gesäß darauß machen lassen.** Quo audito, Venator risu propemodum corruens, id non à se, sed ab ipso potius Principe petendum, atque impetran-

dum

dum esse ait, eum igitur jamjam adequiturum de eo alloquatur, neque dubitet, quin voti sit sui compos evasurus. Ecce autem tibi ipsis hæc ita inter se agitantibus commodum advenit Princeps. Itaque rusticus, quippe qui cervinis caligis indui apprimè gestiebat, minimè silendū cunctatum vé ratus, Principi primùm omnia felicia precatur, inquiés: Gnad Juncker seyt Gott will kommen! noxque subdit, dones me obsecro pelle hujus apri: Lieber schencke mir diese Schweinshaut. Princeps itidem petitionis hujus novitatem admiratus hominem interrogat, quē in usum hujusmodi pellem posceret. Tum rusticus, ut ex ea, inquit, caligæ cervinæ mihi fiant. Hāc quidem hominis simplicitatem optimus Princeps risu syncrusio prosequebatur, rusticoque ajebat: Age mi homo, voto potiere tuo. Mandabo namq; vestiario meo, ut tantum tibi corii largiatur, quantum ad par caligarum conficiendum sufficies. Hāncque spem, verbis illi factam, re mox ipsa implevit.

CCCXXXIX. *De Hermanno à Letta.*

IN molestissimum planè pistrinum ii se dedere videntur, qui effœti senes decursáq; jam ætate cùm sint, puellas tamen in matrimonium ducere audent. Nam vel suorum corporum carnifices evadant, vel uxoribus certè substernendi se aliis, senestram aperiant oportet: Si enim toties cum ipsis congrediuntur, quoties quidem classicum illæ canūt, quin propediem omnibus viribus exhauriantur, paulatimque & contabescant, & conficiantur fieri meherculè nō potest. Sin verò pugnam detrectant, periculum est, ne alios illæ admittant. Decebat igitur bonos istos seneciones Plautinum istud in Pœnulo Act. 1. Scen. 2. recta secum via reputare:

Negotii sibi qui volet sim parare, navem & mulierem
Hæc duo sibi comparato. nam nulla res duæ
Plus negotii habent: eas fortè si exornare occeperis,

Neque

Neque unquam hæ duæ res satis ornantur, neque eis ulla satis
Ornandi satietas est.

Qua de re libet jocum subjicere, qui Cassellis olim accidit: Erat Venalitius quidam homo quovis certè simio deformior, sed qui formæ damna opum amplitudine impensè sarciret. Is puellam sedecim circiter annorum uxorem ducebat. Cùm autem primùm illam cognovisset, Sponsa nescio simplicitaténe, an verò nequitia, libidinisvè æstu instigata, ipsũ percontatur, inquiens. Cedo quæso, mi Hermanne (id n. Mercatori isti nomen erat) potin tu esistoc me pacto beare, quoties equidem cupio? Tum novus sponsus, ut ne parum fortis strenuusvé miles videretur, id se posse affirmat. Sponsa ergo his auditis, ut ne sibi ipsi deesset, mediũ mox illum cõplectitur, supraque se trahit, his verborum blanditiis, quasi calcari quodam, additis. Itaque me mea lux ad huc semel atque adeo iterum iterumque beabis. Quid multa? Voluntas quidem cano hebetique amatori illi adest, at facultate certè destituitur. Multum enim quidem movet, parum tamen promovet, cogiturque identidem receptui canere. Ad extremum tamen stridenti stipula miserum dispersidit carmẽ. Cæterum paucis mensibus interjectis tã macilentus atque strigosus redditur, ut vix ossibus hæreret, miserabiliterque lumbos traheret.

Rectè igitur Levinus Lemnius *lib. 2. de occultis Naturæ miraculis cap. 37.* Itaque delectum, inquit, viros habere convenit, nec cuivis temerè ac præcipitanter dexteram injicere. Quisquis enim gracili atque extenuato corpore vergentique ætate atq; devexa, eam nactus est, quæ assidua prurigine utitur, queque lassata, non satiatur, carnificinam sibi paratam meminerit, quæ identidem increscit, ac magis magisque exasperatur cùm viro tãquam hirudo & sangui-

fuga continenter adhæreat, atque affixa sit, nec patiatur defesso atque exhausto ullas inducias constitui, aut tantisper intermitti congressum maritalem, dum vires collegerit, ac virile robur instauratum sit.

ERASMVS in Institutione Christiani matrimonii.

Illud prodigiosum videtur, quod tamen in nonnullis fieri videmus, præsertim apud *Britannos & Italos*, ut tenera puella nubat septuagenario. Certè Veneri, quod ajunt, litâsse oportet tales sponsos, si feliciter cedit matrimonium. Sed multò etiam absurdius est, quòd & ipsi vidimus, si mulier sexaginta sex annos nata nubat juveni, vix vigesimum annum egresso. Nam vir, quamvis senex, ex puella potest suscipere liberos. Anus ex juvene mater fieri non potest. In utroque tamen fœda species est: nam talis sponsus non cum uxore, sed cum filia dormire videtur, & talis sponsa filio nupsisse videtur, non conjugi. Sed hujusmodi nuptias si cõciliat divitiarum amor, fœda sunt, si libido, fœdiores.

Propertius lib. 2.

Una aut altera nox est nondum in amore peracta,
Et dicor lecto jam gravis esse tuo.
Illa meos somno cassos patefecit ocellos
Ore suo, & dixit, siccine lente jaces?

D. Matthesius.

Ein harte Nuß / ein stumpffer Zan/
Ein jungs Weib / ein alter Mann/
Zusammen sich nicht reymen wol/
Seins gleichen ein jeder nehmen soll.

CCCXL. *Guidonem Ubaldum, & Elisabetha Gonzagia, Urbini Ducibus.*

GUidum Ubaldum constat, sive corporis & naturæ vitio, seu quod vulgo creditum est, artibus magi-

magicis ab Octaviano patruo propter regni cupiditatem impeditum, quarum omnino ille artium experientissimus habebatur, nulla cum fœmina coire unquam in tota vita potuisse, nunquam fuisse ad rẽ uxoriam idoneum. Hujus autem imprudens ipse rei adhuc omnino ignarusque cùm esset, experimentũque virilitatis ulla cum fœmina nõdum cepisset, id enim caverat diligentissimè patruus, nubit ei hæc puella Francisci Gonzagæ soror cùm Mantuæ regno, quod quidem ab antiqua majorum suorum serie acceptùm atque traditum possidet, longè nobilis, tum in rebus bellicis magni atque præclari viri. Itaque impubes admodum atque tener suscipiendæ sobolis studio, quippe in quem unum hujus tam egregiæ familiæ propagandæ ratio spesque omnis incumbebat, ducit uxorem domũ. Uno in lectulo cubãt annos duos, cùm ille interea, quid planè posset, experiretur. Itaque tandem, cùm se frustra periculũ facere animadvertit, mœrens dolénsque uxori aperit, putare se magicis impediri, quo minùs virum illi ostendere sese possit: se miserrimum ac porrò infeliciſsimum nuncupat, qui cùm spe liberorũ careat, tum illi nullam de se voluptatem afferre possit, quã illa jure conjugii meritò expetat: demum videat, id si resciscatur, suis se populis, atq omnibus planè gentibus despectui futurum. Mulier, quæ multò ante id quod erat, rata, nihil apud virum quæsta unquã fuerat, nullum ulli mortalium verbum ea de re fecerat, tunc illum solata hilari vultu orat, sustineat fetátque fortiter fortunæ injuriam: multos fuisse olim Reges, esse aliquos etiam tum, qui liberorũ spe destituantur: *præstare aliquando nullam sobolem habuisse. Ita sæpè à bonis parentibus mali filii flagitiosiq; procreantur.* Quod ad se attinet, bono animo jubet esse, nihil sese minus eum amare, aut in posterum amaturam affirmat: quem quidẽ domo pudicitiæ suę

florem

florem ad illum attulerit, eum se usque ad rogũ perlaturam: ut quando ipse, cui se destinaverat, uti illo perfruique non posit, nemo homo unquã perfruatur: tum daturam operam, ut, quod biennium omnes mortales, ipsam etiam celaverit nutricem suam, id ex se resciri nunquam possit. Utque dicit, etiã facit. Itaque quatuor atque decem amplius annos unà vivit, cùm interea non solùm populi, sed ipsi etiam eorum familiares intimíq; sterilitatis culpam ad mulierem potiùs traducerent, quàm ad virum: ita ejus planè rei nihil unquam rescitum est, neque nunc quidem esset, nisi ejus ipse vir omnia, quemadmodum se habebant, apperuisset eo tẽpore, cùm is à Cæsare Borgia domo expulsus, ad Gallorum Regem, cujus in manu tum res erant, implorãdi auxilii causa Mediolanum se contulerat. *Petrus Bembus in Hist. de Guid. Ubald. & Elisabetha Urb. Duc. pag. 614. & seqq.*

CCCXLI. *De Nobili, qui suæ ipsius famulæ stuprum solebat inferre.*

THuringus quidam N. N. nobili illustríque loco natus, puellam inter pedissequas suas, mira quidem atque adeo singulari formæ gratia conspicuam habebat. Hujus amore ita inflammabatur, totus ut in eam curam incumberet, quemadmodum illa tandem aliquando potiri posset. Quare, ne sibi ipse deesset, eam aliquoties, magnis præmiis propositis, de stupro compellavit. At hæc castitatem suam etjam atque etiam defendens, neque prece neque precio expugnari, ad tantumque facinus admittendum adduci potuit. Ad extremum autem, cùm pudicitiæ suæ mirabiliter insidias ab isto frui animadverteret, de eo apud heram suam conqueritur; manumittíque efflagitat. Verùm cùm matrona hæc famulæ hujus suæ tum fidelitatem, tum castimoniam perspectissimam haberet, eam dimittere noluit,

fidem

fidem tamen dedit, effecturam sese, ut ne maritus ei eo nomine in posterum sit molestus. Quod quidem ut eò facilius consequamur, tua, inquit, nobis opus erit expromta astutia. Quare, si me audies, non te præbebis viro meo æquo difficiliorem, sed speci potiùs tuæ potiundæ injicies, posteaque mihi & tempus & locum significabis, ubi illum operiere, tum ego tua persona assimulata ei me substernam. Quid multa? Nobilis iterum atque iterum puellam sollicitat, sui ut corporis potestatem sibi faciat. Itaque, heræ suæ consilium secuta, morigeram se futuram tandem aliquando spondet. Sed ubi, inquit, here, conveniemus, ut Veneri liberius & vacemus, & indulgeamus? Tum ille, de eo nihil labores, mea Helena, inquit. Ego enim sub vesperam stabularium meum aliquò amandabo, ut ejus in lecto huic rei operam demus. Fac ergo ad horam septimam vespertinam hîc adsis. Condicit illa præstò se futuram, è vestigióque heram suam adit, ac rem ei omnem aperit. Hæc quidem istud viri sui facinus & probè dissimulat, & stato tempore in lectum sui stabularii recentibus lodicibus pulcrè adornatum sese componit. Interea & nobilis ad prælium sese accingit. Ecce autem tibi, inter eundum ad stabulum, hominem hujus rei pœnitudo tanta subit, ut consilium ejus cognoscendæ prorsus repudiaret atque abjiceret, cur tanto, inquiens, me scelere obstringerem, ut fidem uxori honestissimæ datam, nefarie frangerem, atque huic meo mancipio stuprum inferrem? Dii tãtum facinus prohibeant! Ac conversus ad stabularium, quem unum ex omnibus hujus rei conscium habebat. Quin tu eò te confers, inquit, cum eaque te oblectes, ne miseram illam vana spe lactasse existimet? Accipit stabularius conditionem. An enim occasionem sibi ostentatam, tam optatam, tam insperatam amitteret? Nec mora, stabulum lætus ingreditur. Ut verò rei pulsam

pulsâ fortè pateretur, sed pro hero tũ haberetur, tum ĕt admitteretur, nihil quicquã proloquitur, sed deposita mox veste lectũ mutus insilit, remq́ue strenuè fortiterq́; peragit. Fœmina aũt, quæ nia[illegible] hunc suum esse putaret, similiter verbum nullum dicit, ut ne scilicet ab eo agnosceretur, sed crura mox divaricat, obviis illum ulnis & amplectes, & impigrè liberaliterque crissans. Luditur sic ludus hic, summo utrinque cum silentio, neque minore cum voluptate. Cæterùm Venere peracta stabularius herum simulãs rursus discedit, Terentianum illud secum mussitãs: *Dii vestram fidem, quàm sæpè fortè temere eveniunt, quæ non audeas optare.*

Item Juvenalis hoc Satyr. 16.

—— *Plus etenim fati valet hora benigni,*
Quàm si nos Veneris commendet epistola. ——

Mulier item, quantum potest, ad mariti sui thorum festinat, persuasissimum habens, à marito se suo, non à famulo subactam esse. Posteà verò quàm in cubiculum pervenit, maritum jam tum vestes abjicientem, lectúmque conscendentem, offendit. Quare & ipsa aliunde se venire simulat, viróque mox accubat, eúmque libidinis æstus restincturum non quidem abdicat, at post Veneris tamen exercitium hunc ad modum affatur. Cedò quæso, mi vir, meóne ex congressu, an verò pedissequæ majorem voluptatẽ percepisti? Hìc nobilis Jovem jurare lapidem, ista se cũ puella nunquam rem habuisse. At uxor, quæ brevi ante pro marito famulum admisisset, eccujus te mẽdacii perjure perfideque pudet, inquit? An non enim illam tui in stabularii lecto jamjam constuprâsti? Quid multis? Nobilis, quantũ potest, se purgat, hócque abs se crimen removet. Tum uxor, inficias ire profectò haud potes, nuptiarum sacrilege. Nam ego certè puellę hujus personam indui, pro eáque abs te stuprata fui. Hìc nobilis. Túne ergo ista pro virgine

te in lectum collocasti, constupratáq; es? Ego verò, inquit ille, cùm maritus, quatum potest, exclamat; Pro[illegible] atque hominum fidem! Tibíne in stabulo [illegible]st illatum? Id quidem hercle non à me, sed à [illegible]rio est factum. Etsi enim adolescentulæ istius amore aliquot menses mirum in modum arserim, atque hodie demum impetraverim, ut sui mihi corporis copiam facere, idque in stabularii lecto voluerit, illo ipso tamen momento, cùm coire cum illa volui, mirabiliter resipui, sic quidem, ut tãtum illius odium animum meum subiret, ut ipsam ne aspectu quidem, nedum congressu dignatus fuerim, sed famulo potiùs permiserim, & ut stuprum inferret, ne scilicet verba sibi à me data esse, suspicaretur. At verò uterque, ut audio, miseris delusi modis turpiterque sumus. Tibi tamen ego ea gratia jure succensere haud possum, cùm imprudens atque adeo pro me illũ admiseris. Cùm famulo autem meo quid expostulem? cùm meo jussu hoc patrârit, seque non tibi, sed puellæ incumbere crediderit. Fuit tamẽ utrisque hæc res summo incredibilique dolori. At mulier quidem puellã istam, quippe quæ hujus mali occasionem præbuisset, paucis interjectis diebus, dimittit. Maritus verò famulam abigit, veritus, ut mea est opinio, ne non a muliere repeteretur, siquidem illam sibi præstare hac in re sensisset. Hæc mirabilis & stupenda prorsus est historia, quæ verè cõtigit. Sed nomen nobilis atque familia silentio nostro sepulta manebunt.

Palingenius in Cancro.

Fatũ in amore valet plus, quã gaza omnis, & omnis
Nobilitas: etiam fato est obnoxia virtus,
Fato despicitur Princeps, & servus amatur.

CCCXLII. *De anu quadam, maritum suum in adulterio deprehensum castrante.*

WIldungæ, ut à gravibus fideque dignis viris accepi-

stepimus, juvenis quidam mulierem vetulam, opum ipsius amplitudine illectus, in matrimonium duxit. Quum verò illa perquam rarò commoda valetudine uteretur, perpetuóque ferè vel tussiret, vel matricis suffocatione vexaretur, vel aliis denique cũ morbis ancipitibus conflictaretur; cœpit non ita multò pòst totus ab ea alienari, & cum vicina quadam sua, ætate & robore corporis sibi respondente, stupri cõsuetudinem habere. Qua quidem, ut & eò tutiùs, & liberiùs potiri posset, ab uxore tum cubiculum, tum lectulum etiam peculiarem sibi dari petiit, illata causa, se tussedine, plangoreque ipsius somnum, qui perfugium omnium laborum & sollicitudinum est, capere haud posse, indéque valetudinem suam mirificè frangi & debilitari. His igitur à cana conjuge nullo negotio impetratis, vicinam suam identidem accersit, multásque noctes dulciter jucundéque cũ ea consumit, usus hanc ad rẽ famulæ suæ opera, quæ istam & vocabat, & intromittebat, quoties id hero suo integrum esset. Verum enimverò, ut ancillæ pleræque omnes linguæ incontinentioris sunt: ita hæc quoque rimarum plena, hac illac perfluebat, heræque suæ rem omnem aperiebat, spe certa concepta, se munusculo haud contemnendo, ab illa ob id ipsum ornatam auctámque iri. Neque verò ipsam hæc sua spes frustrata est. Hera namque aureum extemplo ei numerat, ut diem sibi significet, cùm vir suus cum adultera ista congressurus sit? tum ego, inquit, me sub lecto istius occultabo, minimè quidem, ut eos confodiam, sed cultello hoc meo, nõnihil titillem pungámque. Ne verò famula suam illi operam hac in parte non navaret, pollicetur, se ei insuper aureos duos daturã, statim ut sui voti cõpos facta fuerit. Cæterùm biduum vix elabitur, cũ maritus vicinę desiderio æstuans, famulã ita affatur. Volo *Barbara*, ut hac vespera amicã nostram hora decima

accersas,(æstus quippe erat) eamque summo silentio,ita ut assoles mihi adductam cures,expertura me pro hoc officii genere gratum atque memorem. Ancilla imperata faciens,meretriculam stato tempore præsto esse jubet. Quæ cùm affuturam sese recipere,protinus hoc ipsum anui significatur. Hæc quidem pulcrè id dissimulat,at cùm cœnam satis prolixam marito præbet,tum ei subinde etiam perquã familiariter præbibit,ita ut ille ne minimo quidem suspicionis odore sentiret,cõjugi quicquam de ipsius stupris adulteriisvè constare, sed persuasissimum planè haberet,ista omnia eam fugere. A cœna vetula marito felicem noctẽ precata, cubitum se discessuram simulat,utque res seriò agi crederetur, conclavis sui ostium non sine strepitu atque fragore post se claudit. Quod tamen ipsum confestim leniter admodum presséque referat, viríq; sui cubiculũ ingressa,sub hujus lectũ sese abdit. Maritus in utrãvis eam aurem jam stertere ratus,scortillum actutũ vocandum curat,viníque aliquot mensuris cum eo haustis,cupidè lectulum petit. Incaluerant ambo vino. Itaq; mirum in modum pruriebant. Cęterũ cum jam mutuum complexi,acerrimè coirent,Venúsque summopere ferveret,Vetula sub lecto tacitè sinéque strepitu prorepit,viríque testiculos sinistra prehẽdit. Id ille ab amica fieri arbitratus,quæ amoris benevolentiæq; caussa sic eum mulceat,pergit fortiter strenuéque rem peragere. Interea autem, dum nihil ille mali suspicatur, ecce tibi vetula cultello mirè acuto dextera arrepto,ipsi cum utrumque testiculum penitus amputat,tum meretriculæ etiam femur nõnihil convulnerat. Hinc subitum ac inexpectatum existit divortium. Priapus,quo nihil antea erat rigidius,illico emarcet,fitque pensilis. Gaudium in luctum vertitur. Conticescit risus: succedit ploratus & planctus. Pruritus disperit,in nihilumq; occidit.

Faces

Faces dolorum utríſque admoventur. Libidinis denique æſtus omnis ita derepente reſtinguitur, ut ne minima quidem ſcintillula permanſerit reliqua. Ac meretricula quidem vulnere accepto, fugam mox moxque nuda prorſus arripit, verita utique ne non penitus ab anu malefica extingueretur. Marito verò uxor & inſolentiſſimè inſultat, & hanc ei cantilenã occinit: Nunc quidem apparet perjure & conſcelerate adulter, quid cauſſæ ſubſit, cur meum tu cubiculum thorumque deſerueris, occupato proprio: Scilicet, ut furtivis putidi iſtius propudii amoribus concubituque perfruerêre. Quocirca ſi tibi ego propter ſenectam complexu indigna viſa ſum tuo, ecce factus & tu jam es caſtratione hac noſtra prorſus ineptus & inhabilis ad Venerem in poſterum exercendam. Poteris ergo nunc mecum reliquum vitæ tuæ tempus caſtè & pudicè, adeóque cum virtute transigere. Maritus porrò, poſteaquam incredibiles cruciatus perpeſſus, ſeſe ad extremũ vix aut ne vix quidem confirmâſſet, nunquam fere in publicum provolavit, propterea quod hominum ſannas ludibriáque extimeſceret. Meretricula autem, quod & vidua eſſet, & ſobole deſtitueretur, divẽditis omnibus, quæ iſtic poſſidebat, ſolum vertit, alióq; cõmigravit.

Dum puer alveolo furatur mella Cupido,
Furanti digitum ſedula punxit apis.
Sic etiam nobis brevis & peritura voluptas,
Quam petimus triſti mixta dolore nocet.

Georgius Sabinus in Epigrammat. Philipp. prior. edition.

CCCXLIII. *De anu quadam libidinoſa & adultera.*

INde Tridentinæ portas intravimus urbis,
Hoſpita nos illic excipiebat anus.
Quæ jam facta licet rugoſa ſenilibus annis
Eſſet, adhuc ſcortum Thaide pejus erat.

Hæc ad amatorem veniebat adultera noctu,
Contemerare sui conjugis ausa thorum.
Atque ita nescio quò discessit ab urbe profectus
Vir meus, ante diem non rediturus, ait.
Dum locus ergo datur, cupidisque occasio furtis,
Præbeat hæc nobis gaudia nocte Venus.
Dixerat, ingreditur thalamos, ultróque sequentem
Turpis amatorem duxit amica suum.
At simul in Venerem somnosque fuêre soluti,
Criminis exigitur, vindice pœna Deo.
Vir procul à laribus quem discessisse putabant,
Tecta, gradu strepitum non faciente, subit.
Vidit ut ingressus temerati crimina lecti,
Crimina cordato non patienda viro;
Intumuit, justíque fremens expalluit ira,
Ultrici gladium corripuitque manu.
Conscia mens scelerum formidine territ ambos,
Attoniti gelido stantque pavéntque metu.
Iratúmque virum precio precibusque fatigant,
Cum precio vanas respuit ille preces.
Fulmineoque petens meretricia pectora ferro,
Perforat infidæ conjugis ense latus.
At se præcipitem dedit ex bipatente fenestra,
Legitimi thalami qui violator erat.
Fugerat elapsus metuendi tela mariti,
Sed non judicium fugerat ipse Dei:
Nam loca nocturnis tenebris dum cæca pererrat,
In puteum, fato mortis agente, cadit.
Sic ubi præteriit vitatæ monstra Charybdis,
In Scyllam stolidus navita tendit iter.
Reddidit hic ánimam fontem, culpamque piavit,
Talia sed fatuus cùm moreretur, ait.
Heu mihi! quanta fero projecti damna pudoris,
Res est insani plena furoris amor.
Alterius violare thorum qui conjugis audes,
Hoc scelus exemplo disce cavere meo.

Do

CCCXLIV. *De Conrado Schaffio opilione Dopfirano.*

ERat *Conrado* huic uxor, quam plerique omnes, qui penitius eam norant, veneficam sagamvé esse dicerent. Hæc quidem domi suæ catum prægrandem alebat, quem & prolixè pascebat, & identidem demulcebat, & in sinu subinde fovebat, & in eodem denique lecto secum, seu absente seu præsente marito, cubare permittebat. Cæterum cum ipsi illi aliquando per occupationes, nescio quas, non liceret cum marito cubitum statim discedere: ipseq; cubiculum solus ingressus, lectum cõscendere jam vellet, evenit, ut catum jam tum in lecto lusitantem offenderet. Qui quidem, viso opilione, in faciem illi mox involat, unguibúsque gulæ ipsius impactis, strangulare aut suffocare eum nititur. Itaque opilio alarum inde abstractum, per fenestram deturbaturus, ad proximam trabem illidit. Unde ille, auditu mehercule horrendum, festucam satis grandem unguibus abrumpit, posteáque de fenestra prosilit. Quicunque autem festucam istam cõspicati sunt, ii quidem facilè animadverterunt, eam non a fele aliqua, sed ab ipso potiùs Cacodæmone avulsam esse. Res percrebuit. Itaque uxor ipsius in vincula conjicitur, quæstioneque habita, deprehenditur, eam Diabolũ domi suæ fovisse, ab eoq; tum artem incantatoriam hausisse, tum multos etiam annos exercuisse. Quamobrem in ignem cõjecta veneficii sui pœnas cum alia quadam admodum juvencula perpendit. Quæ se artem istam paulò ante ab ista didicisse, atque ita diu exercuisse conceptis verbis confessa fuerat.

CCCXLV. *De equisone Spiræ renes vituli devorante.*

CUM annis abhinc aliquot Spiræ agerem, evenit, ut cũ aliis bonis & honestis quibusdá viris

in diversorio publico equisoni cuidam assiderem. Is cùm alia multa valdè inciviliter committebat, tum hoc ipsum etiam, quod renes ex assatura vitulina exscinderet, eósque solus devoraret, hoc adjecto scõmate atque dicterio: Hoc equidem cupediarũ genere mirificè præter cæteros delector. Faciebat quidem nobis propemodum omnibus hoc ipsum stomachum, at dissimulabamus tamẽ, ne scilicet Thrasonis in nos crabrones irritaremus. Sensit idipsũ hospes quoque. Itaque impudentissimi nebulonis incivilitatem tandem aliquando non verbis coarguendam, sed pugnis potiùs coërcendam retundendamq; esse censuit. Quamobrem cum renes istos, magna ex parte, jam deglutivisset, equisonẽ obtorto collo arripit, alteráque manu assaturam mox è catino aufert, eaque etiam illi cùm faciem, tum verò os impudens probeque demulcet, hoc adjecto dicterio, si isto cibi genere caperis, hoc quoque (colaphos innuẽs) affici te recrearique oportet. Nec mora, Apitium & medium complectitur, & humi prosternit, & pedibus egregiè proterit, & ita dedolatũ per gradus præcipitem agit, & denique ex ædib. suis exturbat. Quo quidem ex spectaculo tantam plerique omnes voluptatem accipiebamus, quantã non ita pridem ex illius incivilitate animi molestiam traxeramus. Itaq; uno ferè omnes ore acclamabamus. Prosint tibi renes vitulini: Itaque inciviles isti philoxeni atque adeo *Epicuri* de grege porci accipiendi sunt.

CCCXLVI. *De quodam modesto religioso vè Saltatore.*

OThone *Henrico* rebus humanis exemto FRIDERICUS Princeps OPT. MAX. ad septem viralem dignitatem cùm proveheretur, totus in eam curam incubuit, ut quàm optimè sanctissimeq; omnia administraret. Itaq; & publicã Ecclesiæ repurgationẽ instituit, & morũ vitæq; emendationem edixit. Inter cetera verò carnis opera, choreis quoque & saltationibus

nibus subditis suis, gravi proposita pœna, interdixit. Evenit autem, ut non ita multò ab interdicto isto, Pastor quidam cum vicinis quibusdam suis conviviũ agitaret. Hic cum unus & item alter vino incalescens choreas ducere instituerent, tantum abest, ut Pastor eis interdictum Principis in memoriam revocarit, propositoque eos deterruerit, ut ipse potius eorum exemplum imitatus, interque choraules inventus fuerit. Itaque re statim ad *Senatum Ecclesiasticum* delata, pastor accitur, locoque deturbatur. Is igitur Senatum demissè suppliciterque per omnia sacra orat, ut hanc saltem veniam sibi det concedatque. At ne hoc suo voto non potiatur, cùm conceptis verbis se nunquam in omnem posteritatem saltaturum juravit, tum sanctè etiam sancteque affirmavit, castè sese ac religiosè saltasse, **Er hette ein geistlichs Däntzlein gehabt:** innuens, se rusticorum exemplo mulierculas minimè rotâsse, aut petulantius exagitasse, sed se potius intra modestiæ limites saltando continuisse. Senatus igitur Ecclesiasticus fractus ad extremum ipsius precibus atque lacrymis, priorem sententiam & mitigavit, & mutavit, pastoremq; his verbis dimisit. Age verò cùm religiosè te saltavisse profiteare, religiosam quoque pœnam luas, numeraturus gazophylacio sacro aureos decem: **Nun im namen Gottes / die weil ihr wöllet ein geistlichs Däntzlein gethan haben / solt ihr auch eine geistliche Straffe leiden / vnnd dem Gottes Kasten zehen fl. erlegen.** Quibus ille numeratis, nunquam deinceps à quoquam eò adduci potuit, ut saltaret, stultum nimirum suisque rationibus incommodum ratus, pœnitere tam emere.

CCCXLVII. *De Friderico* III. *Electore Palatino.*

Fridericus tertius Princeps Palatinus, Elector, nunquam ita Reipublicæ negotiis tractandis defessus & debilitatus, ita rebus aulæ suæ occupatus,

ita pietatis negligens & oblitus visus est, quin vespere aut prima luce nobilibus suis pueris, cubicularijs, administris, & satellitibus aliquot sacræ scripturę caput proponeret, & una cum ipsis ad Deum Opt. Max. pro beneficijs acceptis laudes, gratias, & preces peroraret. Is tantùm sacras literas legendo, evolvendo, & meditando profecit, ut nulla esset rerum divinarum historia, quam ille non memoriter narrare posset: ut nullus sacræ scripturæ locus aut nodus esset, quem non ille vel extempore, si necessitas requireret, interpretari & dissolvere valeret, vel, si quid doctrinæ abditum rerusumque lateret, elicere & enucleare, ut nullum esset Christianæ religionis caput aut mẽbrum, de quo non cum aliis etiam in Principum comitiis conferre soleret, & rectè judicantes laudaret & excitaret, aberrantibus verò Christianæ veritatis & religionis viam monstraret & aperiret. Iisdem studijs si cæteri etiam occuparentur Principes, &, quotquot in Magistratu sunt, felicius res Christianæ cederent. At quia in horum locũ cæca libido, insanum aleæ studium, Sybariticæ mensæ, venationes immodicæ, verbi Dei & sacrorum omnium contemtus & insatiabilis bellandi rabies successit, parum ab hujusmodi principibus sperare licebit, quod vel publicæ saluti, vel Ecclesiarum reformationi & glorię Dei servire possit. *D. Lud. Lavat.* in lib. Hẽsth. Homilia 30.

CCCXLVIII. *De Carolo Magno.*

CArolus Magnus quandocunque fuit in urbibus, ad Psalmodiam accessit, & una ipse cecinit, & filiis & principibus lectiones canendas distribuit, & precationem suam cum piis seriò conjunxit. *Idem ib.*

CCCXLIX. *De Alfonso Hispaniæ & Neapolis Rege.*

ALfonsus Hispaniæ & Neapolis Rex, referente Panormitano, gloriatus est, se sacra Biblia non semel atque iterum, sed quater & decies ordine perlegisse,

legisse, adjunctis etiam *Nicolai Lyræ* postillis, & *Burgensis* additionibus. *Idem ibidem.*

CCCL. *De Philippo Principe Palatino Electore.*

PHILippus Melanchthon scribit in præfatione *Chronici sui*, se sæpe audivisse narrare *Capnionem* cùm apud *Philippum Principem Palatinum Electorem* essent, *Dalburgicus* Episcopus Vangionum, Rodolphus Agricola, & ipse; & non solum in familiaribus colloquiis, sed etiam in deliberationibus de Republ. sæpe narrarent insignia exempla vel Persica, vel Græca, vel *Romana*, mirificè accensum esse *Principem* studio cognoscendę historię, & dixisse, se animadvertere, distinctione temporum gentium, & imperiorum opus esse, eamque ob causam petivisse, ut sibi ex tota antiquitate, quantum nota esset, ex Hebræis fontibus, & ex Græcis & Latinis scriptoribus, ordine contexerent Monarchias, ut mente complecti tempora mundi & seriem maximarum mutationum posset. Erat otium tunc illis doctis viris, & hoc labore delectabantur. Ordine igitur ex Hebræis Græcis, & Latinis monumentis Monarchias recensent, & maximè digna memoria, suo loco adhibita, temporum & gentium distinctione inserunt. Legit avidissimè id scriptum *Princeps ingeniosus*, seque lætari dicebat, divinitus conservatam esse temporum seriem, & rerum præcipuarum memoriam. Agnoscere se etiam dicebat testimonia præsentiæ 321. in constitutione Monarchiarū, quia solis humanis viribus constitui & retineri nō potuerint, & eò divinitus constitutę sint, ut essent custodes humanæ societatis, conjungerent multas gentes, restituerent leges, judicia, pacem, ut docere homines de Deo possent. Sæpè igitur repetebat Danielis verba: Deus imperia transfert, & stabilit. In mutationib. etiam & Tyrannorum pœnis dicebat cōspici judicium Dei, & moneri totum genus humanum

num illustribus exemplis, ut agnoscat Deum, sciat ordinâsse eum & velle justa, & violantibus ipsius ordinem verè irasci. *Idem ibidem.*

CCCLI. *De Ludovico Comite Palatino Rheni, S. Rom. Imperii Archidapifero & Electore, Duce Bavariæ.*

QUUM aliquando graves querelæ de feris adipsum deferrentur, & subditi plurimùm hac in parte se gravari conquererentur, ac adjiceretur ab eo, qui subditorum nomine querelas illas submissè exponebat ac deprecabatur Celsitudinem ipsius. *Nisi in tempore huic malo remedium adhiberet, amissurum subditorum preces, è vestigio respondebat, malle se ferina carne prorsus carere, quàm subditorum preces amittere. Nunquam enim sibi tam gratam esse aut fuisse carnem ferinam, quin subditi longè sint ac fuerint cariores: malleq; se subditorum commodis, quàm voluptatibus, qua ex usu ferina carnis percipiuntur, consulere: simulq; mandatum dedit, ut feræ magno numero sternerentur.* D. Timotheus Kirchnerus in oratione, quam in obitum hujus optimi & laudatissimi Principis habuit.

CCCLII. *De Ferdinando Imperatore.*

HOc loco venit in mentem præclarum illud *Ferdinandi Imperatoris* factum, qui clementer audivit omnes, &, cum aliquando quidam abegisset anum ab aditu *Imperatoris*, ipseque fortè conspicatus id esset, dixit: *Noli quæso* arcere pauperes ab aditu ad nos, quandoquidem, si eos audire noluerimus, Deus vicissim nos non admittet ad se, nec audiet nos: hoc dicto ipse revocavit pauperem vetulam ad se. *Selnec. in Genes. cap. 47. pag. 772.*

CCCLIII. *De Christiano Rege Daniæ.*

PRinceps optimus piæ & laudatissimæ memoriæ *Christianus Tertius Danorum & Norvegianorum Rex*, in quodam morbo suo dixit: Nominant nos Reges

Reges invictos. Quàm verò invicti simus, ostendunt morbi, qui nos sæpe vincunt. *D. Simon Paulin explicatione Euang. Dominica prima adventus.*

CCCLIV. De *Solimanno* Imperatore Turcico.

IMperator Turcicus Solimannus aliquando ex legato Imperatoris Romani CAROLI V. quæsivit, quisnam esset LUTHERUS. Cum is responderet, taxare eum multos impios cultus, & præcipuè eum reprehendere idola Pontificia, & Invocationes hominum mortuorum, à quibus omnino abhorrent TURCI, cùm unum DEUM credant, & hunc solum invocandum statuant, & in hac re *Papistis* rectiùs judicent, erupit in hanc vocem Solimannus: O ad quantam pervenit lucem tantus vir, sed tamen nondum in ea est luce, in qua nos Turci vivimus! *Idem Tom. 2. Method. pag.* 240.

CCCLV. De D. *Philippo Melanchthone*.

GEorgium *Anhaltinorum Princeps Opt. Max.* idemque Merseburgensium Episcopus & dignissimus & vigilantissimus, cum *Philippo Melanchthone* per literas agebat, ut sibi lectionis alicujus Dominicæ, novam quandam explicationem conscriberet. Itaque *Philippus* Clementissime Domine, Ego verò lubens idipsum summaque voluntate facturus sum, respondit, præstaret tamen priori te explicatione nostra acquiescere. Memini enim, me ex *Domino Schurffio* audire, inde ferè falsa dogmata existere, quod textus non retinetur, sed singulis propè annis novi quippiam quæritur, idque in gratiam hominum curiosorum publicè tractatur & exponitur. *Dominus Gigas Concione prima Catechetica, unde hæc utcunque à transtulimus.*

CCCLVI. *De levi quodam nebulone*.

ERAT hoc in levissimi cujusdam hominis more positum institutoque, ut, quoties inter eundum

non

nonnihil offenderet, toties has in voces hominem è religione Christianum minimè omnium decentes erumperet. *Het in nomine omnium Diabolorum.* Cæterùm quid fit? Quum ipsi aliquando ponticulus transeundus esset, atque hic quoque fortè fortuna impingeret aut hallucinaretur, consueto proverbio utitur, præcepsque in fluvium subjectum delapsus miserabiliter suffocatur. *Dominus Gigas in 4. Concione Catechetica.*

CCCLVII. *De Mercatoris cujusdam conjuge.*

HAnc historiam audivi *Doctorem Johannem Hossium* Uratislaviæ recitantem. In mercatoria quadam civitate, Venalitii cujusdam uxor, stupri consuetudinem cum servo suo habebat. Itaque de mercatore è medio tollendo consilium ineunt, eumque ad extremum mantili strangulatum, strui lignorum subjiciunt, aliis scilicet hoc pacto fidem fucumve facturi, eum lignorū mole oppressum extinctumque fuisse. Ac persuasum quidem plerisque omnibus fuit, hunc ipsum lignorum acervum fortè fortuna collapsum, mercatori necem attulisse, maximè cum uxor sepultura admodum honorifica maritum suum afficeret, ejusq; funus incredibili planctu ejulatuque prosequeretur. Cæterùm non ita multò pòst famulus Mercatoris conjugem uxorem ducit, id quod non parum quidem multis scrupulum injicit, suspicionemq; affert. Nemo tamen de eo quicquam in apertum proferre, aut in vulgus spargere audet. Quid autem fit porro? Famulus connubio isto opulentior factus, pocula strenuè sectatur, suoq; nunquam non genio indulget. Itaq; vino aliquando ad ambas usq; aures ingurgitatus turbas dat, eaq; re in vincula conjicitur. Ubi cum non prolixè satis a conjuge, non ipsius quidem culpa, sed Magistratus interdicto acciperetur, iracundia stomachoque exardescens, hanc

in

in rationem, eam, edulia sibi afferentem, summissa voce alloquitur: Crediderim equidem uxor, decretum tibi esse perinde me tractare, ut priorem maritum tuum accepisti. Id quidam ex lictoribus exaudiens, ad Magistratum defert. Itaq; quæstione is adhibita confessus est cædem in hero suo patratam, idcoque cum uxore mox moxque digno isto facinore supplicio affectus. *Dominus Gigas Concione nona Catechetica.*

CCCLIIX. De *Nobili quadam fœmina.*

NObilis cujuspiam uxor à quodam rustico cliente suo rogabatur, ut pro ipsius filio ad sacrum fontem fide juberet. Quod quidem ipsa animo se lubenti summaque voluntate facturam promittit, Ac non ita multò pòst ad divini verbi præconem proficiscitur, eique indicat, sibi præter cæteras istius pagi matronas hunc honorem delatum habitumq; esse, ut vicani sui filiam ex sacrosancto baptismatis fonte suscipiat, Petit ergo, ut sibi bona illius cum venia commatris personam suscipere & sustinere liceat. Pastor honorem & hunc gratulatus respondet, quo minùs ipsa provinciam hanc subeat, se quidem minimè omnium impedire: unum duntaxat esse, quod ab illa requiratur, ut nimirum publicè in cœtu Catechesin memoriter recitet, antequam infans aqua Christiana lavetur. Id quod omnes suæ fidei cõmissos auditores facere oporteat: Respondet illa, paratam se esse hanc ei extemplò, auscultante ipsius & uxore, & universa familia, domi suæ recitare. At verò ne hoc in publico cœtu præstare cogatur, precari se ipsum per omnia sacra: Sacerdos contra urget, ut in Ecclesia hoc fiat: cum ut cæteris ipsa bono exemplo præluceat: tum verò ne sibi a malevolis Horatianum illud exprobrari possit.

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Conspicata igitur ipsa, Presbyterum in hac sententia obstina-

obstinatè perseverare, neque ab ea fortè deduci posse, mœsta domum atque stomachosa remeat, ad recitandam Catechesin sese quam diligentissimè parans. Hora baptizandi appetit. Convenitur in templo. Illa ita jubente parocho, Catechesin recitat. Idque & animo admodum præsente, & articulatè valde, & voce denique ita clara & sonora, ut ab omnibus audiretur, neque verò usquam impingeret, aut insisteret. Itaque pastor ea vehementer summopereque collaudata cæteros cohortabatur, ut hujus industriam atque pietatem sibi imitandam proponerent. Illa laudes ipsius susque deque faciens, cœpit aversissimo ab ipso animo esse, in eámque curam atque cogitationem noctes atque dies incumbere, quemadmodum ei contra quam maximum dolorem inureret. Se quippe non parum ab ipso injuria contumeliáve affectam somniabat. Quamobrem quum ogdoade vix elapsa Pastor animi reficiendi causa rus concessisset, idque illa de servuli cujusdam sui indicio accepisset, rogat maritum, ut secum prata hortosque suos obeat, pulcrè tamen illum, quid monstri aleret, celans. Cæterùm cùm maritus facilem se ei hac in parte præberet, clavium fasciculo assumto cum eo rus progreditur. Ibi cùm Pastor planè inermis, ac libellum quendam lectitans obvius ei fieret, ipsa marito insçio atque invito (qui pastorem vix dum amanter salutârat) prosilit, impetumque in Concionatorem facit, fasciculo clavium ita ei in faciem incusso, ut mox moxque corrueret, multis per totam faciem vulneribus, unde cruor affatim manabat, confectus. Ipsa misero sic prostrato consauciatoque his verborum maledictis insultabat. Tibi ego *Pfaffe* vilissime quinque religionis nostræ capita publicè recitare fui coacta. Proinde nunc illa ipsa fronti tuæ ita inscripsi atque impressi, nihil ut ea quicquam præter mortem oblitteraturum deleturúmve videatur:

videatur? Ich hab dir losen Pfaffen die fünff Hauptstück Christlicher Religion offentlich in der Kirchen vor den Bawren erzehlen vnd beten müssen / drumb hab ich sie auch dir an die Stirnen zum ewigen Gedächtnuß geschrieben. Qui etiam eminus hujus Tragœdiæ Spectatores fuere, ii quidem affirmarunt, mulierem irâ planè furentem isti necem fuisse allaturam, ni ejus maritus manibus pedibusque obstitisset. Illa non ita multò pòst de mandato Principis cum Pastore in gratiam redire, culpam deprecari, atque adeo aureos centum mulctæ loco principi numerare fuit coacta. Pastor autem, qui Cicatrices jam ostentabat, verè Poëtam cecinisse agnovit:

Aspide quid pejus? Tigris, quid Tigride? Dæmon:
Dæmone quid? mulier: quid muliere? nihil.

CCCLIX. De *Nobili, & Verbi quodam divini ministro.*

NObilis quidam alicunde aliquando accersebatur, ut pro rustici cujuspiam filio ad sacrum fontem fide juberet. Is igitur quum à pectore contenderet, ut sibi bona ipsius cum venia propatris partes sustinere liceret, annuit quidem presbyter, hac tamen lege atq; conditione, ut explorandū sibi prius esse diceret, cujusnam religionis esset. Itaque nobili honorem istum gratulatus ex ipso actutum quæsivit, quid es tu? Lieber Juncker was seyd jr? hoc est, Christianum te fateris? vel ecquamnam religionem amplecteris? Nobilis se non assequi simulans, quidnam isthæc sacerdotis interrogatio sibi vellet, caput modò ad dexteram, modò ad levam inflectit, modò vultum erigit, modò demittit, & meditabundi instar despicit, ad extremum tamen hanc ad rationem illi respondet: *Equidem fatuus sum*: Ich bin ein Narr. Hæc responsio Pastori per quam admiranda sanè accidit, ideóque nobilem hunc ad modum alloquitur: Tu quidem certè haud es homo fatuus, ut appa-

ret, pectore. Neq; sanè de eo quicquã laboro, sapiasné an verò minùs, sed hoc unum ex te duntaxat scire gestio, cujusnam sis religionis, hoc est, ut explicatiùs loquar, ecquidnam credas? Was jhr glaubt. Hic cum nobilis tacitus aliquandiu ac cogitabundus constitisset, tandem in has voces erupit: Credo equidem, te æquè esse fatuum: atque ego sum: Ich glaub jhr seyd ein Narr/ wie ich bin: Quibus quidem verbis Presbytero linguam sic intercluſit, ut plura ex ipso haud quæreret, sed infantulum aqua mox Christiana lavandum susciperet. Sentiebat utique mysta adunco se naso suspendi, sibique cum homine versuto rem esset, ex quo quidẽ ne ea audire porrò cogeretur, quę minimè velle, protinus sibi ab istiusmodi interrogatiunculis super sedendum, & rectà ad baptizandum, puerum deseendendum esse providentissime existimavit.

CCCLX. *De homine quodam militari & Theobaldo Thamero.*

IN castris Ingolstadiensibus miles quidam *Theobaldum Thamerum* Concionatorem tum Castrensem conveniebat, rogans, ut filiolum suum jam tum in lucem susceptum, aqua Christiana ablueret. Pastor facturum se hoc respondet, ubi exploraverit, num religionis nostræ capita teneat, hisque mox subdit: Cedo igitur, ecquod primum Dei creatoris nostri est præceptum? Tum miles ad hanc equidem quæstionem tibi sine omni prorsus præmeditatione, ex tempore respondebo. Primum igitur præceptum sic sese habet: Ne sis gulosus, nevè voraveris, Du solt nit fressen. Infert Pastor, toto tu quidem cœlo erras, cum eoque graviter expostulat, quasi in re tanti momenti ludente facetiisque agente. Ego verò, reverende Domine Pastor, neque hallucinor, neque ludificor, inquit, sed exploratissimum habebo; primo nobis præcepto Dei edacitate interdici. Ita enim me

sentire

sentire cum meus Pastor, tum sacra etiam scriptura docent. Quid multis? Pastor stomacho atque iracundia exardescens, inquit: Tuum equidem pastorem nihil moror, per autem scire velim, quo tu id scripturæ loco sis comprobaturus. Quamobrem miles, ne hominem non placaret, placidè respondet, inquiens, ne sævi quæso tantoperè Domine, An non enim hoc primum omnium Dei præceptum est, quo parentibus nostris pomo vetito vesci interdicit? An non multis annis pòst Decalogum sancivit? Quo audito pastor non omnem modò iracundiam remisit, sed & rectè respondisse militem minimè omnium dissimulavit.

CCCLXI. *De Concionatore quodam.*

POssemus vivos testes in medium adducere, qui bello Germanico in castris Protestantium, celebrem quendam concinatorem in concione jactantẽ audiverunt, se adversariorum globos tormentarios manicis suis excepturum esse: sed mox meticulosum & miserum hominem tantum sclopeti sonitu territum è curru, in quo stans concionabatur, decidisse. *Ministri Ecclesiæ Tigurinæ in Apologia adversus Iacobum Andreæ pag.* 129. *fac.* 2.

CCCLXII. *De Citharistria Bononiensi.*

AUdivimus Bononiæ fuisse Citharistriam virginem, caram multis propter artem quam vita functam Magus quidam, alligato ad alas fasciculo, ad eum modum, Diabolo colludente, adornarat, ut cæcus hominum, congressus publicos, & convivia frequentaret, caneret fidibus consueto more, nec avivis differre videretur, etsi palleret plus nimio. Incidit in hanc fortè alius quispiam *Magus* & animadversa (Diaboli monitu) impostura, cadaver, inquit, est ista, fascinumque sustulit. Eo amoto statim ipsa ad terram collapsa jacuit exanimis. Sic sæpe aliâs ludit Diabolus: neqt tamẽ semel extinctis halitus afflare vitales,

& solutam carcere ac vinculis corporis animam reddere. *D. Peucerus in commentario de Divinationum generibus pag.* 11.

CCCLXIII. *De Philippo Burgundiæ Principe.*

Narrant, Philippum Burgundiæ Principem, cum dissimulato cultu famam sui inquireret, compotori in caupona cōsuluisse, ut ne unquam de Principibus verba faceret. Nam si laudaret, mentiretur: Sin vituperaret, periclitaretur. *Vives libro primo de Concordia & Discordia.*

CCCLXIV. *De Episcopo Hispano.*

Episcopus ille in Hispania Dux militum, id est, utroque armatus gladio, & ductator spiritualium & corporalium copiarum, Militem, qui rarò & verecundè jurabat, graviter increpavit, quòd parùm viriliter blasphemaret. *Vives lib. 3. de Concord & Discord.*

CCCLXV. *De Diabolo horrenda historia.*

De Diabolo recitatur vera historia ante annos nondum ducentos in Saxonia facta, ubi Diabolus specie humana, in oppidum *Hammeln* ingressus, & se omnes mures majores educturum esse pollicitus est. Tandem die *Mariæ Magdalenæ* iterum egressus est, & fistulando allexit ad se pueros & puellas magno numero, & cum omnibus evanuit, ita ut nemo rescire potuerit, quo pueri & puellę pervenissent. D. *Selneccerus in Genesin, pag.* 97. *item pag.* 165.

CCCLXVI. *De puella in equum versa.*

Scribitur in vita *Macarii* fuisse puellam, quę amatoris sui invidia, cui illa detrectaverat lasciviam, per Judæum impium in formam equi transmutata fuerit, ita ut ab omnibus ut equus agnosceretur. Hęc incantatio cum ad *Macarium* esset delata, jussit ad se puellam adduci, & cognovit esse ludibrium Satanicum. Tales procul dubio sunt *Rustici* illi ἀρκτόλυκοι, quos nominamus Beerwölff ambiguos lupos, quales

quales refert esse *Herodotus* apud Nervios Scythiæ populos, qui putant, se quotannis lupos effici, de quibus Sabinus Poëta hæc refert. Nuper, inquit, unus fuit captus, & Duci Prussiæ adductus à rusticis, quorum jumenta dilaniâsse credebatur. Erat homo deformis, nec multùm absimilis feræ, habebatque vulnera in facie, quæ dicebatur accepisse morsus à canibus, ubi fuisset mutatus in lupum. Is à quibusdam, quibus Princeps id negocii dederat, interrogatus, ajebat, se quotannis bis ita mutari solitum, primò circa natalem Christi, deinde circa festum Johannis Baptistæ: illisque temporibus se efferari & cogi impetu quodam naturæ versari in sylvis inter lupos, maximo autem horrore & languore corporis se affici antequam pili erumperent, & forma mutaretur. Hæc affirmanti credita sunt, sed cùm ad explorandam rei veritatem diu captus in arce detineretur, ac diligenter observaretur à custodibus carceris, an aliquando efficeretur lupus, retinuit semper eandem formam, quam habuit. Hic fuit exitus fabulæ. *Idem ibidem, pag.* 80.

CCCLXVII. *De quodam Lycaone rustico.*

VEra narratio est de quodam Lycaone rustico, qui, cùm apud Præfectum suum non procul ab urbe Rigensi cœnâsset, tandem inebriatus, sub somni tempus, subitò è sella decidit supinus in pavimentum, cæteris spectantibus. Præfectus homo sapiens, quòd Lycaonem esse statim agnosceret, jubet familiam, hoc relicto, cubitum ire. Postridie reperitur in agro equus per medium dissectus: conjectura Præfecti; culpa confertur in eum, qui pridie exanimatus sub noctem manè revixerat. Ducitur is ergo in carcerem, & interrogatus mox confitetur factum, ait, se veneficam ignei papilionis specie circumvolitantem persecutum esse (gloriantur enim Lycanthropi, quòd ad arcendas veneficas conducantur)

BIBLIOTHEK
MUSEUM FÜR
VOLKSKUNDE, WIEN

hanc ut declinaret periculum sub equo fortè ibi pascente se abscondisse: ibi se arreptâ falce, dum petit validius venificam, intentatum ictum arce eludentem, ex improviso & imprudenter discidisse equum. *Peuzerus de Divinat. pag. (mihi) 172. fac. 2.*

CCCLXIIX. *De Comite quodam à Gleichen.*

SCribitur de Comite quodam à Gleichen, quòd à Turcis captus, & operibus rusticis adhibitus fuerit. Aliquando aût interrogatus a filia Regis Turcici exspatiante, & formâ Comitis admirante, quis esset, & quomodo perveniisset in Turciam, respondit, se Comitem esse, & habere conjugem & liberos, illa ardens amore ejus pollicetur liberationem, si ducere eam vellet, nihil obstare, etiamsi domi habeat conjugem, moris enim esse apud Turcas, ut uni marito duæ vel plures conjungantur uxores. Comes dat ei fidem. Regina abit cum Comite in Germaniam tuto itinere, & excipitur à Comitissa honorificè, ac vivit cum ea amicè & familiariter sine discordia, sed tamen manet sterilis, cum altera donaretur multa prole, quam tâquam famulam tractavit & fovit perhumaniter. *Selneccerus in Genesin fol. 502. & 503.*

CCCLXIX. *De D. Martino Luthero.*

ANno 1542. viderat *Lutherus* duos egregios adolescentes in somnis filiam suam abducere ad convivium nuptiale. Quod ipse cum mane recitasset, D. Philippus statim suspicatus fuit, Angelos ipsam *Lutheri* filiam *Magdalenam* adducturos esse ad convivium cœleste, id quod etiam eo statim die accidit. *Selneccerus in Genesin. pag. 615.*

CCCLXX. *De Somnio Militis cujusdam.*

SCribit Pontanus, militem Genuensem somniasse, se à serpente devorari: metuens igitur ille sibi no-

luit

luit cum reliquis eo die in aciem prodire, sed *Genuæ* in ædibus se continuit. Fortè autem tumultu orto periit ictus globo bombardæ, quam vocant serpentem. *Ibidem idem.*

CCCLXXI. *De Iohanne Clajo.*

HAbebat *Johannes Clajus* vir omni liberali disciplina excultissimus famulum quempiam. Is quidem in adolescentia viriliq; ætate totus à ducenda uxore abhorrebat. At verò cum rugæ jā ipsius frontē ararent, canique caput totum dealbassent, animum ad uxorem appulit, puellamq; sexdecim circiter annorum in matrimonium duxit. Cæterùm cum famulus hic animadvertisset, herum suum D. Clajum sæpe multumque a sponsis sollicitarum, ut ipsis Epithalamia conscriberet, ab eodem petiit, ut sibi quoque, cujus operam in excolendo agro reque familiari administrāda tot annos fidelē & indefessam expertus esset, *Epithalamion* quodpiam honoris ergo pangeret. *Clajus* ergo stolidi hominis precibus locum relinquens, sequens ei carmen panxit:

Iste vetus juvenis socius prius ad stationem
Arripit, atque altum tempus habere cupit.

Proinde cum *Clajus* non paucos ex vicinis pastoribꝰ ad famuli sui nuptias invitasset, famulus, qui mirificè isto sibi carmine placebat, illud inter Pastores distribuit, seq; ipsis hoc quidem pacto egregiè deridēdum propinat. Placuit autem distichon illud exponere: Iste vetus juvenis socius, **diser alte junge Geſelle** arripit, **greift** ad prius stationē **zum Eheſtand**/atq; cupit **vnd begert** habere **zuhaben** altum tempus **hochzeit**.

CCCLXXII. *De eodem.*

IDem, ut erat homo festivus, & ad jocum atque salles ad unguem planè factus cum rusticis aliquando nonnullis *Bendelebii*, ubi pastorem egit, compotabat. Cùm autem illi magno se studiorum desiderio & amore teneri, atque se saltem eousque studio

literarum progressos esse, ut nomen gentilitium chartis suum mandare scirent, iterum atque iterum exoptarent: Clajus eos ad unum omnes, quotquot adessent, vel isto sese momento ita quidem erudire velle, nomen ut suum exactè pingere possent statim, confirmat, & porrò. Annon, inquit, cùm thalerum pingitis, efficitis talem figuram, quæ significat apud literatos literam O, &, cùm denotare creta vultis numerum denarium, crucem efficitis quæ literam X eruditis denotat? Quod affirmantibus ipsis hæ duæ, inquit porrò, literæ conjunctæ nomen Germanicum OX (quod latinis taurum sive bovem significat) sonant atque exprimunt. Cùm autem, si quidem verò vos nomine vestro appellare velim, singuli & universi tauri sitis atque boves, hoc est, trunci & stipites, ac capita sine lingua, ac prædictas insuper literas pingere exactè sciatis, modò illas rectè appliceris, ut jam quidem eruditi à me estis, eo ipso planum sit atque perspicuum ad unum vos omnes, quotquot adestis, hac ipsa hora in literarum studio me præceptore tantum profeciisse, nomen ut jam vestrum rectè pingere in posterum atque literis prodere, quandocunque opus est, minimè omnium ignoretis. Qua quidem tam felici informatione sua *Clajus* discipulis illis suis adeo industriis & docilibus partim stomachum, partim etiam risum commovit, & dici non potest quantopere rustici illi à nobilibus suis, qui eo in loco cum imperio sunt, per occasionem exagitati eo nomine delusiq; fuerint.

CCCLXXIII. *De Friderico & Johanne Saxoniæ Ducibus.*

DUces Saxoniæ fratres, *Fridericus Elector & Johannes*, in Albi à Torga Wittebergam navigârunt, cùm recens soluta glacie, magnæ moles congelatæ Albi innatarent. Hæ navim utrinq; quassarunt, ut, cùm VVittebergæ in ripam vicinam arci, egressi essent,

essent, carina navis mox latè finderetur, & latera resoluta deciderent. Intuentur id spectaculum Principes stantes in ripa, cum magna admiratione, cogitantes, quanto in periculo fuerint, & agnoscētes, divina ope navim servatam esse integram, donec ipsi inde egressi essent. Tandem pòst longum silentium inquit *Dux Fridericus* ad fratrem: fateamur, nos divinitus servatos esse, & grati beneficium Dei celebremus, qui nos & in hoc periculo, & in aliis protexit. Quòd autem nobis egressis navis dilaceratur: profectò metuo post nos nostræ navis, id est, domus Saxoniæ dilacerationem. D. *Peucerus de Divinat. pag.* (mihi) *44. fac. 2.*

CCCLXXIV. *De Theodori Gazæ villico, spectro vexato propter effossam urnam.*

225

Theodorus Gaza villicum in Apulia habuit, qui curabat fundum pertinentem ad sacerdotium, quod *Gazæ Nicolaus V. Pontifex* dederat. Is, dum terram aratro proscindit, casu effodit urnam, quam in agro reliquit. Reversus domum noctu spectrum videt, à quo jubetur se sepelire: quod nisi faceret, fore, ut ipsi filius sepeliendus esset. Id cùm negligeret Villicus, filium insequente luce amittit. Admonetur per somnium denuo, ut suum in agro sepulcrum aratro violatum tegeret, aut altero filio privaretur: qui, cùm in morbum subitò incidisset, Villicus ad *Theodorum*, tum ibi fortè rusticantem, rem territus defert: qui cum eo in agrum profectus, urnam invenit, & terra mandavit condere: Villici filio pristina valetudo redditur, nec ipse à spectro amplius vexatur. Hoc factum cùm eruditis amicis Romæ *Theodorus* recitâsset, sermonem, illo Propertii versu, concluſit:

Sunt aliquid manes, letum non omnia finit.

Peucer. de Divinat. pag. (mihi) 188.

CCCLXXV. *De Philosophis Græcis spectro admonitis.*

REcitat & *Agathias* historiam de Philosophis quibusdam, ex Græcia in Persiam profectis, visendi Chosrois Regis gratia. Hi cùm pertæsi luxus Persici redirent in Græciã, quodam die incidũt casu in cadaver recens, quod jacebat pone viam inhumatum. Viso eo consternati, & moti misericordia, statim id inde sublatũ sepeliunt. Quiescentibus nocte visum astare spectrum, & mandare, ut, quod invenissent insepultum cadaver, relinquerẽt inhumatũ. Terram matrem omnium non admittere intra geniũ talem, qui suam constuprâsset matrẽ. Postridie, reversi illi ad sepulcrum, cadaver à terra rejectum & nudatum reperiunt. *D. Peucerus de Divinatione pag.* (mihi) 188.

CCCLXXVI. *De quodam Comite ipsius-que subditis.*

COmes quidam Germaniæ omni laude superior, subditis suis mandabat, ut à saltationibus se atque choreis prorsus in posterum abstinerent, quas ducere hactenus diebus dominicis festisq; consuevissent, pœna gravi denunciata iis atque proposita, qui quidem contrà facturi essent. Hoc laudabile pii & religiosi Comitis interdictum quàm molestum, quam acerbum deniq́ue petulcis adolescentibus salacibusq́ue puellis acciderit, verbis quidem vix ac ne vix quidem expresserim. Quid quæris? Lascivus hic & indomitus grex partim parentibus suis, partim verò heris aurem identidem vellicat, calcarque subdit, ut pro se supplices apud Comitem deprecentur, quò iege ista sua de intermittendis die dominico choreis refixa & antiquata, copiam ipsius potestatemq́ue iterum eo ipso tempore saltandi faciat. Quid multa? Agunt illi quidem hanc filiorum & filiarum,

& ser-

& servulorum & ancillarum suarum causam summo apud Comitem ejusque Consiliarios studio, omnēq; movēt lapidem, quò isti voto hoc suo potiri possint. At verò nihil proficiunt, Comite hisce eos verbis compescente & amandante. Diem verò dominicam DEUS OPT. MAX. sibi uni consecravit, devovit, atque despondit, ac vult sibi hanc soli sacram esse. Itaque nihil mihi in eam juris est, neque verò vel tantillum de ejus religionis vestram in gratiam detrahere possum. Quamobrem vestræ ego huic petitioni nunquam meherculè locum relinquam. Quòd si verò lascivа hæc & petulans turba usque adeo prurit, tantoque saltandi desiderio flagrat & æstuat, equidem haud impediverim, quò minus die dominico exacto, huic rei non unum aliquem septimanæ diem, sed integram ogdoada tribuat atque impendat, atque ita quidem ad satietatem usque saltitans, genio suo probè probéque indulgent atque animum expleant. Cæterùm rustici obtendunt & caussabantur, ea re utique futurum, ut liberi sui atque familia à labore abstraherentur, cui quidem dominis haud vocarent. At Comes hunc ipsorum prætextum nihil moratus quicquam, jussit ut lege pridem à se data scancitaque stantes, à saltationibus, festis diebus, usque quaque supersederent, aut pœnam certè legis hujus trangressoribus constitutam, subirent & exsolverent. Atq; hoc quidem pacto choreæ festis diebus anteductæ in hoc comitatu rusticis, eorumque sobole & famulitio invitis & frementibus, cum pulviculo sublatæ fuerunt. *M. Christophorus Irenæus in explicatione Euangelii Dom. XVII.* Trin. pag. 118.

CCCLXXVII. De *Papa Romano collectanea quædam.*

Papæ definitio.

PApa cujus partis orationis est? R. Participii par-

partis: quia partem capit de clero, partem de seculari, cum totius orbis doloris significatione, sine modis & temporibus.

Das ist in Teutsch so viel geredt: Papst ist ein fressiges oder raubisch Wörtlein/welches einen Theil nimbt/oder raubt von den Geistlichen/einen von den Weltlichen/mit der gantzen Welt schmertzen/ ohne alle Maß/ vnd zu allen zeiten. Stattliche Außführung der Vrsachen/ darumb die Chur vnd Fürsten/ auch andere Stände der Augspurgischen Confession/ &c. pag. 124.

Papa derivatur à papillis delicatissima & nobilissima parte corporis, ut Ludovicus Gomesius in Reg. Cancellariæ scriptum reliquit. Stattliche Außführung. pag. 319. Id quod nostri hujus seculi Poeta quidam carmine haud invenustè reddidit:

Cùm Papa scortorum soleat tractare papillas
Molliter, hoc merito nomen & omen habet:
Et quoniam pontem scortorum condit ad ædes,
Pontificis meritò nomen & omen habet.

Papa nec Deus, nec Angelus, nec homo est, juxta hos versiculos:

Papa stupor mundi es, ac bestia prodigiosa,
Nec Deus es, nec homo, quasi neuter es inter utrumque.

Der Papst ist weder Gott/noch ein Engel/Noch ein Mensch/laut dieser Versen:

Der Bapst der Welt ein Wunder ist/
Mit seiner grossen Macht/ vnd List/
Weder Gott/noch Mensch ist sein Art/
Darumb ist er deß Teuffels Part.

Stattliche Außführung. pag. 308.

Epistola, in qua LEO, AQVILA, & DELPHINVS, *potentissimi animalium Reges, Papæ Romano exitium ut precantur, ita denunciant.*

CONRADUS GESNERUS animalium omne genus

genus nomina, naturásque, libris suis (quos veluti hymnos optimi Maximi rerum Opificis, in suis tam variis & pulcerrimis operibus laudandis, posteritati relinquere cupiebat) quantumcunque ingenio, doctrina, & studio consequi potuit, illustravit. Quo nomine nos etiam ei nõnihil debere fatemur. Hos libros cùm te, *Pompisex & Aposcope Romane*, temerè nullaque ratione, sicut & alios innumeros doctorũ hominum partus, damnâsse, fama ad nos Psittacis (qui hæc Romæ primùm audierant) referentibus dimanâsset: illico, ut & honori nostro cõsuleremus, & tuam in *Gesnerum* inprimis (utpote clientem nostrum, qui historias & res gestas nostras omnes, multis jam annis, summa fide & diligentia refert) deinde etiã alios quàm plurimos de omnibus sacris profanisque literis bene meritos scriptores, impietatem ulciscceremur: omnia & singula regnorum nostrorũ animalia, volucria, terrestria, & aquatilia actutum (missis à Leone Dromadibus, Camelis, & Tigridib⁹, ab Aquilia, ocypteris, à Delphino Dromonibus) convocavimus. In his Comitiis consultatum: & mox nullo contradicente (præter noctuas, striges, ululas, vespertiliones, hyænas, lupos nocturnos, talpas, hamerocætas, cæcilias, araneos, mures, & alia pauca nocturna, inauspicatáque animalia) decretum atque sancitum est, id quod nunc audies, & brevi experieris.

Quandoquidem communis hic noster, & omnium bonorum, & Cõditoris etiam nostri inimicus ac hostis, in omnem mũdum sibi imperium falsò usurpat: neque enim in terram tantùm, sed inferos quoque & superos fines suos extendit: volumus, milites nostros Antipapas per omnes mundi partes distribui. Apud inferos igitur (quo citissimè abiturum ipsum speramus, & supplicaturum Plutoni) Cerberus triceps, similiter ut ipse trimitrus est, cum Furiis infernali-

nalibus & vulturæ Tityi, adventum ejus avidè expectato. Neque enim majore illic opus erit militum numero à nobis mittendo : cùm dæmonum legiones suppetias Cerbero saturæ sint si res postulet, innumeræ. In terra Canum, Luporum, Tigridum Pãthecarum, Ursorum, Aprorum, singulæ legiones cohortibus distributæ partim aperto Marte, partim succenturiatæ insidiis, in procinctu sunto. In mari Lamiarum, Tursionum, Canicularum, Vitulorum, Physeterum, singulæ myriades circumnanto, & suus cuique centuriæ Triton buccinator adesto. In aere, centuriata corvorum agmina triginta millia, vulturum verò octoginta millia, & duplicatus Nisorum numerus volanto. Neque in aere tantum hi alites (si fortè à nocturnis, quæ hosti favent, avibus illic eveheretur) ipsum invadunto : sed etiam terra mariq́ue Quadrupedum ac Piscium exercitum modis omnibus juvanto, & communem hostem locis ac tẽporibus omnibus infestanto. Leo summus totius exercitus Imperator esto : ac, si opus fuerit (ingens enim *Pontificem* exercitus, aut potiùs turba sequetur) copias pro arbitrio augeto. Custodes etiam nocturnos, anseres præsertim feros, & Grues, quotquot voluerit, adlegito. Sic omnes mundi partes adversus ipsum munierimus. Nam in cœlum quidem ipsum minimè perventurum, non magis quàm Luciferum semel dejectum, cujus in ipsum anima migravit, certò scimus : cùm ne nunc quidem de terra *Solis* aspectum ferre possit. Itaque non evadet, quin aut vivus aut mortuus (quanquam & nunc semimortuum & cadaverosum hominem esse ajunt) nobis aut inferis, animo & corpore pœnas det. Hoc te per fecialem hanc Epistolam scire voluimus. Male valeas & pereas. AMEN. Hæc epistola, quo autore, me fugit, Satyræ *Thomæ Naogeorgi* in Catalogum hæreticorum adjecta, Anno 1559. in lucem edita est, quam in bib-

in bibliotheca parentis mei carissimi repertam, eò tecũ mihi lector communicare visum fuit, quòd illã jam non prostare amplius satis exploratam habeã.

CCCLXXVIII. *De Standicio Franciscano & quodam Servita.*

ESernius & *Pacidianus* erant gladiatores per omnia pares longeque omnium nobilissi. M. Tul. In libro de optimo oratorum genere. A me autem, quò maximis minima conferam, gladiatorum par nobilissimum inducitur. Æschines tanquam Esernius, ut ait Lucilius, non spurcus homo, sed doctus & acer, cum *Pacidiano* hoc componitur, optimus longè post homines natos. Ejusmodi fermè spectaculum nobis exhibuerunt non sine magna omnium voluptate, superioribus hisce diebus *Londini* apud Britannos duo Theologi: quorum alter erat magnus ille *Standicius, Franciscanorum*, quos conventuales vocant, in ea insula κορυφαῖος, homo mirè vocalis, Scotista strenuus, animo intrepido: tum iis lateribus eaq; corporis firmitate, ut vel triarius miles, vel gladiator esse posset, ni theologus esset. Alter *Italus* ex eorum sodalitio, quos vulgus fratres *Servitas* appellat, ob id, ut accipio, quod licet sint Scarabeis nigriores, tamen uni virgini *Mariæ* serviant, neque cum *Christo*, neque cum quopiam alioqui divorum quicquam habeant commercii. Verùm hic ut fortassis eruditione non inferior erat; ita gladiatoriis illis dotibus longè impar, ut ego quidem sentio. Is ubi, sese ex more sub quadragemam factam in *Britanniam recepisset, quò declararet, sese non omnino lusisse operam, quam theologis literis annos jam aliquot impẽderat Lutetiæ, conclusiones, ut vocãt, aliquot proponere cœpit inter eruditos disputãdas, quarũ pierasq; ad negotiatores ptinebãt, exceptaprima, q̃ ad Dñi Fraciſci cõtumeliã videbatur ptinere.* Ea habebat hãc fermè sententiã, peccare fratres minores, si pecuniã accipiant,

sive

sive ipsi, sive per alios, & ex consequenti peccare, qui illis pecuniam darent, quòd quisquis ministraret occasionem peccandi, peccaret ipse quoque. Atque ut hoc auderet homo peregrinus, hæc perpulit occasio. Diversabatur hic Servita apud Augustinianos, qui se vocant *Eremitas*, κατ' ἀντίφρασιν opinor. Si Londini non mediocrem quæstum faciunt ex negociatoribus, præsertim Italis, & ob id invisi *Minoritis*. *Standicius* igitur, quò quæstum illum ad suos averteret, in concione monuit populum, etiam atque etjam viderent, quibus confiterentur. Nam duobus tantùm ordinibus à Pontifice datum jus audiendi peccata quorumlibet, nimirum Minoritis & Jacobitis. Hæc quoniã ad famẽ vocare videretur reliquos ordines, inito consilio subornarunt *Servitam*, qui tam capitalẽ injuriam thematiis ulciscereturr, quod linguæ Britannicæ rudis loqui populo non posset. Affiguntur igitur omnibus templis & angulis conclusiones, de quibus dicere cœperam. Hujus rumor paulatim, ut fit, sparsus, cùm ad *Stãdicianas aures* pervenisset, ibi vir pius, excelsiq́ue animi, se dignas iras animo concipit. Minatur dira, & omnino res ad magnam aliquam tragœdiam spectare videbatur, ni Deus aliquis ἀπὸ μηχανῆς interveniisset. Intelligebat enim (vir sapiens, rem ad Saguntinam famem spectare, si ejusmodi propositio vel audita fuisset publicè. Et inter ipsos is sanctissimus habebatur, quisquis nummorum quàm plurimùm possideret. Quid multa? Coactus est *Servita* adire hominem, quò se purgaret, & illius placaret animum. Ibat homo gravatè. Territabant enim hospitem complures, quòd dictitarent, *Stannicium* hominem esse virulentum, clamosum, bilis immodicæ: tum apud promiscuam plebem, puta naviculatores, aurigas, & calcearios, veteramentarios, fullones, alienósque id genus

genus proceres esse aliquid: deinde tanto animi robore, ut unus adversus universam Britannorum ecclesiam, immunitatis causam fortissimè sustinuerit, ob id sacerdotibus & Episcopis omnibus invisus, ac bonæ plebis parti, quæ clericis bene vult. Ut coram ventum est, *Servita*, quoniam non theologiam modò, verùm etiam Rhetoricen attigerat, hoc exordio aggressus hominem sibi conciliare: Egregie pater, inquit, haud sanè volens huc venio, quod audiam à plerisque, te esse impotenter iracundum, & si quibusdam credendum est, etiam furiosum. Atque hactenus μάλα ἐντέχνως captata benevolentia, rem paucis subjecit. Attamen, inquit, quoniam hi patres id tantopere à me contenderunt, adsum auditurus si quid velis. Hic alter protinus magnis convitiis debacchari in hominem, conclusionem esse scandalosam, offensivam piarum aurium, hæresin sapientem, irreverentialem in seraphicum ordinem Divi Francisci, ipsum mox pœnas daturum, ni eam recantet. Contra *Servita*, ut fortem virum decuit, respondit, se disputandam proposuisse, non recantandam. Ad tam impiam vocem supra modum commotus *Standicius*, jubet hominem paulisper operiri, ac sese proripit intro. *Servita* ne hic quidem obtemperans tanto viro, cœperat jam abire. At ille mox accitis Satellitibus aliquot suis cucullatis, habet enim permultos, nec minùs robustos, nec minùs audaces regiis, abeuntem assecutus, correptum pedibus ceu *Cacum* quempiam introrsum trahit: ibi *Servita* destitutus, & extrema metuens, quod in deploratis rebus fieri solet, *Jesum* implorat: *Jesum, Jesum*, quanta potest voce, identidem exclamans. Nusquam erat *Iesus* inter Franciscanos, sed trahebatur interim miser: verùm è vicino ad *Jesu* nomen exciti quidam opifices cæmentarii, cum saxis & instrumentis suis accurrebant, & hominem è satellitum illorum manibus

eripuernnt. Atq; hic fuit illius fabulæ primus actus. Proximus autem magnis utrinq; conviciis actus est, utriusque partis ducibus passim quiritantibus apud suam factionem. *Servita* votivam etiam tabellam *Jesu* servatori suspendisse dicitur, argumento coloribus expresso, & asscripto epigrammate. Jam fabula citò populum pervagata, ad Cardinalis etiam aures, qui ejus regni præses ac Judex est, penetrârat. Is, ut est festivo ingenio, ratus spectaculum haud injucundum, ambos apud se sisti jubet. *Standicus* fortiter, *Servita* gnaviter defendit. *Cardinalis* pnunciat, quandoquidem scholastica disputabilisq; esset propositio, uti mox a pasca Jovis die publicè disputarêt in æde divi Pauli, id est, têplum ejus insulæ celeberrimũ. Neutra pars pugnam detrectat, Adornant sese Duces, apparant sese milites: affiguntur valvis, compitis, ac palis omnibus conclusiones, concurritur & è longinquo ad hoc spectaculi. Diversa hominũ studia, sed omnium æqua expectatio. Ne longum faciã: aderat dies pugnæ destinatus, doctis atque indoctis differta omnia. Et ecce quorundam opera factũ est, ut a Rege per Cardinalem interdictũ exiret, ne quid ageretur. Ibi *Standicus* quò gloriam eam in se derivaret, dimissis aliquot è suis spargit per omnem populum, *Servitam* supplicem sibi ad genua accidisse, deprecatumq;, ne disputatio procederet. Jamque id plerisque persuasum erat, cum alter hospes Anglicè nesciret, nisi nescio quis Deus *Servitæ* in mentê misisset quiddam. Is enim conscenso suggestũ sic multitudinem est allocutus: Doctissimi Doctores, vósque cæteri præstantissimi viri: erat hodie futura disputatio, sed reverendissimus Cardinalis ob justas causas jussit supersedere, ne quid frustra expectetis. Minores ubi vident tantam gloriæ prædam sibi è manibus eripi, adoriuntur hominem, etiam in medio têplo dilaniaturi, ni providens Cardinalis illi custodes

ali-

aliquot suæ familiæ notos adjunxisset, Minores igitur, quod illic solum licebat, motis capitibus multa procul minati, rursus ad *Cardinalem* magnis clamoribus *Servitam* accusant : qui contra regium interdictum ausus sit apud populum testari, se paratum ad defendendam conclusionem tam impiam. Jubetur utraque pars adesse. *Standicius* præter satellites suos etiam puerum cucullatum adduxerat, jam tum Scotissantem. Tanti refert à teneris rectè institui. Eum, dum per diversa atria ad Cardinalis adytum penetrat, ostentat Magnatibus aulicis. Nam ille plerisque notus est magis, quàm charus. Affirmat fore, ut puer ille *Servitam* conficiat proteratque. Ventū est, agit *Standicius*, ut puer cum illo committatur. At negat Cardinalis decorum, si cum homine graduato, ut vocant, puer committeretur. Nam *Servita* theologiæ Baccalaureus erat, currens an sedens, formatus, an mox formandus, incertum. Objectus est igitur Minorita quispiam, sed Italus Italo, ut cornix cornici configeret oculos. Docti aliquot & proceres arrectis auribus circumstant. Ibi *Minorita* porrecto brachio : Tun' inquit, ais peccare Minores, si tractent pecuniam: Ajo. Negas Pontificem posse indulgere, ut liceat? Haud nego. At nobis indulsit. Credo. Licet igitur. Haud repugno. Mentitur igitur tua conclusio. Hoc telum sic elusit *Servita*: Mea, inquit, conclusio de minoribus pronunciat. Illic non licet: vobis, qui minores non estis, licet. Imò, inquit alter bulla pōtificia nos Minores vocat. Vocat, ait servite, sed addit, Conventuales. Sic enim minores Cōvētuales minores sunt, ut homo mortuus est homo. Hîc cùm obmutuisset Minorita, non enim expectârat eam solutionem, Cardinalis admiratus dialecticum acumen, arrisit non insuaviter. *Standicius* ubi videt primā coitionem parum feliciter processisse, ipse prodit in harenam, ac vultu minaci & intento

brachio: Ajo, inquit, te excommunicatum. Et mox neganti: Est nobis, inquit, bulla pontificia, quæ excommunicat omnes qui dicere ausint, fratres Minores Conventuales apud Anglos peccare, si recipiant pecuniam, tu vidisti bullam, & affirmas; ergo es excommunicatus. Hic planè jam ἔμβροχος tenebatur *Servita*, nisi elapsus esset, ut diceret, bullam loqui de Minoribus Conventualibus, qui minores non essent, suâ Conclusione loqui de minoribus absolutè. Cardinalis, qui animi gratia magis, quàm serio hæc ageret, sic utrumque dimisit, ut nondum satis liqueret, uter esset vir fortior. Servita Lutetiâ repetit, triumphum illic acturus. *Standiciani* contrà apud suos jactitant, illum à puero superatum, sic ut nihil haberet, quod hisceret. Conclusio manet Oxoniæ, Cantabrigiæque in scholis Theologicis disputanda. Hoc spectaculũ, quoniam nobis vehementer jucundum fuit, volui tibi optime Lector eam voluptatem communicare, ut hac amœnitate lectionis tædium levares. *Erasmus in Chiliad. in Proverb. Esernius cum Pacidiano.*

264

CCCLXXIX. *De Moniali quadam.*

REcitatur historia de quadam Moniali, quæ oblectata speculationib. suis, studiosè à reliquis se separabat, ne impedirentur cogitationes. Hæc cùm videretur sibi aurea veste induta, & aurea corona ornata, atque ita, ceu nuptiis sponsa læta sederet & gauderet, reliquæ moniales deprehendunt satanæ ludibrium. Vident enim coronæ loco in capite stercus vaccinum, quod ipsa somniabat auream coronam esse *Lutherus Tom. 6. Vit. Latin. pag. 233. fac. 2.*

265

CCCLXXX. *De Hispanis quibusdam.*

NUper in Hispanis decumbente Regina adhibiti sunt aliqui se ipsos ferreis scorpionibus flagellantes, ut sanguine suo placarent Deum, & impetrarent prorogationem vitæ ipsi reginæ. His opponi debuis-

debuisset vox divina: Quis quæsivit hæc de manibus vestris? *Luther. Tom. 6. Vit. Latin. pag. 598. fac. 2.*

CCCLXXXI. *De Adolescente Saltzungensi.*

DUo quidam adolescentes *Saltzungæ* unam atq; eandem puellam ita amabant, ut quilibet eam uxorem ducere expeteret. Quia verò alter alteri præstabat divitiis, istum sibi antepositum iri suspicabatur. Quamobrem, ut ne sibi ipse deesset, de castrando isto opulento competitore suo consilium capit. Nec mora, duos mox calones conducit, iisque decem aureos promittit, si quidem istum aliquò proficiscentem & intercipiant, & castrent. Quid fit? Pecuniæ, ut dici solet, omnia obediũt. Ea hi quoq; inescati conditionẽ accipiunt. Non ita multò post adolescens ille peregrè abit. Calones illũ & insequuntur & consequuntur & demiq; castrant. Miser autem ille per omnia sacra eos obtestatur, ut vitam sibi potiùs, quàm virilia eripiant. Illi se in mandatis id non habere respondent, sed potiùs ut caponem illum faciant. Ferat igitur non culpet, quod vetari nequeat. Castratur ita miser iste. Domum autem reversus alteri isti dicam eo nomine scribit, qui re intellecta, in fugam sese dedit. Ita factum est, ut neuter puellam istam in matrimonium acciperet.

CCCLXXXII. *De Petro Pagano.*

QUO tempore parens meus Marpurgi, studio Theologico operam dedit, præceptoribus clarissimis & præstantissimis viris *D. Andrea Hyperio*, *Johanne Lonicero*, VVigando Orthio, & Johanne itemque à VValtmanshausen Theologo nobili, vidua, quædam **die Kulischen** cognominata, affecta jam ætate fœmina, in platea Franciscana habitabat. Cui quidem filiæ erant duæ cùm nubiles ambæ, tum verò admodum elegantes atque speciosæ. Quarum natu tamen maxima sororem suam & oris venustate, & morum elegantia, & affabilitate non parum qui-

dem multum antecedebat, sed multis passibus à tergo relinquebat. Eam adolescentuli duo simul effictim deperibant. Quorum alteri quidem *Philippo Schallero Alsfeldiano* Juris studioso, facies, seu carosa, seu grandinosa, seu cadaverosa denique erat, hoc est, pustulis rubicundis usquequaque obsita atque fœdata. Alteri verò *Eobano Brugensi* Eschuegia oriundo, Magisteriique insignibus redimito, hæmorrhoides identidem dolorum faces adhibebant. Itaque ille quidem russa ista, tumida, lividaq; facie sua leprosum quendam repræsentabat, ista verò & macie totius corporis, & faciei itemque tum pallore, tum squalore febricitantem aliquem ad unguem utique exprimebat; Quamobrem Poëta Paganus hâc in rationem salsè quidem & facetè corrivales hosce perstrinxit:

Sunt duo, quos læsit formosa puella sodales,
Huic facies: illi posteriora dolent.

Etsi verò hoc illi summa acerbè ferre viderentur; Poëta tamen susque deque idipsum faciens medium illis digitum ostendebat, atque hoc quidem Horatii subinde occinebat:

Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Cæterùm neuter ipsorum culina hac potitus est, quòd Schallerus quidem J. U. D. in Italia creatus in patriam sese receperit, inibique de fenestra noctu fortè fortuna prolapsus, animam miserandum in modum exhalaverit: Brugensis verò Eschuegiæ natali solo suo aliquandiu cœlibem vitam egerit, posteaque pestilentia confectus, Deo naturæque concesserit.

CCCLXXXIII. *De eodem Petro Pagano.*

QUum *Augustus Dux* Saxoniæ, Sacríque Romani imperii Septemvir, Princeps benedictæ memoriæ laudatissimus, *Gotham* munitissimum Thuringiæ

ringiæ propugnaculum jussu atque mandato *Maximiliani Imperatoris* obsidione cingeret, & oppugnaret, eo quidem tempore *Petrus Paganus* confirmandi sui gratia Marpurgo profectus, *Wanfridæ* patria sua apud matiem hærebat. Cùm igitur *Gotha*, licet & à milite, & à commeatu cumulatè instructa esset, obsidionem diu non sustineret, se præter omnium expectationem mox moxque fœdam & pudendam deditionem faceret, incredibile est, quàm graviter & indignè eam rem *Paganus* tulerit. Proinde œstro quodam Poëtico percitus, sequens carmen non modo panxit, sed & parieti non ita pridem cæmente de integro obducto & incrustato, carbone quodam, ut ab omnibus maternas ædes ingredientibus perlegi posset, majusculis literis scribit:

Non bene Gothensis *quadrat Respublica Romæ:*
Extulit hæc Reges, prodidit illa duces.
Inclyta Tarquinios ejecit Roma superbos,
Deseruit patriæ perfida Gotha patrem.
Regibus expulsis Romana potentia crevit,
Sed malè deserto Principe Gotha *ruit.*
Atque utinam ruerent cum mœnibus, urbe, foróque,
Quisquis in hac autor proditione fuit.

Cæterùm quum Elector Augustus eo ferè tempore, cùm Gotha sese dedidisset, Cassiliæ cum Hassiæ Landgraviis D.D. *Guilielmo, Ludovico Philippo, atque Georgio*, qui patri suo Domino *Philippo* Principi omni laude superiori justa jam fecerant, in collocutionem veniret atque consilia cõmunicaret, evenit, ut *Gotham* repetiturus Wanfridæ pernoctarit. Quãobrẽ quum quidam *Augusti* aulici ad *Pagani* matrẽ divertissent, carmen ipsius parieti inscriptum admirabundi legunt, diligenterque ex ipsa percontantur, ecquis carmen istud confeciisset, illa verò verita, ne filio suo fraudi foret, ac periculi inde quippiam crearetur, si ipsum nominaret, de eo nihil sibi constare

respondit, causata, multa quotidiè se inscia atque invita ab hostibus inscribi parietibus, quorum ipsa rationem reddere posset nullam. Itaque aulicus ille animadvertens, nihil se ex illa exsculpere posse, *Pagani* carmen non solum describit, verum etiam hoc distichon illi subjicit:

An non rectorum contemtus consiliorum
Effectus tales progenerare solet?

Johannes Rainerius in Lugdunienſis urbis laudem.

Ut cœlum volvi, sic & mutarier urbes
Et gentes, nec non tempora cuncta vides.
Clara fuit quondam *Babylon*, & nobilis olim
Urbs Cadmi, sed nunc utraque strata jacet.
Æquata est quondam Romana potentia cœlo,
Quæ nunc in lustri desidiosa latet.

CCCLXXXIV. *De Simone Bingio, & Johanne Rhodo, Doctore Medico.*

Simon Bingius Illustris. Hassiæ Landgraviis *Philippo & Guilielmo*, Principibus Opt. Max. quos honoris causa nomino, multos annos in consilio adfuit, ac suam illis, quo ad vixit, & industriam, & prudentiam, & fidem abunde cumulateque probavit. Is quidem, cùm ex Comitiis aliquando VVormatiensibus reversus Marpurgum transiret, evenit, ut fortè fortuna in *Johannem Rhodum* Professorem medicum incideret, qui data illi dextera tum reditum ei gratulabatur, tum ex ipso etiam de novis istorum Comitiorum rebus ultrò citroque scisitabatur. *Bingius* igitur actis ei de gratulatione sibi facta gratiis, si omnia minima maxima cognoscere ex me, *Rhode*, gestis inquit, quę quidē in istis comitiis tractata fuerunt, est utique, ut aliquò usque mecum commees, acceptaq; *Rhodi* mox læva cum sibi adjungit. Quòd enim *Bingius* crustarios quosdam eminus conspicaretur, qui quidem limum ad incrustandos parietes depse-

depsebant ac subigebant, *Rhodum* per illum ipsum sursum deorsum pertrahere, eoque probè contaminatum pro oblectamento habere animum suum inducebat. Itaque cum *Rhodo* pede pressim progressus, de magno perpulcrorum scortorum numero, qui Comitiis interfuisset, narrare illi occipit. Erat hæc narratio *Rhodo* utpote homini libidinoso & à scortis minimè alieno, haud insuavis aut ingrata, qui & honori sibi ducebat, quòd à tantæ dignitatis viro equo pulcerrimo insidente, & equitibus aliquot stipato duceretur, & familiariter ipsum jucundeque verba facientem audiret. Cæterùm cùm ad istum limi cumulum perventum jam esset, *Bingius* calcaria equo subdit, & *Rhodum* multum licet tergiversantem per limum ducit, reflexoque aliquoties equo iterum atque iterum reducit, & ad extremum nonnihil in altum sublatum in limum projicit præcipitatque, ubi miser ille veluti mus in pice hæsitat, & usq; quaq; limo obductus ac sordidatus ab omnibus qui huic pulcerrimo spectaculo aderant, ridetur, diu multum laborans ut inde rursus emergat. Quod autem *Rhodus* mulierculæ cuipiam, quam culum anserinum appellabant, paulo ante stuprum intulisset, ex eoque suscepisset sobolem, non deerant, qui dicerẽt, *Bingium* hac ipsa de causa isthanc illi notam inussisse. *Rhodus* verò tametsi ita acceptum se à *Bingio* implacatissimè ferebat, eaque gratia totus in fermento jacebat, dissimulabat tamen, & tandem aliquando ex isto limo obluctatus vel protractus potiùs à crustariis, *Bingio* se in medullis planè atque visceribus hærere gloriabatur, qui amore quodam erga ipsum singulari hunc ad modum jocari secum ac ludere consueviſſet. Id quod laudi sibi duceret, non probro: **Er stunde mit dem Herrn Simon Bingen so trefflich wol/vnd pflegte der halben derselbige also mit jm zuschimpffen/zuschertzen/vnd zukurtzweilen/welches**

ihme zu sondern Ehrengereichte. Ast ego contrà dicerem: Istud inimicis meis fiet, non mihi. Ego neq; ridiculus esse, neque plagas pati possum.

CCCLXXXV. De eodem Rhodo.

FErt ita Germanorum consuetudo, ut hominem peregrinum ad se venientem vini alicujus generosioris munere ornent, eoque ipsius adventui gratulentur, præsertim si is virtutis eruditionisque opinionem habeat, neque ita crebrò eos invisant. Hunc morem Marpurgensis Scholæ Professores servare cupientes, quo tempore *Philippus Melanchthon* ad Comitia Wormaciensa profecturus, eos inviseret, *Johanni Rhodo* negotiũ dant eo munere Dominũ *Philippum* omnium ipsorum nomine ornandi. *Rhodus* igitur, qui *Philippo*, multis annis familiarissimè uteretur, atque domesticè quodammodo cum ipso vixisset, minimè sollicitus est, quemadmodum erudita aliqua elaboratáque (quod fieri solet) oratione *Philippum* affaretur, hocque suum munus verbis ornaret, sed rectà alacriterque ad mensam accedens, *Dn. Philippe*, inquit, Ecce *Vinum Theologicum*. Quo illius sermone *Philippus* atque Professores Marpurgenses diversè affecti sunt, cùm ille quidem certè plurimũ eo recrearetur, idque suaviter arridendo minimè omnium dissimularet: hi verò abstupescerent planè, pudoréque nonnullo ducerentur, quòd iste rem tantam tam negligenter ageret.

CCCLXXXVI. De eodem.

IDem aliquoties unum duntaxat auditorem habebat, in temploque ædibus pædagogii contiguos docere solebat. Cùm autem aliquando pueri in cœmiterio hujus templi non modò lusitarent, sed & professoris pronunciationem exprimere imitarique studerent, atq; adeò lapillis interdum fenestras speculariáque perforarent, jussit auditorem hunc suũ exire, puerósque istos cohercere atque compescere.

Audi-

Auditor dictis illius est audiens. Interea autem dū hic abest, puerósque istos partim sedat, partim etiā abigit, *Rhodius* minimè à lectione cessat, sed strenuè pergit, non minus stentorem agens, quam si centum alioqui auditores, nedum unicum istum præsentem haberet. Erat nimirum parietibus erudiendis perinde aptus atque hominibus.

CCCLXXXVII. *De eodem.*

IDem ædes suas aliquando de integro incrustandas curabat; ac omnes dein parietes exteriores omnis generis morionibus depingendos curabat, sic quidem, ut quosdam Jurisperitorū, nōnullos Theologorum, alios Medicorū habitu indutos cerneres. Ac ne quispiam fortè eo nomine cum illo expostularet, ipse quoq; medius inter fatuos pingi collocaríque voluit, sic quidem, ut rubro thorace indutus de more suo esset, ac dextera vitrum lotio repletum teneret, idque etiam atque etiam contemplaretur. Propter hunc autem stabat *Guilielmus Crataeolus* Italico vestitu indutus (figulus enim figulum odit) similiterque urinam inspiciunt. Quod quid Italogermanus hic implacatissime certè tulit. Has ædes plerique omnes non sine admiratione atque adeò risu præteribant. Quidam a illustri loco natus homo, cùm primùm eas præterveheretur, istæ quidem ædes stultorum sunt plenissimæ, inquit, **An dem Hanse stehen trefflich viel Narren.** Id audiens *Rhodius* confestim respondit. At multò plures stupidioresque eas prætereunt, **Ja es gehen aber noch viel mehr vnd grösser Narren vorüber.**

CCCLXXXVIII. De *Vindiciano Medico.*

AUgustinus ad Marcellinum epistola quinta narrat, quendam *Vindicianum* medicum nobilissimū sua tēpestate quoddam remedium cuidā prębuisse, qui gravi morbo laborabat, quod ille cùm accepisset, è vestigio convaluit, cumque post multos annos rursus tentaretur eodem morbi genere,

idem quoque remedium adhibuit. Cęterùm tantùm abfuit ut liberaretur, ut potius deterius habuerit. Itaq; Medicum acceſſit, & hac de re magna cum admiratione conqueſtus eſt, Reſpondit *Vindicianus*, cum ex illo remedio convaluiſti, ego tibi præceperam ut eo uterēris, at nunc, quia ipſe non præcepi, ſecus tibi evenit. Mirati ſunt auditores, qui aſtabant, ut qui acciperent, pharmacum non ex rei natura, ſed potiùs ex verbis præcipientis habuiſſe vim ſanandi. Subriſit ibi medicus, & adjecit; Juveni ſuaſeram hoc remedium, quod nunc homini grandævo non conſuluiſſem.

D. Martyr. 1. Cor. 3. pag. 63.

CCCLXXXIX. Εἰς Ουεσμάντιω.

RAncidus ut Medicus lotium bovis aſpicit, ipſi
Oblatum lanii fraude manuq; refert.
Sic habeas: puerum conjux tua geſtat in alvo?
Ah dignum lotio ſtercoribusq; caput!

Schaſſar. in Epigrammat.

CCCXC. *Jocoſa Aſtrologorum & Medicorum irriſio.*

PRoximo anno cæci parum aut nihil videbunt, ſurdi malè audient, muti non loquentur. Ver erit calidum, ac humidum, ęſtas calida & ſicca, autumnus frigidus & ſiccus, hyems frigida & humida. Æſtate erunt quandoq; pluviæ, interdū fulmina ac tonitrua, aliquādo cadent grandines. Bellū erit inter aucupes & aves, inter piſcatores & piſces, inter canes & lepores, inter feles & mures, inter lupos & oves, inter Monachos & ova. Multa interibūt piſces, boves, oves, porci, capræ, pulli, & capones: inter ſimias, canes, & equos mors non tantopere ſæviet. Senectus eodem anno erit immedicabilis propter annos, qui præceſſerunt. Non pauci inopia laborabunt, complures ægrotabunt, pleriq; morientur etiam ante ſenectutem. Varia erit rerum mutatio. Periculoſa erit navigatio in Oceano

Oceano occiduo, præsertim si oriantur tempestates. Reges & Principes satis bene se habebunt. Vulgi fortuna quandoque bona fuerit, interdum adversa, aliquando mediocris. Divites melius se habebũt, quam pauperes: sani, quàm ægri. Aurum erit carius argento, plambum erit mediocris pretii. Circa Martium oves minoris ementur, quam boves aut equi. Erit bonum edere capones, pavones, perdices, & bibere optima vina. In aliquibus locis erunt cædes ac homicidia propter aspectum Martis. Plenilunium erit in Martio vel Aprili, quando Luna Soli erit opposita. Quòd si ipsa tum in caput vel caudam Draconis inciderit, occultatur tantisper, dum rursus ex umbra terræ emergat. Serenitas erit circa orbem Solis: Frigus vigebit in extremis Zonis & aliis montibus. Calor & siccitas aeris futura est sub signifero. Ingens humoris copia erit circa mare Tyrrhenum, ac Ionium, & maximè in Oceano. Qua de re vide Aristotelem libro decimoquarto Physicorum capite ultimo, paulò post finem.

Jouchimus Fortius Ringelbergius, pag. 556.

CCCXCI. *De Medico quodam.*

ROmanus quidam Medicus procul ibat Athenas
Ut Græcè Latio disceret ore loqui.
Prima novæ linguæ qui cum præcepta teneret,
Jam rudè Grammatices & superãsset opus.
Mæonium vatem sibi mox proponit Homerum,
Talia sunt cujus carmina scripta libro.
Iram Pelidæ memoria mihi diva superbi
Pestiferam Græcis, quæ mala multa dedit.
Et fortes animas sub tristia tartara misit,
Heroum, quas nunc pallidus Orcus habet.
Scilicet hæc Medicus cum primum carmina legit,
Edidit insigni dicta faceta joco.
Si meruit laudis tantum bellator Achilles,
Hæcq; suæ famæ gloria magna fuit:

Quòd

Quòd Stygio multas animas Acheronte subegit,
Pro Danais quando fortiter arma tulit.
Me reor & simili celebrabit Græcia laude,
Ars me nam quiddam grandius instar habet.
Non quia sic gladiis, rigido nec denique ferro
Est unquam cædes ulla peracta mihi.
Herbis simplicibus tantum curator, ad Orcum
Multorum medica corpora mitto manu.

Martialis de Diaulo Medico lib.1.

Nuper erat Medicus, nunc est vespillo Diaulus,
Quod vespillo facit, fecerat & Medicus.

Idem lib.6. de Andragora.

Lotus nobiscum est hilaris, cœnavit & idem,
Inventus mane est mortuus *Andragoras.*
Tam subitæ mortis causam *Faustine* requiris,
In somnis medicum viderat Hermocratem.

Idem in malum Medicum lib.8.

Hoplomachus nunc es, fueras ophthlamicus ante,
Fecisti medicus, quod facis Hoplomachus.

Idem lib.10. de Caro Medico.

Nequius à Caro nihil unquam *Maxime* factum est,
Quam quòd febre perit, fecit & ille nefas.
Sæva nocens febris saltem quartana fuisset,
Servari medio debuit illa suo.

Idem lib.11. de Phrenetico Medico.

Invasit Medicus sica Phreneticus Eucli
Et præcidit Hylen, hic puto sanus erat.

Idem ad Antiochum Tonsorem lib.11.

Qui nondum Stygias descendere quæris ad undas,
Tonsorem fugiat, si sapit, *Antiochum.*
Tres Medicus facies habet, unam, quando rogatur,
Angelicam, mox est, cùm juvat ipse, DEUS.
Post ubi curato poscit sua præmia morbo,
Horridus apparet terribilisque Satan.

CCCXCIN. *De D. Nicolao Æsculapio.*

COmposuerat hic aliquando carmen, nisi fallor,

gratu-

gratulatorium, idque cùm *Comiti* cuidam dedicabat, tum verò ipse eidem offerebat, sic nimirum futurum sperans, ut liberalius aliquod munus à Comite ferret. At verò *Comes* cùm libellum hunc aliquātisper contemplatus esset, coquo ad se accersito, negotium dat deducendi hujus in popinam, inibique prolixè liberaliterq; accipiendi. Deducitur ita *Asclepius* in popinam, intérque fuliginosos nidorémque redolentes coquos hìc prandet. Interjectis autem horis tribus quatuorvè cùm frustra se, præter jentaculum istud, munus aliquod sperare animadverteret, pertæsus nidoris culinarii domum se refert, coquóque injungit, ut Comiti suo per occasionem de jentaculo sibi objecto gratias agat. Domum autem reversus multum de hisce Comitis hujus sordibus nedicā, an barbarie, cùm apud collegas suos dominos professores, tum verò etiam apud scholasticos publica in lectione conquerebatur. Pulcrum, inquiens, atq; peramœnum Poëseos est studium, at quod rem familiarem parum admodum augere videatur. Ego enim cùm aliquando multum studii atque operæ in condendo aliquo poëmate posuissem, præter jentaculum, quod inter rancidos mihi coquos devorandū erat, nihil quicquam certè mercedis munerisque sum adeptus. Abjeci igitur hoc studium, méque ad juris cognitionem contuli, quod quidem non jusculis tantùm, sed & omnis generis divitiis atq; opibus professores suos ornat atque auget: Rectè igitur *Schefferus lib. 1. Epigrammat. pag. 99. fac. 2.* in Musam:

Legibus ambiguas solitus decidere lites
Grandeque venali vocat replere forum,
Ultra bina tenet soliderum millia, linguæ
Quos opera meruit, dum brevis annus abit.
Ast mihi sectanti nudas trieteride Musas,
Vix totidem nummos fervida cura parit.

Musa

Musa vale, calami valeatis Apollinis omnes,
Si dare causidico Bartolus ista potest.

CCCXCIII. *De Gosolaria, quæ Euricia Gordo pro oblato carmine tres bohemos dedit.*

QUod celebrata meo *Gosolaria* carmine vivit,
Conjice Rectores quid retulere Patres.
L. Centum Pannonios. C. Ha centum? L. plusne, quid inquis?
L. Non tantum? C. minime. L. dimidiúmne? tace.
L. Fortè quadraginta? C. Non L. trigintáve? nec illos.
L. Dignum se tantis quid potuere minùs?
C. Tam malus expectem tam grandia præmia vates?
L. Dic age quid? C. Tricæ quot meruere meæ.
Tres lætus cepi, regale numisma, Bohemos.
L. Garris? C. non certè, magnáne dona satis?
L. O in perpetuos huic urbi dedecus annos
Et nulla cessans posteritate pudor.
C. Imo mihi oblatum est hoc summo munus honore
Nempe per egregios, ceu Jovis arca viros
L. Attulit Agrippis ingens pro versibus aurum
Pessimus in clario Chœrilus ille choro.
His modò contemtis nugis prudentior ætas
Vidit, quid fulgens utile nummus habet.
Quæ, præsens ubi res, nil posthuma verba moratur,
Candida non Cineres nigráve fama movet.

Cordus ad Michaelem Lisarium.

Idem ibidem.

Quas mihi retulerit dives *Gosolaria* grates.
Pro misso, quæris, *Gittelitano*, libro.
Tres fermè cepi Joachimos, grandéne munus?
Quid plus in votis debuit esse meis?
Dimidio constat quater octo didrachmate versus.
Talia quis pluris carmina stultus emat?

Idem ibidem ad *Gosolariam.*

Non ingrata meis *Gosolaria* versibus, ad me
Tres mittis latum reddita dona viros.

Quid tanta tamen hæc opus est ad munera turba,
Quæ queat exiguas centupla ferre puer?

Ad eandem idem ibidem.

E primo tui choro popelli
Tres nummos mihi tres viri tulerunt,
O quàm falsus eram Poëta, quando
Fortes te cecini tenere cives.

CCCXCIV. *De Carolo Quinto Imperatore.*

IMperator *Carolus Quintus* pecunias quidem non profundebat, erga doctos tamen literatosque homines supra modum liberalis atque munificus erat. Cùm enim Poëta quidam ei Carmen de *navigatione Africana* lingua Italica conscriptum exhiberet, mille ei coronatos donavit. *M. in publica lectione.*

CCCXCV. *De Casparo Rudolphi.*

HIC amicis quibusdam suis cœnam aliquando dabat. Cùm autem vinum, quòd à Vergilio Coss. Marpurg. emebat, aqua dilutum esse videretur, totus excanduit, pueroque suo duos Cantharos tradidit, cum hoc mandato, reciperet se ocyus ad Vergilium, eique diceret, jubere se, ut in uno cantharo vinum, in altero verò aquam ad se mitteret, se namque hæc ita commixta bibere haud posse. Dicto præceptoris sui puer est audiens, atq; hoc illius mandatum exhaurit. Vergilius igitur similiter ira atque stomacho exardescens utrumque cantharum vino, eoq; generosissimo implet, Suevoq; renunciat, si hoc illi vinum minus placeat, & satis faciat, linguam ei sale perfricandam esse. Tum Suevus: Hoc verò non potest non mihi arridere; at prius illud aqua probè probeque dilutum erat.

Cordus lib. 8. Epigr. ad Cives Marp.

Miror, quod vestros non funditus auferat hortos,
Cùm tumido crescens effluit amne Lanus,
Qui sita sublimi subiens cellaria monte
Perdit per sommos optima vina cados.

Idem de Vino Marpurgensi ad Navolum lib. 3.

Inter cætera quæ Marpurgi commoda jactas,
Esse bonam verè *Navole* dicis aquam.
Hoc ipso quoniam, quo vinum venditur ære,
Et bibit hanc fulvis incola turba scyphis.

Laus Buschiani Vini.

Si mera sunt usquam *Marpurgi* vina, bibuntur
In Buschianis ædibus.
Nam velut integer est incorruptusq; vir ille,
Syncera sic amat omnia.
Cætera cuncta ferè fatuam cellaria vappam,
Quales habent dominos, tenent.

Idem lib. 9.

Advectum à Rheno Marpurgi ad mœnia vinum
Ferbuit, erupto prosiliitq; cado.
Salva ipsum voluit magis integritate perire,
Quam quod corruptum perderet hîc alios.

CCCXCVI. *De Johanne Garnerio.*

PErquàm falsè *Garnerius* hic *Victorinum Schonfeldium* risit, cùm quidem adolescentibus quibusdam in collegium doctorum, quos Magistros appellamus, cooptandis, theses de somniis in Academia Marpurgensi defendendas proposuisset. Sic enim publicè illum tum quidem exagitavit: Putabam equidem, adolescentes hosce in septem liberalium artium Magistros creatum iri. At verò cùm vestræ theses somnia duntaxat somnient, quid vetat, quo te minus somniantem, somnolentúmve promotorem, istas verò tuas creaturas magistros somniorum nuncupemus: Hoc dicterio ita & Promotorem & miseros istos pudefaciens, ut illum quidem istas theses affixisse, hos verò eas defendere quodammodò puderet, ac hi quidem ipsi Magistri deinceps somniorum vulgò appellarentur.

CCCXCVII. *De Victorino Schonfeldio.*

QUum *D. Holtman.* Junior, qui postea ex Paulo Castren-

Castrensi Tarsensis factus est, hoc est, relicta jurisprudentia, ad theologicam se professionem contulit, non desperatione quadam, sed vitæ sanctioris desiderio impulsus, in Academia Marpurg. theses de servitutibus pro consequendis *Doct.* insignibus disputatet, & pro more Acad. hic quoque *Victor. Schonf.* eas impugnaret, *Dn. Candidate, insit*, cùm actum inter servitutes referas, scire abs te perv lim, quorsum referas actus Comœdiarum, & acta Apost. Quæ quidem cùm Candidatus cũ hac materia aliquid commune habere negaret, & *Victorinus* nihilominus objectionem urgeret suam, incredibile est, quantum disputatio ista risum auditoribus concitarit.

CCCXCVIII. *De Roberto Licensi.*

IMprobius est, quod narrant de *Roberto Licensi*, qui magna dictionis vehementia Principes ac populum adhortatus adversus Turcas aliosque Christiani nominis hostes, ubi ad summum impetum efferbuisset oratio, deplorare cœpit, quòd nulli se ad rem tam piam duces offerrent. Si isthuc, inquit, obstat, ecce me, qui nihil verebor hanc *Francisci* vestem abjicere, & vel militem, vel ducem vobis exhibere. Simulque cum dicto summam vestem abjecit, intus planè miles erat, byssino Sago, accinctus prælongo gladio. Hoc habitu dimidium horæ sub persona Ducis concionatus est. Accitus à Cardinalibus, quibus cum habebat familiaritatem, quid hoc esset novi exempli, respondit, id esse factum in gratiam amicæ, quæ familiariter fuerat confessa, nihil in Roberto displicere præter vestem fraternam. Tum ille, in quo cultu sum tibi totus placiturus. In militari, inquit. Cras igitur fac adsis in Concione. *Erasmus de ration. Concionand. pag. 619.*

CCCXCIX. *De Eodem.*

SIMILI novitate fertur Cardinalibus ac summo Pontifici exprobrasse fastum ac delicias. Erat

apud illos dicturus, quos quum videret ſtrepitu plùs quam regio ingredi, deniq; & pontificem geſtari hexaphoro, & ab omnibus adorari, ubi tandem conſediſſent, jamque expectaretur vox hominis, is nihil aliud prolocutus, *phy ſanctum Petrum*, *phy ſanctum Paulum*, ſubinde cum execrandis voce exſpuēs, nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum, nec aliud addens è medio proripuit ſeſe, relinquens omnes attonitos, aliis ſuſpicantibus eum eſſe verſum in furorem, aliis dubitantibus, num in hæreſin quampiam, aut Judaiſmum, Paganismumvé prolapſus in eas blaſphemias erupiſſet. Quumq; ageretur de homine conjiciendo in vincula, *Cardinalis* quidam, qui propiùs noverat ejus ingenium, atque etiam amabat, perſuaſit ut priùs ad pontificem evocaretur, paucisq; Cardinalibus teſtibus audiretur: Rogatus, quomodo in tam horrendas blaſphemias erupiſſet, reſp. ſibi longè aliud argumentum fuiſſe præparatum, & paucis ſummam orationis expoſuit. Cæterùm ubi ſpectarem, inquit, vos tanto ſtrepitu tantisq; in deliciis vivere, ſimulq; reputarem, quàm humilem, laborioſam, & inamœnam vitam egerint Apoſtoli, quorum vices geritis, colligebam aut illos fuiſſe dementes, qui tam ſpinoſo itinere contenderint ad cœlum, aut vos recta ad inferos proficiſci. Sed de vobis, qui tenetis claves regni cœlorum nihil malæ ſuſpicionis in animum inducere potui, ſupererat, ut illorum ſtultitiam deteſtarer, qui quum licuiſſet ad iſtum modum ſplendidè ſuaviterq; vivere, maluerint per omnem vitam jejuniis, vigiliis ac laboribus diſcruciari. *Idem ibidem.*

CD. De Antonio.

272 ANTONIUS, quum oratione fenebri C. Cæſarem laudâſſet apud populum, ejusque præclarè geſta, quantum potuit, verbis extuliſſet, oſtendit clamydem illius multis vulneribus pertuſam, multoq; ſanguine contaminatam. En, inquit, qualem virum, quàm

quàm crudeliter necarunt conjurati. Orationem sat æquis animis audiebat multitudo, sed conspecto pallio, tantus exortus est tumultus, ut conjuratis, qui aderant, fuerit profugiendum, ne discerperentur. *Idem ibidem.*

CDI. *De quodam Concionatore.*

QUendam audivi, qui cùm narraret, quomodo dominus onustus cruce incesserit, in gestum onus grave bajulantis corpus incurvavit, pedum quoque strepitu, quantum potuit, imitans ambulantem. Idem, me audiente, quum exaggerâsset verbis, quam horribilis fuisset ille totius populi strepitus, quum omnes una voce clamarent, *crucifige, crucifige*, jussit universam concionem, quantum posset, vociferari, *Crucifige, crucifige.* Idem ibidem.

CDII. *De quodam alio.*

CUidam ἰδιωτικῶτερον ridiculum quiddam accidit. Ipse grandi proceroq; corpore dicebat è suggesto minus profundo, unde alii solent dicere sedentes: cumque vehemens videri studeret, erectoque in altum corpore jactaret brachia, superiore corporis parte; quoniam plus habebat ponderis, depressa, devolutus in turbam vicinam, ostendit ea fœminarum ac virorum oculis, quæ ineptius teguntur.

Idem ibidem.

CDIII. *De Thoma Moro.*

SUccurrit hîc quiddam non infacetum, quod olim ex *Thoma Moro* tum adolescente, nunc viro omnium, quos multis seculis habuit Anglia, ingeniosissimo, accepi. *Rex Henricus ejus nominis septimus* proposuerat exactionem precariam mutui nomine. *Richardus Episcopus Vintonienſis*, cui cognomen vulpi, vir minimè stupidus, apud clerum agebat Principis sui negocium. Contrà, sacerdotes hoc agebant, ut quamminimùm darent. Idq; ut efficerent, duplici

via captabant. Alii veniebant magnificè culti, ne viderentur esse pecunioſi. *Splendidus enim victus exhaurit opes.* Rurſus alii veniebant ſordidè culti. Utrique ſe pariter excuſabant. At *Epiſcopus* utriſq; retorſit argumentum. Tibi, inquit, non deeſſe pecuniam, declarat iſte tuus amictus tam ſplendidus: Et te colligere pecuniam declarat, quòd tam miſerè cultus es. Verùm hoc illi natura, non ars Rhetorum dederat. *Idem de ratio. concionand. pag. 484.*

CDIV. *De quodam Prætore & Ruſtico.*

APUD Zelandos taurus Prætoris occiderat vaccam ruſtici cujusdam. Is adiit Prætorem: ac precatus pauca dicendi veniam, ea permiſſa dixit; Meus taurus tranſiliit foſſas, & occidit vaccam tuam, quid juris? Prætor nihil metuens inſidiarum, ſolves, inquit, hoc jus eſt. Mox ruſticus: Domine Prætor, licétne pauca? (nam illic mulcta præſto eſt, ſi quis in judicio loquatur, non præfatus veniam. Id factum eſt, ne ex multiloquio vel rixa naſcatur, vel tempus ſupervacuis teratur.) Conceſſa igitur dicendi venia. Lapſus ſum, inquit, lingua: volebam dicere, Tuus taurus occidit vaccam meam. Hic Prætor commotior, iſthæc, inquit alia res eſt. Tum ruſticus impetrata dicendi venia, Imò, inquit, eadem res eſt, & rectè pronunciâſti. *Eraſmus de ratione concionandi, pag. 454.*

CDV. *De Roberto Licienſi concione ſua alicui lachrymas excutiente.*

NOn alienum fuerit hîc referre, quod de *Roberto Licienſi* narrant Itali, qui illum audiverunt. De vita hominis nihil effutiam, tantum illud dicam, quod ad hanc rem pertinet, ſi vera ſunt, quæ de illo rumore publico jactantur. Nihil aliud erat, quàm homo, miris naturæ dotibus ad dicendum inſtructus. Ac primò fuerat de ſodalitio eorum, qui ſe plauſibili obſervantium titulo ſecernunt à cæteris: quibus

bus cum posteaquam illi parum conveniebat, demigravit ad eorum contubernium, qui vulgo dicuntur conventuales, quòd horum vita videretur esse liberior. Is quum in convivio, in quo simul accumbebat vicarius quidam de grege observantium, vir eruditus, pius, & gravis, jactaret se posse, quoties vellet, auditoribus excutere lacrymas, ex eo refutare cupiens, quòd alter objecerat, infrugiferas esse concliones illius, quòd nec oratio ex animo proficisceretur, nec vita congrueret cum oratione. Quibus, inquit Vicarius, tu excuteres lacrymas, nisi fortè pueris aut ineptis mulierculis? Ad quæ ROBERTUS, tu igitur vir tantus, cras adsis concioni meæ, eo loco consistens, quem tibi designabo, ut mihi sis in conspectu. Si non excussero lacrymas, victus dabo lautam cœnam: sin excussero, tu victus nobis eam parandam curabis. Nam illi generi contingere æs signatum religio est. Et commodum repertus est inter convivas FRANCISCO bene volens, qui Vicarii nomine fidejuberet. Conventum est. Adfuit Vicarius, stetit, ubi jussus erat. Ibi ROBERTUS quum multis modis amplificâsset DEI erga homines charitatem ac beneficentiam, rursus hominum erga Deum ingratitudinem duriciemque, qui nullis invitamentis emolliri possent ad pœnitentiam atq; amorem mutuum, fecit apostrophen ad cor hominis Dei nomine. O cor plùs quàm ferreum, ô cor adamante durius: ferrum igni liquescit, adamas sanguine hircino vincitur: ego, quum nihil non faciam, non possum ex te vel unam extundere lacrymulam. Nec desiit hanc urgere apostrophen magnis clamoribus, donec vicario erumperēt lacrymæ. Id simul ut vidit *Robertus*, porrecta dextra, Vici, inquit. Hoc populus sub persona Dei dictū existimabat, quòd aliquot essent in ea concione, qui lacrymas nō tenerent. In convivio verò epinicio, quū *Robertus* jactaret suā victoriam, non inscitè

tergiversatus est Vicarius. Non tua, inquit, facundia mihi excussit lacrymas, sed mea misericordia, reputanti, quàm indignum esset, quòd tam felix natura mundo serviret potiùs, quam CHRISTO. *Erasmus de ratione Concion. pag. 609.*

CDVI. *De Sacerdote quodam ejusq; famulo.*

EGo certè & natus & alitus Romæ atque in Romana (ut vocant) curia, qui congruè loqueretur, cognovi neminem, nec hoc contingere posse existimo. An tu ignoras illam Sacerdotis fabulam, qui famulum jubebat secum loqui grammaticè, identidem eum reprehendens, quòd nesciret dicere, da mihi clavem, ubi est clavis? juberetque nunc clavis dicere, nunc clavem. Quo facto, ille desperans, vicissim cœpit herum indignabundus reprehendere his verbis, quæ in jocum vulgi emanaverunt, modò clavis, modò clavem: nunquam vidi hominem talem & tu hæc facilima etiam pueris esse existimas. Quæ quàtopere facilia sint, vel tu (nam quid alia documenta quærimus?) testimonio es, qui ista ætate, isto studio, ista perpetua grammaticè loquendi atque scribendi consuetudine, nondum tamen grammaticè aut loqueris, aut scribis. *Laurentius Valla lib. 2. Dialog. Contra Pogium, pag. 283.*

CDVII. *De puero condiscipulum suum accusante.*

PUer infimæ classis adolescentem locupletioris literaturæ apud Magistrum postulabat indecentioris alloquii, quo videlicet puellæ cujusdam expetierat osculum, jussit Magister puero proferre, quæ audivisset. Illo semel atque iterum caussante latini sermonis inopiam, atque, ut germanicè dicere permitteretur, orante, Magister prius mandatum repetit, jungit minas, utque ceu posset latinè, loqueretur, instantiùs urget infantem. Quid ageret puer loquendi nescius, & ad loquendum terrore compulsus?

pulsus? Confingit elegans sanè responsum. *Ipse* (inquiens) *dixit ancillam, musa mihi.* Quæ verba quanto fuerint excepta risu, prudens lector cogitet. *Jacobus Montanus Spirensis opere secundo collectaneorum latinæ locutionis cap. 1. paragr. 6.*

CDIIX. *De C. Pisone.*

CN. Piso fuit memoria nostra vir à multis vitiis integer, sed pravus, & cui placebat pro constantia rigor. Is cum iratus *duci* jussisset eum, qui ex cōmeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebat: roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit: damnatus extra vallum deductus est, & jam cervicem porrigebat, quum subitò apparuit ille commilito, qui occisus videbatur. Tunc Centurio supplicio præpositus, condere gladium speculatorem jubet, damnatum ad *Pisonem* reducit, redditurus *Pisoni* innocentem: nam militē fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur complexi alter alterum cum magno gaudio castrorum commilitones. Conscendit tribunal furens *Piso*, ac jubet duci utrumque, & eum militem, qui nō occidit, & eum, qui non perierat. Quid ergo indignius? quia unus innocens apparuerat, duo peribant. *Piso* adjecit & tertium. Nam illum Centurionem, qui damnatum reduxit, duci jussit. Constituti sunt in eodem loco perituri tres ob unius innocentiam. *O quàm solers est iracundia ad fingendas causas furoris!* Te, inquit, duci jubeo, quia damnatus es. Te quia causa damnationis Commilitoni fuisti. Te quia jussus occidere Imperatori non paruisti. *Excogitavit, quemadmodum tria Crimina faceret, quia nullum invenerat. Habet inquam, iracundia hoc mali, non vult regi; irascitur veritati ipsi, si cōtra voluntatē suam apparuerit, cum clamore & tumultu, & totius corporis jactatione, quos destinavit, insequitur, adjectis convitiis maledictisq.* Seneca lib. 1. de Ira cap. 36. pag. 291.

Iram pelle procul, tecúmque ſuperbia non ſit:
Nam tales homines non poſſunt prorſus amari.
Verùm te mitem blandúmque oſtende, placebis
Omnibus hoc pacto, at ſi te quis læſerit, ipſum
Ingenio ſtudeas magè quàm ſuperare furore.
Ingenio vires cedunt, prudentia victrix
Cuncta domat: rabidæ tigres, tumidíque Leones
Manſueſcunt arte, arte rates vaſta æquora tranãt.
Arte gerit turrim barrhus, juga taurus, & arte
Aſper equus tolerare equitem frenósque jubetur.
Viribus ingenium moderatur cuncta miniſtris.
Infirmi & timidi eſt nimirum multa minari:
Verbáque fœmineæ vires ſunt, facta virorum.
Diſſimulat prudens, ſortis tacet, aſt ubi venit
Opportuna dies, facienda viriliter audet.
Ergo priùs caveas, ne quis tibi jure moleſtus
Eſſe queat: quòd ſi injuſtè læderis ab ullo,
Ipſum, quando potes, tu contra ulciſcere juſtè.
Sin tibi non licet hoc, incluſum corde dolorem
Diſſimula, atque tace, ne deteriora ſubinde
Damna feras; *ſtultum eſt hoſtem irritare potentem,*
Atque malum majus tumidis ſibi quærere verbis.
Expectat tempus ſapiens, irámque coërcet:
Sæpe etiam utiliter cedit, placidíſque furentem
Demulcet dictis, & dulcibus allicit hoſtem
Blanditiis, donec deceptum in retia mittat.
Callidus indomitum pullum ſic vincit equiſo,
Sic inſueta bovi ſenſim juga ponit arator.
Sic trahitis *Cybeles* torvi ſarraca leones,
Sicque feræ tigres *Bacchi* paretis habenis.
Nimirum magna eſt prudentia, vincere blandè
Atque animi ad tempus preſſum celare dolorem.
Marcellus Palingenius in Cancro pag. (mihi) 80.

CDIX. De *Athenodoro Philoſopho.*

Athenodoro Philoſopho cauſatione ſenectutis flagitanti, ut ſibi liceret redire domum, *Auguſtus*

stus concessit. At quum ille Cæsari dixisset, Vale, volens aliquod Philosopho dignum monumentum apud illum deponere, adjecit, *Cæsar quum fueris iratus, ne quid dixeris feceris vé, priusquam Græcarum literarum XXIII. nomina apud te recensueris.* Cæsar autem Philosophi dexteram amplexus adhuc, inquit, te præsente mihi opus est, totumque etiam annum apud se detinuit, dicens illud Græcorum proverbiũ: *Silentii sunt tuta fidi præmia:* sive approbant *Philosophi* dictum, quod tutũ esset iram premere, ne prorumpat in verba, sive sentiens Philosopho profuturum fuisse, si hoc dictum non addidisset jam abiturus. Quanquam tam salubris admonitio magnificum aliquod præmium merebatur. *Erasmus Apophtegm. lib.* 4.

CDX. *De Antiocho Sophista.*

Antiochus Sophista quum malè vulgo audiret, veluti formidolosus, quod nec prodiret in cõcionẽ, nec Reip. munia capesseret: Non vos, inquit, metui, sed me ipsum, agnoscens bilẽ suam vehementiorẽ quam ut cohiberi posset. Sẽsit idem *Plato:* qui sunt *tracũdioris ingenii, ad disciplinas quidẽ esse idoneos, ad gerendã Remp. non item. Erasmus Apophteg. lib.* 8.

Ira, cùm in animum cujusquam incidit, vel, ut fæva tempestas tantos excitat fluctus, ut statum mẽtis immutet, ardescant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet, nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens, *Lactantius de ira* DEI *lib.* 1. *cap.* 5.

Ira perturbationum omnium atrocissima maximè hominem dedecet. Naturam hominis in truculentam mutat feram. Et quum quævis perturbatio mentis aciem & judicium omne obscuret, tum ira tenebras densissimas offundit, ut nec verum, nec utile, nec decorum possit intueri. Arrodit cor, & valetudinem affligit. Id cogit facere, quod ilico pœni-

pœnitentia consequatur. Jam in facie quàm turpis mutatio? quæ tempestas? oculorum ardor? dentiũ stridor? despumatio? & totius oris pallor? fœda in lingua titubatio & clamor? Ut ille, qui iratum se ad speculum aspexit, nõ sine causa dicatur se non agnovisse. Ob hanc torvitatem vultus, atrocitatem dictorum, crudelitatẽ factorum adimitur viro omnis authoritas, omnis benevolentia: diffugiunt amici, decedunt obvii, solitudo undique, omnes oderunt, omnes detestantur. Quo fit, ut maximi viri nihil vel caverint magis, vel texerint solicitiùs, quàm iram & irati opera: adeò ut naturæ etiam suæ repugnarint, & vim attulerint. Quid enim ridiculum magis, quã tantulum, tam imbecillum animalculum sic ferocire ac furere? Et tantas tragœdias tam atroces vilissimis de rebus excitare? ut de corporeis, de fortuitis, etiam, si diis placet, de uno verbulo. Iram facilè domabis, si illud animo perceptum & fixum tenueris, injuriam non fieri, nisi lædatur animus: cui à nemine noceri potest, nisi à possidente, introducto in eum vitio. *Johannes Ludovicus Vives in introductione ad sapientiam sub tit. de virtute & affectibus.*

Erasmus in Enchiridio Militis Christiani pag. (mihi) 69.

Fortem & animosum vulgo nominant eum, qui ferox & impotentis animi, ad quantumvis levem injuriam effervescit iracundia, & convicium convicio, maleficium maleficio retaliat. Contrà qui acceptã injuriam mussitat ac dissimulat, hunc ignavum, pusillanimem, instrenuum appellitant. Immò quid alienius à magnitudine animi, quàm verbulo dimoveri à statu mentis, & adeo alienam stultitiam non posse contemnere, ut hominem te non putes esse, nisi maleficium maleficio superaris. At quantò fortius, animo excelso & amplo nullam injuriam non posse negligere, insuper & pro maleficio beneficium red-

reddere. Non ego fortem dixerim, qui in hostem audeat, qui mœnia superet, qui vita contemta omnibus periculis objiciat caput, id quod est penè omnibus gladiatoribus commune. At animum qui possit vincere, qui ex animo benevelle malevolentibus, bene mereri de male merentibus, bene precari male precantibus: huic denique debetur cognomen fortis atque magnanimi.

Iracundiam qui vincit, hostem vincit maximum.

Val. Max. lib. 4. cap. 1.

Multò seipsum, quàm hostem superare, operosius est.

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

IRA *nocet cordi: præbet fomenta furori:*
IRA *nocet vitæ: mortis acerba parans.*
Pertinet ad faciem rabidos compescere mores,
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ira furor brevis est, animum rege, qui, nisi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce cathenis.

Cùm te vehemens animi dolor ad ultionem exstimulat, memineris, nihil esse minus ira, quàm quod falso imitatur, puta fortitudinem. Nihil enim æquè muliebre, nihil tam imbecillis projectíque animi, quàm vindicta lætari. Animosus videri studes, quòd inultam injuriam non pateris, at isthoc demũ pacto prodis puerilitatem tuam, qui (quod est viri proprium) animo temperare non queas. Quantò fortius, quantò generosius alienam stultitiam contemnere, quàm imitari. At nocuit, ferox est, insultat. Quò turpior est, hoc magis cave, ne fias illi similis. Quæ (malum) vesania est, ut alienam improbitatem ulciscaris, te fieri improbiorem? Si contempleris contumeliam, intelligent omnes indigno factam: sin commoveare, jam inferentis causam fecesis meliorem. Deinde illud reputa, quod res est, si

quod

quod est acceptum incommodum, id neutiquam tolli vindicta, sed propagari. Quis enim denique finis fuerit mutuarum injuriarum, si suum quisque dolorem perrexerit vindicta retaliare? Crescunt utrinque inimici, increscit dolor, qui quò inveteratior est, hoc nimirum insanabilior. At lenitate tolerantiaque sanatur nonnunquam etiam is, qui fecit injuriam, & ad se reversus ex inimico fit certissimus amicus. Per ultionem verò malum ipsum, quod à te cupis depellere, id in te reciprocatur, non sine malo fœnore. *Erasmus in Enchiridio Militis Christiani pag. 98. fac. 2. Vide D. Chrysostom. Homilia 3. in Joh. item Cyrillum pag. 115. & Chrysostom. Hom. 25. in Joh. sub finem. Vide pastorem Nuntium mandato quinto.*

276

CDXI. *De quodam Pistore ex indiciis urgentibus citra culpam occiso.*

POssem plura exẽpla & antiqua & nova recensere, in quibus propter urgentia indicia rei innocentes fuerunt damnati: sed ad quorundam judicum imperitam severitatem, si fieri potest, compescendam, duo tantum referam, alterum recens, & alterũ antiquum. Novum tale est: Ministri & satellites justitiæ noctu inciderunt in cadaver adhuc calidum, tunc enim fuerat homo occisus, cultro in vulnere relicto, ibique invento pistore, qui de more ibat ad excitandum vicinos, ut panem facerent, eum detinuerunt (insurgit enim judicium contra repertum in loco delicti, ut mox dicemus) qui cùm nescio quo casu vaginam vacuam ad cingulam haberet pendentem, cui optimè culter ille respondebat, hisce indiciis acrius, quàm par erat, tortus doloris impatiens, delictum, quod non patrârat, confessus, innocens capite fuit punitus. *Bonifacius in Tractat. de furt. pag. 53.*

CDXII. *De Palamede Vlyssis inimici fraude extincto.*

VEtus ac memorabile exemplum est. Ulysses adulterinam epistolam Priami nomine Palamedi scripsit, in qua eidem de proditione gratias agendo, aurum ei clam transmisisse dicebat: literis dolo ad Græcorum consilium perlatis, Palamedes proditionis accusatur, quem cùm Ulysses tanquam amicus tueri simularet, dicebat, literis fidē non esse adhibendam, cùm de auro non constaret, instabatque rei tentorium scrutari, ut auro non invento, illius innocentia comprobaretur. Verùm cùm in tabernaculo aurum inveniissent, quod clàm Ulysses per servos corruptos infodi curaverat, innocens *Palamedes* tanquam proditor lapidibus obrutus fuit, & sic indiciis urgentissimis, sed falsis, sinnocens fuit damnatus. Et Julius Clarus in pract. crim. quæst. 64. ℣. ultimo videndum dicit, multos innocētes fuisse dānatos propter tormentorum sævitiam, confitendo delicta, quæ non fecerant. *Bonifacius* ibidem.

CDXIII. *De Baldo Jurisconsultorum Principe.*

ERat Baldo omnium Jurisconsultorū facilè Principi in deliciis catellus Militensis, cum quo cùm aliquando leniter luderet, leviter ab illo in labro mordetur, ac post quartum mensem rabie ipse totus correptus est, & hydrophobeticus, id est, aquas metuens effectus interiit. *Matthiolus in Dioscoridem: Genebrardus in Vrbano Quinto.*

CDXIV. *De Carolo Navarræ Rege.*

CArolus Navarræ Rex, unde medelam nervorum morbo quærebat, inde traxit mortem: cùm etenim assueretur toto corpori linteum aqua vitis madidum, uti aliàs nos narrasse optimè meministis in plantis, ad ejus morbi, sic jubentibus Medicis, opportunam medelam, exacta sutura, cùm filum

abrum-

abrumperet, minister candelæ igne, linteum hujusmodi liquore oblitum flammam excepit, ideoq; miserabiliter Rex igne torrebatur, neque moveri, velut sacco insutus, neque voce, uti ore obturato, sibi auxilium poterat postulare, neque ministri adesse curabant, quem putarent quieti operam dare, atque ita extinctus est anno Domini 1386. *Fulg. lib. 1. Eborens. tit. de mort. non vulgar.*

CDXV. *De quodam à felis suæ morsu occiso.*

QUum quidam cum fele sua leniter luderet, illa leviter etiam momordit, dum trahitur, quo morsu homo ille interiit. Extat adhuc in Æde Divæ Mariæ de populo in pavimento marmorea tabula hoc carmine rem complectens:

Hospes disce novum mortis genus: improba felis
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

CDXVI. *De Lucia M. Aurelii Imperatoris sorore.*

HÆc licet in tanto dignitatis fastigio constituta Romæ vitam degeret, atque adeo ad mũdanam hanc nihil ei felicitatem deesset, à filii proprii lactentis manu, dum cum illo, velut cum suis deliciis luderet, acu occisa fuit in pectus penetrante, uti ex ipso *M. Aurelio Imperatore recenset Mondogn. in ejus vita lib. 3. cap. 37.*

CDXVII. *De Petro Leonio Spoletano Medico.*

PEtrus *Leonius Spoletanus Medicus*, cùm sibi ab aquis mortem imminere Astrologica prædictione persensisset, omnes aquarum colluvies, rivos, flumina, maréque devitabat: tandem puteo demersus inventus est, non procul à *Florentia* Caregio proximæ villæ puteo. *Paulus Jovius elog. 35.*

Dum timet Astrologus sua fata Leonius *undas,*
Et fugit è ripis, magne Timave, tuis;

Illa

Illa eadem frustra fugientem adversa sequuntur,
Quam capitur tacita nobilis Arnus aqua.
Hîctu florentem Medicis Florentia *curis*
Præruptum, ô facinus, corripis in puteum.
Astra repræsentant sic funera, dum fugit ille,
Tutius hunc poterant, quam latuisse poli.
Cur sed ubique timet? cur omnia deuitq; semper?
Astra cavent etiam cur tacuisse viam?
Sed fugis Euganeos, *Padumq;* & *aquosa Timavi,*
Stulte fuge, & longum dedoceare metum?

CDXIIX. De *Pisano Archiepiscopo.*

FLorentinis annalibus cõtinetur, *Pisanum Archiepiscopum* in seditione fuisse à factiosis, repentino furore, *Sixti IV.* pontificatu, suspendio in Palatinis Florentiæ ædibus necatum. Idque illi prædictum longè antea, cum ego in *Hetruria* degerẽ, audivi: eadem enim curiositate de suo exitu Astrologos rogârat: accepitque responsum, suspendio mortem obiturum, cum id esset prorsus inverisimile in viro nobilissimo, ac tanta dignitate cumulato: & tamen res exitum sortita est prænunciatum, non equidem astrologiæ vaticinio, sed divina revelatione, quâ etiã Diabolo DEUS futura insinuat, ad curiositatis humanæ castigationem: ne plus audeat homo nosse quàm par sit. *Simon Majolus* in diebus Canicularibus, pag. (mihi) 58.

CDXIX. *De Adolpho Guilielmo à Doringenberg.*

OBjurgaverat hunc aliquando *Philippus Hessorũ Princeps*, ebrietatis, si quisquam alius, osor atq; vindex acerrimus, quod gulæ atque crapulæ nimis esset deditus, inprimisque, quod vino sese sublimato impleret, gravi denũciata pœna, si in proposito perseveraret. Itaque *Guilielmus* post objurgationem hanc satis vehementem atque asperam, cum amicis

convivia agitans, hordei aliquot grana scypho injecit, seque non vinum sublimatum, neque merum quidem, sed ptisanam bibere, jocatus est. Usque adeo verum est, quod *Lotichius Secundus lib. 1. Eleg. 2.* cecinit:

Difficile est tacitos naturæ abscondere motus,
Ponere difficile est, quæ placuere diu.

CDXX *De Milite devorante cæpum.*

VEnit annis abhinc aliquot miles quidam ex Galliis *Francofurtum*, atq; hic quidem ad taurum divertit. Ut ne verò à latronibus infestaretur, sed incolumis ad suos perveniret, vestibus admodũ laceris utebatur, interim tamen auro gallico probè suffarcinatus atq; onustus erat. Quod quidem cum hospes olfaceret, jussit eum mercatoribus quibusdam jam cœnaturis assidere. Id illi inique quidem ferebant, impedire tamen non poterant, ideoque multum militi huic inter cœnam molesti erant. Postea enim quum jentaculum mensæ lautũ apponeretur, singuli suum argenteum cochleare depromunt, hoc adjecto convicio: Is quidem in bonis viris nõ habebitur, cui cochlear argenteum defuerit: **Ein Schelm der keinen Silbern Löffel hat.** Sensit quidem miles, se isto convicio percuti, dissimulavit tamen, tacitus secum cogitans, quemadmodum par pari referret. Itaque conversus ad panem, crustum inde resecat, quo offas ex catino auferat. Cæterùm cùm crusto illo pro cochleari usus jã esset, illud devorat, hac adjecta recriminatione: Eum equidem in nebulonum numero posuerim, qui cochlear suum non devoraverit. Hoc se convicio Mercatores peti non obscurè animadvertebant, quippe qui argentea cochlearia sua devorare non possent. Etsi autem miles injuriam à mercatoribus illatam sibi probè ultus erat, nondum tamen desistunt molesti ipsi esse

Unus-

Unus enim ipsorum dicebat : Est quidam nebulo, qui quidem vinum oris sui pinguedine conspurcat. Quoties igitur alter alteri præbibebat, toties deprõto mox strophiolo os abstergit, &, cũ bibisset, alteri vitrum proponit, ita præfatus : Cedo quæso, num ego vinum hoc conspurcaverim? Ille autem, cui præbibebatur, respondebat : Tu verò, cui strophiolum, quo labra mundas, sappetit, omnem extra culpam es. Sensit tum miles, se denuo flagellari. Itaque mox de vindicta ultionéve cogitat, ac poculum totum exhaurit, idque ita in mensam dejicit, ut alteri ipsorum in faciem subsiliret, hac adjecta execratione : Ut vos dii deæque omnes perdant, nunquid meo poculo sordes insident ? Non ita multò pòst affertur capo assatus cum turdis aliquot. Hos mercatores mox inter se distribuunt, sic ut singuli turdum acciperent, quem & sibi solis reservant, nihil de eo quiequam militi decerpentes. Ideo ille conversus ad capum, hunc sibi uni reservat, aitque : Video equidem, ita ferculum esse hoc dispositum, ut singuli suam habeant aviculam; **Ja ich sehe wol/es ist dem Manne vmb ein Vogel zuthun.** Id cùm mercatoribus hisce, tum ipsi etiam hospiti stomachum fecit. Itaque miles à cœna mox cubitum discedit, veritus nimirum, ne Mercatores, posteaquam prolixius bibissent, sibi manus afferant. Cæterùm cùm à diversorii istius famulo in conclave duceretur, in quo quidem lecti circiter duodecim consistebant, lectum omnium optimum occupat, statim ut famulus dorsum ei obvertisset. Veniunt post horam unam atque alteram eodem venalitii isti probè jam vino confecti, ideoque ferociores. Cùm verò famulus iste animadverteret, militem lectum omnium precioßissimum, quémque mercatoribus straverat, occupâsse, totus excanduit, atque adeo vehementer cum ipso ex-

postulavit. Quod audientes mercatores fremebundi advolant, militem obtorto collo è lecto exturbaturi. Is igitur, ut ne sibi ipsi deesset, sua se sponte istinc discessurum spondet, modò tantum sibi spacii concedatur, ut emplastrum suum, quod sibi de crure decidisset, ad se recipiat. Quo audito, Mercatores hominem mox missum faciunt, neque in eo lecto dormire jam desiderant, quod Gallica eum scabie infectum esse persuasissimum haberent. Relinquitur ergo bonus miles in hoc suo nido sartus tectus. Mane cùm Mercatores in viam sese rursus darent, miles surgit, & lectum mercatorum fœdissimè permerdat. Cùm igitur non ita multò pòst famulus accederet lectos straturus, hoc à Mercatoribus factum esse credidit. Quibus quidem eo nomine pestem atque exitium precatus est. Hero autem dixit: Bene profectò est, cùm miles precioſissimum istum lectum occupaverit. Mercatores enim isti suum pudendum in modum stercorarunt. Ita quidem in omnibus ferè miles iste Mercatoribus par pari retulit.

CDXXI. *De Concionatore quodam Helvetio.*

QUidam Cõcionator Helvetius, homo cùm doctus, tum verò suis rebus bene prospiciẽs, gallinarum, caponum, anserum, anatum columbarumque bene quidem magnum numerum alebat. Id cũ rusticos haud fugeret, pastorem minimè animadversurum esse rebantur, si volatilibus aliquot ei ereptis, numerum istum nonnihil attenuarent. Itaque ad furtum unus & item alter animum appulit, concubiaque nocte gallinario ejus inscenso capones inde aliquot aufert. Non subolet quidem furtũ istud quàm primùm pastor: verùm tamen cùm sæpius illi redirent, numerusq; quotidie ad pauciora redigeretur, pastor verò exploratissimũ haberet, gliré non posse

posse in chortem irrepere, tantámque noxam facere: fieri hoc à bipedibus gliribus, quos unico nomine fures rectissimè appellaveris, conjectura augurabatur. Itaque cum ædituo suo consilium capit, quemadmodum gliribus hisce laqueos ponat, quibus irretiti capiantur, atque adeo constricti teneantur. Placet non procul à gallinario summo silentio excubias agendas esse; ut, si furem impressionem facere animadverterēt, manus ei extemplo injicerent. Sunt in excubiis. Redit fur, nihil mali suspicans, sed spe certa fultus, optimam se prędam ablaturum. Itaque gallinarium lætus inscendit. Tum verò pastor atque ædituus fores post illum occludunt, ingentique clamore sublato, rusticos excitant, qui turmatim huc advolantes, caponiphagum hunc ex caponario ceu Cacum quempiam extractum, probéque verberibus mulctatum, intempesta nocte, Tigurum abducunt, Magistratuíque sistunt. Is furem in vincula conjicit, atque adeo in Wellenbergero condi jubet. Pascitur hîc aliquot dies, non caponibus, qui palato ejus admodum grati erant, sed pane furfuraceo aqua perfuso, quo saginæ genere incredibile est quantopere sues impinguentur saginentúrque. Interponunt se postea quidam illius necessarii, eum capones non vendidisse, sed cum uxore atque liberis manducâsse affirmantes, ideóque non pro furto reputandum esse, **Solte kein Dieb/sondre ein Naſcher ſeyn.** Spondent denique, ejus se nomine damnum pastori restituturos. Accitur parochus: præsto est. Itaque & fur producitur, jubetúrque cum pastore de damno illato transigere, atque adeo illud ipsum ei præstare. Quid multa? admodum demissè supplicitérque pastorem his fere verbis philoxenus alloquitur; per ego te DEUM oro, ô animæ curator meæ, ut ne animum inducas credere, si capones plures quàm unum amiseris, à me id factum

ctum esse. Equidem enim unicum duntaxat, quod juraverim sanctè sanctéque, & non plures tibi surripui: Tum Pastor: Sit sanè ita. Itaque pro unico illo mihi solves. Faciam, inquit Apitius. Cedo igitur, quanti eum æstimas? Tum Pastor, Coronato, **Ein Chronen.** Apitius autem, Hui, domine Pastor, tantine? **Ist das nicht zu viel?** Non minoris, inquit ille. Eccur enim mihi cum non relinquebas, si nimis tibi carus videbatur. Jam ego pol hodiè, si vivo, tibi ostendam divinorum mysteriorum dispensatorem quid sit periculi fallere, & illi capones furari. **Warumb in tusendt Teuffel Namen liessest du jhnen nit sitzen / do er dir zu thûr darumb was / Ich will dich puhren lehren Capunen fressen.** Ad summam, cùm Pastor ne teruncium quidem isto de precio remittere vellet, Magistratus rustico imperavit, ut propediè illud ei numerandum curaret, Apitiumque gravissimis verbis objurgatum grandi ære mulctavit, **Das heist laß den Pfaffen jhre Gänse/Hüner vnd Capaunen vnverhinders passiren / denn sie gehen in Gottes Geleyde.**

CDXXII. *De Sacrificio quodam Westphalo.*

Fuit in *Westphalia* Sacrificus quidam, homo extra modum vorax atque gulosus. Is quidem rusticorum convivia assiduissimè frequentabat, eaque cum primis, quæ institui post infantes baptizatos pararique consueverunt. **Dann hie könte er vergebens planieren.** Ex his autem non ante discedebat, quàm ad ambas usque aures ita ingurgitatus esset, ut neque caput neque pedes officium suum facerent. Neque verò eo contentus erat, quòd ipse immoderato sese potu atque pastu impleret: sed domum remeaturus emendicabat quippiam, quod cõcubinæ afferret. Hanc illius edacitatem plerique omnes indignissimè ferebant, insigníque aliquo facino-

einore coercendam esse arbitrabantur. Itaque cùm aliquando hujusmodi convivium iniret, ac totus cerevisia jam madens domum cogitaret, gallum sibi assarum dari postulabat, quem Concubinæ afferret. Quid multis? Rusticus desiderio ipsius satis se facturum recipit. Nec mora oletum congelatum mox conquirit, idq; ebrioso nebuloni huic in manicam, sicuti petebat, condit. Quo facto eum aliquantisper detinet, ut stercus nonnihil remolleseeret, posteaque eum dimittit. Quid fit autem? Domum reversus, Hem, mea lux, inquit, suavium mihi dabis? Nam tibi equidem cupedias affero ein Leckerbißlein. Nec mora manum manicæ ocyus inserit, depromturus assatum gallum. At verò is avolarat, suo loco relicto ovo rustico, eoque gravissimè olente, quo manus usquequaque coinquinat, id quod & sacrificum & illius prostibulum admodum malè habuit. Poterat is Plautinum hoc usurpare: Nucleum amisi, reliquit pignori putamina.

CDXXIII. *De eodem.*

HAnc injuriam nullo modo dissimulandam, sed graviter vindicandam esse noster hic Pamphagus censuit. Itaque cùm non ita multò pòst *Kalendæ Januarii* appeterent, hanc in rationem pro concione verba facit: Volo equidem, auditores optimi, vobis ex æquo omnibus novum hunc ineuntemque annum feliciter prosperéque evenire. Hæc tamen imprecatio mea nihil quicquã ad N. N. pertinebit, quippe qui veritus haud sit dolis me suis deludere, atque adeo excrementum rusticum pro gallo gallinaceo meam in manicam condere. Eum igitur minimè impertio illiusmodi salute, sed lyntre potius aqualiculové, **Dem sülffigen Schalcke will eck nicht dat nuye Jar geben / sondern den Sätrog.** Rusticus his auditis, protinus è templo evolat, domique, allata securi, sacrifici hujus ædes ingreditur,

ex illiusq; hora cùm porcos saginatos emittit, tum verò aqualiculum eximit, domúmque eum statim deportat. Redit paulò pòst sacrificus domum. Ac, cùm porcos in fimeto lascivientes conspicatur, indignari cœpit, adeóque quærere, ecquis porcos ex hara emisisset? Tum illi respondent hoc factum esse à N.N. qui lyntrem quoque exemerit aqualiculumvé, sibique eum ab ipso datum esse affirmatit. Tum verò sacrificus iterum sibi verba esse data sentiens, ira stomachóque exardescit, rusticúmque ad se accersitum cùm graviter objurgat, tum etiam admonet, ut sibi aqualiculum suum restituat. Rusticus autem perquam sibi admirandum, præter omnemque expectationem accidere respondit, quòd nunc sibi ob lyntrem succenseat, eámque repetat, cùm tamen in publica concione, audientibus tot fide dignis hominibus, ultrò sibi eũ obtulerit, ac dono dederit. Sciat igitur, se susq; deq; ejus indignationem atque fremitus ferre, neque velle lyntrem simul sibi donatum unquam ei restituere, atque his dictis, sacrificio valere jusso, domum se refert.

CDXXIV. *De Concionatore Hesso.*

NOvi in Hassia Concionatorem quendam hominem egregiè animosum & ferocem. Eum Sponsus, cujus nuptiis intererat, rogabat, ut pelvim circumferre, atque adeo donationi præesse vellet. Fert enim ita Hessorum consuetudo, ut pastores rustici quodammodo teneantur pelvim circumgestare, summóq; ipsius crimini detur, si hac in parte difficiles se præbeant, atque istam provinciam respuãt. Quin immò ita persuasum est rusticis, pastores se suos non majori afficere honore posse, quàm si istud eis onus imponant. Itaque pastor ille facilè annuit, morémque Sponso gerit. Ecce autem, cùm pelvim prima in mensa deposuisset, rusticus quidam

Sponsi

Sponsi susceptor simul accumbens ægerrimè fert, hunc honorem Pastori isti & non sibi habitum. Nam & usu receptum est, ut, si Sponsi susceptor adhuc in vivis sit, pastor interdum prætereatur, atque hæ partes susceptori demandentur. Quod hic observatum non esse, rustico stomachum fecit. Itaque indignabundus decem grossos argenteos jure nigro probè commaculatos in pelvim injicit, atque ita pastorem affatur: Papa, hocce equidem munere sponsum sponsamq; ornaverim, tu autem eodo quæso ecquo illos affeceris? Germanicè sic: **Pfaff das will ich schencken/ was wiltu schencken?** Tum pastor ocyus colaphum ita ei ponderosum in os impegit, ut scamno hærere non potuerit, sed inde excussus humi statim prosterneretur, ac simul multo cum cruore eoque coagulato aliquot dentes exspueret. Interea noster hic se proripit, locoque sibi cavet. Nemo autem quisquam ferè erat, quin hoc pastoris facinus in laude ponendum esse arbitraretur, simul & hoc addens: Concionatoribus nonnullis tutius esse versari inter bestias cum CHRISTO (Marc. 1.) quàm inter rusticos bestiis nocentiores.

CDXXV. *De alio quodam Pastore pagano.*

QUo tempore incomparabilis ille *Philippus Melanchthon* suum de anima scriptum primùm in apertum protulit, ferunt pastorem quendam hominem, ut apparet, simplicem Francof. venisse, lectaque libri hujus inscriptione *de anima libellus Philippi Melanchthonis*, in lacrymas esse solutum, atque adeo exclamásse. Ergòne obiisti tot maxime *Philippe?* Nunc verò periimus. Nunc quidem hercle actum est de Ecclesia. Putabat nimirum bonus pastor, *Philippum* exhalasse animam, cùm libelli frontispicium animam cerneret. Ad extremum cùm ejulandi lamentandiq; finem nullum faceret, progressus Typographus nostro huic lachrymas absterfit, *Philippum* non

mortuum esse, sed in vita adhuc commorari testificatus. Agnovit tum bonus pastor suum errorem, lacrymarumq; suarum pudore est ductus.

CDXXVI. *De pastore quodam ebrioso.*

ERat hoc in sacrifici cujusdam more positum instituteque, singulis diebus Saturni in urbem ut proficisceretur, indeque non prius exiret, quàm totus cerevisia vinóve maderet. Interrogatus autem, cur hoc potissimùm tempore, cum postridiè habenda illi concio foret, genio indulgeret, ac non eo ipso die potiùs domi se contineret, seque ad concionem pararet, ac instrueret, respondit; poteram equidem quocunque alio die huc commeare: at verò quod hanc diem præter cæteros curandæ cuticulæ deligam, eo fit, quod sentiam, me ad concionem multò aptiorem esse, si pridie perpotaverim, postridieque caput adhuc fervidum habeam, quàm si multos alioqui dies meditandæ concioni impenderim. O dignum Presbyterum, qui quidem porcis concionetur! Hos enim hesternam crapulam evomendo una eademque opera pascere quoque posset. Adducebat hic idem nebulo perpetuò ferè secum ædituum suum, ut ab eo ad ambas usque aures ingurgitatus domum traheretur, aut deportaretur potius. Accidit autem, ut aliquando ita cerevisia sese impleret, ut pedibus inniti, gressumvé figere vix aut ne vix quidem posset. Itaque cùm alvum quoque exonerare vellet, ædituo suo jussit, ut ligulas astrictorias sibi solveret, caligásque detraheret. Simulat se tum ædituus imperata facturum, ligulasque arctius & contrahit, & constringit, posteaque quantum omnino potest, in pedes se conjicit, *Pfaffo* suo solo relicto. Unde fit, cùm ligulas solvere minimè posset, ut & caligas permerdaret, & solus per eam

eam noctem sub dio relinqueretur, ac domum manè reversus nauteam (ut cum Plauto loquar) omnino oleret. Ægrè quidem ille hoc æditui facinus tulit: at ille ipsius indignationem susque deque fecit, non sui muneris esse inquiens, ut ipsi in tam fœda re suam operam accommodet, sed in sacris potiùs. Bibat igitur in posterum, ut ipse, si res cogat, suas ligulas solvere, sineque Theseo cacare possit.

Plutarchus tradit, apud Ægyptios nefas fuisse, sacerdotibus gustare vinum. Nunc plerosque ebrios videmus baptizare pueros, ebrios audire confessiones, nec tum quicquam minus peccare, quàm cum obdormiscentes non audiunt, quid dicatur, nisi quòd sic quoque interdum produnt, quod audierunt. *Erasmus in libello de lingua.*

Heu divina parum curant, quæ vina sequuntur,
Nec bene tractabit vinosus sacra sacerdos.

Palingenius in Geminis.

Cum sint lasciui nimium, nimiumq; superbi,
Et spernant omnes, & turpia multa licenter
Committant, senis exemplo, qui præsidet illis.
Proh pudor! hos tolerare potest Ecclesia porcos,
Duntaxat Ventri, Veneri Somnoq; vacantes.

Idem in Sagittario.

Quemadmodum mel à fucis colligi nequit; ita nec ab improbo verbi seminatore fructus produci potest maturus. Facessant igitur, qui DEUM in hoc negocio hominis personam nequaquam respicere asserunt, sed unumquemque, qualis qualis sit, ad docendum aptum esse contendunt, nec curandum quis dicat, sed quid dicatur. Qui enim talia deblaterant, planè cordis secreta detegunt, &, quid de ipsis sit sperandum, palam ostendunt. Posset forsitan coriarius quispiam scelestus optimum conficere corium, sed vir improbus nunquam Ecclesiam DEI rectè ædificare valebit. Unde & Salvatoris nostri

stri vox illa: Viperarum genimina quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali. Et impio dixit DEUS: Quid tibi, ut enarres statuta mea, & assumas fœdus meum super os tuum? tu autem odisti disciplinam, & projecisti verba mea post te. Etenim quo pacto alios docere possent, qui se ipsos non docent, qui prædicant non furandum, & furantur, ac ea reprehendunt, quæ ipsi palàm committunt? quónam modo alios curarent, qui undique scaterent ulceribus, ac morbo laborarent incurabili? quomodo aliorum peccata expurgarent, qui sordissimi essent, illotisque manibus ac pedibus, non solùm ad sacra irrumperent, sed & ambirent, & ultro se inculcarent, ac ingererent? Verè igitur nomen Domini propter tales malè audit, qui DEUM se scire profitentur, quem tamen factis negant, in quo enim salietur, si sal infatuatus fuerit? Proinde & Apostolus quoque sacerdotes suos & verbi ministros irreprehensibiles esse vult, quò nemini ullam dent offensum, ne vituperetur ministerium eorum, sed ut sint forma & exemplar fidelium, non solùm in sermone, sed etiam in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate, immaculati, conscientia puri, sobrii, non vinolenti, modesti, & à pugnis alieni, non inflati, fastuosi, & ambitiosi, non turpis lucri cupidi, & sanctissimi Euangelii caupones nefandissimi, demum ab omni culpa alieni, tanquam dispensatores DEI viventis, & hoc non tantum coram Domino, sed & hominibus cunctis, quod si aliter se gerant, vitandos esse jubet ac cavendos, tanquam canes & operarios malos, nec non inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in dedecore, finis verò perditio. Proinde si nihil refert, qualis sit persona docentis, Euangelii negocium lenonibus etiam ac pessimis rectè committi potest nebulonibus, quo exemplo disperdant, quod verbis & simulata garrulitate

tate ædificare cupiunt. *D. Bilibaldus Pirckeymherus in* Præfatione *Beati Gregorii Nazianzeni de officio Episcopi Orationi præfixa.*

Conqueruntur hodie complures cecidisse autoritatem ministerii & ministrorum verbi DEI, unde mirificè satagunt, ut erigant collapsam, sed non justa via, nisi fallor prorsus. Novis enim falsis & nimiis præconiis exornant ministerium, cùm multò magis videatur ad restitutionem pertinere doctrinæ & vitæ puritas, sedulitas, atque simplicitas. Dominus enim per Malachiam ad sacerdotes, si non audieritis, inquit, & non posueritis super cor, ut detis gloriam nomini meo, dicit Dominus exercituum, mittam in vos maledictionem, maledicamque benedictionibus vestris, sicut & hactenus maledixi, quia noluistis ponere super cor. Ecce ego disperdam vobis brachium, & spargam stercus in facies vestras, stercus, inquam, solemnitatum vestrarum. Et paulò pòst: Et vos declinavistis à via, & fecistis multos impingere in lege, corrupistis fœdus Levi, dicit Dominus exercituum. Quare & ego dedi vos contemtos & abjectos coram omni populo, eo quod non custodivistis vias meas, & accepistis faciem in lege. Nisi ergo redierimus in viam, mutataque vitæ nostræ malitiâ, puriùs porrò vixerimus, ac zelo docuerimus ardentiore, Dei gloriam spectantes, non nostram, frustra procul dubio disputabimus de reparanda autoritate. D. *Henricus Bullingerus de Episcoporum Institutione & functione lib. 2. pag.* (mihi) 125.

Ebrietatis studium si ipsos ministros invadat, mox cum illorum ministerio doctrinæ etiam & verbi Dei autoritas collabitur. Unde DEUS olim monebat, ne sacerdotes tabernaculum ingressuri vinum potarent. Et *Paulus* vinolentiæ crimen ab *Episcopo* vult esse alieniſſimum. Isaias verò falsis Prophetis & mutis canibus ebrietatem tribuit, & Christus suæ domus

mus dispensatorem nequam cum ebriis comessantem introducit. Nam etsi tales in doctrinæ capitibus non errent, tamen fieri nequit, ut aliorum vitiis seriò, & qua opus est dicendi libertate, se opponunt, qui suam autoritatem adeo impudenter prostituũt. *D. Rodolphus Gualtherus in Habakuk Prophet. Homilia 9. pag. 268. fac. 2.*

Sed non minus etiam illud postremum necessarium est, ut eruditioni atque doctrinæ vita ac mores respondeant. Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum. Et noster Paulus Episcopum poscit ἀνέγκλητον, hoc est, inculpatum, non contumacem, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum & avarum: sed hospitalem, virtutis amantem, modestum, justum, sanctum, temperantem. Quid enim illi doctores auditoribus suis proderunt? qui, quod bene docendo ædificarunt, id pessimè vivendo destruunt? qui vita ipsa ac moribus suis ostendunt, ne sibi quidem ipsis ea vera videri, quæ aliis sequenda præscribunt? Qua non dicam autoritate, sed qua fronte in schola is doctor vitia reprehendet? ebrietatem dico, crapulam, avaritiam, scortationem, & similia: qui ipse non dicam sæpissimè ebrius sit, sed semper ebriosus? non solùm luxui deditus, sed etiam ita impiè in summa luxuria vivat, ut nullam esse vim divini numinis existimet? qui ita sit avarus, ut ex quavis re turpissima iniquissimo quæstui inhiet? qui demum ita sit in scortationibus atq; adulteriis per totam vitam volutatus, ut hæc etiam scelera atque flagitia pro peccatis ac vitiis agnoscere dubitet? *D. Wigandus Orthius in Oratione de vita ac obitu D.D. Andreæ Hyperii.*

Multos, proh dolor, hodie videre licet Ecclesiæ ministros, quorum cum vita, ut de Philosophis sui temporis Cicero loquitur, mirabiliter pugnat oratio: qui cùm se vitæ officiiq; Doctores, & Magistros profi-

profiteantur, in omni vitæ officiiqúe genere turpissimè labuntur ac delinquunt. Qui, ut idem Cicero verè eleganterque dicit, perinde turpiter peccant, ac si quis vel Musicam professus, absurdè canat, vel Grammaticam, barbarè loquatur. Quàm multi hodie sunt, quod valdè est dolendum, Ecclesiarum non tam pastores, quàm impostores, qui pro concione & suggestu se Catones, ut ita loquar, hoc est, severos officii monitores, vitiorum censores & reprehensores acerrimos gravissimosque gerunt, interea Bacchanalia vivunt, hoc est, mollem, delicatam, voluptuariam, fœdam, turpemq; vitam (si vita est dicenda, ac non potius mors funesta) agunt? *Johannes Guilielmus Stuckius in Oratione Funebri, habita in obitum D. Henrici Bullingeri.*

Dicebat quondam vir bonus ad Presbyterum ebrium, rectè vocaris *Presbyter*, quia præ laicis ac omnibus aliis bibis ter. *D. Bullinger.* in Isaiam, pag. 268.

Ut autoritas & maturius & apud plures contingat Ecclesiastæ, diligenter ea vitet, quæ parant homini contemtum, eaque in se vulgus suspicit. Luxus, temulentia, somnolentia, voluptatis præcipuè libido, inepta ac stulta loquacitas, futilitas, & nimia familiaritas, vanitas, inconstantia, adulatio, captatio munerum, levium vulgariumque rerum admiratio reddunt hominem contemptibilem elevantque autoritatem. Contra conciliant authoritatem sobrietas, victus parsimonia, vigilantia, pudici mores, sermo parcus ac sale conditus, silentii fides, gravitas in moribus, in dictis veritas, comitas decenti gravitate temperata, convictus cum gravissimis quibusque, cum perditis aut prostitutæ famæ hominibus aut nullum commercium aut rarum, idque monendi gratia non compotandi, si non aliter cum illis agat, quàm sicut Medicus cum ægrotis. Cùm divitibus talia sint colloquia, ut

neq

nec importuna austeritate provocet illos ad iracundiam, nec ad gratiã loquens, incidat in speciem adulationis. Munera ne temere à quoquam recipiat, sed in recusando adsit comitas, servet undique integram libertatem suam. Quisquis enim accipit munus, nescio quo pacto perdit aliquam fiduciæ suæ partem, & qui donat, minoris illum facit, qui accipit. Hoc vitium arguit occasio. Cùm Ecclesiastes liberius monuerit eum, qui dedit, tum incandescit stomachus & ingratus vocatur, qui pro vili beneficio reponit multò præstantius. Hoc perspicuus Apostolus, non dignatur à Corinthiis accipere, sed maluit coria consuere, quam aliquam apostolicæ libertatis partem amittere, non quod venaretur gloriam ab hominibus, sed quod hoc expediret Euangelio. Itaque malè consulunt autoritati suæ, qui sponte currunt ad mensas divitum, ac venantur magnatum opipara convivia, sed multo pejus consulunt, qui magnam diei partem desident in publicis cauponum diversoriis inter homines parum sobrios, simulque cum illis nugantur de rebus quibuslibet, ebibentes & ipsi præscriptum vini modum, ac vicissim invitantes alios. Interdum & in multam noctem luditur chartis & tessaris, & saltatur inconditis moribus, denique domum redit pastor ovium, sic affectus, ut eorum brachiis suffulciendus sit, quorum animos oportuit ab eo fulciri. Adde jam huc concubinam uxoris loco, nec eam unam, &, si una est, procacem atque imperiosam. Quis illius dictis audiens erit, aut quis eum reverebitur, cui conspicit imperare mulierculam? Obsecro, qui sic perpetuò vivit, ut sit unus è fece plebis, ut inter abjectos abjectissimus, quid autoritatis habiturus sit in docendo, quid gravitatis in admonendo? Hæc scio dictu parum esse decora, sed utinam non majore dedecore passim fierent, nec jam in vicis tantùm, sed in urbibus quoque. Præterea &

cà & ætas utraque parit interdum contemtum, juventus, & admodum provecta senectus. Illa negligitur velut imperita rerum, hæc despicitur tanquam delirans. Utrique malo remedium aliquod adhibebitur, si juvenis Apostoli consilio pareat: Nemo adolescentiam suam contemnat. Quo pacto id fiet, inquis? Si vitam, si sermonem, si vultum ac gestus omnes ita componat ad sobrietatem, ad pudicitiam, ad gravitatem & constantiam, ut in se declaret esse verum, quod dixit ille sapiens: senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Capitis canitiem & rugas frontis etiam fatuis ac morionibus affert ætas: sed ea demum venerabilis est canicies, quæ renidet in moribus ab omni specie levitatis ac juvenilium desideriorum alienis. Senes ita tuebuntur autoritatem suam, si perpetuò sobrii sint, si minimè difficiles ac iracundi, si vitent inutilem garrulitatem, sed parci circumspectique sint in verbis, ut non loquantur nisi præmeditati vel necessaria vel utilia, neque quicquam excidat ineptum, aut futile dictu, aut omnino indignum canicie, præsertim inter juvenes agenti, nec asper sit aut morosus in objurgando, si quando res postulat increpationem, sed admonitionis acrimoniam Christiana lenitate temperet, neque quibuslibet sese negotiis admisceat. Non omnes fabulæ partes omni conveniunt actori, quædam in alios rejiciant. In summa, sic moderetur omnes actiones suas, ut illi senectus nihil attulisse videatur, nisi majorem rerum usum, judicium perspicacius, consilium fidelius, animum placabiliorem. His rebus fiet, ut, quemadmodum Paulus jubet honorari viduas, quæ verè viduæ sint: ita populus veneretur, qui verè senes sunt. *Erasmus de ratione concionandi lib. 1 pag. 206.*

Nullus Presbyterorum, quando ad anniversarium diem trigesimum aut septimum, vel tertium

alicujus defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam Presbyteri convenerit, se inebriare ullatenus præsumat, nec precatus amore sanctorum vel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare, nec plausus & risus inconditos, & fabulas inanes ibi referre: aut cantare præsumat, aut turpia joca, vel urso vel tornatricibus ante se fieri patiatur: nec larvas dæmonum ante se fieri consentiat, quia hoc diabolicum est, & à sacris canonibus prohibitum, c. 7. dist. 44.

Clericus, qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur, cap. 3. dist. 46.

Clericum scurrilem, & verbis turpibus joculatorem ab officio retrahendum censemus, c. 6. dist. 46.

A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant: unde vinum sibi temperent, & se vino: nec ad bibendum quispiam incitetur, cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à superiore commonitus, satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur, c. 14. de vita & honest. cleric.

Olympia Fulvia Morata Granthlera cuidam concionatori Germano ebrioso

S. D.

Sæpenumerò mihi offerri occasionem tecum colloquendi maximè exoptavi, sed cùm eam hactenus nanciscì non potuerim, id tecum per literas agere decrevi, quod coram, si licuisset, egissem: me enim rem differre amplius Christi præceptum non patitur, cui nos parere & obedire necesse est. Cùm itaque

que exploratum habeam, te sæpe peccare, ut te admoneam, mihi peropus est, si Christo dicto audiens esse volo. Quare tu etiam nullo pacto (si modo tu tecum rem recta reputabis via) mihi succensere debes, si omnino te admonendum putavi, quod præter amplissimam ministerii tui dignitatem, præter canitiem tuam facis, dum genio non minus indulges, quam Epicurus quispiam: quod quàm turpe sit homini liberaliter instituto, etiam homines nulla Christiana religione imbuti non ignorarunt; Christiano verò turpius, cujus vita sanctè & integrè acta, cæteros ad DEI cultum ac puram religionem susciendam invitare atque allectare debet; Concionatori verò turpissimum, qui cùm aliis monstret viam, ipse sibi semitam non capit. Quippe si Philosophus in ratione vitæ peccans hoc turpior est, quòd & in officio, cujus magister esse vult, labitur, certè concionator turpissimus est, qui aliis vitam agendam inculcans, ipse flagitiosissimè degit. An non flagitium est ingens perpotare, ebriosum esse, abuti optimo DEI munere, quod nobis datum est, ut eo cum gratiarum actione fruamur, non ut abutamur? Quid non ebrietas designat? nosti cætera. Sed quod a Poëta omissum est, id verò multò maximum, quòd ebrii plerunque obscœna loquuntur, quod sæpe execrantur, jurantque per nomen Dei sanctissimum (quod qui violabit, inultum id nunquam auferet) templum Dei sanctum, hoc est, sui ipsorum corpus polluunt & fœdant, Spiritui sancto mœstitiam inferunt, illum à se expellunt & ejiciunt, ipsi à precibus avocantur. Quod si olim Deus de eo, qui templum Hierosolymitanum contaminâsset, tam grave sumsit supplicium, quid faciet ei, qui tale templum inquinaverit? Ut nihil interim dicam περὶ σκανδάλου, quo majestas ministerii imminuitur, Christus atque Euangelium de-

decorantur: denique qui sic vivit, plus dedocet discipulos perdidis moribus, quam doctrina erudit: at qui mercedem accipit, ut doceat, & dedocet, nonne furtum facit? Tu omnibus tuis discipulis exemplum esse deberes modestiæ, sobrietatis, & temperantiæ, & tu ista turpi tua vita in flagitia eos immergis? noli quæso illud Christi oblivisci, ὑμεῖς ἐστὲ τὸ ἅλας τῆς γῆς, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται, εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. Cogita de illa Pauli sententia, ἐγὼ ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, καὶ δουλαγωγῶ, μήπως ἄλλοις κηρύξας αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι. Quo ore hortaberis tuos discipulos, ut te imitentur, quémadmodum *Paulus* suos à se exemplum petere jubet, an ut te imitentur potando, comessando? Neque verò excusatione infirmitatis carnis hoc vitium defendere poteris. Scimus omnes homines delinquere, neq; ullum reperiri, qui careat culpa, sed qui veram fidem habent, hi τῷ σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. Infirmi non semper infirmi manent, sed aliquando etiam fortes fiunt, ut peccatum non amplius dominetur eis; & ebrietas tale scelus est, ut etiam, qui Christum non norunt, abstinere possint. Scilicet credendum est, Christianum propter innumerabilia Christi in se beneficia collata, sobrium esse non posse, cùm Turcæ propter perditum hominem, & profligatum Mahometum parcè, continenter, sobrieque vivant, adeo ut ne vinum quidem gustent. Et si Paulus carnem in perpetuum edendum sibi non putet potiùs, quàm fratri dolorem commoveat, tu saltem non dico à vino, sed hoc nefario scelere non abstinebis? non ut ne frater tuus dolore afficiatur & offendatur, sed ut ne magna hominum multitudo pereat. Neque verò debemus hoc pecca-

peccatum verbis extenuare: nam Deus de illo ex nostra opinione non existimabit, sed secundum latam sententiam suam, qui ebrietatem in numero eorum flagitiorum reponit, quæ qui admittit, Christi regnū nunquam possidebit. Quapropter te etiam atque etiam rogo, obsecro, perq; Christum obtestor, ut tandem mutes mores istos, tum propter tui muneris functionem, tum propter σκάνδαλον, atque etiam propter salutem tuam, ne in extremo die in eorum sis numero, quibus dicetur, ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν. Deus huc usq; connivit, teq; sua lenitate ad pœnitentiam incitavit. Jam fermè tua ætas exacta est, resipisce quæso, ut Deum propter sanctimoniam & mutatos mores gloria honoreq; afficiant, qui antea propter ebrietatem ignominia affecerunt. Hæc fac toto animo cogites, ne tandē Deus à te pœnas expetat, & perpetuo pereas. Nam, ut te non fugit, turpis ac flagitiosa vita arguit, fidem in Christum non adesse, sine qua prorsus pereundum est. Quamobrem eam à Deo petas moneo, & hortor, priùs quàm te mors occupet. Pete veniam, quam omnino pœnitenti dabit, qui etiam juravit, se nolle sontis mortem. Hæc habui, quæ ad te scribere me oportere existimavi, quæ, si Christianus es, tantum abest, ut graviter feras, ut etiam te admoneri, gaudere vehementerque lætari debeas. Vale in Christo. Suinphurdii. *Olympia Fulvia Morata fœmina doctissima lib. 1 Epistolar. epistola ultim.*

CDXXVII. *De Bonifacio Dornemanno Sacrificio Hallendorphensi.*

CUm Illustrissimus Hessorum Princeps *Philippus* Papisticos errores per ditionem suam antiquare abolereq; cogitaret, *Francisco Lamberto Theologo Gallo* negotium dat affigendi circiter 158. themata, quibus vera religio corroborari, adulterina autem

atq; adeo Papistica infringi convelliq; posset. Lambertus imperata facit. Itaq; actioni seu disputationi huic locus designatur Homberga. Huc evocatur omnis Ecclesiasticus ordo, potestasq; singulis conceditur impugnandi theses istas, cum Lambertoque congrediendi. Venit & inter cæteros eò sacrificus quidam Hallendorphensis, qui paucis ante mensibus sacris initiatus devotusque fuerat. Is ob eas laudes, quibus eum suffraganeus *Erphordianus* ornarat, majores spiritus sumebat, atq; adeo penitus animum inducebat cum *Lamberto* congredi, verbaque commutare. Cæterum cùm statura hominis hujusmodi esset, ut inter Pigmæos internosci difficulter posset, scabellum sibi dari postulat, eoque conscenso, cœpit positiones templi valvis affixas legere. Itaque cùm primam, secundam, tertiam, quartam, ac denique plures ordine legisset, lectaque una aliqua, perpetuò adderet: Hanc equidem haud impugnaverim: & item: illam ne quidē attigerim, ac sic deinceps; quidam civis, qui propter illum stabat, atque hæc audiebat, ira stomachoque cœpit exardescere, atque adeo hanc in rationem *Bonifacium nostrum affari*: Apagesis nebulo, qui quod impugnes infirmesq;, invenire haud possis, hisq; dictis scabellum ei mox subtrahit, ut miser ille præceps in lutum ageretur. Inde cum emergeret, visus est nobis capite ad lapidem impegisse, quòd cum ex naribus, tum etiam ex ore cruorem ejiceret, ut totus discolor variegatusq; appareret, ac dubitaretur, magísne ille sanguinolentus, an verò lutulentus esset. Fuit hoc spectaculum plerisq; civibus valdè jucundum. At verò *Dornemannus* noster istam injuriam ita graviter tulit, ut valere jusso *Lamberto*, Hallendorphium se ocyus retulerit.

CDXXVIII. *De eodem.*

IDem sacris initiandus primùm cùm esset, mirificè ad cœlum usque laudibus à *Georgio Suffraganeo Erphur-*

Erphurdiano est evectus, hunc ferè admodum: Ego verò fratres dilectissimi, hunc *Dominum Bonifacium* meliore de nota vobis commendo. Etenim, quod attinet ejus eruditionem, incredibilemque & plurimarum & optimarum rerum scientiam, equidem tantam in illo eam esse animadverti, ut non cum *Paulo* tantum conferendus, sed & præferendus eidem omninò videatur. Quid autem de pietate atque adeo sanctitudine ejus? Ea meherculè vel ipsos Angelos antecedit. Neq; dubitaverim equidem, castitatem illius mihi ob oculos ponens, Marię Deiparæ eum anteponere. Huc usque nugator iste orationem suam cùm perduxisset, verba illum destituere cœperunt. Itaq; hanc in exclamationem erupit: Ecquò te nunc eveham? Wo soll ich euch nun hin heben? Tum salinator quispiam sibi non diutius silendum esse ratus, atque indignissimè ferens, asinos hosce ita se mutuò scabere, clara voce mox respondit: Recta in lupanar. Ins Hurnhauß. Unde cum maximus risus, tum strepitus populi est exortus, ita quidem, ut suffraganeus imperfecta oratione domum discesserit.

CDXXIX. *De Ernesto Rosa, indocto & insulso pastore.*

HIc illustraturus olim pro publica concione Omnipotentiam DEI, hunc ad modum sermocinatus est: Videte viri fratres, quanta sit DEI Opt. Max. omnipotentia, agnos quidem caudatos, agnas verò incaudes creantis. Quo audito rustici mutuum se aspectantes risum minimè tenuerunt. A concione porrò Opilio quidam Jacobus Saxo indoctum hunc asinum mirificè exagitavit, dum ipsum hanc quidem in rationem audientibus omnibus in Cœmiterio alloqueretur. Toto verò cęlo erras *Ariosiste*, omni asseveratione affirmare ause, cœlestem illam vim numenq; divinum agnas creare incaudes. Quod enim tales conspiciuntur oves, nõ fabricatori

illi mundi rerumq; opifici Deo, sed nobis utique acceptum referendum est, qui quidem caudas ipsis aliquot diebus post præcidimus, quàm in lucem hanc sunt susceptæ, ne illæ scilicet impedimentum nobis aliquod afferant, quum ad mulctram suo tempore veniunt. Eo audito verberabilis Dominus Ernestus penitus obstupescit, nihil habens quicquam, quod responderet. Ad extremum tamen, ne nihil diceret, has in voces erupi: **Welcher Teufel hat mir das gesagt?** Ecquis verò malus genius id ipsum mihi significavit? cum dictoque domum è vestigio contendit rusticis ipsum exsibilantibus & explodentibus. Enimvero non deerant, qui dicerent; Hic quidem hercle, inguinis & capitis quæ sint discrimina, nescit. Et cùm hæc tam minuta ipsum fugiant, eccui fidem faciat, mysteriorum divinorum eam se habere cognitionem & scientiam, quam par est habere eum, qui alios sacris literis imbuendos erudiendosque suscipit?

CDXXX. *De eodem.*

QUo primùm tempore idololatria Pontificia per Germaniam antiquabatur, vera illa & germana religione, duce atq; auctore *Martino Luthero, Theologo Opt. Max.* revocata & reducta, eo quidem incredibilis idoneorum doctorum paucitas passim in Ecclesiis fuit, dum sine discrimine quivis ferè vel leviter literis tincti ecclesiis præficerentur. Unde factum est, ut alii quidem vel *D. Luthers*, vel *Cordati*, vel *Huberini*, vel *Spangenbergii*, vel alterius deniq; cujuspiam Postillam auditoribus suis prælegerent, alii verò suo Marte concionari ac differere ausi, stridenti miserum stipula disperdere carmen, turpiter se dare, & aliis deridendos exponere solerent. In quibus & hic *Venerabilis Dominus* ERNESTUS noster vel in primis fuit. Is namque rusticos suos etiam atque etiam aliquando cohortabatur, uti carnibus seu die-

bus

bus Veneris, seu quadradesimarum tempore strenuè strenuéque vescerentur, Romanæ Ecclesiæ sanctione tusque deque facta, pro nihiloque ducta. Ne non autem rusticos dicto audientes haberet, voce quanta potuit maxima, exclamavit; Minimè verò metuendum est vobis, ea nos in re culpam aliquam contracturos, hæcque addidit: **Wisset jhr nit / daß ewer Herr Christus selbst spricht / was zum Bauch eingehet / das verunreiniget den Menschen nicht / sondern was zum Bauch außgehet.** An vos fugit vox illa Christi Salvatoris vestri? Quicquid in uterum intrat, non polluit hominem, sed quod inde egreditur, hoc coinquinat hominem. Eo audito rustici in risum planè syncrusiũ soluti sunt, sic quidem, ut Presbyter perturbatus terroreque perculsus illico de rostris descenderet. Quamobrem scabinus quidam, vir gravis, juxta ac prudens, ac legendi peritus, graviter eum corripuit, quod verba Christi perperam citâsset atque adeo pervertisset, inquiens: Sic verba Christi se habent, **Was zum Mund eingehet / das gehet in den Bauch / vnd wirdt durch den natürlichẽ Gang außgeworffen. Was aber zum Munde herauß gehet / das kommet auß dem Hertzen / vnd dz verunreiniget den Menschen. Denn auß dem Hertzen kommen arge Gedancken / Mord / Ehebruch / Hurerey / Dieberey / falsche Zeugnüß / Lästerung / das sind die Stück / die den Menschen verunreinigen.** Id est, Quicquid ingreditur in os, in alvum abit, & in secessum ejicitur. At ea, quæ proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, convicia. Hæc sunt, quæ impurant hominem. Vide igitur, quam tu latam scortis & sortatoribus commiscendorum corporum fenestram aperias! Etenim si eo non polluuntur, quod uterum intrat, næ plenis

illi velis Veneri carnisque impuritati operam dabunt? Pudeat igitur putidæ hujus concionis tuæ, habendæ utique non in sacro hoc cœtu, sed in lupanari aliquo prostibulóve. Annón es lepidus pastor? Ecquis cum tædio aliquo te audiat? *Ernestus obstupefactus* & pudefactus totus, verbum cum Scabino cõmutavit planè nullum, sed mutus tacitúsve domum discessit, ac non ita multò pòst à gubernaculis Ecclesiæ dejectus, ex concionatore, ipso illo in pago, rusticorum Prætor factus est.

CDXXXI. *De alio quodam indocto Pastore.*

QUum Philippus Melanchthon, aliíque nonnulli collegæ ejus, sub initium renascentis purioris Euangelii doctrinæ, per Saxoniam Ecclesiarum earumque ministrorum inspectationem visitationémve obirent, interrogaverunt Pastorem quendã, an & Decalogum doceret. Quem quidem librum cùm habere se negaret, atque ignoraret, quid esset decalogus, incredibile est, quanto asinina & fustigãda ista impostoris illius inscitia cum reliquis dominis visitatoribus, tum maximè Doctori Hieronymo Schurffio stomacho atque dolori fuerit. Quòd autem monasticam antehac vitam insulsus ille ac vægrandis asinus degisset, & ab omni cum eruditione, tum bibliotheca inops nudusque esset, nullam inscitiæ suæ ruditatíque sufficientem obducere excusationem potuit. Qua quidem re Domini Visitatores tantò vehementiùs commoti, in eadem ipsum navi vehi cum alio quodam asino, qui affirmare non dubitavit, summam Christianorum artem esse nescire legem, rectè judicium fecerunt.

CDXXXII. De *alio quodam.*

EJusdem farinæ Pastor quidam in Borussia ad Episcopum aliquando suum delatus est; quòd infantes, ita ut recepta fert Ecclesiæ consuetudo, sacro baptis-

baptismatis fonte non ablueret. Itaque Episcopus ea de re cum Pastore expostulat, qui consuetam se baptizandi formam servare respondit. Ne verò Episcopus non exploratum haberet, qualem se pastor ille in baptizandis infantibus tractaret, placitum ipsi fuit ejus rei periculum facere. Quia verò nullius tum infantis, qui quidem sacra tingeretur aqua, potestas erat, visum fuit sacerdote inscio stramineũ quendam fasciis involutum infantem subornare, eumque mystæ illi baptizandum afferre. Tum autem Pastor fucum olefaciens, præsentibus Episcopo & aliis, stramineum illum infantem hanc in rationem baptizavit: Ego baptizo te in nomine Episcopi, in nomine meo, & in nomine compatrum. Cæterùm Episcopo has statim in voces non sine stomacho erumpenti: An verò hæc, Domine, recepta est in Ecclesiis baptizandi cõsuetudo? Pastor ille falsè admodum venustéque hunc ad modum respondisse fertur: Qualis est infans, talis etiam ei baptizandi debetur formula. Atque hoc quidem pacto injuria criminationem sibi apud Episcopum suum factam esse testatum relinquere voluit.

CDXXXIII. *De quodam indocto Presbytero Bavaro.*

PResbyter quidam Bavarus, latinę linguæ ignarus, infantem quendam in nomine *Patris, Filii, & Spiritus sancti* baptizaverat. Unde disputatio nata est, utrum infans ille rectè ritéque ex præscripto sacrarum literarum fuisset baptizatus, & parũ abfuit, quin disputatio illa funestissimas turbas excitâsset. *Bonifacius* namque *Moguntinus Archiepiscopus* jusserat, ut puer denuo sacri baptismatis aqua lavaretur. Cõtra verò *Vigilius Episcopus Saleburgensis & Sidonis Põtifex Laureacẽsis* apud Bojos baptismũ ratum firmúmq; esse volebant. Quod quidé dissidiũ cùm quotidiè gliscceret, & ad acerbiorem animorũ exasperationem

tionem materiam magisque suppeditaret, *Zacharias Pontifex Romanus* sustulit, quando opinionem *Vigilii* circa annum Christi 745. confirmavit, sicut *Aventinus* libro tertio Annalium literis memoriæq; proditum reliquit.

Meritò dolemus, quod passim & omnibus ætatibus accidere videmus, cùm aliis artibus omnibus justum discendi tempus tribuatur, multos in Theologia, priusquam rectè & integre summam doctrinæ Christianæ didicerint, immò priusquam titulos sacrorum librorum cognoverint, ad gravissimum docendi officium prosilire: & sapientes se, si modo velint, subitò esse putare: &, cùm propriam insciti am non agnoscant, alios docere velle. Id se intuentem *Nazianzenus* sæpe cum lacrymis deplorásse scribit.

Εὖ εἰδότα ὅτι τὸ οἰεσθαι εἰδέναι τὸ πλεῖστον ἀφαιρεῖται. D. *Chytræus* in explicatione secundi capitis Malachiæ pag. 67.

Et hoc tempore videmus, nullum ordinem gravius offendi liberioribus admonitionibus aut reprehensionibus, quàm Ecclesiæ ministros, quibus juxta Epigramma:

φόβος ἔχθεος ἀρχὴ,

Ἀλλὰ καλῶς εἰπεῖν ἀτλικόν ὅτι μέλι. *D. Mollerum in 2. cap. Malachiæ* pag. 47. fac. 2.

Hoc calamitoso tempore nemo non docendi munus ambire ac ultro suscipere audet, ita ut plerique Doctoris officio prius, quàm discipuli nomine digni sint, fungantur, & longè aliquando ad agrum colendum, ac pecora pascendum, quàm ad Christi verbum seminandum, & gregem ejus instituendum forent habiliores.

Et paulò pòst.

Cæterùm num erudito singularis, ac rerum usus præ-

præcipuus juvenilibus & inexercitatis animis obtingere queant, videant alii. Certè *Gregorius* non solũ hîc, sed & alibi vehementer juniores reprehendit, q̃ seniores docere audeant, priusquam ætate ac moribus venerabiles habeantur, quum *presbyteri* nomen haud aliunde, quàm à senectute sit derivatum. *Bilibaldus Birkheimerus in Præfatione Orationi Beati Gregorii Nazianzeni de officio Episcopi præfixa.*

Conari, ut alios doceamus, priusquam nos ipsi satis edocti sumus, ac in dolio, ut dicitur *figulinâ*, hoc est, in aliorum animabus pietatem exercere, admodum mihi stolidum & temerarium facinus videtur. Stolidum quidem, si, qui propriam ignorant imperitiam, temerarium verò, si intelligant, nihilominus tamen rem tantam aggredi audent. *Nazianzenus in oratione de officio Episcopi.*

Ita res confusa est & involuta, ac tam malè disposita. Major pars è nobis non dicam omnes, prius ferè, quam primam deponant barbam, ac à puerili desinant balbutie, priusquam in divinas ingrediantur aulas, priusquam sacra cognoscant volumina, immò & nomina, priusquam novos ac veteres agnoscant characteres, confestim sapientes sumus & Doctores, in divinisq; nec non scribarum præcipuis ac legitimis sublimis, nosque ipsos cœlestes designamus, *ac ab hominibus* RABBI vocari quærimus, indignamurque, si non valdè laudamur. *Nazianzenus ibidem.*

Nota est aliquorum, qui in pagis docent, nimia negligentia, qui magis BOVES, quàm CHRISTI OVES, & SUES diligentiùs quam Suos curant & pascunt. *D. Johannes Clajus* in præfatione Euangeliorum quadrilinguium.

Sacerdotes eo anno mortui: atque in locum eorum suffecti. T. Veturius flamen Martialis in locum M. Æmilii Regilli, qui priore anno mortuus erat, crea-

creatus inauguratusque. Et in M. Pomponi Mathonis Auguris, & Decemviri locum creati, Decemvir M. Aurelius Cotta, Augur T. Sempronius Gracchus *admodum adolescens, quod tunc perrarum in mãdandis Sacerdotiis erat. Livius* Dec. 3. lib. 9. circa finem: Heut stelt man junge Bachanten vnd Esel auff die Cantzel.

Es sollen auch billich die Collatores, welche Kirchen zubestellen haben/nicht zuplatzen / vnd leichtlich annemen Currentes Brüder/faule *socios, fratres ignorantiæ, & de fece plebis, lixas, cocos, funambulos*: Sondern sollen sich vmbthun nach düchtigen Personen/ vñ so man sie haben kan/welche ein zeitlang in Schulen gedienet / vnd sich geübet haben. *D. Gigas* 1. part. postill. pag. 339. fac. 2.

Quidam aliquando interrogatus, cur non esset nunc in Ecclesiæ ministris ea pietas & gravitas, quæ olim fuit? Respondit: in veteri Ecclesia electionem & vocationem ministrorum factam esse ab hominibus piis, in invocatione nominis divini, nunc autem fieri ex affectibus eorum, qui amicos promovere studeant, absque invocatione nominis DEI, & nonnunquam Ecclesiis frementibus, indignantibus, & dira precantibus. Quare multi etiam ministri Ecclesiæ eadem facilitate, qua recipiũtur a patronis, rursus ab officio removentur. *Simon Pauli secunda parte Methodi, Loco de Ecclesia, pag. 286. & 287.*

Asinis frangebatur cervix, nec pecunia redimebãtur. Voluit fortasse significare Deus, se nõ velle *asinos* in ministerio suo, etsi multi omnibus tẽporib. etiã ex Sacerdotum ordine sunt nimis magni & crassi asini.

Non desunt nostra ætate, qui impudenter ad cõcionandi munus assiliunt, cùm in hac palæstra sint inexercitati, nec ullis instructi dicendi viribus, nulla rerum cognitione imbuti, nulla sacrarum literarum peritia instructi. Quo fit, ut auditores avidi nullo salu-

salutaris doctrinæ pabulo reficiantur, nulla concipiant verbi DEI solatia, nulla animæ fomẽta, sed tãtum meras nugas, atque aniles superstitiones imbibant. *Levinus Lemnius in paraenesi ad vitam optimè instituendam cap. 39.*

Observemus, quomodo parandi simus ad ministerium. Peccatur graviter hodiè, dum illotis manibus quilibet admittuntur, immò sponte irruunt, non tam studio docendi, quam desiderio præbendarũ. Et hi plerunq; qui nec didicêre, nec volunt discere, quæ sit ministerii magnitudo, aut quod pondus officii, aut, nisi optima eos invitarent stipẽdia, valedicerent facilè universo Euangelio. Ita verum est in illis: *Si nihil attuleris, ibis Homere foras.* Benedictus Aretius in 4. Matthæi caput. pag. 32.

Nemo honorem ministerii Ecclesiastici usurpare sibi, id est, ad se largitionibus, aut ullis artibus, aut arbitrio proprio rapere debet. Vocentur & eligantur electione ecclesiastica & legitima ministri Ecclesiæ, id est, eligantur religiosè ab Ecclesia, vel ad hoc deputatis ab Ecclesia, ordine justo, & absque turba seditionibus, & contentione. Eligantur autem non quilibet, sed homines idonei, eruditione justa & sacra, eloquentia pia, prudentiáq; simplici, (denique moderatione & honestate vitæ insignes, juxta Canonem Apostolicum, qui ab Apostolo contexitur in 1. ad Tim. 3. cap. & ad Tit. 1. cap. Et qui electi sunt, ordinentur à senioribus cum orationibus publicis, & impositione manuum. Damnamus hîc omnes, qui sua sponte currunt, cum nõ sint electi, missi, vel ordinati. Damnamus ministros ineptos, & non instructos donis pastori necessariis. *D. Bullingerus in Confessione & expositione fidei Christianæ c. 18.*

Ad conciones sacras admittuntur, interdum etjam asiliunt quilibet adolescentes, leves, indocti, quasi nihil sit facilius, quàm apud populum expone-

ponere divinam scripturam,& abunde sufficiat perfricuisse frontem,& absterso pudore linguam volvere. Hoc malum ex eo fonte manat, quod non perpenditur, quanta sit Ecclesiastici Concionatoris tũ dignitas,tum utilitas, si rectè suo fungatur officio. D. *Erasmus de ratione Concionandi lib.1.pag.11.*

Nunc mihi quæso perpendas, quantum sit periculi,cùm citra delectum in suggestum admittuntur juvenes interdum natura plus quam semifatui, rerum imperiti,nullo judicio,nec humanis, nec sacris literis,eruditi,interdum,quod non rarò vidimus, cibo potuque onusti,atque ut absit crapula mentis vigorem obfuscans, nihil afferunt ad dicendum, nisi vestem religiosam & impudentiam. *Idem ibidem pag.* 44.

Non statim ad militiam ascribitur,qui gestat galeam, aut loricam, nec protinus clavo admovetur, qui vestem habet nauticam,nec domum exstruendã committimus ei, quisquis habet serram, aut securim,sed diligenter inquirimus,qualis sit artifex, & quæ sint illius opera. Nunc in suggestum, hoc est, in cathedram plusquàm regiam insiliunt,nulla institutione ad hoc munus præparati, qui perfricta fronte volvant linguam, intendant vocem, detonant quicquid in buccam venerit, aut quicquid eis præscriptum sit ab indoctis, aut quicquid humanus dictaverit affectus: ut ne interim eos cõmemorem, quos,heu nimium frequenter audimus ita loquentes,ut illorum oratio nihil spiret nisi adulationem, gloriam ac quæstum,&,quod his deterius est,odium & livorem proximi,idque tam evidenter,ut populus interdum,quamvis crassus & rudis,surgat, ac dicentem deserat. *Erasmus ibidem pag.96.*

Cùm in rebus frivolis tam simus solliciti, tamen ad Ecclesiastæ munus audet aliquis accedere, nihilo magis instructus, quàm arator ad citharam, nauta

ad ara-

ad aratrum! próque tot eximiis virtutibus, quas officii postulat dignitas, nihil affert, præter perfrictam egregiè frontem & impudentiam, nihil habens pensiquæ præmia manent victorem, quæ pœna victū? Parum est exsibilari ab uno populo, sed explodi ab universo cætu sanctorum angelorum ac piarum animarum, summa est infelicitas. Itaque qui hoc certamen suscipiunt, Apostolum audiant adhortantem: Sic currite, ut comprehendatis: ut cum eodem gloriari possint, cursum consummavi, fidem servavi, nunc mihi reposita est corona justitiæ. *Erasmus ibidem pag.* 181. *Vide D. Grynæum in Danielem pag.* 83. 84. *Item pag.* 306.

CDXXXIV. *De Nicolao Volckmanno.*

ANnis ab hinc aliquot fur quidam Westphalus Cassiliæ suspendendus cùm esset: renuit omnino propter furem admodum jam attum atque squalidum pendere. Itaque cùm ipse à consule petit, ut in altero illo patibulo (erant n. tum quidem duo) suspenderetur, tum verò pastorem rogat, uti pro se apud consulem deprecetur, quò isthoc suo voto potiatur. Pastor igitur & pro misero hoc intercedit, & voti sui compos evadit. Nec mora protinus ad hunc se refert, eumque hunc admodum consolatur: Antea quidem animo angebare tuo, cum scalam isti admotam esse patibulo, tibique juxta aridum istum moriendum esse cerneres. Ecce autem tibi cùm scalæ istinc auferuntur, tum verò novo huic patibulo admoventur, ad hoc ut affigare. Decet te igitur profectò, rebus prorsus ad voluntatem tuam fluentibus, alacri præsentique animo mortem oppetere, Germanicè sic: **Sich lieber Sohn/nun stelle dein Hertz zu frieden/ gehets dir doch nach allem deinem Willen/du solt nicht bey dem schwartzen Diebe/ sondern fein allein an dem newen Galgen hangen** Id verò multis risum movit, quod diceret, fuit omnia exsen-

tentia succedere. Nam id quidem hercle si fuisset, non pendere, sed in vita commorari maluisset. Ejusmodi non parum quidem sæpe doctis etiam hominibus præter ipsorum voluntatem & scientiam excidunt, quæ quidem tametsi risum commoveant, nihil tamen quicquam existimationi eorum detrahere debent.

CDXXXV. *De Divo Augustino, & quodam impio Afro.*

DUm Lybicis Christum pater Augustinus in oris
Asserit, ac peragit munus in æde suum:
Dum miranda refert populo primordia mundi,
Esse docens verbo cuncta creata DEI.
Impius assurgit verbisque procacibus *Afer*,
Ergo opifex rerum quid faciebat? ait,
Et quibus intentus fallebat tempora curis?
Mundus adhuc nondum cùm fabricatus erat?
Præsul ad hæc Lybicus fabricabat Tartara dixit
His, quos scrutari talia mente juvat.

Sabinus in Epigramm.

CDXXXVI. *De Protarcho Philosopho ex 2. libr. Aristotelis περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως.*

PRotarchus Philosophus ajebat, lapides illos fortunatos esse, ex quibus fiant simulachra: ponuntur enim super altaria, & ab hominibus reverentia & honore afficiuntur, cùm alii non dissimiles eorũ in pavimento jaceant, conculcentur pedibus, & conspuantur, *D. Martyr. 3. lib. Reg. 7 pag 5. fac 1.*

CDXXXVII. *De Claudio Episcopo Taurino.*

CLaudius hic Episcopus Taurinus refutaturus eos, qui crucem CHRISTI adorandam existimant, propterea quod hanc Dominus contactu suo sanctificavit, hoc ferè argumento utitur. Si contactus

ctus tanta ratio habeatur, cur ipsam beatam virginem latria colendam non censent, quæ Christum novem menses in utero gestavit, eiq; ubera diu præbuit? præsertim cùm ille contactus naturalis, alter verò violentus fuerit? Atqui causa ejusdem contactus spinas & lanceam latria oporteret colere. Crucem verò in alia materia etiam volunt adorari: quòd referat veram: sed id absurdissimum est. Sic enim omnia præsepia oporteret adorare, omnes item spinas, clavos, naves, & asinos, quia referunt illa, quæ Christus attigit *D. Martyr 3. Reg. 7. pag. 54. fac. 1. circ. fi.*

CDXXXIIX. *De D. Petro Martyre.*

IS perquam falsè Pontificios ridet, cum quidem præter Christi Salvatoris nostri institutum infantes in sacrosancto baptismo sputo illinunt, hanc quidem in rationem 3. Reg. 8. scribens. Præterea quid eos oportuit suam impuram salivam adhibere? Diaboli porrò non sunt scorpiones, quos velint sua saliva extinguere? Est quidem aliqua salivæ facultas contra venena, sed naturalis: ad charismata verò spiritualia nullam habere potestatem legimus, præsertim cum Institutio & verbum Christi non accesserint. Sed ajunt, Christum sputo suo macerâsse pulverem, & eo luto cæci nati oculos obleviisse. Hoc sanè factum scimus, sed ostendant, Christum mandasse, ut nos idem faceremus, atq; tunc eos rectè atq; ordine facere dabitur. At nusquam tale præceptum demonstrare poterunt. Quibus addas hominis corrupti & vitiati, ne quid gravius dixerim, sputum minimè cum saliva Christi esse conferendum. Est igitur mera κακοζηλία, cum talem ritum neque à Christo, neque ab Apostolis didicerint. Et facilè potest aliquando fieri, ut infantem, quem conspuunt, lædant, si aut lepra aut scabie gallica laborarint. Quod, ut verisimile est, non raro contingit, cum plerunq; sint scortatores. *Martyr. 3. Reg. 8. pag. 70. fac. 2.*

CDXXXIX. *Supplicatio Collegii Sacrorum Scortorum Romanorum ad Summum Pontificem, pro Cardinali Carapha exule.*

O Romane Deus, noſtri gregis optime cuſtos,
Quemq; pedo ſolum protegis ut q; tuo:
Si tibi quid domuiſve tua, domuiſve tuorum
Dulce fuit noſtram quæſo repende vicem.
Sis ovium dulcis precibus mitiſq; tuarum,
Paſtoris placidi nomen habere velis.
Caſta placent divis: caſtarum virginum & iſta,
O Romane Deus, vota preceſq; puta.
Nam à te ſacratis ſolis conſueſcimus. Ecquid
Sacrati poſſint contemerare viri?
Nunc quoq; qua volumus tibi verba precantia cuncta
Dicere, pro ſacro ſunt ea verba viro.
Quin etiam ingratæ quo vitet crimina mentis,
Iſte tibi noſter ſupplicat ecce chorus.
Nam tuus ille nepos, nuper tua ſola voluptas,
Pro nobis ſupplex ſæpe Carapha fuit.
Et quaſdam eripuit pœnæ, tibi quando probavit,
Non Romæ eſſe ſcelus, quod ſcelus eſt alibi.
Is quod amatus erat, quod tibi erat honoribus auctus,
Noſtra itidem eſt viſus dignus amicitia.
Intimus ille fuit nobis, cuiq; intima noſtra
Credere non vetita nocte dieq; ſumus.
Si te ſancte pater (ſi fas eſt vera fateri)
Expertus minùs eſt nos in amore leves.
Namq; favemus ei ſemperq; manemus amica:
At tu inimicus ei es, nuper amicus eras.
Nuper amicus eras, oculisq; ſinuq; Carapha
Ferri te dignus judice ſolus erat.
Ac ſua ei virtus hunc conciliarat amorem,
Vt tua facta quidem (parce negare) probant.
Namq; humeris ejus te Roma imponere pondus
Sedis Apoſtolicæ vidit, & obſtupuit.

Dum

Dum tantum gestaret onus, dormire solebas,
Ac in utramq; aurem stertere, sancte pater.
Téq; ut Atlanta gravi nimium sub mole gementem,
Alter ut Alcides commiseratus erat.
Nunc illum tu sancte pater miserere vicissim,
Si quid eum tandem commeruisse putas.
Commeruisse tamen quidnam queat ille Carapha,
Noster amor, nostri deliciaq; chori?
Forsan apud te illum nunc dente momorderit atro
Invidus, ac fueris credulus ipse nimis.
Finge tamen verè esse reum: veniamve negabis
Illi, qui ignotis hanc dare sæpe soles?
Cùm tot bullarum semper sint millia præsto,
Quæ venias toto vendere in orbe solent?
Vt consanguineo veniam vel des ut amico:
Aut ut utriq; simul, si sit uterq; simul.
Si nec amicitiæ, nec nomine sanguinis illam
Vis dare, da servis supplicibúsque tuis.
Neu minus utiliter tibi noster supplicet ordo,
Quàm pro illo supplex sæpe Carapha fuit.
Nam meritis nostris (sed ne exprobrare putato)
A te debetur gratia sancte Pater.
Artis & officia ut taceamus plurima nostræ,
(Quorum æquum est maneas tēpus in omne memor)
Quanta sit erga te nostri reverentia cœtus,
Turbaque quàm simus religiosa, vides:
Vlla tuos melius nec servet fœmina ritus,
Quàm nostro si qua est consociata gregi.
Decretisque tuis hostes quicunque feruntur,
Hostili erga illos nos quoq; mente sumus.
Romanam nobis nam copula jungit amoris
Aulam, quâ non est copula firma magis.
Nec nisi communis queat esse utriusq; ruina.
Sic sequitur junctus cuncta pericla metus.
Ergo age sancte pater, nobis revocato Carapham,
Et finito nostras pondus habere preces.

Sic tibi crescat honos, qui nunc decrescit in horas,
Proq; illo Princeps quilibet arma gerat.
Sic sint in precio, precium q; tibi q; tuis q;
Decreta illa ferant, quæ jacuere diu.
Sic quæ unum fregit Papæ Germania cornu,
Sponte tuo quondam det fera colla jugo.
Sic possis contra mortem pugnare: nec unquam
Te DEVS in cœlum Petre vocare velit.
Cur aures precibus vultum q; precantibus (heu)
Avertis: nostras negligis & lacrymas?
Offendunt si forte tua te dicta Carapha,
Si, quod te offendat, forte Carapha facit:
Cur oculos ad facta ejus non claudis, ut ante?
Non ad dicta aures claudis, ut ante, tuas.
Ipse tua meminisse velis delicta juventa,
Quum nondum factus Jesuitanus eras.
Nunc eadem, quæ olim, cupieres fortasse: sed ætas,
Denegat. Hæc aliis cur tamen invideas?
Quid tibi vis? abigis miserum quâ fronte nepotem?
Aut prius, aut certè non abigendus erat.
Namque sibi est similis, non est mutatus ab illo,
Qui septem aut octo mensibus ante fuit.
Si non mutatus, cur tu mutatus in illum?
Non sunt constantis talia facta viri.
Sancte pater, venerande senex, tua proh bona nescis,
Personæ & jam sis immemor ipse tuæ.
Papatum infamas, dum vis ornare, retectis
Tot vitiis, vulgis quæ latuêre prius.
Cur Camarinam vis magno movisse periclo?
Romanæ utilius recta Mephitis erit.
Quid? quod jam Romana Ecclesia scinditur à te,
Qui illam scindentes plectere debueras?
Illius nos membra sumus, sunt membra sacrati
(E quorum numero est ipse Carapha) viri.
Sic nos junctæ illis corpus censemur ut unum:
Cujus tu meritò crederis esse caput.

Hoc

Hoc mutilus corpus, membrum quando abstrahis unũ,
Quo non spectaculum tristius esse potest.
Si sapis, ô bone Vir, nostrum citò redde Carapham,
Et corpus mutilum ne patiare diu.
Aut cave tale aliquid, post quod ni Claudius edit,
Is qui Romanum vexerat imperium.
Ni caveas: mutilum corpus nunc absq; Carapha,
Et sine eo truncum possit id esse brevi.

CDXL. *De Papa Julio ejus nominis tertio.*

QUam Romanarum Collegii recellicluviarium supplicationem proximè præmisimus, ea ad Pontificem Julium hujus nominis tertium fuit perscripta. Itaque de eodem hanc subjiciemus historiam. Fuit hic Julius, id quod nemo mortalium ignorat, voluptatibus planè deditus, suæque omnino gulæ ac abdomini natus. Is, quòd pavones in deliciis haberet, aliquem, mensis remotis, de quo nihil decerptum erat, sibi reservari jussit. Verùm administri mandati ipsius parùm memores, pavonẽ absumserunt. Cum autem delicatulus pavonem sibi afferri juberet, adversus ministros, eum jam tum esse absumtum affirmantes, usque adeo iracundia stomachóque exarsit, ut hominem de mentis integritate deturbatum, è potestate exisse affirmásset. Itaque Cardinalis quidam, qui fortè fortuna astabat, ut irã Pontificis nonnihil leniret mitigarétve. Non te decet, inquit, sanctissime Pater, tam levicula de causa tam vehementer commoveri, iracundiáque effervescere. Cui respondit abliguritor *Julius*, An verò ego non indignarer, cùm DEUS de vetiti pomi morsu primis tam vehemẽter fuerit indignatus parentibus? Quo quidem dicto cum facetus esse voluit Papa, res divinas cum profanis, iisque ludicris, incivili quodam atque indecoro joco, impiam Epicureorum consuetudinem hac in parte imitatus, commiscere ac componere minimè omnium dubitavit.

CDXLI. *De Avicula Monocodiata.*

AB hoc tam portentoso naturæ monstro digredientes, ad historiam de avicula, illa quidem monstrosa, sed pulcerrima, nos conferemus. Memoriæ literis proditum est apud eos, qui integra de Hispanorum navigationibus in alienum & tot seculis incognitũ orbem volumina condidere, *in Moluccis insulis* aviculam quandam pulcerrimam oriri mole quidem corporis exiguam, verùm pennarum ob causam, quæ ei sunt amplissimæ, inque orbem digestæ, ita ut ampliotis circuli describant ambitum, primo aspectu videri maximam, eam a nemine unquam mortalium vivã in terra conspectam esse, sed summo quandoque ex æthere exanimem in humum decidere, atque tunc casu repertam sanctissimè ab incolis asservari, quippe apud quos tanta sit in veneratione, ut etiam se illa Reges ipsi tutos in bello existiment, quamvis suo more in prima acie collocati fuerint. Cæterũ appellant vernaculo sermone *Monocodiatam*, hoc est, aviculam DEI, propterea quòd eam in paradiso tantùm loco solius Dei, uti arbitrãtur, proprio nasci firmiter persuasum habeant. Avicula est corporis magnitudine & penè forma coturnici similis, pennarum ambitu discolore: sed venusto admodum & decoro visuque jucundissimo, undiq; exornata, caput, quale hirundinis, majusculum pro corporis amplitudine. Pennę superiorẽ ejus partẽ à prima cervicis vertebra ad rostri usq; initiũ exornantes breves sunt, crassæ, duræ, spissæ, coloris lutei, insigniter splendentes, & auri purissimi modo, radiorúmve solariũ instar fulgentes: cæteræ, quo mentũ contegunt, & molliores, & tenuiores, atq; ex cyaneo mirè equidẽ virides deprehẽduntur, haud planè colore iis dissimiles, quas in anatũ masculorũ capitibus, dũ lucidissimè obvertũtur sideri, conspicimus: rostrũ item, quàm sit hirundini prolixius, pedes nulli, pennæ alarum ardeis forma pares, sed tenuiores

longioresque colorem fusco inter rufum & nigrum splendentes. At cum omnes, tum quæ alas constituunt, tum quæ caudam efformant, in orbem extenduntur, rotæ similitudine (etenim cuti animantis, veluti infixa hærent spicula planè immobiles) mirum videri non debet, sponte sustineri, neque unquam in terris, quoad in vivis est, conspici, quando & pedibus usus nullius in aëre existentibus prorsus destitui (quanquam id decretis Aristotelis summi Peripateticorum scholæ principis adversari novimus, avem ullam pedibus carere negantis) paulò antè dictum sit. Cæterum exoriuntur juxta singulas majorum pennarum alas constituentium origines, aliæ quoque minores neq; sanè paucæ pennulæ, quæ supra majorum principia extensæ illa obtegunt, dimidio quisquiliatæ, rufæ, coccineæve, reliqua parte croceæ, & fulvo auri colore splendidæ: multum equidem gratiæ ac venustatis aviculæ, ob eximiam illam & singularem colorum disparitatem, conciliantes. Reliqua corporis moles tota pennis fulvis in rufum colorem vergentibus obducitur, ita tamen, ut aliquid adhuc inter eas discriminis animadvertas. Nam quæ in pectore & ventre collocantur, & frequentissimæ sunt & pariter latissimæ, duorum triumve digitorum amplitudine colore fulvo, & eo quidem nitidissimo, haud sanè alio, quam jecur ipsum, splendentes: quæ verò in dorso fixæ sunt, rariores, neque ita frequentes esse apertè cognoscimus, & insuper amplis divisuris hiare: pennarum omnia ardearum tergo adhærentium similitudine clarè videmus, neque etiam ad tam insignem latitudinem accedere aut præstantem illum hepatis colorem adæquare, quia puniceo potius colore carni æmulo, obscuriore etiamnum relucere pleniſſimè perspicimus. Porrò pennæ hæ simul omnes, tùm quæ à ventre suam trahunt originem, tùm quæ à dorso enascun-

tur, caudam, cùm sint longissimæ, constituunt, quia ea cæterarum avicularum more minimè exornatur, neque id magnopere mirum, quando & aliæ ipsæ diversa sint ratione concinnatę, quippe quæ in arctum contrahi, aut latum diffundi pro animantis libito nequeant, sed uno tantùm eodemq; modo naturaliter perpetuò consistant. Propterea masculi hujus aviculæ dorsum omni ex parte depressum inflexumq; est, adeo ut sinum quendam foveamque efformet. In eam cavitatem ova fœminam deponere ratio ipsa claro est argumento, quum & fœmina ventrem cavum obtineat, ut hoc pacto ova facilius possit incubare, ac tandem pullos excludere. Denique adnectuntur maris dorso fila gemina nigra cornuum modo utrinque in rectum extensa, tres & amplius palmos longa, neq; rotunda exactè, neq; etiam perfectè angulata, sed figura inter quadratum & rotundum media, nec crassa valdè, nec summè tenui, verùm suturio filo haud planè dissimilia. Horum usum talem esse cum reliquis hujus seculi eruditissimis viris existimo, quo nimirum fœmina, dum ova incubat, mari firmius alligetur copuleturque: Cibus eis solidior, uti arbitror, nullus, quî enim in sublimi æthere esse possit? Adhæc si interiora spectentur, inane nihil reperitur, sed totus venter inferior pinguedine tantùm expletus conspicitur. Hæc aviculæ ipsius integra & certa historia, cui neotericorum peritissimi quique calculum uno ore omnes adjiciunt præter unum *Antonium Pigafetam*, qui eam rostro prolixo, & pedibus palmi unius longitudine falsò depingit. Etenim rem aliter se habere ipsemet jam bis (neque enim pluries videre contigit) oculis manibusque propriis liquidissimè deprehendi. Ac, ne commentitia me dicere putes, testem protinus horum omnium in humanis adhuc agentem statuo virum cùm doctrina tum humanitate præstantem *Casarem*

farem Odonum Appulum ſimplicium pharmacorum clariſſimum indagatorem, atque eorundem in Bononienſi celeberrimo orbis terrarum gymnaſio profeſſorem, in cujus ædibus, poſtquam Romæ in aula Illuſtriſſimi Principis *Octavii Farneſii* inclytæ Parmenſium civitatis Ducis præſtantiſſimi ſemel vidiſſem, iterum intueri conceſſum eſt, notis iisdem omnibus, quibus retuli. Ne igitur, ſi res vel teſtibus eſſet comprobanda illorum penuria laborare videret, viri ejus omni laude digniſſimi teſtimonium in medium afferre libuit: quando & honoris item cauſa tanti nominis hominem minimè prætereundum cenſeo. Verumenimverò cur huic tam admirabili nobiliqúe aviculæ nemo hactenus ex recentioribus nomen apud veteres ſcriptores invenerit, mirari equidem ſatis non poſſum in tanta eruditorum frequentia. *Plutarchus* profectò graviſſimus autor in *Artaxerxis Perſarum Regis potentiſſimi* vita memorat, in Perſis parvam quandam avem naſci, in qua invenitur nihil excrementi, ſed interna omnia ſemine atque adipe plena, ac proinde aëre eam atque rore ſolùm nutriri cunctos mortales arbitrari, eſſe verò nomen ei *Rhyntaci*. Diverſa ſit à *Monocodiata*, nec ne, ſeverioribus harum rerum æſtimatoribus perpendendum relinquo. Ego ſanè & non planè contendo, ita certè propenſiſſimus ſum, ut credam, quando tantum abeſt, mea ſententia, ut *Monocodiata & Rhyntacis diſſideant*, ut prorſus eædem notæ utrique conveniant, quòd & *Rhyntacis* magna quondam in æſtimatione apud eosdē *Perſas* habita ſit. Hanc *Cteſias* prodidit cultello altero latere veneno illito *Paryſatim* diviſiſſe, dimidiā partē veneno infeciſſe, & q̄ veneno intacta atq; incorrupta erat, ipsā in os conjectā exediſſe, *Statyræ* aūt venenatā partē porrexiſſe. Sed *Dion* ab hoc leviter diſſentiens ait, nō *Paryſatim*, verū *Melantam* partitū cultello *Statyræ* infectā carnē appoſuiſſe,

fuisse, ut non *Plutarchum* modò, verùm etiam ipso multò antiquiores *Ctesiam & Dionem Rhytacis*, hoc est, *Monocodiatæ* seu Dei aviculæ meminisse in confesso sit. Porrò cum animantia cuncta, quibus cerebrum suppetit, ex quorum numero & *Monocodiatæ* est, post diuturnas vigilias longasque dies excubias quiescere tandem ac somnum capescere necesse sit, quando, ut pertritus monet versiculus: Quod caret alterna requie, durabile non est: jure quærat aliquis optimo, cùm aviculam istam nunquam in terram descendere dictum sit, quis ejus quietis locus, quævé naturæ tam admiranda vis ac potentia, quod dormientem æquè ac vigilantem semper in sublimi æthere consistere voluerit, mortuam autem deorsum ferri inque humum decidere haud vetarit? Dissonum siquidem à ratione planè videtur, somno intentam posse summo in æthere pendulam sustineri. Sed nec insomnem prorsus vitam trahere putandum, quod id tormentorum omnium summa foret carnificina, quemadmodum nec è contra existimandum, alteri rei nulli præterquã somno vacare, quod absurdum omnino esse nemo sanæ mentis ibit inficias. Equidem illud præter alia miror maximè communem rerum naturam universam providam solertemque, atque omnia continentem, aviculam hanc præ cæteris admirabili & prorsum suspicienda dote exornasse: quippe mas fœminam dormientem dorso excipit sustinetque ne in solum prolapsa concidat, sibi interim à somno temperans, fessus mas excutit, atque tunc vice versa fœmina sese mari subjicit, somnoq; labentem & propè cadentem fulcit, & quam fidelissimè sustentat. *Melch. Guilandinus Borussius.*

CDXLII. *De quodam cane homicidam prodente.*

ANtiochiæ in remotiore urbis parte ferunt virum necatum, qui canem sibi haberet adjunctum:

ctum: hunc enim quidam miles prædandi ſtudio interfecerat: & in alias partes ceſſerat. Jacente cadavere inhumato frequens ſpectantium vulgus aſtabat. Canis autem vultu lachrymabili ærumnas domini ſui deflebat. Is verò, qui necem intulerat, ingenii verſutia, quo præſumptam fidem aſciret innocentiæ, ad illam circumſpectantis populi coronam quaſi miſerans acceſſit. Tunc canis, ſequeſtrato paululum doloris queſtu, audaciam ultionis aſſumſit: & apprehenſum tenuit, ac velut epilogo quodam miſerabile carmen immurmurans univerſos in lachrymas convertit, fidemque probationi attulit, quâ ſolum eum ex plurimis tenuit. *Vinc. hiſt. lib. 19. cap. 13.*

CDXLIII. *De quodam Cane furem prodente.*

QUum è templo Æſculapii Athenis ornamenta furto fuiſſent ſublata, canis ſemper latronem eſt inſecutus adlatrans, non abſtinens, nec lapidum ictibus, nec bucellis pinguibus, idque indicio ſufficere viſum eſt, ut inquireretur in latronem adlatratum, qui comprehenſus & tortus faſſus eſt & ſupplicium ſumtum de eo: cani verò publicè decreta alimonia. Id habet Ælian. hiſt. animal. *lib 7. cap. 13.*

CDXLIV. *De quodam Cane adulterium prodente.*

CAtellus ſiculus adultero infeſtiſſimum ſe præbuit. Nam etſi adulteræ familia omnis corrupta faveret admiſſo adultero, repentino mariti reditu, neceſſarium fuit certè quodam loco adulterum occludere. Catellus ſolus fidelis nunquam ceſſavit oſtium illud adlatrare, pedibusque fores convellere adnitens, marito indicium fecit, aliquid ibi latere mali: reſerato oſtio inventus eſt adulter armatus, ut maritum futura nocte occideret, adulteram ductu-rus. *Ælianus hiſtor. animal. lib 7. cap. 22.*

Adverſus fures commune eſt remedium, ut canes domi

domi nutriantur, ad hoc, ut noctu furtim accedentes latratu indicentur, ut Columella docet, qui cap. 12. libr. 7. *de re rustica* in canum laudem ita præclarè scripsit: *Canis falsò dicitur mutus custos: nam quis hominum clariùs aut tanta vociferatione bestiam vel furem prædicat, quàm iste latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis custos incorruptior? quis excubitor inveniri potest vigilantior? quis denique ultor aut vindex constantior?* Dicitq; Columella, tria esse canum genera: Villaticum, qui villam custodit: pastoralem, ad propellandas furum ac ferarum injurias: & Venaticum, venandi gratia comparatum, ubiq; multa tradit de illorum moribus, de corporis habitu & colore: & Virg. lib. 3. *Georg.* inquit:

Nec tibi cura canum fuerit postrema, sed unà
Veloces Spartæ catulos, acremq; molossum
Pasce sero pingui: nunquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem, incursusq; luporum,
Aut impactos à tergo horrebis Iberos.

Et Cic. in Orat. pro Sext. ait: Canes publicè aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint. Hinc illud Virgil. lib. 4. Georg.

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis multum latrante Lyciscа?

Hinc Cic. de Orat. ait: Is à Philippo interrogatus, quid latraret, furem se videre respondit: latrant enim jam quidam oratores, non loquuntur, ut idem Cic. inquit in Bruto. Et in maledicum Poëtam Horat. in Epodo, Ode 6. scripsit:

Quid immerentes hospites vexas canis,
Ignavus adversus lupos? Johannes Bonifacius in *Tractat. de furt. §. Mobilis num. 12. Plura de Canibus vide apud M. Andream Schoppium* in Explicatione Tobiæ Hon. ilia 21. pag. 99.

CDXLV. *De alio quodam Cane.*

CAnis quidam *Perusinus*, ut domini rebus incumberet,

beret, furibus adlatrabat. sed adeo addictus erat dominæ suæ amasiis, ut absque latratu noctu eos admitteret. Cumque catulus is obiisset, memini me legisse distichon à Poëtis tunc compositum his verbis:

Latrabam ad fures, & amantum furta tacebam,
Ut placui domino, sic placui dominæ.

Simon Majolus in diebus canicularibus, pag. 243.

CDIVL. *De Guilielmo Corvio, Gallo.*

HIc defunctus, octo dierum intervallo in consueto cubiculo, flebili, queruloſa, anxiaque voce perpetuis noctibus audiebatur a necessariis: quamobrem advocatis Dominicani ordinis regularibus nocte adjuratus respondit, se Guilielmum nuper defunctum esse, ibiq; ignis vehementissimi pœna exuri, quod adversus manem indignè se sæpius habuisset: egere autem se suffragiis piorum, sacrificiis videlicet incruentis atque pœnitentialibus psalmis: brevi ab hujusmodi se eximendum igni, si illis suffragiis adjuvetur, adjecitque se torqueri in inferis in purgatorii communi loco, quàm diu dies est: noctu verò ipso illo cubiculo. Hæc ex publicis monumentis ad Romanum Pontificem missis legisse testatur Monopolita decad. prim. cap. 4. *Simon Majolus in diebus canicularibus, pag. 62.*

Si credere fas est.

CDIIIL. *De Spiridonis filia.*

SPiridonis filiæ virginis, cui nomen erat *Irene*, unus ex familiaribus *Spiridonis* depositum servandum dedit: Illa cùm acceperat, domi defodit in terram, quo accuratius custodiretur; cumq; fortè fortuna filia sine ulla mentione depositi facta cuiquam, mortem oppetiisset, venit homo ille depositum repetiturus: *Spiridon* autem, quamvis, quid diceret, prorsus ignorabat, ædes tamen perscrutatur, ac, cum invenire depositum non posset, homo lugere graviter,

graviter, capillum lacerare, & velut jam moriturus præ se ferre cœpit: *Spiridon* verò ad misericordiam inductus venit ad sepulcrum filiæ, eamque nomine compellat, à qua sibi respondente percontatur de depósito: de quo certior factus revertitur domum, & inventum in loco, quem filia ei significaverat, homini reddit. *Cassiodorus tripartit. histor. lib. 1. cap. 10. & Socrates lib. 1. c. 8.*

CDIII. *De spectro Athenienſi.*

ERat Athenis speciosa & capax domus, sed infamis & pestilens per silentium noctis sonus ferri, &, si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde proximo reddebatur: mox apparebat idolon, senex macie & squallore confectus, promissa barba, horrenti capillo: cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. Inde inhabitantibus tristes diræque noctes per metum vigilabantur, vigiliam morbus, & crescente formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque quanquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorque causis timoris timor erat. Deserta inde & damnata solitudine domus, totaque illi monstro relicta, proscribebatur tamen, seu quis emere, seu quis conducere, ignarus tanti mali, vellet. Venit Athenas *Philosopus Athenodorus*, legit titulum: auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus, omnia docetur, ac nihilominus, immò tantò magis conducit. Ubi cœpit adversperascere, jubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares, stylum, lumen, suos omnes in interiora dimittit: ipse ad scribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulacra & inanes sibi metus singeret. Initio, quale ubique silentium noctis, deinde concuti ferrum, vincula moveri, ille non tollere oculos, non remittere stylum, sed obfirmare, auribusq; prætendere. Tum crebrescere fragor, adventare, & jam

ut in limine, jam ut intra limen audiri cœpit: respicit, videt, agnoscitq; narratam sibi effigiem. Stabat, innuebatq; digito, similis vocanti. Hic cõtrà, ut paululum expectaret, manu significat, rursusque ceris & stylo incumbit: illa scribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus idem, quod prius, innuentem. Nec moratus tollit lumen, & sequitur: ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis: postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem. Desertus herbas & folia concerpta signi loco ponit. Postero die adit Magistratus: monet, ut illum locum effodi jubeant. Inveniunt ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus ævo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis: collecta publicè sepeliuntur: domus postea ritè conditis manibus caruit. *Plinius secundus Novocomensis lib. 7. Epistol. & Lavaterus de spectris, pag. 71.*

CDXLIX. *De duobus spectris aliis.*

PLinius ibidem & hasce duas de duobus spectris aliis recenset historias. Est libertus, inquit, mihi non illiteratus: cum hoc minor frater eodem lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quendam in toro residentem, admoventemq; capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Ubi illuxit, ipse circa verticem tonsus, capilli jacentes reperiuntur. Exiguum temporis medium & rursus simile aliud priori fidem fecit. Puer in pædagogio mistus pluribus dormiebat: venerunt per fenestras (ita narrat) in tunicis albis, cubantemque totonderunt, & qua venerant, recesserunt.

Hunc quoq; tonsum sparsosq; circa capillos dies ostendit. Nihil notabile secutum, nisi forte, quòd non fui reus futurus, si *Domitianus*, sub quo hæc acciderunt, diutius vixisset. Nam in scriniis ejus datus à caro de me libellus inventus est. Ex quo conjectari potest, quia reis moris est submittere capillum, reci-

sos meorum capillos, depulsi, quod imminebat, periculi signum fuisse. *Lavaterus de spectris. pag. 73.*

CDL. *De alio quodam Spectro.*

SCribit *Alexander ab Alexandria Neapolitanus celebris Jure-consultus libro 2. genialium dierum capite 9.* de quodam familiari suo, non fluxæ fidei homine, quòd amici funus curârit: &, quum inde Romam reverteretur nocte instante in diversorium viæ proximum diverterit, & ibi se quieti dederit. Quumque solus degeret & adhuc vigilaret, repente amici nuper defuncti imago summo pallore & macie, ac eo fermè habitu oris, quali illum, quum ægrotaret, dimiserat, ad se accesserit: quem quum fuisset intuitus, & præ timore nec animo nec mente satis constaret, quisnam esset, interrogarit. Illum autem, quum nihil respondisset, exutis vestibus, in eodem, cui ipse incumbebat, lectulo se collocavisse, ac prope accessisse, quasi eum amplexurus esset. Alterum verò ad lectuli spondam secessisse, illumque propius accedentem abegisse: & pedem illius usque adeo gelidum contrectavisse, ut nulla glacies huic frigori potuerit comparari. Istum alterum torvè inspicientem, resumtis mox vestibus, è lectulo surrexisse, & nunquam postea apparuisse. *Idem tradit Lavaterus de spectris, pag. 83.*

CDLI. *De alio quodam spectro.*

IN area ædium *Matthæi Vicecomitis*, qui *Magnus* dictus est, post occasum Solis, quum jam adveseraseret, visus est vir armatus in equo longè humana specie major: qui, ubi à multis conspectus fuisset per horæ spacium, postea evanuit, magno cum eorum, qui rem viderunt, horrore. Triduo quoque post, tertia noctis hora, eodem in loco, duo equites pari specie diu inter se dimicantes conspecti fuêre: qui postea, ut antea alter solus, evanuerunt. Non multo pòst tempore *Henricus Septimus Imperator* ex hac vita

decessit, non sine clade *Vicecomitum. Baptista Fulgosius, Genuæ Dux in opere suo de dictis & factis memorabilibus Imperatorum, Principum, Ducum, lib. 1. cap. 8. & Lavater.* de spectris, pag 84.

CDLII. *De Ludovico Alodisio ejusq; patre.*

LUdovici *Alodisii* pater, qui immolæ rerum potitus est, haud diu, posteaquam decesserat, homini à secretis, quem filius *Ludovicus Ferrariam* mittebat, in itinere equo insidens, cum accipitre (ut in aucupio mos ei fuerat tenere) apparuit: huicque quanquam magna capto formidine dixit, ut filium juberet postero die in eum ipsum locum venire, quoniam magni momenti res ei prædicturus esset. Ea re audita *Ludovicus*, tum quia non credebat, tum quod insidias metueret, alium suo loco misit. Ei illa ipsa umbra, quæ ante apparuerat, obviam facta, vehementer indoluit, quod filius non venisset: longè enim plura se dicturam ei fuisse affirmabat. Sed tunc illud tantum referri jussit, quòd transacto secundo & vicesimo anno, ac præterea uno mense, die quoque addita, urbis imperium, quod obtinebat, esset amissurus. Ut tempus, quod umbra prædixerat, advenit: adhibita magna cura ea ipsa nocte milites *Ducis Philippi Mediolanensis* (cui is fœdere junctus erat, & propterea ab eo non metuebat) glacie magna constrictis fossis, ad muros penetrarunt, admotisque scalis, urbem cum ipso Principe ceperunt. *Idem ibidem.* Vide plura apud Ludov. Viv. lib. 1. de Veritate fidei. *Hieronymum Cardanum in libris suis de subtilitate, & varietate rerum, & Olaum Magnum Archiepiscopum Upsalensem de gentib Septentrional. lib. 2 cap. 5.*

CDLIII. *De Dæmonibus Metallicis.*

GEorgius *Agricola*, cujus doctissimi libri de rebus metallicis publicè extant, in fine libelli sui de animantibus subterraneis, duplex genus facit illorum dæmonũ, qui in quibusdam fodinis versantur.

Dicit enim, quosdam truculentos esse & terribiles aspectu, qui plerunque metallicis infesti atque inimici sint. Talem fuisse *Annebergium* quendam, qui operarios duodecim amplius flatu interfecerit, in specu, qui *Corona rosacea* appellatur. Flatum verò emisisse ex rictu: equi enim specie visum esse. Ejusmodi etiam fuisse *Snebergium*, nigro cucullo indutum, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum in superiori loco maximæ cujusdam concavitatis, quondam feracis argenti, collocarit, non sine corporis attritu. Deinde dicit quosdam mites esse, quos *Germanorum* aliqui, ut etiam Græci, vocent *Cobalos*, quod hominum sint imitatores. Nam quasi lætitia gestientes ridere: & videri quod multa faciant, quam prorsus nihil faciant.

Ab aliis nominari virunculos montanos, significantibus parvam eorum staturam, qua plerunque conspiciuntur. Videri autem seneciones & vestitos more metallicorum, id est, vittato indusio, & corio circum lumbos dependente indutos. Hos damnum non dare metallicis nisi lacessitos: sed eos imitari. Non dissimiles esse scribit illis, quos Germani *Gutelos* vocant, eò quod generi humano amici esse videantur: curant enim jumenta, & alia faciunt. Item illis, qui *Trulli* vocantur, quos sexu tam mulieris quàm viri ementito, cum apud alias nationes, tum maximè apud *Sulonas* in famulatu fuisse dicant. *Lavaterus de spectris, pag. 91.*

CDLIV. *De Spiritu vel Dæmone quodam montano.*

SCripsit ad me vir pius & doctus, *Davosii* in alpibus Rheticis argentifodinam esse, in quam Consul illius loci (*Landammanum* vocant) *Petrus Buol*, vir egregius, superioribus annis sumtus fecit, & ex qua opes non exiguas collegit. In illa Spiritus vel Dæmon montanus fuit, qui, cùm metallici res fossiles infunderent vasis, plerunque diebus Veneris valdè ne-

dè negocioſus eſſe viſus fuerit, metalla ſuo arbitratu ex uno vaſe in alterum infundens. Quod Conſul ille non indignè tulit: quoties in fodinam deſcendere voluit vel aſcendere cruce ſe muniens nunquam læſus eſt. Accidit autem, ut cùm ſpiritus ille die quodam valdè importunus eſſet, id metallicus quidam moleſtè ferens, conviciis eum inceſſerit: juſſeritque eum abire in malam rem, additis diris & execrationibus: Spiritus ille operarii caput apprehendens ita eum torſit, ut facies in tergum verteretur: non tamen extinctus fuit, ſed diu poſtea obtorto vel inverſo collo ſuperſtes multis, qui etiamnum vivunt, familiariter notus fuit, & intra paucos demum annos è vivis exceſſit. *Lavaterus de ſpectris, pag.* 90.

CDLV. *De Felice Malleolo.*

Felix Malleolus Juris Utriusque Doctor, Præpoſitus Salodorenſis, & Canonicus Tigurinus, vir multæ lectionis, uti ex ſcriptis ipſius, quæ adhuc extant, facilè apparet (vixit autem circa tempora Concilii Baſilienſis) ſcribit in libro ſuo de Nobilitate cap. 30. in hiſtoria *Rodolphi Regis Romanorum* extare, quod *Rodolphus*, quum prælio *Othocarum Regem Bohemiæ* viciſſet, in campo, ubi prælium commiſſum fuerat, pernoctârit, quodq; tempeſta nocte lemures exercitum horribili clamore & tumultu turbarint. *Lavaterus de ſpectris, pag.* 102.

CDLVI. *De quodam Judæo nomine Sedechia Mago.*

JOhannes Trittenhemius Abbas Spanheimenſis ſcribit in Chronico Monaſterii Hirſgavienſis, ordinis *S. Benedicti*, anno Domini 876. fuiſſe quendam *Judæum nomine Sedechiam, olim Phyſicum & Medicum Ludovici Imperatoris*, qui magicis diſciplinis inſtructus, faciebat multa miracula & ſtupenda ludibria publicè coram Principibus & quibuſcunq; aliis. Effecit namque arte ſua, ut hominibus videretur de-

vorare virum armatum cum equo & omnibus armis: currum quoq; onustum fœno cum equis & auriga. Amputabat hominibus capita, manus aut pedes, quæ pelvi coram imposita, cum sanguine defluente, omnibus videnda præbuit: quæ statim ad loca, unde videbantur, abscissa, sine detrimento hominum restituit. In aere & nubibus videbatur & audiebatur ab omnibus venationes, cursus, & alia exercere, quæ homines super terrā exercere solemus. Tam multas & varias ludificationes faciebat, ut omnes suprà, quàm credi potest, mirarentur & obstupescerent. *Lavater* de spectris, pag 206.

CDLVII. *De alio quodam* Mago.

ANno Domini 1323. quando, ut idem author meminiæ prodidit, *Fridericus Dux Austriæ*, qui contra *Ludovicum* Imperator delectus erat, inter *Otingam & Molndorfum* magno prælio victus fuit, & *Ludovico* traditus, qui in arcem munitam eum asservandum misit. Contigit postea, ut *Magus* quidam ad *Lupoldum* fratrem ejus in Austriam profectus, promitteret, se sua arte *Fridericum* è captivitate salvum & illæsum, ministerio spiritus, ad se unius horæ spacio reducturum, si dignam ei mercedem promittere & dare vellet: Respondit Dux, si feceris quod promittis, digno te præmio afficiam. Itaque *Magus* hora sibi commoda, circulum cōjurationis una cum *Duce* ingreditur, vocat spiritum suis obedire mandatis consuetum. Cui in specie humana comparenti per virtutem suarum conjurationum mandavit, ut *Ducem Fridericum*, ex custodia Imperatoris liberatum, ad se in Austriam sine læsione quàm celerrimè adveheret. Cui spiritus respondens dixit: Si Dux ipse captivus mecum venire voluerit, mandatis tuis libens obtemperabo. His dictis avolat mox spiritus in *Bavariam*, formaq; peregrini assumta, custodiam, ubi Dux Fridericus detinebatur captivus, ingreditur:

quo

quo viso, missus ad eum spiritus, dixit, si ex captivitate liberari volueris, hunc equum ascende, & te sine læsione in Austriam ad frattem tuum *Ducem Lupoldum* salvum & incolumem perducam. Cui Dux inquit: Quis es tu? ad quem spiritus: Noli interrogare, quis sim ego, quia nihil ad rem: sed ascende hunc equum, quem tibi exhibeo, & te salvum & incolumẽ hinc liberatum in Austriam reducam. Quibus auditis, horror Ducem alioqui audacissimum invasit, quumque signo se sanctæ crucis muniret, spiritus cum nigro, quem exhibuerat, equo disparuit, & vacuus ad mittentem reversus est, a quo increpatus, quòd non adduxisset captivum, ordinem rei gestæ narravit: Tandem ex custodia liberatus *Dux Fridericus* ita sibi contigisse in captivitatẽ consignato die confessus est. *Lavat. de Spectr. pag. 207.*

CDLIIX. *De alio quodam spectro.*

JOhannes Trittehemius in Chronicis suis de Monasterio Hirsgavienſi tradit, circa annum Christi 1098. imperãte *Henrico quarto*, quãdo ordo Cistertiensis ortus est, non procul *Wormatia* multis dieb. & noctibus maximas copias equestres & pedestres apparuisse, tanquam ad bellum progressuras, & nunc huc nunc illuc per turmas discurrentes, circa nonã horam noctis ad vicinum montem, ex quo prodire consueverant, revertisse: tandem nocte quadã Monachum quendã *Limpurgensis Cœnobii* (non procul à mõte distantis, de quo exire solebant) assumtis secum quibusdam aliis, ad locum montis accessisse, munivisse se signaculo sanctæ crucis, atq; exeuntes de monte, qui essent, per virtutem sanctæ & individuæ Trinitatis, ut dicerent, fortiter adjuravisse. Cui unus ex turma respondent: Nos sumus phantasma, nec milites viventes, sed animæ hominum in hoc mundo Principi terrenorum militantium, non ante multos annos in hoc loco interfectorum.

Arma, habitus, & equi, quæ nobis, dum viveremus, instrumenta erant peccati, etiam nunc post mortem in nobis sunt quædam indicia torméti. Omne, quod jam cernitis circa nos, totum ignitum est in nobis, quanquam vos ignem nostrum minimè videatis. Cumque Monachus, utrum juvari ab hominibus possent, inquireret: Spiritus respondit: Jejuniis & Orationibus, & maximè oblatione corporis & sanguinis Christi adjuvari possumus & rogamus. His dictis, omnis illa multitudo spirituum, quasi una voce clamabat trina vice, Orate pro nobis, orate pro nobis, orate pro nobis. Mox omnes in ignem resoluti videbātur: sed & mons ipse, quasi arderet, ignem & maximum fragorem arborum & strepitum emisit. *Lavaterus de spectris, pag. 260.*

CDLIX. *De Melancholico quodam Viro illustri.*

NOSTRA memoria vir quidam illustris in eum mentis errorem incidit, ut mortem animo conceperit, ac se jam è vivis excessisse haberet persuasum, adeo, ut quum illum amici ac familiares ad instaurandas vires jam collapsas precibus, blandimentis, objurgatione hortarentur atque urgerent, omnia respueret, quòd caussaretur, mortuum esse se, ac nihil ita constituto opus esse alimento. Quum autem fame enecandus videretur, instante scilicet septimo die, qui famelicis atque inedia confectis lethalis esse solet, comminisci cœperunt, atque excogitare rationem aliquam, qua posset hic mentis error eximi aut mederi: itaque inducti sunt in conclave arte atque industria obscuratum personati quidam histriones linteo obvelati ac fasciis obvincti, quibus mortui sepulcris inferri solent, instructaque mensa ferculorum apparatu, liberalius largiusque se cibo ac potu reficiunt, æger autem hæc conspicatus scisciatur quid moliantur, & quod sint genus hominum,

minum, responsum est, mortuos esse se: Tum is. Mortuine edunt? Illi, maximè. Si libeat accumbere, id non vanum experietur. Confestim mente captus exiliit, lectóque se subduxit, atque una cũ mortuis commentitiis cibo fruitur affluentiùs: peracta autem cœna somnus illi obrepit in eum usum confecto liquamine. Siquidem, qui sensu mentisque judicio ac ratione sunt orbati, arte tractandi sunt, nec ulla re efficacius, quàm somno, domandi. *Levin. Lemnius lib. 2. de Complex. cap. 6 pag. 141 fac. 2 & Joh. Schenckius a Grafenborg in observationibus suis Medicis de capite humano, observat. 228. pag. 272.*

CDLX. *De alio quodam Melancholico.*

ME exercente rem medicam complures oblati sunt, quorum menti absurdæ imagines ac simulacra obversarentur. Cuidam enim persuasum erat, nasum sibi excrevisse in immensum, atq; in prodigiosam longitudinem exporrectum, sic, ut Elephãtis proboscidem circumferre visus sit, qui nusquam non esset impedimento, adeo ut subinde patinis, ut illi creditum est, innataret. Accitus Medicus atque affectum Melancholicum adesse suspicatus, dexteritate quadam ex latenti habilitate longum farcimẽ naribus admovit, arreptáq; novacula seu cultro tõsorio, apprehensa nõnulla carnis parte imaginariũ nasum avulsit, confestim exhibita homini parum sobriæ mentis soporifera potione, præscriptáque salubri diæta, omnis mali metus ademtus est. *Lemnius & Schenckius in dict. loc. illo pag. 141. hic pag 273.*

CDLXI. *De alio Melancholico.*

ALius quidam hypocondriacus, hoc est, cui præcordia humore melancholico ac flatibus turgida essent, persuasum erat ranas ac rubetas, quas bufones vocant, intestina perterebrare, nec ulla ratione ea opinio illi eximi potuit. Medicus, quo illũ

BIBLIOTHEK MUSEUM FÜR VOLKSKUNDE WIEN

magis haberet obsequentem (nam melancholici ægrè ab opinione dimoventur) tale quiddam corpori inhærere pronunciavit. Itaq; exhibita purgante potione ac subdito clistere procuratum est, ut aliquot ejus generis reptilia in subjectam pelvim conjicerētur: ubi autem pharmacum vires suas explicuit: alvus affatim exinanitus est, conspectisque excrementis, &, quæ illis innatabant, animalculis, vana illa opinio anima excussa est. *Lemnius & Schenckius ibid.*

CDLXII. *De alio quodam.*

ALter quidam opinatus est, ex vitro sibi conflatas clunes, sic ut omnia sua negocia atq; actiones stando perficeret, metuens, ne, si in sedile se inclinaret, nates confringeret, ac vitri fragmenta hinc inde dissilirent. *Iidem ibidem.*

CDLXIII. *De alio quodam.*

ARistoteles scribit in libro suo de rebus mirandis, de quodam mente capto, qui in Abydo urbe Asiæ, multis diebus se in theatrum conferens vacuum, sedebat, & non minus manuum complosione testabatur sibi omnia placere, quàm si Comœdia vel Tragœdia aliqua egregiè fuisset acta. *Lavaterus de spectris pag.* 12.

CDLXIV. *De alio quodam.*

SImilem historiam describit Horatius libr. 2. Epistolarum, de quodam, qui *Argis* in theatrum vacuum sese ponēs idem fecerit, quod alter ille: Cumque cognati ipsius medicorū opera eum curâssent, indignissimè tulerit, negans se unquam vixisse suavius, quàm cum mentis parum fuisset compos. Ita autem canit Horatius:

Qui se credebat miros audire Tragœdos
In vacuo lætus sessor, plausorq; theatro,
Hic ubi cognatorum opibus curisq; refectus
Expulit hellebero morbum bilemq; meraco,
Et redit ad sese: Pol me occidistis amici,

Non

Non ſervatus, ait: cui ſic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratiſſimus error.

CDLXV. *De alio quodam.*

ATthenęus ſcribit lib. 12. de quodam *Thraſylao*, qui tam vitiato cerebro erat, ut putaret, omnes naves, quæ in *Pręum portum* appellebant, ſuas eſſe, recenſebat eas, nautas ſolvere præcipiebat, redeuntibus non aliter gratulabatur, quam ſi omnium rerum, quibus onuſtæ erant, dominus eſſet. Is toto illo tempore, quo mente captus fuerat, ſuavem vitam duxiſſe ſe ajebat, donec Medicus ab hac inſania ipſum liberaſſet. *Lavaterus de ſpectris dict. pag. 12*

CDLXVI. *De alio quodam.*

VIdi quendam nomine *Johannem Leonardũ Sertorium*, cui viri honeſti & graves, quibus familiariter notus fuit, teſtimonium perhibuerunt pietatis, qui perſuaſum habebat, ſe inſtar Heliæ miraculo cœleſti probare poſſe, quòd noſtra religio eſſet vera & catholica. Poſtulavit ab aliquot Rebuspublicis, ut convocarent Euangelicos & Papiſtas, ſe enim paratum eſſe hoc miraculum edere: &, niſi omnibus videntibus ederet, nullum ſupplicii genus recuſabat. *Lavaterus de ſpectris pag 13.*

CDLXVII. *De muliere quadam Melancholica.*

EGo mulierem vidi, quæ ea imaginatione vexabatur, ut medium manus ſuæ digitum conſtringeret, tanquam in ipſo totum geſtaret orbem. Plorabat autem illa quoque, verita, ne quando digitum ſuum inflecteret, & totus orbis corrueret, & omnia ſtatim interirent. *Jo. Schenckius à Grafenberg in obſervationibus Medicis pag. 170.*

CDLXIIX. *De alia quadam.*

EXemplum unum referam mulieris nudæ per civitatem peragrantis in quadam Italię urbe, quę, cùm in officinam quandam meritoriam incidiſſet, nocte tota è quindecim viris Venere defatigata

men-

mensium largo profluvio, qui pluribus annis antea constiterant: non sine magno pudore diluculo menti restituta discessit. *Schenckius in dict. libr. pag. 275.*

CDLXIX. *De alia quadam.*

EGo audivi à fideli Medico, quòd mulier quædam illiterata, dum esset Melancholica, latinum loquebatur congruum; qua sanata evanuit. *Petr. Aponensis Comment. ad Probl. 1. Part. 30. Arist. & Schenckius in d. lib. pag. 276.*

CDLXX. *De alio quodam Melancholico.*

VIdi quendam, qui totam mundi superficiem imaginabatur esse ex subtilissimo vitro, & subtus esse serpentes, se in lecto tanquâ in insula, unde si egrederetur, frangeret vitrum, & ideo nolebat ex lecto egredi. *Johan. Bapt. Montan. Cons. 23. & Schenckius in d. libr pag. 276.*

CDLXXI. *De gemellis fratribus.*

APud Fulgosium lib 1 & apud *Eborensem* de miraculis traditur, *Medardum Episcopum Noviodunensem, & Ghildadum Rothomagensem Episcopum* fratres gemellos uno partu, unáque die natos, una die Episcopatum adeptos, una defunctorum, una Sanctis asscriptos. In quorum laudem aliquando hoc carmen conscripsimus, dum febre lecto distinemur, die eorum celebritatis, quæ est 6. Idus Junii:

Una dies peperit, mitras dedit altera, mortem
Altera, & in Sanctos lectus uterque fuit.
Felices fratres, quorum communis origo,
Vita, corona, obitus, gloria, festa dies.
Quin communis erat mens, & cor: dicite sed vos,
Corde uno possint corpora bina regi.

CDLXXII. *De aliis gemellis fratribus.*

PErsimile est, quod contigit, sed infeliciore exitu, duobus aliis fratribus *Lupo* & *Apro*, in quorum sepulcro hæc carmina legimus apud Ravennam in sepul-

sepulcro Theodorici Regis in maris littore templo *S. Mariæ rotundæ*:

Una Joanninæ *domus hos produxit alumnos,*
Libertatis opus contulit una dies.
Naufraga mors rapuit pariter, quos junxerat ortus,
Et duplices luctus mors perimiqua dedit.

Simon Majolus pag. 147.

CDLXXIII. *De Ludovico Rege Gallorum.*

LUdovico Regi Gallorum, ejus nominis duodecimo erant quidam incitatores, postquam Rex factus esset, ut puniret aliquos, qui antea ipsi fuerant inimici, & fuerant suasores, ut in carcerem includeretur, sed respondit *Ludovicus*, injuriam factã *Duci Aurelianensi*, non pertinere ad *Regem*: significãs, multas injurias obliviscendas esse, præsertim mutatis temporibus, & mutata fortuna. *Philippus Melanchthon in Commentar. in officia Ciceronis l. quint.*

CDLXXIV. *De Aristide.*

ARistides à *Callia* locupletissimo cive interrogatus, cur à se nollet oblata accipere: respondit paupertate se, quàm *Calliam* divitiis multis, laudari, æquius esse. Plures enim inveniri, qui divitias suas, turpem ad usum conferant, quàm qui paupertatem generosè ferrent. Desineret igitur paupertatem sibi objicere, quæ, nisi quibus invitis accessisset, indecora non esset. *Georgius Cracovius in Commentariis in librum primum Ciceronis t. quint.*

CDLXXIV. *De Jurisconsulto Neapolitano.*

LIbet hic elegantem jocum recensere, qui de *Jurisconsulto Neapolitano* commemoratur. Is nudatis vertebris, lignea pala graviter se ab ancilla verberari jussit, pœna, ni obtemperâsset, ancillæ proposita, quia oblatam sibi à Cliente pecuniam, quòd argentea esset, repudiaverat, pro qua mutanda, cùm à se cli-

se clientem acerbius objurgatum dimisisset, ille indignè id ferens, statim cum adversario pactus liti cessit, neque ad advocatum rediit. In hoc exemplo præter quam quod magna stultitia est, indigna etiã juris legumque perito, quem justitiæ sacerdotem (ut Jurisconsulti verbis utar) aliarumque virtutum cultorem esse convenit, avaritia eminet, quam præsertim à doctrinæ studiosis alienissimam esse convenit, ἄφθονοι γὰρ μυτῶν θύραι, juxta Græcorum Proverbium. *Idem ibidem.*

Est quidem res sanctissima civilis sapientia, sed quæ precio nummario non sit æstimanda, nec dehonestanda. *Ulpianus in l. 1. §. Proinde ff. de Extraordinar. cognition.*

Ὡς τεθνηξόμενος τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
Ὡς δὲ βιωσόμενος φείδεο σῶν κλεάνων.
Ἔστι δ' ἀνὴρ σοφὸς ὅστις ὅς ἄμφω ταῦτα νοήσας,
Φειδοῖ καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφαρμόσατο.

Id est:

Re fruere, exitio tanquam si proximus esses,
Utere, vita velut sit diuturna tibi.
Ille sapit verè, qui callens hæc duo novit,
Nec nimium largus, nec nimis esse tenax.

Luciani Epigramma.

CDLXXVI. *De Ptolomæo & Alexandro Magno.*

PTolemæus *Rex Alexandrinus*, doctissimos quosque ad se vocatos, salariis donisque prosecutus est. *Alexander Magnus* non unum aut paucos quosdam, sed quasi cohortes eruditissimorum hominum secum duxit. *Cracovius in citato loco.*

CDLXXVII. *De Antonino Pio.*

ANtoninus *Pius* non muneribus solùm ac peculiis literatos ornavit, verùm etiam provinciarum gubernationi præfecit, honoribusq; quam maximis

ximis honestavit. Nostro hoc perturbatissimo seculo rari studiorum Mecœnates sunt, cum magna pars eorum, quibus hæc curæ esse debebant, aliis partim inutilibus, partim exitiosis Reipublicæ negotiis, ἢ πλεονεκτήμασι μᾶλλον occupati sũt *Cracovius ibidem.*

CDLXXVIII. *De Xerxe Duce Medorum*

Xerxes Dux Medorum Græcis bellum indixit. Cui familiarium alius dicebat, Græcos nunciũ belli non expectaturos: sed ad primam adventus sui famam terga versuros. Alius dicebat, Græciam non vinci, sed mole exercitus opprimi. Alius dicebat, timendum esse, ne urbes desertas & vacuas inveniret. Alius dicebat: vix naturam rerum sufficere, angusta esse classibus maria, militibus castra, explicandisq; equestris campestria: vix cœlum patere sagittis. Dum in hunc modum Regem nimia exultatione furentem concitarent, dixit *Damagatus*: Multitudo ista, quæ tibi placet, metuenda est, verum n. est, immodica nũquam posse regi, nec diu durare, quod regi non potest. Nihil tam magnum, quod perire non possit. Acciderunt autem, quæ dixerat *Damagatus*. Ex quo apparet, plus providentiæ inesse senũ cõsultationibus, quàm vanis vulgi assertationibus. De confusa verò devictione dicti Regis narrat *Trogus Pompejus* lib. 3. dicẽs, quod *Xerxes* sepuaginta millia à regno armaverat: & triginta millia de auxiliis, & centum millia navium habuisse dicitur, & flumina siccata ab ejus exercitu, & Græciam totam vix capere ejus exercitum potuisse. Sed ipse primus in fuga, postremus in prælio, in periculis timidꝰ, si metus abesset, inflatus. Immò meritò victus ut dictũ est. Cõsimiliter narrat *Vegetius* lib 3. de ejus confusibili devictione. Unde in ejus exercitu equa peperit leporẽ, quod est fugax animal, Valer. lib. 1. cap. 4. *Patet ergo*

quan-

quantum nocet adulatio in consiliis, et quantum è contra prodest Veritas consilii. Johannes Valensis de regimine vitæ humanæ, pagina (*mihi*) 41. fac. 2.

Consiliarii debent esse veritate præditi, sive veridici, ut in veritate consulant. Ex quibus sunt consiliarii vel consules, sive sit Princeps, sive civitas, vel Respublica: non ad placitum eorum, quibus consulunt, sed secundum rei veritatem, ait Seneca de Benefic. cap. 43. Dic illis: qui volunt audire plenas aures adulationibus: Aliquando vox vera intret. Da consilium utile. Queris, quid felici poterit efficere? Nec felicitati suæ credat. Ut enim legitur in tractatu, qui dicitur, *mortalium dogma* philosophorū: *Falsi amici pro consilio adulationem afferunt.* Unde Juvenalis:

——— *Nihil est, quod credere de se*
——— *Non possit, cùm laudatur diis æqua potestas.*

Valensis d. loco.

Neque aliud existimari convenit Consiliarios Regum, quam eorum animam, mentem, judicium, & proinde Reipublicæ salutem, qui & Principum cupiditates refrenent, & concitatos motus inhibeant, & illos ulterius, quam expedit, se rapientes revocēt, sistantque. Hi si a pace & concordia abhorreant, si dissidiis, si odiis faveant, an non tale erit regimē populorum, quale in corpore, si insaniat mens? *D. Johannes Ludovicus Vives* in præfatione libro de Pacificatione præfixa.

CDLXXIX. De *Metello.*

METellus interrogatus, quid postera die facturus esset, *tunicam*, inquit, *meam, si posset eloqui, cocerem, scilicet, ne arderet.* Idem narrat Val. lib. cap. X. sub aliis verbis. Nam, inquit, si hujus consilii interiorem tunicam conscian esse sensero, continuò eam cremari jubeo. *Valensis de regimine vitæ humanæ pag. 41. fac. 2.*

De

CDLXXX. *De Mauritio Duce & Electore Saxoniæ.*

QUum *Mauritius Dux & Elector Saxoniæ*, bellator fortis, cautus, ac providus, Achilles Germanicus exercitū ab obsidione Magdeburgica avocatū, ad liberandum captivum socerum suum, DOMINUM PHILIPPUM, ejus nominis primum, Principem omni pietatis, justitiæ, & fortitudinis laude superiorem, esset educturus, hæc ipsius vox exaudita dicitur, quâ dixit: Se, si sciret, vesti suæ intimæ & corpori proximæ constare, quò duceretur exercitus, quem eo tempore, consilio suis rationibus accommodato, soluta obsidione Magdeburgensi, juramēto militari subitò sibi adjunxerat & obligaverat, soluturum eam atque abjecturum. D. *Johannes Ferinarius* in oratione funebri habita de vita & obitu *Domini Guilielmi Hassiæ Landgravii.*

CDLXXXI. *Lepida quædam narratio collocutionis inter CHRISTVM Adamique filios, Abelem & Cainum habita.*

FErtur hæc narratio. Longo intervallo post conditionem *Adæ & Evæ*, cùm primi parentes jam haberent familiam, visum est DEO semel prodire, ac se illis patefacere, ut in illa m di solitudine quotidianis conflictantes ærumnis consolaretur. Fortè igitur è fenestra prospiciens *Eva*, vidit venientem Deum conditorem, cum comitatu angelorum. Et quoniam postridie festus dies futurus erat, liberos cœperat lavare, adfuturos patris sacrificio & cōcioni: sed nondū omnes laverat. Verita igitur squalentes ac sordidos producere in conspectum Dei, jussit, ut hi se in fœno, & straminibus occultarent, quæ ad usum pecudum proximè congesta erant. Cæteris comptis mandat, ut stent ordine expectantes Deum in atrio: Cumque fuerit ingressus, & à matre

salutatus, accedant ipsi, porrigant dexteras, paululum flexo poplite, & dicta saltatione, postea taciti suo loco atque ordine consistant. Hæc cum imperâsset, ingreditur Deus in atriũ. Procedit obviã pulcerrima mater, pudorem ac pavorem vultu significans, & venientem reverenter excipit amplexu. Deus comiter eam affatur, ac jubet bono animo esse, se patrem miseris esse, & non defuturum ipsis, quibus & vitam & mentem imaginem divinitatis suæ impertivisset. Postea accedunt pueri ordine, ut jussi erant, porrigunt dextras, salutãt, deinde taciti regrediuntur. Laudat Deus matris diligentiã, quòd non modò ornâsset liberos, sed etiam ad morum elegantiam assuefaceret. Sed hi gestus, inquit, elemẽta sunt disciplinæ. Alia gravior doctrina accedere debet, ut sciant, se præcipuè nasci ad agnitionem Dei, ad propagandam ejus noticiam, ad cõservandam promissionem vobis traditam, ad exercendam obedientiã erga Deum, jubet doceri eos de immortalitate, de pœnis impiorum æternis. Mater respondet, sedulò hæc inculcari ipsis ab utroq; parente, & addit illacrymans: memini miserandi lapsus nostri, & quanta benignitate nos receperis, eóque omni contentione adnitimur, ut soboles nostra sit in officio, ne graviùs te offendamus. Prospicimus, quantæ pœnæ impendeant posteritati nostræ, si te deseruerit. Hæc igitur præcipua nostra cura est, ut te conditorem ipsis mõstremus, & doceamus eos, quæ officia requiras, & quam proposueris nobis spem salutis. Sed ipse velim eos audias, ut, si quid non rectè didicerunt, tua voce emendetur. Jubet igitur stantem *Abelum* primo loco recitare parentum dicta, & jubet clarè ac præsenti animo pronunciare. Puer incipit. Credo unum esse Deum omnipotentem, sapientem, justum, ac bonum, Conditorem totius mundi, qui in hac rerum mole admirandam varietatem operum

pro-

proposuit, certissimum ordinem cœlestium motuũ, temporum vices, leges, ac vires nascentium, ut hæc omnia testarentur, mundum non casu extitisse, sed a aliqua æterna mente conditum esse. Nobis verò hominibus mentem indidit, in qua tãquam imagine lucere divinitatis noticiam voluit: addidit & intellectum, quæ officia requirat, quę improbet, ut ipsi obediamus. Addidit & mandatum parentibus, quo ostenderent, se conditori suo libenter parere, & debere obedientiam. Quod si paruissent, sine peccato, sine morte vixisset genus humanum, & in hac vita fulsisset multò illustrior notitia Dei, arsisset in pectoribus nostris ingens amor Dei, & sine pravis cupiditatibus Deo fuissemus morigeri. Sed odia Dei diabolus, ut deformaret opus divinum, circumvenit nostros parentes, & objectis falsis opinionibus caliginem mentibus eorum offudit, ne cogitarent, quãtum Deo deberent, quantopere requirat Deus, ne à suo verbo discedamus. Ita impulsos perdidit, quia violata lege Deum offenderunt. Quare cùm omnia divinitus condita bona essent, peccatũ non à Deo, sed à diaboli & hominum voluntate ortum est. Hinc mors secuta est, & tyrannis serpentis, qui adversus genus humanum hostiliter grassatur, & omnibus calamitatibus homines opprimit. Sed tamen ut essent in hoc mundo cultores & præcones Dei, noluit Deus prorsus perire genus humanum, ideo admiranda misericordia promisit semen nostræ matri, propter quod velit placatus esse generi humano, nos exaudire & salvare, ac reddere nobis æternam vitam, lucem, sapientiam, & justitiam. Præcipuè verò immanitas odii in serpente inflammabitur, adversus hoc semen, infiget serpens dentes ejus calcaneo, & crudelissimo morsu lacerabit omnes ei addictos. Sed interea caput serpentis ab hoc semine conculcabitur. Vivet enim in hoc semine divina natura, ideóq;

mortem abolebit,& tyrannum ſerpentem in horribiles cruciatus abjiciet. Credo etiam ſacrificia,quę à patre fieri video,ſigna eſſe ſacrificii,quod pro nobis illud ſemen offeret ad placandum Deum. Sic enim Deus nobis ſit propicius, ſi credimus, non propter noſtra ſacrificia,ſed propter illud ſemen nobis ignoſci, nos exaudiri,& ſalvari. Et quāquam in hac mortali vita hærebunt peccatum,mors,& cæteræ calamitates,tamen inchoatur divinitus nova lux & vita,in his,qui hæc credunt, qui quidem placet DEO, propter illud ſemen,ac incipiunt ei obedire : quod veniet etiam,ut judicet mundum, reddat vitam iis, qui ipſi credent, & puniat æternis ſuppliciis Diabolum,& omnes, qui ſemen promiſſum contemnent. Ad hunc cultum credo pręcipuè vocatos eſſe omnes homines,ut hæc admiranda Dei opera & beneficia prædicent,ut Dei ira & miſericordia innoteſcant,ut Deus timeatur & glorificetur,& multi ſalvi fiāt. Nec deterreri homines ullis periculis debent, quo minus hunc cultum præſtent. Erit enim ſemper cœtus aliquis præconum Dei,etſi ſerpens & contemtores Dei immanem ſævitiam adverſus eos exercebunt,uſque ad judicium,in quo immortalis gloria piorum patefiet,qui,etſi erunt imbecilles,tamen in certaminibus ſuis divinitus adjuvabuntur ac ſervabuntur. Hunc igitur Deum conditorem noſtrum, qui pollicetur nobis ſalutem propter promiſſum ſemen,timeo, invoco,adoro,huic me commendo, ab hoc peto, ut mihi propter ſemen promiſſum ſit propitius, gubernet verbo ſuo,defendat me adverſus ſerpentem tyrannum,inſerat mihi ſuam lucem, & pios affectus: ac credo,me verè propter promiſſum ſemen exaudiri ac reſpici. Oro item,ut conſervet & augeat inter nos veram notitiam iræ & miſericordiæ ſuæ ac promiſſi ſeminis,nec ſinat obrui vēros cultus aſtutia ſerpentis,ut regat meos mores, ne ipſum offendam,

& ne

& ne mea exempla cæteris noceant, &, quoniam ipse nobis vitam impertit, & ut alat nos, terram facit fœcundam: Itaque rogo, ut suppeditet corpori victum necessarium, & conservet valetudinem, servet etiam parentes nostros, ne desint nobis doctores & gubernatores, servet & regat meos fratres & sorores, ut piè & feliciter vivant, & ornent gloriam ipsius. Cùm *Abel* finem dicendi fecisset, interrogati cæteri *Seth* & sorores, recensent eadem. Deus igitur non modò studium eorum & pietatem laudat, sed etiam orationis & sententiæ συμφωνίαν & concordiam, ac hortatur eos, ut hanc sententiam constanti pectore amplectentur ac profiteantur, diligenterque de doctrina parentes audiant, nec opinionibus adulterinis contaminari doctrinam cœlestem patiãtur: jubet & in reliqua vita parẽtibus morigeros esse, testaturque hos cultus sibi gratos esse, ac pollicetur, se ipsis opitulaturum esse in omnibus periculis. Deinde matrem alloquens, parentum diligentiam comprobat, jubet accersi cæteros liberos, maximum natu *Cain* & sorores reliquas, objurgat *Evam*, q existimarit, minus cerni occultatos, quàm præsentes. Soror igitur accersit reliquos, prodit & accedit *Cain* ad fratres, stat rigidus, torvitate vultus cõtumaciam animi & ferociam præ se inhumanissimã ferens, hærebant in crinibus stipulæ & fœni gramina, non gestu, non voce salutabat Deum. Interrogatus, ut parentum doctrinam recitet, incipit, & mutilatam ac corruptam κατήχησιν recitat: credo unũ esse Deum, omnipotentem, conditorem totius mũdi, quem colendum esse censeo sacrificiis, propter quæ fœcundat agros nostros. Sed an exaudiat invocantes, an peccata remittat, ambigo; de immortalitate etiã tunc video, cùm ex hac vita discessero. Sẽtio autem bonos mores colendos esse. Hęc cum ille cõtuma-

tumaciter dixisset, objurgat eũ Deus, q̃ oblitus sit promissionis, q̃ fidei doctrinã non teneat, ac jubet redire eum in viam, & integram pietatis doctrinã discere. Deinde, inquit, cum vos parentes humani generis futuri sitis, velim vos posteritati etiam præluce re doctrina, pietate, & virtute. Non minus vos oppugnabit serpens tyrannus, quàm oppugnavit parentes vestros. Sed his, qui meam promissionem conservabunt, opitulabitur adversus parentem *Heros* promissus. Et quoniam regi genus humanum verbo Dei & coerceri disciplina volo, deligam ex vestro cætu idoneos. Tu igitur *Abel* ad me accedito, ut manus imponens capiti tuo te consecrem, tibi meum spiritum impertiam, ut sis sacerdos, eritq; tuum munus, doctrinam divinitus traditam cæteris omnibus proponere, & sacrificia facere divinitus monstrata, eáque rectè interpretari. Nec defugies pericula, quæ propter hunc professionem subeunda erunt. Nam agones tui testabuntur, piorum ærumnas esse cultus mihi gratissimos, & significabunt, quale sit futurum sacrificium promissi seminis. Te verò Seth Regem cæteris præficio, sciésque & tuum munus geminum esse. Primùm doctrinam, quam frater professus est, omnibus viribus tueberis, & impios, qui cõvicia adversus DEUM dicunt, punies ac tolles: punies & cæteros, qui societatem vestram turbabunt. Vobis duobus ventura posteritas obtemperet, & hunc rusticũ *Cain*, qui, ut est inculto corpore, ita mores habet agrestes & feros, servum esse volo, & metu legum & pœnarum coerceri, ne aut religionem contumelia afficiat, aut conturbet societatem vestram. Ita distributis ordinibus *Evam* rursus alloquitur: eique curam liberorum regendorum & erudiendorum committit. Illa lacrymans testatur, se consumi perpetuo dolore & cruciatu, quem afferebat horrẽdi lapsus recordatio. Tandem, inquit, re ipsa comperi,

peri, cœlestes minas non esse irritas, quæ morte nobis irrogarunt. Assiduam enim mortem mecum circumfero. Quoties aspicio liberos, ac præsertim hunc rigidum filium, & prospicio ventura mala, toto corpore perhorresco & exanimor. Veniam igitur gravissimi errati mei iterum peto, & mitigari calamitates oro. DEUS affirmat, se illi ignoscere & quāquam genus humanum exerceri calamitatibus velit, tamen rursus admonet eam promissi seminis. *Hunc Heroa* inquit, non defuturum esse invocantibus ipsum, & iis olim daturum cælestem vitam & gloriam. Hac consolatione cùm nonnihil levasset ejus luctum, discessurus porrigit dexteram pueris, mater abeuntem comitatur, cumque incensa studio sermonum dulcissimorum & amore conditoris, procul jam à domo progressa esset, amplexus eam jubet DEUS ad liberos redire, & pollicetur & ipsi, & marito suam opem, docet etiam hos suos comites *Angelos* custodes esse familiæ, qui gerant perpetuum bellum καὶ ἀσπονδον cum serpente. Quare solitudinem minus molestè ferre jubet, promittit deindè futuram majorem familiaritatem Angelis cum tota familia, ut tædium solitudinis minuant. Hæc cùm dixisset, nube tectus in cœlum rediit. *Philippus Melanchthon in Epistola ad Nobilem & generosum Comitem Johannem à Weda, Francofurti* Anno 1539. excusa.

CDLXXXII. *De quodam plagioso & semi insano Præceptore.*

NUnquam eram crediturus, nisi & puerum & crudelitatis autorem de proximo nossem. Puerum annos vix dum duodecim natum, cujus honestissimi parentes fuerant de præceptore bene meriti, tam immanibus modis tractarunt, ut vix Mezentius aut Phalaris ullus posset crudeliùs. Stercoris humani tātam vim impegerunt in os parvuli, ut exspuere

non posset, sed bonam partem devorare cogeretur. Quis tyrannus unquam adhibuit hoc contumeliæ genus? παρὰ μένῳ ὀπίσω habet Græcum proverbium. Post tales epulas exercetur imperium. Puer nudus funibus sub alas immissis suspenditur, ut infame furti supplicium representaret, quo non aliud apud Germanos execrabilius. Mox in pensibilem sævitur undique virgis, propemodum usque ad necem. Nam quò magis inficiabatur puer, quod non commiserat, hoc magis intendebatur carnificina. Adde jam ipsum tortorem pene supplicio formidabiliorem. Oculi viperini, os angustum & corrugatum, vox acuta, qualis fertur umbrarum, facies lurida, caput vertiginosum, minæ & convicia, quæ illi suggerebat splendida bilis, Tisiphonem quempiam diceres. Quid consequutum est? Mox puerum à suppliciis excipit morbus, magno & mentis & vitæ periculo. Ibi carnifex ultro occupat expostulationem, scribit patri, ut quāprimùm abducat filium suum, se medicinam omnem consumsisse frustra in deploratum puerū. Ubi corporis morbus utcūq; remediis depulsus est, tamē animus adhuc sic erat attonitus, ut metueremus, ne nunquam ad pristinum mentis vigorem rediturus esset. Neque hæc fuit unius diei sævitia, quàm diu vixit apud illum puellus, nullus præteribat dies, quo non semel atque iterum crudeliter vapularet. Scio, jamdudum suspicare lector, enorme fuisse commissum, cui tam atrox adhibita est medicina. Dicam paucis. Reperti sunt & illius qui cæsus est, & aliorum duorum libri atramento conspurcati, vestes conscissæ, & caligæ excrementis humanis contaminatæ. Is, qui lusum hūc ludebat, puer erat, ad omne scelus natus, qui post aliis facinoribus fidē fecit priorum, insani Doctoris ex sorore nepos: jam tum præludens

ad ea, quæ facere solent in bello aut latrocinio milites, apud hospitem quendam educto è vase embolo passus est vinum in solum defluere, ac, velut officiosus, admonuit se sentire vini odorem: cum altero sodali puero quotidiè gladio decertabat, non joco, sed seriò, ut jam agnoscerès latronem aut sicarium, aut, quod his simillimum est, mercenarium militem futurum. Huic tametsi faveret ille formator, tamen metuens, ne se mutuò confoderent pueri, cognatum ablegavit. Nam ex altero luculentam capiebat mercedem, erat autem ex illorum numero, quibus nihil dulcius est pecunia. Persuasum erat optimo viro parenti, puerum agere apud præceptorem sanctum, amicum, ac vigilantem, cùm viveret apud fucatum carnificem, ac homini semi insano perpetuoque ægrotanti ministrum & assessorem ageret. Quum igitur æquior esset in eum, qui sanguine propinquus erat, atque item in alterum, unde luculenta messis, in innoxium inclinavit suspicio, cui tantum tribuebatur malitiæ, ut suas ipsius vestes laceraret conspurcaretque, quò vitaret suspicionem. Atqui puer ex utroque parente optimo natus, nullum unquam tam illiberabilis ingenii specimen dederat, & hodie nihil est illius moribus ab omni malitia alienius, qui nunc omni metu liber rem omnem, ut gesta est, narrat ordine. Talibus Pædagogis honesti cives tradunt filios suos, quibus nihil habent chariùs, tales quæruntur, non reponi sibi mercedem opera dignam. Neque senserat carnifex errorem suum, sed maluit constanter insanire, quam culpam agnoscere. *Erasmus in Libello de pueris statim ac liberaliter instituendis, pag. 33.*

Cædi verò discipulos, quanquam illud receptum sit, & Chrysippus non improbet, minimè velim, primùm quia deforme ac servile est, & certè, quod convenit, si ætatem mutes, injuria: deinde quod, si cui

mens est tam illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quæque mancipia, durabitur. Postremò, quod ne opus quidem erit hac castigatione, si assiduus studiorum exactor astiterit. Nunc ferè negligentia pędagogorum sic emendari videntur, ut pueri non facere, quæ recta sunt, cogantur, sed cùm non fecerint, puniantur. Denique cùm parvulum verberibus coëgeris, quid juveni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, & majora discenda sunt? Adde, quòd multa vapulantibus dictu deformia, & mox verecundiæ futura, sæpe dolore vel metu accidunt, qui pudor refringit animum & abjicit, atque ipsius lucis fugam & tædium dictat. OTHO BRUNFELSIUS *in Cateches.* pueror. tom. prim. pag. 11.

Omnino danda erit opera, ne pueri propter literarum disciplinam graviter & acriter verberentur. Habet enim ea res servile quiddam, & generosus sæpenumero animus ita indignatur, ut plagarum causa jam tum literas oderit, cùm nec dum gustare cœperit. Adde, quòd metu verberum declamationes eis propositas, non ingenio proprio componunt, sed ab aliis occultè compositas afferunt, quod capitale & & pernicioſissimum est. Nam utrumq; vehementer fallit, & præceptorem, qui spem falsam præsumit, & discipulum: qui id non intelligit, quod à se factum mentitur. Honestius igitur & utilius erit vel blanditiis agere, vel interdum solo verborum terrore, ita ut plagæ statim subsecuturæ videantur. Nam, si seturus fuerit, maximam negligentiæ fenestram licentia illa præbebit. Si verò paulò adulti fuerint, ut honoris cupiditate excitari possint, admonendi erunt, quando dedecori id futurum sit, si operam luserint, si reliquis ignaviores tardioresque apparuerint. Et ut magis eos nescire, quàm discere pudeat, placet etiam, ut pueris ipsis aliquis ad disciplinam socius

adjun-

adjungatur, cujus æmulatione quibusdam quasi igniculis accendantur. Est enim nobilibus animis quædam insita generosa invidia, ut in eodem studii genere versantibus postponi, & quasi heberiores relinqui erubescant. Ex quo sequitur, ut certatim æmulantes, alter alterum reddat alacriorem. *Baptistæ Guarini judicium* de Pueris instituendis.

Sunt, qui suapte sponte, quæ optima sunt, faciant, in quos si quis verberibus animadvertere vellet, non minus stulte ageret, atque auriga, qui equos citra calcaria ultro præcurrentes, calcaribus ad cursum incitare velit. Sunt, qui suapte quidem sponte cessatores sunt egregii: Cæterùm si a præceptoribus verbis admoneantur, pudore suffusi, quoquo volumus, statim se inclinant, & hos verbis magis corrigendos, quam verberibus ad honestatis studia impellendos existimo. Sunt verò juvenes adeo frontis perfrictæ, ut nec pudore nativo, nec à præceptoribus objurgati id, quod suarum partium est, præstent. Sunt adeo duri, ut nullis verbis molliri queant: quos si quis liberalitate & pudore in officio continere velit, nihilo plus agat, quàm si Agazo asinum ad clitellas ferendas exstimulare conetur. In hoc ergo adolescentum genus virgis animadvertendum est, & faciendum periculum, an metu tandem coacti officium suum facere velint: quod, si actum esse videbitur, rus, ut inquit *Fabius*, ablegandi sunt. CHRISTOPHORUS HEGENDORPHINUS *in præfat. Parenæsibus de instituenda vita & moribus corrigendis juventutis, præfixa.*

Sumat Præceptor ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi tradantur, existimet. Ipse nec habeat vitia nec ferat. Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono

ferm-

sermo sit. Nam quò sæpius monuerit, hoc rariùs castigabit. Minimè iracundus, nec tamen eorum, quæ emendanda erunt, dissimulator. *Quintilianus libr. 2. Institut. Oratoriar. cap. 2.*

Facundissimum Præceptorem requirimus, & quod magis exigitur, acuto ingenio, judicio integro & sano, versatum in omni genere disciplinarum atque eruditionis, quique vitiorum animadversor sit subtilis & acer: quod Ciceroni vehementer præfuisse testatur ipse idem in Bruto, quum ait, se *Moloni Rhodio* operam dedisse homini in notandis animadvertendisque vitiis, & in instituendo docendoque, prudentissimo. Nihil est scilicet perinde difficile, ut orationis lapsus & flagitia animadvertere primùm, hinc velut indicare digito, tum exprimere, postremò corrigere. *Johannes Ludovicus Vives de tradendis disciplinis, lib. 4. pag. 324.*

In monendis & castigandis adolescentibus negligentia & remissio abesse severitas absque crudelitate: vituperatio absque maledicto debet adhiberi. *Johannes Sturmius lib. 3. classicar. Epistolar. pag. 53.* Plura vide apud Bullinger. *de Episcopor. Instit. & funct. lib. 2. pag. 154.* & Marcellum Palingen. *in Zodiac. Vit. lib. 9.* & Juvenal. *in 14. Satyra.*

Levis duntaxat castigatio concessa est docenti. Ulpian. *in l. 5. §. 3 ff. ad l. Aquil.* & Præceptoris nimia sævitia culpæ adsignatur, Paul. *in L. 6. ff. eod.*

CDLXXXIII. *De alioquo invito ad Juris studium abrepto.*

DOmesticè novi quendam Græcè Latinèq; perpulcrè doctum, & omnibus liberalibus disciplinis eleganter instructum, quem *Archiepiscopus*, cujus benignitate alebatur, huc literis adegerat, ut inciperet audire Juris professores, reclamante natura. Hanc querimoniam cùm apud me exponeret, nam idem nos habebat lectus, hortatus sum hominem, ut

suo

ſuo patrono morem gereret, fore levius, quod initio durum eſſet, ac ſaltem aliquam temporis partem ei ſtudio daret. Quum ille protuliſſet aliquot loca prodigioſæ inſcitiæ, quæ tamen illi ſemidei Profeſſ. magna cùm authoritate traderent auditoribus. Reſpondi, ut illa contemneret, &, quæ rectè traderent, decerperet: quumque multis argumentis urgerem hominem: Sic, inquit, ſum affectus, ut, quoties ad hæc ſtudia me verto, videatur enſis perfodere pectus meum. Sic natos non arbitror adverſus Minervam compellendos, ne, quod dici ſolet, bovem ducamus ad ceroma, aſinum ad lyram. *Eraſmus de pueris ſtatim ac liberaliter inſtituendis, pag. 21.*

Requiro hominem ingenioſum, id eſt, ejuſmodi, cui naturalis quædam inſit ad Jura diſcenda inclinatio atq; propenſio. Nam ſi uſpiam, hîc certè veriſſimè dicitur:

Tu nihil invita dices faciésve Minerva.

Hæc verò propenſio & inclinatio cùm non ſit omnium eadem, & verò interdum etiam deficiat, interdum augeatur, pro ut Deo viſum fuerit, mirum non eſt, ſi, ut in aliis, ita in hac etiam ſcientia alii aliis cognitione præſtent, & eruditiores majoresq; Juriſconſulti, addo etiam, feliciores evadant. *Hermannus Vultejus Juriſconſultus præſtantiſſimus in Prolegomenis de ſtudio juris.*

CDLXXXIV. *De Atarnete adoleſcente.*

ADoleſcens quidam *Atarnetes Pittaci* conſuluit, utra ſibi è duabus ducenda eſſet uxor. Nam duæ offerebantur: altera par opibus ac genere: altera utroque ſuperior. At ille ſublato ſcipione, quo nitebatur, admonuit, uti pergeret ad trivia civitatis, quò pueri luſus cauſa conveniunt, eos conſuleret, &, quod illi dediſſent conſilii, id ſequeretur. Pueri ex proverbiali cantione reſponderunt, *æqualem uxorem eſſe ducendam.* Itaque adoleſcens, altera præterita,

ita, duxit æqualem. Idem *Dioni* suadet *Callimachus*. Hæc autem sententia hoc impensiùs placuit *Pittaco*, quòd ipse nobiliorem se duxerat, *Draconis* sororem, cujus imperium fastidiaq; molestissimè legitur tulisse: ut hoc dictum non in tempore, sed suo malo videatur reperisse. Extat autem *Epigramma*, tametsi illic ἰὼν non Δίων, legitur, mendosè opinor: id est, hujusmodi:

Ξεῖνος ἀταρνείτης τις ἀνείρετο Πιτθακὸν ὅτῳ,
Τὸν μιτυληναῖον παῖδα τὸν ὑῤῥαδίου.
Ἄτλα γέρον, Δοιός με καλεῖ γάμος, ἡ μία μὲν δὴ,
Νύμφη, κῆ πλούτῳ κῆ γυναικὶ κατ' ἐμέ.
Ἡ δ' ἑτέρη, πεπόβηκε. τὶ λῷον; εἰ δ' ἄγε μοὶ σὺ
Βούλευσον ποτέρην εἰς ὑμέναιον ἄγω.
Εἶπεν, ὁ δὲ σκιπίονα, γεγυπικὸν ὅπλον ἀείρας
Ἠνὶ δὲ κεῖνοί σοι πᾶν ἐρέουσιν ἔπος.
Οἱ δ' ἄει ὑπὸ πλαγῇσι δοὰς βεμβικας ἔχοντες
Ἕσπερον ἐυρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ
Κώνων ἔρχεό φησι μετ' ἴχνια. χ' ὡ μὲν ἐπέσση
Πλησίον, οἱ δ' ἔλεγον, πλὼ κατὰ σαυλὸν ἔλα.
Ταῦτ, ἀΐων ὁ ξεῖνος ἐφείσατο μείζονος οἴκου
Δράξεσθ, παίδων κλήδονι συνθέμενος.
Πλὼ δ' ὀλίγῳ ὡς κεῖνος ἐς οἶκον ἐπήγετο νύμφῃ
Οὕτω κῆ σὺ Δίων πλὼ κατὰ σαυλὸν ἔλα.

Quos versus, quoniam *Ambrosius Camaldulensis Diogenis* interpres, non omnino infeliciter Latinos fecit, haud gravabor adscribere:

Hospes Atarnites *rogitavit* Pittacon *olim*,
Sic Mitylenæon, Hyrrhadioq; *satum*,
Magne senex, gemina capiunt mihi nubere, quarum
Et genere atq; opibus convenit una mihi:
Altera præcellit, quid præstat, consule, dicq;
Utra ex his potiùs sit capienda mihi?

Sic

Hic baculum tollens, sic, tela senilia, dixit,
Consilium pueri, quod petis, expedient.
Quis celer in gyrum jactatus verbere turbo
Assiduo, latis vertitur in trivis.
I, sequere illorum monitus. Sic fatur, at ille
Scitatur, referunt, tu tibi sume parem.
Quæ postquam audivit, monitis puerilibus hæres,
A magnis hospes abstinuit thalamis.
Atq; parem parvas latus traduxit in ædes,
Sic Dion æqualem, si sapis, ipse cape.

Erasm. Chiliad. 1. Cent. 8. in Proverb. Æqualem tibi uxorem quære.

Uxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis, uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit PRISCE *Marito,*
Non aliter fiunt fœmina virq; pares.

Mart. lib. 8. Epig.

CDLXXXV. *De novem Mulierum pellibus* Jocus.

Sexum fœmineum fuge.

Pelles fœmineum corpus habet novem. 1.
Piscis prima cutem refert Salpæ
Ejus, qui rigido stipite tunditur.
Hic quassus veluti silet,
Sic primùm mulier cæsa molestiam
Tristem devorat ictuum,
Nec rumpit querelæ voce silentium. 2.
Ursi dicitur altera, Ursi.
Quæ pulsata diu multa remurmurat. 3.
Huic vicinior anseris est Anseris
Est, quàm si tua pugnis rabies ferit,
Confusis blaterat sonis,
Obtunditq; tibi aures mulierculæ. 4.
Si pellem similem canis
Dextra contigeris, latrat iniquius,

Si

Sin hanc qua tegitur lepus, 5.
Plantas consulit, & pestiferam luem Leporis:
Optat visceribus tuis.
Audax insequeris vir, eorum manus 6.
Et dura violas equi. Equi.
Retrò calcitrat, & verberat aëra,
Téq; ipsum, nisi cesseris,
Adverso cubitu calceq; percutit.
Pulsas ulterius cutem 7.
Felis, viribus os involat in tuum Felis.
Totis, & miserabilem
Vultum sanguineis sauciat unguibus.
Sin quas suppeditat tibi 8.
Flagrans ira, suillam trabibus quatis Suis.
Pellem, grunnit, ut illius
Vel saxum videatur miserescere.
Tu saxo quoq; durior
Pergas verberibus sæva virilior
Sævis addere verbera: 9.
Humanam invenies, ne dubita, cutem. Hominis.
Tunc tunc res erit in vado
Omnis, victor ovans tunc vocitaberis.
Nam circum tua brachiis
Nexis colla, novas blanditias dabis
Conjunx, & veniam petet:
Carnis cara tuæ, me sociam chori
Mi vir desine viscera
Ultrici gravius plectere dextera.
Peccavi fateor, meam
Mentem (proh) juvenilem & facilem sequi.
His instruxit anilibus
Nuper consiliis, nequicium docet
Quæ nuptias, vetula improba.
Ut contraria semper tibi viverem,
Et vesana facesserem.
Omni continuo lite negocium.

Nos

Nec ſolum fateor ſcelus,
Verùm me ſceleris pœnitet & pudet.
Poſthac polliceor fidem
Conſtantem patiens & faciam omnia,
Quæ tu, lux mea, poſtulas,
Et quæ connubialis pietas jubet.
Nunquam Dæmonis aſſecla
Seducat ſtygiis me monitis anus.
Te ſolum dominum colam,
Te ſolum monitorem cupidè audiam,
Hanc cauſam modò Curiæ
Non ad judicium, ſed Cameræ precor
Defer: namq; opus eſt ibi
Ingenti, rabulæ teſte, pecuniæ,
Longo & tempore: protinus
Hîc lites dirimuntur ſine ſumtibus.

Sebaſtianus Schefferus, lib. 2. Carminum, pag. 193.

CDLXXXVI. *De ſeptem Mulierum proprietatibus.*

Jocus.

IN ædibus ſacris morantes fœminæ
Sunt ipſa prorſus Sanctitas.
Has alloquuntur ora ſi virilia,
Meri videntur Angeli.
In propriis inter domeſticos focis
Æquant furore Dæmonas.
Ea, feneſtris in, fatigatis pares
Seſe probant bufonibus.
Picas loquacitate vincunt garrulas,
Has portâ quando congregat.
In hortulis virentibus Capræ, *in thoro*
Sunt fœtor: *Ecce* fœminas.

Schefferus lib. 2. Carmin. pag. 197.

CDLXXXVII. Uxor tribus modis ducitur.

NOn tibi ducatur digitis, *non uxor* ocellis,
Auribus *eſt thalami conciliandus amor.*

Si manibus: *dotem spectas, & herilia vendis*
Jura, suo locuples imperat Anna viro.
Ejus ut inverti solet inviolabile nomen.
Sic vertit leges irreprehensa thori.
Sin oculis: *formam laudas, nec sponda carebit*
Insidiis. rarò pulcra pudica manet.
Ast ubi consortem legis auribus: *apta probatur*
Morum mollities, aspera nemo cupit.
Idem lib. 3 Epigram. pag. 128.

CDLXXXVIII. *De viro uxorem verberibus multante* Jocus.

VErberat ob facinus cùm vir muliebre maritam,
Ipsa, volens feci non ego, semper ait.
Ergo dat huic alter responsa simillima, tergo
Hæc etiam nolens verbera dura feras.
Idem pag. 130.

CDLXXXIX. *Thorus tranquillus.*

ALtera *luminibus quando caret, auribus* alter,
Improba conjugium tale querela fugit.
Idem lib 3. Epigram. pag. 136.

CDCX. *In puellam* Jocus.

QUando *subit vestram Valerius domum*
Tactus sacro Cupidine.
Habere te puellæ jactas plurimos,
O credo: navos, non procos.
Idem lib. 1. Carm. pag. 192.

CDXCI. *De duobus captivis, quorum alter insons per errorem supplicio affectus est.*

ERant circiter annum Domini 1571. duo iisdem carceribus inclusi, utriq; idem erat nomen, erat alter verè innocens, rerumque quæ illi objicerentur, culpa vacuus, at alterius culpa jam evidens: quamobrem judices moti in eum tulere sententiam, ut supplicium subiret. Lictores adeuntes carcerem, du-

ruti hominem ad supplicium evocant, egrediq; jubent. Conscius ipse jam extremum sibi vitæ articulum advenisse, lictoribus vocantibus, non est egressus: alter, cui idem quoque nomen esset, nil sibi metuens egrediens, præsto est, nam se vocatum putabat, ut judici sisteret, mox à lictoribus collo funis illi imponitur, duciturque ad supplicium, nec apparuit error, donec, cùm de secundo judicio ageretur alterius scilicet, qui ex actis nondum supplicio dignus censebatur, quem subiisse per errorem supplicium ignorabant, derecta è carceribus hominum permutatio est. Hæc nobis Romæ degentibus accidisse meminimus, & utrumque supplicio affectum accepimus. *Simon Majolus in diebus Caniculatibus, pag. 157*

CDXCII. *De capitali instituto judicio mirabiliter dissoluto.*

GRegorio XII. Pontifice erat institutum judicium de rebus fidei adversus *Johannem Caserum Magistrum totius Rhodiensium ordinis*. Judices delegati actuariique, ac testes jam acta peregerant in *Melite* insula. Erat accusationis Princeps *Romagasius eques*: evocati sunt omnes *ad Gregorium* Romam anno Domini 1591. Nobis igitur spectantibus *Romam* venêre accusator, & reus Novembri mense. Mirum accidit. Decembri proximo obiit *Romagasius* accusatoris officium gerens, obiit propediem accusatus *Magister*, eodemque templo Trinitatis sepulturæ uterque traditus est. Dum è *Melite* delegati Judices actuariique cum actis ac testibus navigio vehérentur eodem mense, naufragio omnes ii perierunt, atque ipsa quoque acta, atque ita nulla tanti judicii instituti portio salva facta est. Adeo omnia perpetuæ oblivioni tradenda Deus constituerat, ut ejus judicii nullum unquam vestigium appareret. *Majolus pag. 156.*

CDXCIII. *De Pecchio Cisalpino, qui novendecim annos in vinculis detentus, posteaque mirabiliter, salvus adhuc & incolumis, liberatus est.*

PEcchius *Cisalpinus* fuit vir equidem industrius & imperterritus. Hic cùm aliquando in odium incidisset cuidam viro illustri, multorumque oppidorum domino, itinerans vi armata ab illo captus est, clamque est in saccum conjectus, & in ima parte domus occlusus in arce quadam firmissima, etiam insciis aliis familiaribus, præter unum fidum necessarium, servatus est, ut diutius in cruciatu *Pecchius* viveret, arcis dominus jusserat quotidiè panis frustrum & aquę paululum dari, velut reo ad perpetuos carceres damnato, nemo tamen hominum, quis ille esset inclusus, noverat. Interim dum per urbem, oppida, vicosq; *Pecchius* quęritur, eo non invento, Magistratus, ubi suam vitã degebat, occisum censuerunt: inventus enim fuerat mulus ejus, quem equitabat, sanguine aliquatenus aspersus: actum est judicio publico, ut occisor quæreretur: inventi sunt duo quibus cum aliquando fuerat rixatus. Hoc indicio comprehensi ac torti occidisse hominem fassi sunt, alteri quidem suspendii, alteri abscissionis capitis supplicium collatum est. Cum tamen ille interim, qui occisus putabatur viveret inclusus in eo, quem diximus, teterrimo carcere. Absumsit is miserè annos decem & novem in eo vitæ genere, pane & aqua perexiguè alitus, nunquam vestem aut exuens, aut mutans, semper tamen (ut ipse nobis suis verbis narravit) DEI memor, spe semper constans, futurum aliquando, ut inde eriperetur. Filii interim velut patri mortuo justa fecerant, hæreditatem quoq; aditam & administrarant, & alienarant. Exacto igitur decimo nono anno (nam CHRISTI anno 1540. inclusus fuerat) quinquagesimo nono inventus est in hunc modum. Jam is ar-

is arcis dominus, qui incluſerat, diem ſuum obierat, panis & aqua tamen velut reo damnato adhuc dabatur: nunquam tamen aut videri ab aliquo, aut ſibi alloqui quiſpiam inventus eſt omni hoc tempore. Tandem igitur, cùm de exſtruendo loco ageretur, atq; murus, quo undique ille cinctus erat, nulla prorſus janua, ſed parva tantum ſpecula, qua perpaulum luminis irradiaret, permiſſa fuiſſet, deſtrueretur, apparuit homo lacera prorſus veſte, barba ad uſque genua, capillis ultra humeros protenſis. Admirantibus, qui aderant, in vulgus mox res inventa tranſiit, accurrere omnes velut ad ſylveſtrem hirſutumque hominem: Periti, qui advenerant, conſulere, ne mox ſub dio homo traduceretur, ne aut cæcus ob nimium ambientem inſuetum aërem fieret, aut etiam vitę rigor, qui ſupererat, nimio aëre obrueretur. Hac cautione uſi aliquot dies hominem ſervarunt incolumem: quis fuerit, quísve ſit prodit, quod vitæ genus peregerit. Tandem conſpectus agnoſcitur, ac velut homo reſurgens Principis judicio bona à filiis alienata recuperat, dum vivit, fruiturus. Mirum cùm podagra laboraret immiſſus in carcerem, reliquo omni tempore incolumi corpore fuit, etiam poſtquam eo periculo exemtus fuit. Cum eo etenim collocuti ſumus, hæcq; ex illius ore didicimus, cùm Mediolani repertum hominem rogaremus, ut hæc nobis enarraret. Erat tum annus 1566. Novembris menſis. *Majolus pag.* 159.

VID. *De Carolo V. Imperatore.*

TRadunt hiſtorici, Carolo V. Imperatori vigeſimam quartam diem Februarii fuiſſe eventibus omnibus memorabilem, quod illa ſit natus, illa Gallorum Regem devicerit, captivumq; fecerit apud Ticinum Inſubriæ urbem, illa quoque Auguſtale diadema de manu pontificis Romani *Bononiæ* ſuſceperit. *Majolus pag.* 162.

CCCCXCV. De Principe quodam Saxonia & scurra quodam, quem vocamus den Vlenspiegel.

OLim scurra fuit nostris notissimus oris,
Saxoniam gelidus qua rigat Albis humum,
Noctua Cecropiæ dederat cui sacra Minervæ
Et speculum falsis nomen imaginibus.
Hic lepidis tristes salibus depellere curas
Stultitiæ & populum fallere doctus erat.
Ludicra videnti præbens spectacula turbæ
Carus ob hæc plebi principibusq; viris.
Fortè sed infelix Regum depulsus ab aulis,
Horrida quo primum tempore bruma riget.
Instructus tenui tunica, tritáq; lacerna,
Ille peregrinas cœpit inire vias.
Ut solet æstivo sudans sub sole Viator,
Cùm rapidos fervens Syrius urit agros.
Vixq; tenebat iter medium, cursuq; citato
Se putat hybernum vincere posse gelu.
Cùm subito latos impleri milite campos
Et videt armatis omnia plena viris.
Substitit haud timidus, nec enim, quod perdere posset,
Aut quod prædator carpere vellet, erat.
Atq; ita securus pompæ spectator equestris
Dum stat, & admotas calficit ore manus.
Ecce ibi Saxonicus pulveris formosus in armis
Ferrata Princeps calce fatigat equum.
Et volat in primo laxatis ordine frenis
Arma tegens fulvi pelle coruscia lupi.
Qui simul ac illum glacie nivibusq; rigentem
Conspexit Princeps non procul inde virum
Adproperat, rarè trepidus sed imagine formæ
Horruit, & spumans frena momordit equus.
Dura viro longo pendebat stiria naso
Barbaq; riphæa conspicienda nive,

At proprior factus princeps, miseratus acerbam
Fortunam, & miseri talia fata viri.
Cur, ait, hic tristi macie confectus oberras,
Omnia nunc postquam deriguere gelu?
An nihil omnino didicisti, frigus adurens
Pellere quo posses pauperiemq; tuam?
Quin agedum solerti alicui consuesce labori,
Est tibi quærendus victus ab arte tua.
Me miserum contra nudato vertice pronus
Ille refert, quondam sors mea quanta fuit!
Dilecta dulces natas cum matre fovebam,
Dives erat studiis & domus ampla meis.
Magna satis fuerat, sed honesto parta labore
Res mihi, nec paucas ars mea sensit opes.
Nec tamen hæc auxi positis in fœnore nummis,
Advexit merces nulla carina mihi,
Sedula, quidquid erat manus hoc curaq; parabant,
In pretio meruit dum meus esse labor.
Vitrea sub tenui claudebam lumina cornu,
Summa quidem quæstus ars fuit ista met.
Usus & illorum longe latéq; patebat,
Cæruleum latum qua mare claudit humum.
Quum sacros Psalmos Vestalis virgo canebat,
Arte mea cantans non semel usa fuit.
Sumebátq; Senex ocularia nostra sacerdos,
Quum fastos legeret Cisiojane tuos.
Sed quid multa moror? quoq; tunc cum jura ferebant,
Arte ipsi Reges indiguere mea.
Tantus erat quondam speculis ocularibus usus,
Nec minimus nobis inde redibat honos.
Donec quisq; suos, veluti Germanica vulgo
Lingua sonat, didicit cernere per digitos.
Connivere etiam nunc est in Principe virtus,
Virtus heu damnis ista reperta meis.
Ars periit, postquam digiti cœpere videre,
Et tenuis superest spes mihi nulla lucri.

Sic ait, hyberna sed tempestate coactus
Ipse suum Princeps scurraq; pergit iter.

Georgius Sabinus ad Regem in prior. editio. Epigramm. Phil.

CDXCVI. *De Superattendente quodam Vulturio Thuringo.*

PAstor quidam Vicanus Superattendentem subinde suum muneribus non tam ornabat, quàm onerabat, sperans ita quidem futurum, ut ipsum sibi demereretur totum, atque obstringeret Quod enim neque eruditione, neq; virtute, neq; industria deniq; ulla adipisci se posse noverat, id quidem largitionibus consequi atque donis, animum inducebat suum. Proinde illi & ova, & caseos, & butyrum, & mella, & gallinas, & pullos gallinaceos,, & capos, & anseres, & anates non solùm domesticas, verùm etiam sylvestres, & columbas, & omnis generis oves, & cujusquemodi pisces, carnes partim bubulas, partim vervecinas, & partim suillas, partim vitulinas, & lepores, & agnos, & alvearia, & linum denique identidem affatimq; mittebat. Hunc Superattendens aliquando inter scyphus absentem, munusculis ipsius haud dubiè captus atque delinitus, ad alios quosdam mystas suos mirificè commendabat, inter aliaq; dicebat: Nę sunt Domino Johanni NN. quantumvis juveni, adhuc egregia ac præclara dona. **Es hat der gut Er Johan warlich herrliche herrliche gaben / ob er schon noch etwas jung ist.** Quòd verò pastores hosce minimè fugeret, presbyterum illum, quem præsul iste summis in cœlum laudibus efferebat, vel asino esse indoctiorem, digressi ab illo, sermonem de eo bene longum inter sese habebant, ita quidem, ut unus ipsorum diceret: Miror equidem quo ore, qua fronte Dominus Superattendens noster audeat Dominum Johannem istiusmodi laudibus afficere, cùm tamen lippis atq; tonsoribus notum sit, ipsum ne Æsopum quidem

quidem triviſſe. Hunc alter ſuperattendenti mirũ in modum addictus, vel hujus potius mancipiũ molli objurgans brachio inquit: Tuné igitur Epiſcopũ noſtrum mendacii inſimulas? Cave per fortunas, id-ipſum faxis. Quæ ille quidem hercle loquitur, ea perinde accipere nos oportet, quaſi ex oraculo Apollinis Pythii edita nobis ſint. Quid quæris? Nihil poteſt eſſe verius. Reſpondet ille, utcunque res habeat, norunt profectò omnes non modò homines, ſed & pecudes, eſſe Johannem iſtum hominem illiteratum, rudem, inſulſum, fungum, atque adeo ad docendum alios minimè accommodatum. His auditis tertius ſeſe veluti arbitrum quendam ac diſceptatorem interponens, inquit: Faceſſant hæc inter vos jurgia, fratres, neutri quippe veſtrũ explicatum eſt, de quibus Dn. Johan. donis *Dominus Superattendens* tam magnificè in præſentia prædicaverit, ad ravimque usque verba fecerit. Etenim cùm à dotibus animi propè nullis inſtructus ſit *Johannes*, ſed hebes ſit æquè ac pecus, venit mihi in mentem ſuſpicari, ea ipſum tenebrionis iſtius celebrâſſe dona, quibus quidem ille popinam ipſius largè liberalitérque quotidie conſuevit. Quibus quidem verbis litẽ iſtam controverſiamq; dirimebat, quæ in verbera alioqui deſitura videbatur. Iſtiusmodi porrò munuſcula *D. Lucas Majus Eccleſiæ Caſſell.* antiſtes olim & digniſſimus & vigilantiſſimus amicus benedictæ memoriæ noſter **Hellenbrâtlein**/id eſt, aſſaturas infernales appellabat, quòd ille quidem ſanè accipiẽtibus ſine judicio & modo in Stygia aliquando palude orcíve culo digerendæ eſſent atque concoquẽdæ. *Ex relatione Domini Magiſtri Lucæ Maii.*

Quis non mirabitur aut ſtupebit, divinarum ſcripturarũ ignavos, juniores, morum conveniente gravitate carentes, inexpertes, indiſciplinatos, & quandóq; notoriè criminoſos, ad majores Eccleſiæ thro-

nos

nos esse præfectos Simoniaca pravitate, vel prece potentum, non dico quandoque terrore, obsequio, vel sanguinis affinitate, repulsis aut neglectis scripturæ sacræ doctoribus viris honestate probatis? *Marsilius Batavinus in Defensorio pacis in Diction. 1. cap. 24.*

Homines, qui se muneribus corrumpi patiuntur, ligonem non amplius ligonem vocant, nec scapham scapham. Etsi verò non repente, tamen paulatim mali fiunt: arbor non cadit uno ictu. Roma, dicunt nostri proverbio, non uno die est condita. Gentiles etiam intellexerunt, quanta munerum vis sit. *Phocion*, cùm *Alexander* ei multa dona per suos legatos misisset, eos interrogavit, cur sibi soli ex tanto Atheniensium numero ea mitteret: illi respondêrũt, quia solum ipsum honestum & egregium virum judicarent: Me, igitur, dixit, talem porrò esse sinant. Quid munera efficiant, etiam quotidiana experientia docet. Finge, Judicem esse, qui jus dicat ex legibus, patriam, religionem, & vitę honestatem colat, quàm primùm ardens avaritiâ muneribus se corrumpi patitur, sententiam feret ex affectu, patriæ libertatem prodet, religionem & honestatem amplius non curabit, breviter omnia habebit venalia. Multi ex doctis veritatem agnoscunt, sed propter munera, more *Beliami*, eam non profitentur, malunt omnia habere venalia. Nec pauci, qui veritatem professi sunt, corrupti muneribus, ab ea resiliunt. Plurimi non illa, qua debebant, παῤῥησίᾳ docent, quò ad altiora possint ascendere. Uxores, virgines, si accipiant munera, statim pudoris oblivisc untur. Quot propter munera innocentem fundunt sanguinem? In accipiendis igitur muneribus Græcum proverbium cogitandum est: ὅτε πάντα, ὅτε πάντη, ὅτε παρὰ πάντων: nec omnia, nec passim, nec ab omnibus. Avari hominis à diversis dona corruptoria accipiunt, existimantes, se suis quàm optimè consulere, cum iram

Dei in eos provocent. *Joh.15.* Munera accipientium tabernacula, ignis devorabit. *Lavaterus in Commentariis in proverbia Solomonis cap.15 pag.149.*

Si Regum Consiliarii, vel gubernatores Rerumpubl. munera accipiant, evertent regnum & Remp. Nam ubi corruptela munerum locum habet, vera religio & justitia concidit. Vir munerum est, qui suscipit dona vel à sceleratis hominib. quos omnes leges occidere præcipiũt, & eos impunitos dimittit: vel ab illis, qui regnorum & rerumpub. arcana, datis muneribus, inquirunt. *Clemens Alexandrinus* ex *Tyro* adducit hunc versum.

Ἐκ δῶρων πολλὰ κακὰ ἀνθρώποις, πέλονται,

Et ex *Angia.*

Δῶρα γὰρ ἀνθρώπων νῶν ἔπαρεν ἠδὲ καὶ ἔργα.

Utrumque versum sic ego autor hujus
Jocorum atque seriorum libri verti:

Ex donis homini eveniunt mala multa, quòd ista
Judicium eripiunt homini cordataq; facta.

Lavaterus ibidem pag 291.fac.2.

Solomon Proverb.cap.17.℣.8.

Wer zu schencken hat/dem ists/wie ein Edelstein/wo er sich hinkehret/ist Klug geachtet.

Lapis gratiæ munus in oculis dominorum suorum, quocunque se verterit, faciet eum prosperè agere.

Lavaterus ibidem in Commentar. pag. 172.fac.2.

Munera excæcant homines, sicut idololatria, amor, & ebrietas. Eurip. in Medea.

Πείθειν δῶρα καὶ θεὸς λόγῳ, χρυσὸς δὲ, κρείσσων μυρίων λόγων βροτοῖς.

Id est.

Muneribus & oratione etiam superi flectuntur.

Aurum

Aurum verò hominibus melius est quàm mille sermones aut deprecatores.

Ovid. 3. de arte.

Munera (credè mihi) placant homines q; deósque,
Placatur donis Juppiter ipse datis.
Quid faciet sapiens? stultus quoque munere gaudet,
Ipse quoque accepto munere mitis erit.

Horatius ode 16. lib. 3.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat castra potentius
Ferro, &c.

Et paulò pòst.

——— Et diffidit urbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus, munera navium
Sævos illaqueant Duces.

Philippus Rex Macedonum nullam arcem tam munitã esse dicebat, quin expugnari posset, si modò asinus onustus auro eam accedere posset. *Plutarchus* in vita *Pauli Æmilii* scribit, veteres historicos tradidisse, non *Philippum*, sed ejus aurum Græciam subegisse. Nihil esse tam munitum, quod auro non expugnetur. Poëtæ etiam significarunt fabula Danaes à Jove in aurum verso constupratæ. Tanta vis est munerum, ut, qui modò causam aliquam probaverunt, postquam munus acceperunt, vel se accepturos sperant, eam improbare incipiant, vel prorsus contiescant: qui fuerunt vehementes, butyro molliores fiant. Cicero Verrem ita disputantem inducit: nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. Exempla multa habemus de sacris & civilibus rebus: *Bileami*: Militum, qui negabãt, *Christum* resurrexisse, *Demosthenis*: qui collo panno obvoluto in concionem veniebat, *Romanorum*, quos *Jugurtha* corruperat, & aliorum. Quid patrum nostrorum memoria in bellis

bellis & fœderibus acciderit, manifestum est. Hodie experimur, quid clerici suis conviviolis, quid amatores suis munusculis efficiant, quid illi, qui judices corrumpunt. Ideóque vetuit Deus, ne judices munera accipiant. *Isa.* 5. Væ, qui justificatis impium pro muneribus. Micheas 3. cap. inter alias causas, ob quas Israëlitæ exscindēdi sint, dicit, prophetas & judices munera accipere. In bene constitutis Rebuspub. contra corruptelam munerum leges propositæ sunt. Nec valet excusatio, quam multi afferunt, Licet munera accipiam, nihilominus tamen officiū meum faciam. Deus enim, qui & corda creat, & examinat, dicit muneribus sapientium oculos excæcari.

Judex, qui accepto munere magno vel parvo: non pronunciat ex legibus secundum æquum & bonum, ut suum cuique cedat, quique religionem opprimit, impius est. Cic dicit *in 4. Verrina.* Omnium rerum turpissimum maximéque nefarium est, ob rem judicatam pecuniam accipere, precio habere addictam fidem & religionem. Concionator quoque, qui opulenta sacerdotia accipit, & semitas judicii pervertit, falsam doctrinam veram esse dicēs, impius judicari debet: Ita alii, qui accepta pecunia è sinu, id est, clàm, non rectè de rebus judicant: sed multa etiam contra communem sensum probant, tenebras lucē, lucem tenebras dicunt, sunt impii. Quot sunt, qui fatentur errores in Papatu esse, quos tamen propter munera retinent & defendunt. *Idem ibidem pag.* 180. Cicer.

Malè se res habet, cùm, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia.

Sint procul à Judicibus quæcunque munera, quia excæcant lumina sapientum, & mutant verba justorum, ut legitur *in Ecclesiast.* & *in cap.* 87. *Job.* minatur Dominus dicens: Ignis citò devorabit tabernacula eo-

rum,qui munera accipiunt.Et,qui pecuniam dat,ut, quod licitum non est,cõsequatur,dicitur vim inferre.Hippol. de Marsil.*sing.*357.*datio pecuniæ,&c. & ibi adducta per eum.* Et quamvis Judex sit justus & constans,debet nihilominus munera rejicere:quia,cum secundum naturam sit,ut suis benefactoribus quilibet benefacere cupiat,acceptúmque beneficium retribuere,nulli duibum, judicis animum muneribus fieri benevolum & cupidum gratificandi ei, a quo beneficium accepit,& sic facilè potest,si non corrũpi,at saltem excæcari & decipi,cum amantium judicium,Platonis testimonio,cœcum sit : de qua re agit etiam *Nazianzenus in sylva nupt.lib.*5 *num.* 98. quem refert & sequitur Jo.Segura *in suo directorio Judicum.part.*1.*cap.*14.*num.*22. & faciunt ad hoc propositum tradita per Hostiensem *in summ.de pœnitent.et remiss.*§.*Constitendũ vers.Cui Marcbio.* & Paris de Put. *in tractat. Synd. in verbo Consiliarii num.*1. ubi refert illud rusticorum adagium : *Munus intrat per portam judicis & Diabolus exit per fenestram.* Pulcerrimi sunt textus *in c.qui rectè & in c. pauper. & in c. Non licet* 11.*quæst.*3.*& in c. non sanè* 14.*q.*5.*& in c.cùm ab omni. de vit. & honest.cleric.* Bald. & Angel. *in l. Generaliter.ff.de calumn. Auth.sed novo jure C.de pœn. Jud. qui mal.judic.* Plato *lib.*3.*de Repub.* ubi agit de muneribus & corruptelis,dicit non esse permittendum, ut cives muneribus corrumpantur,& ibi relatum est illud vulgatissimum ac verissimum :

Munera,crede mihi,placant homines q3 deos q3.

Videtur tamen judicibus permissum, ut possint modica quędã esculenta& poculeta accipere,q paucisdieb⁹ cõsumantur spõtanea liberalitate oblata *c. statutũ.*§.*insup de reseru.in* 6.*l. Plebiscito ff.de offic. Præsid. gl.in c.cùm ab omnib. de vita & honest.cler.* q munuscula xenia appellantur, de quibus text⁹ est pclarus *in l.Solet.ff.de offic. Proconsul.* ubi sic scriptũ est: *Non vero in totũ Xeniis abstinere debebit Proconsul, sed mo-*

dum adhibere, ut neq; morosè in totum abstineat, neq; avarè modum Xeniorum excedat. Quam rem Divus Severus Imperator Antoninus elegantissima epistola est moderatus, cujus epistolæ verba hæ sunt: Quantum ad Xenia pertinet, audi, quid sentimus. Vetus proverbiũ est: ὅτε πάντα, ὅτε πάντοτε, ὅτε πρὸς πάντων. Nam valde inhumanũ est à nemine accipere: sed passim, vilissimum est, & omnia avarissimũ. Et q̃ mãdatis cõtinetur, nec donũ vel mun⁹ ipse p̃cõsul, vel, q̃ in alio officio erit, accipiat, emat ve quid nisi victus quotidiani causa, ad xenia nõ pertinet, sed ad ea, q̃ eduliũ excedũt usũ. Sed nec xenia producẽda sũt ad numerũ qualitatũ.

Coarctata etiam fuerunt hujusmodi munera, ne in anno excedant centum aureos *l. eadem in fin. ff. ad l. Jul. repetund.* quod quomodo sit intelligendum, explicat Alciat. *disjunct. lib. 3 cap. 9.*

Hæc autem xenia seu munuscula permissa videntur, quia propter ista minima non præsumitur animum Judicum moveri ad injustè judicandum. facit, *6. & si quæstiones in fin. de Simon. glos. in c. statutum §. insuper in verb. consumi de rescript. in 6.* Boer. *q.* 135. *nu.* 24. 25. Boss *in tit. de officialib. corrupt. num.* 2. Alexand. *cons.* 206. *num.* 9. & 10. *lib.* 2.

Sed illud admonere libet, xenia fuisse de jure concessa proconsulibus in ipso itinere, quia non omnia possunt, qui iter faciunt, in alienis ædibus emere: decereq; videbatur, ut hospites ẽt de suo aliqd apponerẽt, q̃ non facilè cõparari poterat: Idq; ex ipsi⁹ vocabuli significatione cõfirmatur *Xeniũ* n. est munus, q̃ hospitib. datur, & ξένος hospes dicitur. Unde Xenodochiũ dictus est loc⁹, in quẽ hospites recipiũtur, à quibus vulg⁹ hospitale derivavit. Verũ cũ multa peregrinãtib⁹ cõcedãtur, q̃ domi manẽtib. denegantur, cũ inqt Plato *lib. 5. de legib.* amicis & cognatis careãt, apud Deos & hom. majorẽ merentur misericordiã. de q̃b. peregrinis agit ẽt *l. 12. de leg.* Ab. *in c. fi. n. 47. de for*

compet.

compet.c.un.de clericis peregrinant.c.Si qui Romipetas, & c.paternarum 23.quæst.3. Non facilè igitur judices domi residentes existiment, sibi licere ista xenia recipere, quæ propter itineris incõmoditatem peregrinis ac itinera conficientibus privilegio indulgẽtur, & *d.t. statutum.§. insuper de rescript.* si bene ponderetur hoc, idem velle innuere videtur.

De jure autem novo hoc correctum videtur *in auth.scriptum est exemplar.§. prohibeantur.* Ut *Jud.sine quo.suffrag.* Ibi enim pecuniariis pœnis & exilio prohibentur Judices aliquid accipere, nisi in defectũ salarii. Lucas.de Pœn. *in l.saevis, quæst.3. de prox.sacr. scrin.lib.12. Albert.in d. l.solet.§.nam vero.nu.5.ff.de offic. Procons.* Judex n.debet habere mũdas manus Deo, Legi, & Regi, & nullum attingere lucrum. Authent.*de Mandat.Princip.§.oportet.col.3.* &, qui munera accipit, punitur, ut cavetur *in l. Omnes cognitores. C.ad l. Jul.repetund.juncta gloss.ibi in verb. privatorũ.* & Cic. *in action.quart.in Verrem* objicit Verri, quòd, qui pecuniam ei dabant, causas obtinebant. An verò hodie judices possint ista xenia recipere in esculentis & poculentis consistentia & mera liberalitate oblata, & quæ paucis diebus possunt consumi, variæ fuerunt super hoc opiniones Doctorum, ut refert etiam *Gundisalvus de Villadiego in tractat.de hæret.q. 8.num.8.& 9.* ubi distinguendo dicit in delegato Judice magis licere, quàm in ordinario, affirmátque per leges Hispaniæ indistinctè prohiberi judicibus, ne aliquid à partibus accipiant, ad quem lector accedat. *D. Johannes Bonifacius Jurisconsultus, Philologus, & historicus præstantissimus in eruditissimo suo Tractat. de furt.§.alienæ rei pag.257.*

Triplex est munus, *à manu, à lingua, et ab obsequio, gloss.in c.statutum in verb.nullum munus de rescript.in 6. per ibi notata.* Nullum autem, sive à lingua, sive ab ob-

ab obsequio denique proficiscatur, Judex accipere debet gloss. ibidem.

CDXCVII. *De Senectione quodam.*

SEnecio quidam levaturus aliquādo vesicam, cùm pocul is operam dedisset, ventris simul crepitum emittebat. Id pessimè ei cecidit. Nam una & eadem opera caligas suas excrementis suis turpissimè fœdabat. Itaque miser ille uxoris suæ, quam admodum juvenculam in matrimonio habebat & cervicosam, iras plagasque extimescens, per quam flebiliter exclamabat: Nunc demum experior miser, verum esse illud vetustate contritum proverbiū, *Nusquam tuta fides.* Etenim cùm pedere dumtaxat gestirem: ecce tibi caligas, proh dolor! permerdo meas. Quid misero mihi futurum est reverso domum? Heu me calamitosum & quarta luna natum senem, quantis verborum contumeliis lacerabor à mea *Xántippa*? quot quantosq; mihi infringet illa colaphos? colaphos autem? Immo verò meum illa dorsum probè mihi fuste probéque dedolabit.

CDXCVIII. *Fœminæ sunt irritabiles.*

NOn sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto.
Quam citò fœmineæ non constat fœdus in iræ,
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.

Propert. lib. 2.

CDXCIX. *Uxores non sunt irritandæ.*

NIL unquam invita donabis conjuge, vendet
Hac obstante nihil, nihil, hæc si nolit, emetur.

Juvenal. Satyr. 6.

Nec tu fœmineas irrites Conjugis iras,
Fœmineus refugit crimina nulla dolor.
Nil metuunt violare, nihil pervertere parcunt,
Et cælo dederint præcipites superos.

Petrus Bembus in lib. Carm. pag. 153.

Quot mare habet Lybicum fluctus, quot littus arenas,
Tot movet, in laso, fœmina, corde dolos.

Es iſt ein Kraut heiſt Mulier,
Darvor hüt dich prudenter,
Sie betreugt dich fallaciter,
Das ſag ich dir veraciter.

Licet viro corrigere, ex cauſa leviter verberare uxorem *l. Conſenſu & Authent. ibi, poſita C. de Repud. Auth. Ut liceat matri & aviæ. §. Si quis autem. C. duo iſta 23. quæſt. 4. gloſſ. in c. Sicut alterius 7. quæſt. 1. gloſſ. in c. quemadmodum de jurejurand. & in c. placuit. 23. q. 2. gloſ. in l. ſed etſi. §. fin. ff. ad l. Aquil.* Bald. *in l. Si filius C. de Patri. poteſt. & in l. cùm patronus C. de oper. libert.* Hippol. de Marſil. *in pract. crimin. in §. aggredior num. 81. & in §. ulterius num. 7. 8. 9.* Siguorol. Homod. *cõſſ. 63. Titius calce num. 1. ex l. Si adulterium. §. & Imperatores. ff. ad l. Jul. de adulter.* Alex. *conſ. 115 num. 2. lib. 4.* Alc. *de præſumt. regul. 1. præſumpt. 3. in fi.* Dec. *in l. Ut vim n. 22. de juſt. & jur.* Quomodo aũt uxor ſit in poteſtate viri, & ejus legibus alligata, copiosè & eleganter docet Tiraq. *in tract. at. de legib. connub. in 1. L. n. 12. & ſeq.* Alex. & Jaſon. *in l. Miles. §. Qui judicati in fin. ff. de re jud.* & Jul. Clar. *in pract. crimin. q. 36.* ubi de correctione patris & magiſtri etiam facit mentionẽ.

Turpe tamen & periculoſum eſt uxores verberibus afficere, & qui ſapiunt, niſi ſemel, & ex gravi ac turpi cauſa uxorem ita lædunt, ut vindictam ſumere nequeat, improbamusque ſententiam illorum, qui dicunt: *non minus uxoribus, quam jumentis verbera eſſe neceſſaria*, illud jactantes:

Nux, aſinus, mulier ſimili ſunt lege legati:
Hæc tria nil rectè faciunt, ſi verbera ceſſent.

Et qui facilè uxores verberant, experiuntur illud Ovidii eſſe veriſſimum:

Semper habet lites alternáque jurgia lectus,
In quo nupta jacet, minimum dormitur in illo.

Rara quidem res eſt uxor optima, & quibus obti-

tii magnas Diis gratias agere debent. Ut plurimũ enim pessimæ sunt, ita ut congruè & rectè ille videatur respõdisse interroganti, cur parvã uxorẽ duxisset, ex duob. malis minimum esse eligendũ. *Salomon* autem *cap.* 21. *Prov.* inquit, melius esse habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda. Nec prsus insulsũ videtur illud remediũ à circũspecto viro traditum, ad omnes jugalũ discordias tollendas, ut uxori scilicet lingua præcidatur, viro autem oculi eruãtur. Si n. vir nihil videret, & uxor nihil loqueretur, facilem ac tranquillam vitam, &, ut antiqui interdum in suis Epitaphiis appositè apponebant, sine ulla querela traducerent. *Johannes Bonifacius in Tractat. de furt.* pag. 468.

D. *De Reinhardo Hadamario.*

Petrus Nigidius Senior, *Pædagogii* Marpurgensis Rector Terentii Eunuchum Marpurgi aliquando agebat, ad quam spectandam & viri, & fœminæ, & juvenes, & puellæ magno numero confluebant. Cùm verò pro antiquo Comœdiarũ more, finito aliquo actu, Symphonia esset cantandũ, quoddã de Cuculo carmẽ, qꝑ recens jam tum editũ summã plerisq; voluptatẽ videbatur pariturũ, decãtandum curavit. Cæterùm ne hîc quoq; decorũ non servaretur, pueros tres subornavit (tot n. Discantis cãtilena illa, sex alioq; vocibꝰ cõcinnatata, constabat) qꝭ habitu chartaceo atq; adeo Cuculos repręsentante induti, in ꝓscenio tum subsaltarunt, tũ magna etiã contentione cõcinere **Guckguck Guckguck**. Quod quidẽ cùm pueri isti non inscitè exprimerent, ecce tibi uni ipsorũ, *Christophoro* nimirũ *Huneco*, medio in actu subligacu lũ rũpitur, sic qdẽ, ut testiculi ei propẽdentes à nemine nõ conspicerẽtur. Pergit tamẽ ille nihilò secius, & subsaltare & cãtillare & testiculos suos vibrare, minimè cõscius, qd sibi evenisset. Istã aũt miseri illius ruptũrã mulierculæ & puellæ citiùs animadverterũt,

quam vel ipse actor, vel quivis unus è Professoribus. Ad extremum tamen cùm puellæ & effusiùs riderēt, & altera alteri nigros ipsius coleos monstraret, cœpit *Reinhardus Hadamarius Oratoriæ* ea in Schola Professor oculos diligentius in cuculos hosce conjicere, atque adeo rimam istam unde scrotum cùm prominebat, tum etiam egregiè ipso subsaltāte ventilabatur animadvertere. Quare sumto mox bacillo cuculum istum puellarum ex oculis his quidem verbis removit: Apagesis de proscenio turpissima avicula: **Heb dich vom** Procenio **du schändlicher Vogel.** At verò cùm surdo hanc fabulam narraret, ira accensus bacillo isto ejus & nates & testes cædebat. Sensit igitur tum demum miser ille suum damnum, atque continuò ex hominum conspectu avolavit. Cæterùm finita Comœdia mulierculæ interrogatæ, quid ista in Comœdia præter cætera eis placuisset: isto se cuculorum ludo atque coccysmo mirum in modum refocillatas esse ingenuè fatebantur.

DI. *De Eobano Hesso.*

Eobanus Hessus Petrum Nigidium ita animo suo carum habebat, ut si frater germanus fuisset, cariorem habere vix aut ne vix quidem potuisset. Erāt enim in *Nigidio* eæ animi dotes, quæ neminem nō ad amandum ipsum inflammarent. Cæterùm cùm *Nigidius Eobanum* aliquando amicitiæ ergo alutis hircinis indutus inviseret, Næ, Eobanus, *Nigidi* frater inquit, si à lupo te jam fortè fortuna devorari contingeret, totis ille septimanis tribus nihil ferè quicquam præter alutas seu coria sit egesturus aut excreturus. Etenim calceamenta tua, & caligæ, & ipse thorax denique ex corio constant. Hoc quidem joco tantum abest, ut *Nidius* offenderetur, ut mirificè potiùs eo recreatus affectusque fuerit, ac quam primùm apud ipsum consederit, & salibus ac poculis ultro cum eo citróque certarit.

De

DII. *De Jano Cornario Medico, olim Marpurgi Professore.*

Janus Cornarius Marpurgi olim artem medicam cùm doceret, singulis Saturni diebus in forũ progrediebatur, ut istic vel carnes, vel pisces, vel butyrũ, vel ova, vel caseos, vel olera, vel alia denique id genus esculenta edulia vè emeret. Hæc partim in sinistrum pallii sui cõdebat manicam, partim verò in reticulũ quasillumvè reposita, dextera gestabat. Quodam verò tempore in forum provolabat, veste undulata pellibus suffulta indutus admodum pretiosa, & à rustica quadam ova circiter centum mercatus, vestis istius manicæ sinistræ mandabat. Quod verò multa tũ esset glacies, evenit, ut ipse prolapsus cùm ova ista perfringeret omnia, tum crepidas etiam de pedibus excuteret, in promiscuamque multitudinẽ vibraret atque dispergeret. Tantum verò abest, ut ex civibus quispiam sublevandi ipsius causa accederet, ut hunc ipsius casum risu potiùs syncrusio prosequerentur. Quòd enim esset aliquanto superbior *Cornarius* & elatior, per pol pauci erant cives, qui quidẽ ipsi studerent. Ad extremũ fortè fortuna studiosus quidam Suecus, *Magnus* nomine, supervenit. Is miseratus ipsius vicem, in pedes ipsum ovis istis usquequaq; commaculatum erigit, & illius sandalia diligenter quidem quærit, sed minimè invenit, furto haud dubiè à civibus interversa. Itaque *Cornarius* & discalceatus, & ovis probè inquinatus probéque domum sese recipiens, non ita multum postea ac frequens in foro conspiciebatur, ut antea, sed vel uxori, vel famulæ suæ negocium dabat, ut cibaria istic coëmerent.

Cicer.

Quanto superiores sumus, tanto magis summissius geramus.

Inquinat egregios adjuncta superbia mores.

Augustinus.

Qui sibi placet, stulto placet.

Ovid.

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Claudian.

Desine magna loqui, frangit Deus omne superbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur;
Disce supercilium deponere, disce cavere,
Antepedes foveam, quisquis sublime minatur.

Horat. lib. 1.

O Diva, gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Horat. lib. 2.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem: non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitiam, moritur DELI.

Idem lib. 2.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas,
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.

Et paulò pòst.

Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Idem.

Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus.

Euripides in Troad.

Ὁρῶ τὰ τῶν θεῶν, ὡς τὰ μὲν πυργῶς, ἄνω,
Τὰ μηδὲν ὄντα· τὰ δὲ δοκοῦντα ἀπώλεσαν.

Idem

Idem in Heracl.

——— Ἀλλὰ τῶν ὀργημάτων
Ὁ Ζεὺς κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων,

Xenophon lib. 6 ἑλληνικῶν.

Ὁ θεὸς πολλάκις χαίρει. τοὺς μὲν μικροὺς
Μεγάλους ποιῶν, τοὺς δὲ μεγάλους, μικρούς.

Chrysostom. Homil. 5. in 4. cap. Matth.

Omnia, qui confidens est in operibus suis & gloriatur, securus est: qui autem securus est, non timet: & qui non timet, nec cavet: qui autem non cavet, quando non sperat, supplantatur à Diabolo & dejicitur.

DIII. *De Johanne Dryandro Medicinæ Doctore & Professore Marpurgensi, & insulso quodam rustico.*

O *Chershusii*, qui pagus est Martispurgo Hessorũ metropoli admodum propinquus, muliercula quædã morbo affecta maritum suum rogabat, ut lotium suum urceolo aliquo exceptũ ad *Doctorẽ Dryandrũ* perferret, ac semel scisciteretur, quemadmodum morbus iste expugnari posset atq; depelli. *Rusticus*, qui conjugem hanc suã in oculis ferebat, morem ei mox gerit, Martispurgumque proficiscitur. Quò quidem cùm pervenisset, Medicum jam tum prãdentem offendit. Is admisso nihilo secius homine, ac diligenter inspecta accuratéque urina percõtatur, num quas uxor haberet sedes? Ille Dryandri mentem minimè assecutus, respondet: Nobis verò non sedes sunt tantum Domine Doctor, sed & scãna, & mensæ, & lectuli, & canthari, & patinæ affatim suppetunt, ut jam de porcis, de equis, de pratis, de apris, idque genus aliis verba facere omittam. Cur igitur pro mendicis nos habeas, causa profectò nulla est. *Dryander*, quid ad me, inquit, attinet, quàm tu vel dives sis, vel pauper? de

eo namque nihil ego laboro aut quæro, sed num cõ-junx tua alvum exonerare, vel, ut explicatius loquar, num cacare possit atq; excernere. Potest quidem, respondet rusticus. Nam ea ipsa hora, cùm in viam me darem huc iturus, ecce tibi oletum egerebat, tomaculo isti mehercule tuo, quo nunc vesceris, spissitudine sua minimè concedens. **Ja freylich/ daran mangelts jhr nicht/ dann/ wie ich von jhr gieng/ scheißt sie ein Dreck/ der gern so groß vnd dick war/ wie die Wurst/ die jhr jetz esset.** Quo quidem iniulio responso stipes ille Dryandro non solum stomachum fecit, sed & nauseam movit, ita quidem, ut & ipsum illum, in verberibus mulctari probè vellet, è cõspectu mox suo facessere, & farcimen de mensa tolli atque removeri jusserit. **Es wolt jhm die Wurst darnach nicht schmecken.**

DIV. *De aurifice Montispessulano.*

MOntispessuli puella olim quædam annorum circiter viginti, repentina morte extincta medicis cessit, ut anatomiæ subjiceretur. Itaque hujus artis & Doctores & studiosi non secus atque aquilæ ad cadaver aliquod advolant, quibus adolescens quidam aurifaber literis nonnihil tinctus sese curiosè immiscebat. Medicis autem suspicione minimè dubia oderantibus, ipsum non hominem literatum, sed opificem aliquem esse, uno mox ore exclamant. Quid canis in balneo? posteaque homini manus ipsi injicientes minitantur, vivum se illum Anatomiæ subjecturos. Itaque miser ille per omnia ipsos sacra orat, obsecrat, atque obtestatur, ut ne vitam sibi eripiant, pollicitus, numeraturum se ipsis coronatos quinque. At verò Medici eo pecuniæ numero minimè contenti, coronatis decem eum emũgunt, hisque acceptis ardelionẽ hunc cogunt ac cõpellunt, ut puellæ demortuæ non solum pudenda, verùm etiam podicem iterum atq; iterum suavietur.

Eo-

Eoque non parùm quidem sæpe facto per gradus ipsum præcipitem agunt, ad suosque aurifices facessere jubent.

DV. *De Theotimo quodam.*

THeotimo cuipiam, cùm gravi morbo oculorum laboraret, Medici interminati fuerunt, ne cum uxore rem haberet: si faceret, prorsus cæcitatem imminere. Verùm is libidinis impatiens, non potuit sibi temperare, quin uxorem amplecteretur. Itaque cùm jam medio Veneris calore ferveret, & in mentem veniisset Medicorum interdictum: χαῖρε, inquit, φίλον φῶς, id est, vale amicum lumen. nimirum intelligens, se voluptatem eam perbrevem oculorum dispendio emisse. Similis est apud Martialem fabula de Phryge quodam luscо bibone, cui cùm interdictum esset a medicis, ne biberet vinum, alioquin nihil visurum, protinus admotis poculis

Valebis (oculo inquit) exitum requirit Vinum Phryx, oculus bibit Venenum. Erasmus in Chiliad. pag. 454.

DVI. *De Nobili quodam & Doctore.*

NOBILIS olim quidam *Doctori Johanni Baptistæ Bacchelebio* cœnam opiparam saliaremque in modum instructam dabat, in qua quidem cùm genio largiùs indulsisset suo, jamque *Doctor* abitum domum pararet. *Nobilis morione* suo accersito, hanc in rationem Doctorem alloquitur, & *Domine Bacchelebi*, inquit, digitum in Morionem intendens, Ecce tibi Doctorem hūc meum ab omni artium scientiarumque genere bellè præclareq; instructum. Quo quidem dicterio cùm se pungi haud levi suspicionis odore Doctor Bachelebius sentiret, par pari relaturus, hunc ad modum *Nobili* respondet: Bene me hercule tempestiveque *Domine* admones: Nam & ego Morionem, & illum quidem ex tua, ne sis nescius, familia proseminatum, domi nunc meæ alo sustento-

que, & cùm ita par pari retulisset, nobili valere jusso, domum sese recepit.

DVII. *De Pina nobili.*

Quòd sit nobilis & satus vetusta
Stirpe: non aliter probare Pina
Novit, quàm similes sui Cyclopes,
Multa scilicet helluatione,
Et plùs quàm nimia bibacitate,
Et ructu, & crepitu, & quotidiana
Crapula, vomitu, supremum & imum
Per guttur. Nisi namq; quis sit ingens
Potator, nisi (proh pudor) valenter
Bacchari queat, aut tumultuando
Strictis ensibus angulos per omnes
Hinc discurrere & inde, ni frequenter
Sacramenta, elementa, vulnerumq;
Perjuro tonet ore mille plaustra,
Vere nobilis ille non putatur,
Ut vanè nimis arbitrantur illi.
O priscum genus: ô Viros equestres.

Melissus in voto Posthii.

Nobilitas, veluti vulgus putat inscius, aut est
Copia nummorum, & collectio divitiarum:
Aut sanguis, quoties generoso è stemmate quisquam
Natus, avos atavosq; suos, gentiliaque arma
Jactat, & eximios laudat virtute parentes.
Judicium tamen hoc vulgi mendaciter errat,
Ut plerunq; solet; communis opinio multis,
Paucorum ratio est. Si nobilis ille putari
Debet, quicunq; est dives: Sic nobilis esse
Cerdo potest, lanius, tonsor, piscator, equiso.
Pastorq; & pistor, coriarius, atq; bubulcus,
Et leno, & latro, & quivis de plebe lutosa.
Namq; ex his multi rebus nummisq; potentes
Et sunt & possunt fieri. Fortuna frequenter
Extollit miseros: eadem detrudit ad imum

Sapi

Sæpe illos, quos ante rotæ commiserat altæ.
Nobilis ergo fuit tantum, quum mœnia victor
Æneadum intravit Martius, plaudente senatu
Ac populo, insignis lauro niveisq; quadrigis:
Sed postquam ejectus Syllanis viribus, exul
Minturnis latuit, latuit quoq; carcere fœdo:
Vel quum mendicus panem per Punica rura
(Proh superûm leges, & non bene nota potestas)
Quærebat, panem duris fossoribus aptum.
Non erat infelix tunc nobilis: abstiterat tunc
Nobilitas fugiens longè: mox ipsa revertit,
Quum Marius rediit mutato sydere Romam.
Nimirum stulta hæc sententia: si sit ab auro
Nobilitas, certè de terra nascitur aurum,
De fraude, & furto, de fœnore: nascitur ergo
De fraude, & furto, de fœnore nobilitas. ô
Judicium vulgi insanum! ô sine pectore turba!
Nobilitare hominem non ulla pecunia, nulla
Divitiæ possunt: precio nam dignior omni
Nobilitas. Hæc non emitur, nec venditur auro.
At genus ille suum jactat, laudesq; suorum
Inculcat, cùm sit turpissimus: atq; recenset
Gesta patris, monumenta atavi, patruiq; trophæa.
Et quanquam innumeris, demens, ignavus, abundes
Criminibus, virtutis inops, tamen esse putatur
Nobilis, est alto quoniam de sanguine natus.
Cur aliena tibi tribuis? laudemq; tuorum
Esse tuam censes? cùm tu sis dedecus illis,
Degener, infamis? mentito nomine cygnum
Graculus appellat sese: cornicula plumas
Pavonis furata, cupit pavo ipsa videri:
Sed natura vetat, quæ nobilitatis origo est.
Hinc animi viles, hinc & cœlestia corda
Proveniunt: hæc largitur sua semina cunctis.
Nempe animum propter, non propter corpus haberi,

Nobilis & dici debes. Nam corpora multa
Seruorum, pulcra, & magna, & robusta videntur.
Nobilitas quidam est animi proprius decor, atq;
Vis quædam nativa, cupit quâ grandia semper,
Vilia contemnit, qua sursum tendere ut ignis
Nititur & summas penetrat velut ardea nubes,
Infima despiciens. *Hanc vim qui munera cœli*
Accipit, ille bonus fiet patiensq; laborum,
Consilioq; potens, curis vigilantibus, ut quid
Dignum laude gerat, ut sit laudabilis ipse.
Sed tantum natura bonum non omnibus, immò
Perpaucis donat, quorum fama inclyta longo
Tempore, post cineres populorum in pectore vivit.

Et paulò pòst.

Disce prius frenare animum, compescere cæcos
Affectus, ratione uti, vitare nefanda,
Justa sequi, te nosce prius, durósq; labores
Amplecti ne te pigeat, vilemq; fugato
Desidiam, ut possit culmen virtutis adire.
Tunc jure ac merito diceris nobilis: Hæc est,
Hæc est nobilitas vera: hæc sunt illa Deorum

Et mox.

Non igitur genus est, non sanguis, non statuarum
Mutarum series, non auri copia, quare
Nobiliter: Virtus, virtus.

Marcellus Palingenius in Virgine.

DVIII. *De quodam verbi divini Præcone.*

FAcere equidem non possum, quin hac feria vobis in re deintegro festivæ istius historiæ memoriam renovem, quam sæpe quidem numero ex me audivistis. Quidam mysteriorum divinorum dispensator, in pagum quendam proficiscebatur, ut extruso hîc pastore priore Præconis Euangelici officio fungeretur. Itaque ex rusticis percontabatur, qualinam pastore uterentur, quídve ille præstare posset. Quibus quidem respondentibus, pastorem suum cùm rectè

ratio-

rationeque docere, tum vitam etiam professioni suæ congruam atque respond. vivere. In laude quidem ponendum idipsum respondet ille. Sed enim nihilné amplius novit præstatque ille? Rustici, ecquid verò præterea præstaret, inquiunt? His circumcursator iste respondet, Frugi utique pastoris est, ut postulare necessitate hominibus fidei suæ concreditis vel pluviam aliquam, vel sudum certè serenumque cœlum pro re nata divinitus suis precibus impetrare atque acquirere norit: Hoc illius responsum rustici haudquaquam ab una aure ad alteram transmittunt, sed imis reponentes sensibus noctes atque dies de exautorando removendoque pristino isto suo parocho consilia ineunt, ad extremumque litem illi de lana caprina moventes dictum factum inveniunt, quemadmodum loco ipsum deturbent, alterumque istum ei substituant. Ineunte igitur vere atque adeo feriis paschatos appetentibus, quum magna siccitas existeret, rustici Pastori novo promissi sui memoriam refricant, ab eoque contendunt, ut de pluvia aliqua clementer sibi danda Deum Opt. Max. sollicitet. His respondet Pastor: Equidem vobis ad unum omnibus obstrictus sum, ita quidem sane, ut non unicuipiam atque alteri gratificari me oporteat, sed de omnibus in universum bene mereri tenear. Velim igitur vos totam Concionem convocare, atque adeo de hac ipsa re consilium capere. Quod si tum intellexero: cunctos id ipsum velle ac uno ore postulare, non committam equidem, ut vana vos spe lactasse, aut promissa mea fefellisse videar. Quamobrem concione jam coacta res in disceptationem venit, sit ne pluvia cœlitus hoc temporis articulo detrahenda, an verò minus. Ne multa, quidam pluviam quàm cupidissimè postulant, quidam verò respuunt, ac, ne ille delabatur, manibus pedibusque obstant, dictitantes, uxores suas vestes jam eluere, atque adeo lintea

tea ſua fulloni albanda ſe credidiſſe: quam ad rem non imbribus,ſed calore ſit opus. Ac horum quidem in ſententiam & alii nonnulli pedibus diſceſſionem faciunt, illata cauſa, horrea ſe ſua tectis jam nudâſſe, quibus tegendis & reficiendis occupatiſſimi cùm jam ſint,pluvias ſe neutiquam expetere.Ruſticis igitur ita inter ſeſe diſcordantibus, paſtor labore iſto impetrandæ pluviæ alicujus ſuperſedere ſe velle dicit, dum de pluvia inter ipſos conveniat. *D. Matthæſius in explicatione* Pſal.133. quam Sareptæ ſuæ reconditæ eruditionis libro Coronidis vice adjecit,pag.13. fac.2.unde hæc in latinum ſermonem tranſtulimus.

DIX. *De alio quodam Verbi divini præcone.*

QUidam verbi divini præco cum aulicis quibuſdam peregre profectus,iſtam *D.Lutheri* cantionem **Erhalt vns Herr** / canebat. Quo audito, quidam ex aulicis Romanæ culinæ, ut apparet, adhuc fautor & aſſecla dicebat:Mei verò liberi,me autore, canunt. Cuſtodi nos à Satanæ & Turcæ cæde atque latrociniis. Huic Paſtor reſpondit : Hæc quidem in unum recidunt atq; idem.Etenim Papa &Satan ſunt vera Synonyma,quòd,quo tempore PetrusChriſtum confitebatur,eo quidem verus *Cephas*,atq; adeo ſanctiſſimus Papa eſſet, ut primùm verò Chriſto Romani Pontificis more contradicebat & adverſabatur, *Sathan* ab eo ipſo cognominatus fuerit. *D. Matthæſius Concione xi.Sarept.ſuæ*,pag.190.fac.1.

DX. *De Canonico quodam Erphurdenſi.*

CAnonicus quidam Erphurdenſis mihi notus viginti duo beneficia ſolus habebat. Quum verò in extremis laboraret, & incertus eſſet, quónam ex hac vita ipſi emigrandum foret, miſerabili gemitu & ejulatu hanc vocem emiſit plenam deſperationis. O utinam fuiſſem in vita mea opilionis aut ſubulei filius!

filius! Scilicet vivunt in diem otiosi hi ventres, & inutilia terræ pondera, vitamque suam sine Deo, sine cruce, & sine luce transigunt. Itaque non possunt non desperabundi è medio abire. *Lutherus Tom. 6. Wit. Lat. pag. 617.*

DXI. *De Johanne Hotzelio Sacrificoquodam Hasso.*

AUBÆ nobilium ab Eschennewega Hessorum peramœno perque optimo ac fertili pago sacrificum olim agebat *Johannes quidam Hotzelius* & illiteratus & insulsus. Is quidem historiam supplicii Domini nostri Jesu Christi quadragesimarum tempore explanans, inter alia ita quoq; sermocinari minimè erubuit: Quum *Dominus* JESUS committeret, ut hortum ingrederetur oliveti, tum quidem perierat funditùs. Etenim discalceatus incedebat, & erat horti sepes cùm præalta, tum sentibus etiam usquequaq; cincta atq; munita, ita quidem, ut evadere ipse ex hostiumque suorum elabi transcensa ista sepe vix quidem potuerit, sed coactus fuerit hostium sese potestati nolens volens permittere: **Wies der Herr Jesus so weit versahe/ daß er in den Oelgarten kam/ da ward seine Sache zum Filtzhut/ dann er ging barfuß/ so hat der Garte einen hohen gedörnten Zaun/ vnd könte derhalben der Herr Jesus nicht fürüber/ er muste da bleiben/ fuß halten/ vnd haar lassen.**

DXII. *De Ferdinando Imperatore Romano.*

FERDINANDUS *Imperator* Caroli V. frater, cùm Legati Electorum & Principum causas Imperii negligentiùs tractâssent, aliquando in Comitiis propter crapulam & ebrietatem eos objurgâsse dicitur his verbis: Mementote, quòd huc missi sitis non ad inebriandum vos, sed ad consultandum & deliberandum regni Romani causas. Abstinete ergò à maledicta ebrietate, quæ neque corpus neque animam beat.

beat,& quod officii vestri est,consulite, *D. Joachimus à Beust.1.*part.Postil suæ pag.147.

Quid ebrietate miserabilius ? ebrius animatus mortuus est. Dæmon voluntarius est.Ebrietas morbus est veniam non habens , ruina excusatione carens,commune generis nostri opprobium. *Non enim in conventibus tantum inutilis ebrius , aut in privatis & publicis negociis*, sed etiam solo aspectu omnium gravissimus, fœtores exhalans teterrimos. Eructationes & oscitationes & voces ebriorum insuaves atque molestæ iis,qui spectant & simul sunt. *D. Chrysostomus Tom.4.Hom.1.*

DXIII. *De Milite quodam.*

IN bello Smalcaldico,quod magna sui parte ad *Ingolstadium* gerebatur, tribunus militum quidam angina correptus,ita graviter laborabat,spes ut vitæ salutisque illius ostenderetur planè nulla. Quocirca de popularium quorundam suorum consilio verbi divini præconem accersit rogatque, ut sibi cum cœnam Dominicam præbeat,tum consolationis etiam quippiam ex verbo DEI aspergat. Pastor vocatus è vestigio comparet,paratum sese dictitans,cœnam illi Domini dare, ut primum exploratum habeat , necessaria religionis Christianæ cognitione imbutum eum esse. Jubet proin,ut symbolum Apostolicum recitet. Eo utcunq; recitato quærit: Tune igitur tribune omnibus iis indubitanter fidem adhibes, quæ quidem symbolo isto comprehenduntur? Unum duntaxat est, ait ille, quod credere ego non possum, nec volo, cum nimirum astruitur, futurũ aliquando ut caro hæc nostra,in nihilum redacta reviviscat rursus in integrumq; restituatur. Huic mysteriorum divinorum dispensator in hæc verba respondet: Deus bone quid ego audio tribune? Tibinè de eo in dubium venit? Tune in eo versaris errore,carnis ut nostrę resurrectionem fore nullam autumes? Dii verò melio-

ra

liora. In uno quippe isto articulo omnis salutis nostræ cardo vertitur, quamobrem hic tibi error eripiendus omnino est: Nec mora, sacræ mox scripturæ tum testimoniis, tum exemplis in medium allatis comprobat planumque facit, certò futuram esse aliquando mortuorum resurrectionem. Hoc ipsum evidenter demonstrantem ac solidè Presbyterum interpellat miles, inquiens: Audio quidem, quid dicas *Paphnuti*: at verò fidem tu mihi haud certe facis. Pastor igitur iracundia nonnihil stomachoque effervescens infit: Nunquid tibi dixi *tribune* salutis nostræ proram atque puppim in uno illo de resurrectione mortuorum articulo positam esse atque consistere? Restat ergo, ut ipsum illum aut firma amplectare fide, aut salutis certè tuæ naufragium jacturamque facias æternam. Utcunque res cadat, inquit ille, ego profecto adduci non possum, ut credam, fore aliquando, ut ab orco in hanc vitam reduces facti, spiremus iterum, ac lucem intueamur. Veruntamen curabo ego mox moxq; acciendum *Sebastianum Schertelium* Capitaneum meum, quo cum omnia mihi necessitudinis summæ jura intercedunt. Quod si verò is quidem id ipsum credit, causa porrò nulla, quamobrem ego non idem mihi persuadeam. Ne multa *Schertelius* accitus sese sistit, rogatnsque super resurrectione mortuorum, credere se eam non solum omni asseveratione affirmat, sed & militē etiam atq; etiam hortatur idem, ut credere animum suum inducat, siquidē aliquo æternæ salutis consequendæ desiderio afficiatur. Is *Schertelio* audito respondet, quoniam tu quidem ea in sententia es propater, ut fore aliquando carnis nostræ aliquam resurrectionem putes, profiteor equidem, me pedibus tuam istam in sententiam discessionem nunc facere, atque idem tecum credere. Hæc effatum admonet Pastor, ut ne verba sibi des fucúmve faciat, sed corde id

ipsum credat firmiter, quod ore jam sit confessus, persistatq; in hac ipsa fide constanter ad extremum usque vitæ suæ spiritum. Quod quidem cum facturum sese stipulata manu confirmasset miles, sacræ synaxeos ipsum participem fecit, corroboratumque illustribus sacræ scripturæ pronunciatis non paucis, protectioni divinæ committit, ac domum sese recipit. Verùm quid fit? Vix dum illi Ecclesiastes dorsum obverterat, ecce tibi ad ingenium tribunus mox redit, *Scherteliumque* hanc in rationem alloquitur. Tuam mehercule in gratiam credidi istud compater, facturus alioqui nunquam. At enim videbis, videbis inquam, ac re ipsa experiere, futurũ ad Kalendas Græcas, ut à mortuis resuscitati vitam & spiritum ducamus. Atque his quidem dictis extremum vitæ suæ diem morte conficit, animamque efflat, pestilẽti isto errore suo haudquaquam deposito. Quin igitur recta in cœlum, perinde ut bos aliquis aut vacca in cavernam muris aliquam (quod nostris in proverbio est hominibus) subvolarit, dubitari profectò non potest.

DXIV. *De Rustico quodam temerario.*

SItus est in Hassia pagus quidam Die hohe Eich appellatus, pertinens ad *Fridericum Hermannum & Volradum a Boyneburg* fratres germanos, viros cùm nobilissima antiquissimaque stirpe ortos, tum omnibus etiam heroicis virtutibus egregiè ornatos atque redimitos. Hîc annis abhinc non ita multis *Johannes* quidam *Nollæus* ætatem egit, poculis impensè deditus, homo cæteroqui minimè malus. Is Dionysia aliquando celebrans dies aliquot continuos strenuè potando pergræcandoque in caupona confecit, anteaquam domum reverteretur, ac suos revisens frugi patris-familias officium faceret. Exactis autem diebus aliquot, quum omnia jam caponis dolia sodalitio suo adjutus exsiccasset, ita quidem

dem

dem, ut nihil tabernarius neq; cereviſiæ neq; ſiceræ haberet amplius, domum ſeſe nocte intempeſta recipit, ac bene potus cibum à conjuge cum poſtulat, tum etiam accipit. Eo appoſito jubet, ut & uxor & liberi aſſidentes cibum ſecum capiant. Id illis facere recuſantibus, eique ſuccenſentibus, quòd tot jam dies, neglecta re familiari planè omni, in caupona hæſiſſet, ac perpotaſſet, iracundia ipſe ſtomachoque exardeſcens has in voces erumpit. Quod ſi vos verò cœnare mecum abnuitis, age accedant tot diaboli, quot hoc in hypocauſto ſunt veſtrum, ac cibum una mecum capiant: Quid quæris? Vix dum affatus hæc fuerat, ecce adſunt cacodæmones mox ſeptem, qui quidem & menſam ardentibus oculis circumſtant, & cibum cum ipſo capere geſtiunt. Erat horum adventus hoſpitum, neque patri-familias, neque hujus conjugi, neque liberis denique acceptus. Ac filii quidem ad unum omnes fugam confeſtim arripiunt, & precibus totos ſeſe dedunt, & Deo ſupplicant optimo maximo, ut Convivas iſtos ex domo ſua recedere jubeat. Sola mater virum ſuum ſub cultro minimè relinquendum rata, in hypocauſto apud ipſum permanet, & cœnæ cataſtrophen expectans, DOMINUM JESUM per quam flebiliter comprecatur, ut hoſpites iſtos truculentos ex domo mox ſua exigat, ſiquidem in hunc modum ideo venerit, ut opera Diaboli diſſolvat, ipſiusque reprimat conatus atque retundat. Maritus exanimatus aliquandiu, paulatim ſeſe colligit, ſumtoque animo percunctatur, quamobrem acceſſerint? Illi, ut tecum cœnemus, reſpondent, abs te invitati. Si igitur libitum eſt, vobis, inquit ille, cibum mecum capere, facite, ut ſordidas iſtas manus veſtras abluatis prius. Hoſpites dicto illi audientes, diligenter eas ſtudioſeque lavant, poſteaque cum accumbunt, tum cibum etiam capeſſunt, veluti deguſtaturi quippiam atque eſuri.

Hîc *Nollæus* ipsos acriter increpans, inquit: Quæ ist-hæc (malum) impudentia est atque impietas cibum capere velle, cùm nondum cœlestem illam vim numenque divinum precibus placaveritis? Facite igitur, ut eam Domini Jesu domitoris vestri precationem recitetis, quam ipse nobis usurpandam, præscripsit: Id si facere tergiversamini, meis continuò ex ædibus facessite. Illi igitur cùm & nomen Jesu identidem audirent, & hujus sibi orationem recitandam esse intelligerent, sese protinus subducunt proripiuntque, depulsi insuper tum filiorum, tum matris ardentissimis precibus, quas ad Deum Opt. Max. toto pectore effundebant. Unus tamen ipsorum aliquis mirum in modum & audax, & deformis, & horribilis remanebat, cæteris fuga jam dilapsis, ac sedem post fornacem occupat, inde frequenter respectans torve, flammantesq; oculos suos in *Nollæum* conjiciens. Ad quem conversus ille magno excelsoque animo inquit: Quid tu verò, inimice & vexator hominum, solus restitas? Non te ego invitavi, ut post fornacem delitescens calefias, teque foveas, sed ut vores. Apagesis meis actutum ex ædibus nebulo, ad sedesque infernales te recipe: ibi calesces plus satis. Nondum verò discedente Satana, arripit uxoris colum, qua quidem dum ferire ipsum machinatur, sed ipse cedit. Quòd igitur & crebris liberorum conjugisque *Nollæi* precibus ad Deum effusis graviter urgeretur, neque ignoraret, plagas ipsum jam aliquot satis luculentas accepisse, evanescit ad extremum, incredibili post se ac prorsus intolerabili fœtore relicto.

DXV. *De Nicolao Harnisio aurifabro & Senatore Cassellano.*

CAssiliæ olim rusticus quidam hebes æquè ac pecus *Nicolai Harnisii* aurificis officinam præteribat, ac per fenestram introspiciens, cùm ipsum aurifabrum

fabrum egregium & consularem hominem, tùm hujus etiam servulos salvere jubebat, salute dicta cùm satis diu tacitus ante fenestram consisteret, ac verbum amplius faceret planè nullum, *Harnisius* altum hoc ipsius silentium admiratus quærit: Quid tu verò apportas vir bone? Hem, inquit ille, est, quod rescire ex te aveo, nimirum quanti tu massam argenti aliquam magnitudine granditateque equino capiti respondentem emere consueveris? *Harnisius* hujusmodi quandam massam rusticum domi suæ reconditam habere ratus, ac in spe simul habens, nuce se eam cassa vilive precio accepturum ædes ipsum mox suas ingredi jubet, sub tectumque receptum prolixè liberaliterque accipit. Cærerum cum rusticus cibo se jam ac potu probè refersisset, vel ad ambas potius aures replesset, hanc in rationem ipsum alloquitur: Faciebas tu dudum, vir bone, massæ cujuspiam argenteæ mentionem, eccubi eam cedo quæso habes? domine tuæ, an verò apud civem hîc aliquem depositam? Ego verò, inquit ille, neque hic, neque istic hujusmodi massam aliquam habeo. Quod autem te interrogavi, quanti talem consuevisses emere, eo factum abs me est, ut si quando talem invenire me contingeret, mihi de precio ipsius constaret, ne vel tu, vel quivis alius me defraudaret, eam dividentem. Eo audito *Harnisius* de mensa protinus non sine stomacho surgens, inquit: Ergone tibi rancido & insulso nebuloni ista adhuc invenienda est? Malam verò pestem tibi. Næ hoc mihi explicatum si fuisset, haud eram te ego tam liberaliter prolixeque acceptarus, fusticoque ex ædibus suis ejecto, non mediocriter doluit, opinione se sua falsum deceptumque esse.

DXVI. *De quodam Franciscano.*

QUidam *Franciscanus* vir ob vitæ sanctimoniam omni populo venerandus, in monasterio virgi-

num à prandio differebat de pudicitia. Is quum videret aliquot è plebejis dormitantes, Rogo, inquit, expergiscimini, narrabo vobis lepidam fabulam. Maritus quidam ruri vivens, peregrè abiturus mandavit uxori, ipso absente curaret, ut reversus domum omnia reperiret ex animi sententia: Tum illa, mi vir, manda, quicquid voles, senties uxorem morigeram in omnibus. Hic vir: Nihil inquit, præscribo, mea lux, nisi unum quiddam, idque factum facilimum. Quódnam? Ne unquam abluas faciem ex hac aqua, ostendens lacunulam in fimario, aquæ tetræ maleq; olentis. Absente marito, quoties muliercula præteribat, sollicitabat animum illius admiratio, quam ob causam hoc unum diligenter vetuisset maritus. Neq; enim aliud sibi persuadere potuit, quã aliquid esse reiseriæ. Quid multis? Vicit tentatio, lavit, hoc est, contaminavit faciem: consuluit speculum, displicuit sibi, & fœtorem atq; tincturam vix diebus aliquot potuit eluere. Maritus reversus reperit uxorem subtristem, & iratæ similem. Rogat, ecquid mali? Illa tandem non continens stomachum expostulat, quòd de aqua monuerat, & narrat eventum. Quid igitur? lavisti? Atqui ob istud ipsum vetueram, ne lavares, ne tibi, quod evenit, eveniret. Hac denarrata fabula rediit ad laudem pudicitiæ virtutis angelicæ. *Erasm. de ratione concionandi lib. 2 pag. 267.*

DXVII. *De quodam Dominicano & Virgine moniali.*

PUer audivi *quendam Dominicanum*, eximia ac nativa linguæ gratiâ præditum. Is, ut excitaret dormitantes, hanc retulit fabulam non absq; specie nequitiæ. *Nonna*, inquit, quædam uteri tumore prodita est habuisse rem cum viro. Convocato virginum cœtu severiter objurgata est à præposita, quam *Abbatissam* vocant, quod ad eum modum dehonestâsset sanctum collegiũ. Illa excusat vim, juvenis inquiens,

venit

venit in cubiculum meum me robustior, cui frustra fuissem reluctata. Porrò vis non imputatur pro crimine. Tum præposita. Excusari poteras, si clamasses, quemadmodum admonet scriptura. Hîc virgo. Id quidem fecissem, sed res acta est in dormitorio, ubi solvere silentium erat religio. *Erasm. ibidem pag. 208.*

DXIIX. *De quodam Cursore Regis Daniæ ad Cadaver hominis à sese interfecti adducto, ex quo sanguis profluens autorem ipsum cædis prodidit, quod & ipse confessus, capitis supplicio affectus est.*

REcordor, Christiernum II ejus nominis Regem Daniæ mihi narrare. Aulicorum suorum quidam tempore vespertino, quod lis inter eos exorta esset, luminaribus exstinctis, stricto pugione interemtus est in conclavi: in quo tunc temporis, præter regium cursorem, adhuc undecim aut duodecim aulici nobiles convenerant. Cùm autem de cædis autore non constaret, ac nobiles culpam in cursorem conferrent: Rex verò cursorem, quem singulari favore complectebatur, existimaret extra noxam esse, & nobiles contra cursorem conspirasse: omnes in conclavi dicto congregatos simul custodiæ tradi, ac prope corpus interfecti sisti, singulosque manum dexteram nudo illius pectori admovere, atq; jurato se purgare coëgit, quod extra culpam patratæ cædis essent constituti. Idem cùm à nobilibus ordine fieret, corpus occisi nullum signum emanantis cruoris dedit. Accessit tandem cursor, admissi sceleris conscius. Hic mortui pedes primũ dolosè deosculatus est, ut eum hac ratione ob commissam cædem placaret. Deinde verò manu ad exanime pectus defuncti applicata, statim sanguis tam ex vulnere, quàm ex naribus cadaveris magna copia erupit, necisq; autorem ostendit. Cursor hujusmodi sanguinis in dicto convictus,

conscientiaque sceleris adactus, reum se confitetur. Proinde mandato Regis statim capitis supplicio est affectus. Idem factum *illustrissimus Dux Megapolensis Udalricus, Sophiæ Danorum reginæ pater, Regem Christiernum* commemorantem audivit: quod tibi opportunè percontanti, opinor, exponet. Vivunt adhuc ex nobilibus nonnulli, qui istius cædis fuerunt insimulati. Post eum diem *Rex Christiernus* dictum modum explorandi cædium autores, in toto regno suo passus est observari. *Dominus Henricus Ranzovius Daniæ in Ducatibus Vicarius, vir illustris, & Heros nobilissimus, fulgentissimum* Danicæ Nobilitatis decus, & cum ipse omnium scientiarum facultate præstantissimus, tum literatorum patronus summus, ac fautor promotorque munificentissimus in sua responsoria ad Consolatoriam Davidis Chytræi.

DXIX. *De Latrone quodam.*

CUidam Viatori in itinere interfecto, quòd de latrocinii autore non constaret, manus resecta, ac in carcere Senatus *Itzehœsis*, ex tigno in fumo suspensa est. Tandem cum fortè fortuna post decem annorum intervallum author cædis in eam domum se recepisset: manus jamdudum exsanguis & arida, sanguinem ex alto in mensam subjectam stillare cœpit. Ex quo conjectura facta est, hominem latrocinii reum existere. Carnifex visa Senatui indicat. Hic, homine in vincula conjecto, patrem meum accersit. Latro, eo præsente, evidens judicium divinum agnoscens, cædemq; ante multos annos à se perpetratam affirmans, justam sceleris pœnam, quam sibi infligi ultro petiit, persolvit. Hujusmodi exempla ego cum multis aliis, in hisce aliisque regionibus, aliquando adhibitus emergentibus ejus generis casibus observavi, quæ scio verè se ita habere. *Idem ibidem.*

Vide, quæ de hoc sanguinis ex cadavere occisi profluentis indicio tradunt Paris de Put. *in Tractat. Syndic.*

Syndic. in Verb. tertius t. 3. Incip. mand. Rex, ad finem n. 29. vers. si occisus exhibeatur, Angel. *in tit. de homicid.* Marsil. *in pract. §. diligenter n. 181. ad fin. Versic. & memini me alias*, ubi testatur ita contigisse eo tempore, quo fuisset gubernator Civitatis *Albingana*, Boër. *decis. 166. num. 1.* ubi affirmat, se in Burdegalensi curia vidisse processum, per quē apparebat, puerum à matre interfectum octo diebus pòst (matre eum inspiciente) sanguinem ex naribus emisisse, & etiam in alio processu alium mortuū duobus post mensib⁹ exhumatum sanguinē ex plagis (homicida super eum transeunte) emisisse. Petr. de Apono *in suo Comment. super Problemat. Arist. in 7. part. Problem. 6. colu. 2. vers. deinde*, ubi sic inquit: *Aut quia ex vulnere recēter interfecti jam constricto sanguine fluxus demum sanguinis fit ab interfectoris præsentia ex eo, quod accidit ex motu impresso ab interfectore ad interfectū virtute suæ fortis imaginationis & furiæ: dicunt n. impressisse eū spiritus inimicitia succensos in interfectū tempore interfectionis, qui ad præsentiā interfectoris moveātur ex interfecto suo ad interfectorē suū, unde exierunt, propter quod causatur motus in corpore interfecti, & vulnera sic sanguinem emittunt.* Blanc. *de indic. ad l. fi. D. de q.* n. 408. ubi magnum hoc esse indicium, & ita se habere communem hominum sermonem, quod per præsentiam occisoris cadaver emittat sanguinem, atteſtatur, atq; hanc sanguinis emissionem nō provenire ob incantationem seu sortilegium, sed esse quoddam à natura insitum, cujus ratio reddi non possit, subjicit. Nov. *in pract crim. in princ. n. 94. fol. mihi 53.* ubi se hoc vidisse in quodam cadavere, cùm Judex maleficiorum fuisset Tarni, atque idem evenisse in Civitate Venetiarum, cùm An. 1531. Clarissimi *Dn. Friderici Rayneri* assessorem egisset, idémq; in multis alīis Italiæ locis evenisse atteſtatur: Nicolaū Florentinum *Sermon. 5. cap. 1.* ubi testatur, suo tem-

pore sanguinē emanāsse in præsentia interfectoris, & ex hoc ipsum captum, tortum, & confessum fuisse delictum atque condemnatum. Idem etiam affirmat voluisse Conciliatorem *in sectione seu particul. 7. problem. 6.* cùm dicit, hoc idem Venetiis contigisse tempore suo, & adductis ad id rationibus, naturalibus & philosophicis, hoc ex motu & voluntate divinæ justitiæ provenire attestatur. Anton. Gomez. *Variar. resolut. tom. 3. cap. 13. rub. de tortur. Reor. num. 5.* ubi testatur suis temporibus idem accidisse in oppido *Ledesma* anno 1546. & se vidisse processum originaliter, in quo quidam mutus & frater ejus in itinere publico quendam interfecerant causa deprædādi, & torti confessi sunt, & ad pœnam mortis condēnati, & antequam morti traderentur, positis coram occiso ex ejus cadavere sanguinis effluxit: Angel. *in 2. tit. de homicid.* qui testatur ita contigisse in quodā Ægyptiaco, & Romæ eo tempore, quo fuit occisus Cardinalis Sancti Marci, ubi & talē sanguinis emissionē miraculo ac divinæ providentiæ tribuendam esse scribit: Monoch. *de arbitr. quæst. lib. 2. cas. 270. n. 16. & 17.* Hier. Magg. *lib. 3. Miscell. cap. 5* quē etiā refert & sequitur idem Menoch. *de Præsumt. libr. 1. 9. 89. num. 128.* Mascard. *de probat. Volum. 2. Conclus. 867. num. 24.* Bertazoll. *consil. 320. num. 6. lib. 2.* ibiq; Claud. *in addit. lit. A.* ubi doctè admodum more suo loquēs ex Levino Lemnio (quem allegat *in lib. 2. de occult. natur. miracul. cap. 7.*) hujus rei rationem investigans affirmat, facinorosum ac parati sceleris reum antipathia quadam, hoc est, dissensione tacitaque discordia ex confosso cadavere sanguinem elicere posse: & inde etiam quandoque accidisse, ut amici occisi ac etiam occisores conspecto oculi cadavere ex subita consternatione sanguinē ex naribus emittant: quia facultates naturales ac mentem vehementer concuti ac percelli contingat, humoresque

non

non consistere, sed ultro citróque cõmeare, qua perturbatione efficitur; ut ex cõtinenti intuitu sanguis vel invitis scaturire incipiat: & Prosper. Farinac. *in Theoria* & Prax. Crimin. *tit. 5. q. 52. n. 154. et 155.* Volũt nõnulli id probare dicto Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me è terra. Verùm toto illi cœlo errant, longéque opinione sua falluntur. Nã phrasis hæc Hebraica est, quasi dicat: Res ipsa te accusat, ipsum tuũ scelus loquitur & te prodit, non ita è terra potuisti delere & abstergere sanguinis notas, ut homicidii vestigia non appareant; ut ibi interpretatur eruditissimus *Petrus Martyr.* Cæterùm, de sanguine miraculosè fluente vide D.D. *Salomonem Gesnerum* virum doctissimum in eruditissima sua explicatione Historiæ passionis Christi cap. 25. pag. 467.

Interiora ac recondita attingamus ac tractemus verecundè. Nec pusilli, abjecti, angusti, ignavi ingenii esse ducamus aliqua ignorare, aut is de iis differere, ut Dei sapientiam vimque omnem ac potestatem anteferamus contemplationi ac prospicientiæ nostræ, quæ sæpe impingit, labitur, errat, hæsitat: sæpe prorsus insistit ac deficit. Fugiamus arrogantiam aut profitẽtem majora viribus, aut ostentantem etjam, ac jactantem inventiones rationésque vanitatis ac futilitatis non expertes: ac glorioſius esse ducamus ad abdita abstrusáque in natura confugere, ubi se nihil ἀξιόλογον offert, quàm pro veris falsa, pro explicatis involuta, & non cohærentia, pro firmis lubrica, pro solidis jejuna, frigida, fictitia comminisci & obtrudere. Cur ringimur aut cur laboramus anxiè, ut monstremus causam, quare in septentrionem se Magnes convertat: aut quare inter se dissideant brassica & vitis, cùm reddi ratio nequeat alia, calido cur frigidum adversetur, nisi quia natura ita condita est. *Peucerus de divinat. pag.* (mihi) 308. fac. 2.

Quæ-

Quædam etiam naturalia sunt, licet causæ naturales non possint afferri. Interim ineptè faciunt, qui omnia ad causas naturales referre conantur. *Lavater.* de spectr. pag. 65.

DXX. *De mulierculâ quadam Venefica.*

DEferebatur ad me nomen mulierculæ, quæ magicas fraudes ab anno ætatis decimo sexto à Diabolo edocta vicinis suis damna multa intulerat. Ac consueverat iste impostor, formam viri holoserico induti, in sylvis repræsentare: interim vel prominente ferina ungula pedis, vel alterius cujusdam membri defectu non occultato, notam sui conspicuum gerens. Nam in verum perfectumque hominem, qui DEI est imago, quod se transmutare possit, vel etiam ausit, nunquam crediderim. Mulierecula, cum maritum haberet, & aliquot liberorum mater esset: ad crebriorem Veneris usum nihilominus impurum admiserat Diabolum. Postquam examini ut saga subjiceretur, mandaveram: neque tamen carnifex manum tormentis adhuc admovisset: caput isti adeo intumuit, ut duplo grandius appareret. Ibi ego protinus cum cæteris, qui aderât, flexis genibus DEUM ardenter precabar, ut diaboli molitiones, exitium corpori & animæ intentâtis, clementer prohiberet. Ad preces communes nostras, cùm pristina capitis forma rediisset, percunctanti mihi, quidnam illi accidisset, respondit: diabolum caput & linguâ subiisse, &, si promissis prioribus staret, se omnibus ex angustiis liberatum iri, clam insusurrasse: cùm consentire noluisset, peccatorum atrocium gratiam precata DEUM, tandem à se illum recessisse. Posthæc, totam malorum, quibus afflixerat alios, telam libere retexendo, culpam agnitam absque tormentis fassa est: & petiit enixè, metu diabolici insultus, quod redire denuo posset, mutatæ voluntatis fa-

turus periculum, ne in carcere diu sola detineretur: sed usu cœnæ dominicæ de remissione peccatorum confirmata, merito supplicio quàm primùm afficeretur. Nocte sequente cum duobus furibus eodem tempore comprehensis, iterum carceri inclusam, ante fores consistens, & sermones observans prolatos, diligenter admonere fures deprehendi, ut se Deo cõmendarent. Fatebatur quoque, se antehac à Diabolo, in cujus fuisset potestate, miserrimè esse seductã, & Diaboli potentiam diu admodum expertam: Jam verò se ad Deum conversam, firmam habere dicebat fiduciam, persoluta pœna mortis merita, cum immortali Deo sibi deinceps æternam fore consuetudinem corpore pariter & anima. Ad similem conversionem & fidei constantiam fures etiam cohortata est: ita posse eos effugere insidias noxias Diaboli, & Deum sibi reddere placatum, dictitans. Postridie supplicium patienter sustinuit, pièque decessit muliercula.

Ranzovius in prædicta epistola.

DXXI. *De quodam homicida.*

IN ea Ducum Saxoniæ diœcesi, quæ *Gerstenavia* vulgo appellatur, dissidium inter Rusticum & Opilionem quẽdam extitit olim ita grave, ut alter alteri non solum mortem interminaretur, verum inferre etiam omnibus modis cogiraret. Etsi verò ex vicinis multi boni viri omnem lapidem movebant, quò ipsos distractos in pristinam gratiam concordiamque reducerent, frustra tamen id fuit, utroq; dicente, tum demum se inimicitias deposituros, cum mutuis sese vulneribus confeciissent, & alter alteri luculẽtam aliquam inflixisset plagam. Rustico multò sævior erat & implacabilior Opilio, magnus alẽs magnas venis turgentibus iras. Isque ferè contemnere pro nihilóque putare solebat, si quæ inimici sui minæ & technæ ad illũ deferebantur, quòd sui egregiè

giè tuendi ac hoſtis propulſandi conficiendíq; ſpem omnem in pedo ſuo ferro egregiè munito, partim verò in animi corporisque ſui robore poneret. Cæterum cum ruſtico aliquando ſignificaretur, opilionem jam ſolum in turguriolo ſuo ruri dormire, nocte ſocia concubiaque eò ſe confert, opilionemque in utramvis aurem dormientem venabulo trãsfigit. Cædis hujus mox reus peragitur ruſticus, quòd de ſimultate atque inimicitia, quam cum opilione exercebat, inter omnes conſtarent. Itaque fuga ſibi conſulens deliteſcebat aliquandiu in vicina Haſſia, ſpe ductus, impunè ſe iſtic homicidium iſtud laturum. Cæterùm ogdoas vix exierat, ecce tibi ſaltum ille tranſit, in quo illuſtriſſimus Heſſorum Princeps *Philippus ejus nominis* primus venationes obibat. Id quod homicidam iſtum fugiebat. Evenit ergo, ut in aprum raræ magnitudinis à canibus jam exagitatum incideret. Is rectà in homicidam hunc impetum facit, eíque proſtrato mortifera aliquot vulnera infligit. Etſi verò ipſe princeps ſtatim ſupervenerit, eumque ex apri dentibus ereptum *Hirſfeldium* vulnerum curandorum cauſa deportandum curaverit, ipſe tamen ab apro uſquequaque contuſus, diſcerptus & dilaceratus biduo pòſt vitam cum morte commutavit. In agone porro mortis peccati ſui ſeria pœnitentia ductus ingenuè confeſſus eſt, hunc aprum divinitus ad ſupplicium de ſe ſumendum incitatum fuiſſe, eoque accurrente ſibi opilionem armatum iraque incenſum ac furentem ad ſe interimendum accurrere viſum fuiſſe, perſpicere igitur ſe nunc atque experiri, neminem quemque homicidam magni iſtius Regis DEI longas manus effugere poſſe. Atque ita in vera pœnitentia & ardenti invocatione filii DEI ex hac vita migravit.

DXXII. *De Conrado Clùbero rustico quodam.*

Bernsdorphii Cattorum *Conradus Clùberus* quidã ætatem egit. Hunc quidã circumforaneus Mendicus non epilepsia tantum morbo cæteroqui planè abominabili correptus, sed & Leberide nudior atque adeo Iro pauperior invisebat, enixè rogitans, ut se diem unum atq; alterum hospicio exciperet, quo vicinis in pagis stipem ostiatim colligendo vitã tolerare posset. *Clùberus* precibus ipsius locum relinquens voti eum sui compotem facit. Quamobrem cùm miser ille omnes diœceseos istius pagos jã peragrasset, & ad *Nicolaum* non solum panibus, verum etiam lardo & carnibus infumatis, & caseis, & nummulis denique onustus rediret, ille miratus epilepticum tantillo tempore tam præclarum fecisse lucrũ, cum ipse noctes atque dies laborando vix aut ne vix quidem acquirat, unde se suosque alat. Itaque laboribus in posterum nuncium remittere, animúmque ad mendicandum appellere cogitat. Quam quidem ad rem ne prorsus imparatus accederet, mendico isti literas commendatitias suas clam surripit, eásque passim circumferens cum strenuè mendicat, tũ verò pro epileptico se gerit, suámque sortem per quàm miserabiliter deplorat, atque hoc quidem pacto nõ paucos & decipit, & nũmis eleemosináque emungit. Verùm quid fit? Deus justus judex nebulonem hunc paucis pòst diebus epilepsia non solum affligit, verũ etiam summo cum cruciatu exstinguit. Itaque ille justas se pœnas justo vindici dare agnoscens cum culpam deprecatur, tum uxori etiam conceptis verbis mandat, ut epilepticum istum à morte sua ultro citroque investiget, illique literas furto ablatas restituat.

DXXIII. *De Ecclesiæ cujusdam ministri Conjuge.*

AMicus quidam noster impetrata à nobili functione

ctione Ecclesiastica, indignis ab ipso illo modis circumventus inter scyphos fuit. Etenim cum in gynæceo suo pediſſequam haberet nullis neque corporis neque animi dotibus ornatam, hoc est, ut expiicatius loquar, admodum & deformem, & ignauã, & salacem, & gulæ dùntaxat abdominique suo natã; precioſioribus eam vestibus indutam eleganterque comtam pastori vino jam confecto assidere jussit. Pastor igitur, quòd vino probè malidus de forma illius judicium facere non posset, cœpit illi identidẽ præbibere, cum eaque & colloqui & familiarius itemque jocari. Hanc occasionem nobilis minimè sibi negligendam ratus, hominem admonet, ut, cum muneri jam ecclesiastico præpositus sit, sibi de honesta aliqua puella in uxorem ducenda diſpiciat. Hîc cum pastor se dicto illi audientem fore recipe-ret: Quin nostram igitur hanc, inquit, ducis? cujus nos causſa omnia volumus, quippe quæ nobis multos jam annos quàm diligẽtiſſimè inſervierit, ac ſuum nobis ſtudium fidémque abunde probaverit. Si placet, tibi nos eam in matrimoniũ collocabimus. Quid quæris? Pastor quidem non extemplò annuit, illata cauſſa, rem esſe hanc ſobriè atque religiosè peragendam: ſnterim tamen puellæ & ſubinde præbibit, & oculos itemque ſuos in ipſius vultu totos habet defixos. Unde ſit, ut, quò magis ille vino incaleſceret, eò ipſam & ardentius deperiret, & minus perſpiceret, quam deformis ea turpisque esſet. Pergente porrò nobile illius & formæ præſtantiam, & rei familiaris adminiſtrãdæ peritiam ſummis in cœlum laudibus evehere, atque adeo hominem cohortari, ut pediſſequam iſtam duceret, ad extremũ annuit. Quamobrem, ne matrimonium hoc non coiret, nobilis eos cõtinuò copulat, ita quidem, ut ſpõſalia etiam interveniren t, in quibus quidem in multam uſque noctem & potatur & ſaltatur. Poſttidie

Pastor

Pastor ad jentaculum revocatur. Is cùm omnem jam crapulam edormiisset, oculatior jam multò & cautior, quam pridiè, erat. Conspectu nāq; Sponsa ista sua, quæ jam vili & attrito habitu incedebat, & tum luscioſa, tum nigra etiam erat, incredibile pœnitudine duci cœpit, quòd ei fidem matrimonii dedisset, sed frustra, urgente nimirum nobili, ut nuptias, quantum quidē posset, maturaret. Quid multa? Celebrantur nuptiæ, posteáque continua ferè jurgia & concertationes inter eos gliscunt, quòd nympha ista cum cibis delicatioribus vesci, tum etiā vestitu lautiori indui gestiret, tum verò maximè rei familiaris administrādæ cura afficeretur propè nulla, sed prorsus eam negligeret: Contrà verò pastore peregrè profecto, aut officium in Ecclesia faciente, & frumentum & lardum, & butyrum, & linum, & caseos denique divenderet, pecuniamque ex his redactam decoqueret turpiter atq; dilapidaret. Nō patitur quidē pastor partes suas in ipsa cū verberibus emendanda requiri, sed frustra, podice nempe lotionem, ut est in proverbio, semper vincente. Quamobrem pastor ad extremum duro huic nodo durum cuneum adhibendum ratus, fuste ipsam probè probéque dedolat, sic quidem, ut occisum se iri à sęvente marito existimans fugam arriperet, ossuariamque, quæ in vicino cœmiterio erat, conscenderet, atque hic quidem cranis & ossibus demortuorum insidens, totam eam noctem transigeret. Quid fit autem? summo diluculo nocteque ad hunc concubia nobilis Oeconomus venationem obiturus cœmiterium transit, ac venatoriam aliquā cantilenā modulatur, delatusque ad ossuariam, ventre exonerat, minimè conscius, pastoris conjuge istic delitescere aut hospitari. Hæc igitur audiens Venatorem hîc alvum exonerare, atque olfaciens etiam, tum craniū tum tibiam mox arripit, eaque in ipsius caput,

insigni strepitu edito, ejaculatur. Qui quidem à spectro id ipsum quodam fieri opinatus, in pedes sese, quantum potest, conjicit. Ista verò ossuaria relicta, cum marito, deprecatione nobilis interveniente, in gratiam redit, & passim prædicat, ut Præfectum istũ hominem alioqui ferocem & audacem perterruerit, ita quidem, ut & fugam podice non retorso arripuerit, & caligas itemque suas turpiter fœdéque coinquinaverit.

DXXVI. *De Johanne Stigelio, & Johanne Majore, duobus universæ Germaniæ Poetis præstantissimis.*

NON ita multò pòst tempore, quum *Johannes Fridericus, Dux & Elector Saxoniæ* Jenæ publicã scholam aperuisset, visum fuit *Johanni Majori* eò profici sci, cum ut Academiæ hujus novæ statum coram cognosceret, tum ut *Victorinum Strigelium* Theologum celeberrimum consultaret, tum verò maxime, ut *Johannem Stigelium* sibi antehac non visum videret, cum eóque amicitiam constitueret. Cæterùm cùm *Neoburgum* usque famulo suo & studioso quodam comitatus pervenisset, ac eam jam urbẽ ingredi vellet, ecce tibi egreditur *Stigelius*, Lipsiam ad nundinas profecturus. Quòd verò ex *Majoris* & incessu, & habitu, & comitatu denique facilè perspiceret, esse hominem aliquem literis haud mediocriter tinctum, venit ipsi in mentem suspicari, esse ipsum illum *Majorem Poëtam*, præsertim cùm talis jam omnino appareret, qualem quidem alii ipsum sæpenumerò descripserant. Ideo hoc cum carmine alloquitur: *Dic mihi quò properas, quo tendis amice Viator?* Cui cùm ille respondêret: *Tendo Ihenam studiis inimicam, tendo Gehennã*: cœpit *Stigelius* mox quærere, ecquis esset, cúmque nomen ille suum minime dissimularet, gaudio exsiliens *Stigelius* pedem mox refert, *Majoremq; Jenam* deducit, ubi non solum ab ipso

ipso, verùm cæteris etiam Professoribus plerisque omnibus liberaliter fuit prolixeque acceptus, in summoque honore dies complures habitus. *Athenã* porrò gehennam appellabat *Major* propter unum *Flacium*, sacras ibi literas interpretantem, quod is quidẽ fax esset atque tuba omnium in Ecclesia turbarum, atq; *Philippum Melanchthonem*, *Theologum summum & incomparabilem*, cane pejus atque angue odisset.

DXXV. *De Johanne Lonicero, & Senatoribus Marpurgensibus.*

QUo primum tempore *Philippus*, *Landgravius Hassiæ*, Princeps omni laude cumulatissimus, *Marpurgi* Scholam publicam aperiebat, dici non potest, quantæ literarum studiosis cum civium filiis, imprimisque iis, qui artem exercent lanificam, digladiationes subeundæ fuerint. Quid quæris? Quoties scholasticus aliquis solus in certones istos incidebat, toties verberibus probe ab ipsis probeque mulctabatur. Idem contra factitabant literarũ studiosi, si quando civis cujuspiam unius dabatur ipsis potestas. Unde cædes interdum existebant quędam, jam ex civibus, jam ex scholasticis uno aliquo occidente atque desiderato. Deterior tamen studiosorum semper erat conditio: hos siquidem & numero superabant cives, & antecedebant armis, & loricati plerunque nocturno tempore per plateas testudine tibiisque canentes, magno impetu catervatimque tum obruebant, tum opprimebant. Quodã porro tempore cum nobilis quidam à *Carben*, doctus & egregius adolescens postridie in patriam remeaturus, amicis quibusdam suis cœnam dedisset, cum iisque postea animi relaxandi caussa per plateas oberraret, ac fidibus caneret, ecce tibi proruunt ex domo quadam nonnulli cives, cives autem? immo vero centauri vino madidi, vel potius furentes, ipsisque manus afferunt, tametsi lacessiti

sti ab illis aut verbo aliquo violati haud essent. Hos cùm partim in fugam conjecissent, partim verò cõsauciassent, nobilem à *Carben* ad extremum fortiter ipsis masculéque resistentem cõtrucidant, è medioque tollunt. Id cùm cæteri Academiæ proceres, tum verò *Johannes Lonicerus Rector* graviter admodum molestéque præter cæteros ferebat, ideóque Marpurg mores ab omnibus humanitate tum quidem remotos epicedio eo, quod in nobilis interfecti honorem composuerat, acerbè & asperè perstringebat, cujus quidem exordium hoc erat:

Barbara gens, inimica bonis, studiisq; bonorum.

Quòd verò hoc carmen non publicè solùm collegii templique valvis affixisset, verùm typis etiam describendũ curasset, incredibile est, quantopere eo nomine Marpurgẽses ei succensuerint. Ne multa, toti mehercle in fermẽto jacebant, quòd ad alias quoque gentes hinc emanaturum perspicerent, qualesnám essent. Itaq; *Lonicero* ad Principem dicam impingunt grandem, rogãtes, ut palinodiam ipsum canere jubeat. At verò tantum abest, ut hoc ipsum obtinuerint, ut Princeps potiùs graviter ipsos objurgatos è conspectu suo facessere jusserit, hoc quidem verborum genere usus: *Sigrave est vobis atque molestum vos tales dici, facite, eam in curam incumbatis, ut ne tales vos præstetis.* Et ut deinceps condocefaciam vos majori erga literatos humanitate uti, aureos mihi ducentos numerabitis, quòd cædis isti⁹ autores fuga elabi, ac subducere sese passi estis. Atq; hac quidẽ correptione Princeps sua & mulcta perfecit, ut multũ illi de ferocia pristina sua remittẽtes, humaniores deinceps minúsq; feros se cum docentibus, tum vero discentibus in Academia ista nova sese præberent atq; impertirent.

A DXXVI. *De Doctore Andrea Hyperio.*

Andreas Hyperius sacrarum olim literarum in incly-

inclyta schola Marpurgensi interpres fidelissimus *Johanni Rodolpho Bullingero* cum cibum præbebat tum etiam hospitium. Is pecuniis suis è mercatu Francofortensi nondum acceptis, *Hyperium* rogabat ut ne aureum sibi unum atque alterum mutuum dare gravaretur. Quod enim rustici lignorum numerũ bene magnum deportassent in urbem, in animo ipsi erat copiam eorum tantam nunc emere, quantam quidem frigori impendentis hyemis propellendo sufficere posse arbitrabatur. *Hyperius* nũmos illi petitos haud repugnanter annumerans, inquit: Docebo te ego artem, *Johannes Rodolphe*, quam quidem exercens, poteris vel uno lignorũ vehiculo hac hyeme calefieri, ac ipsa illa ligna nihilominus ineunte postea vere rursus divendere. Istam verò artem, inquit *Bullingerus*, discere ego atque tenere percuperem. Disces igitur eam, respondet *Hyperius*, arrige aures. Novi olim *Lutetiæ Parisiorum* quendã literarum studiosum *Scotum Eduardum Alvellum*, qui, similiter atque tu, circa hoc tempus ligna sibi comparabat, quæ quidem tametsi neque foco apponeret, neque igni subjiceret, nihilo tamen secius iis ipsis per omnem hyemem, frigore etiam quam vehemẽtissimè sæviente, calefiebat. Etenim quoties gelu nõnihil affligebatur, toties ligna ista ex infima hospitii sui parte deportabat ad supremam, atque ita quidem efficiebat, ut toto corpore æstuans aliquot horas vacare literis sine ullo frigoris sensu atque molestia quàm commodissimè posset. Quòd si verò calore eo sublato iterum vexari ipsum algore aliquo contingeret, ligna ista ex suprema ædium parte rursum deferebat ad imam: atque hoc quidem pacto cùm omnem frigorum vim hyememque propulsabat, tum valetudini etiam suę mirum in modum cõsulebat, tum verò maximè parcebat nummis. Ligna namque ea nulla sui parte imminuta aut consumta,

& prorsus precio exacta hyeme vendebat, quo antea mercatus fuerat.

DXXVII. *De eodem.*

OLim *Philippus, Cattorum* Princeps inclytus, quē honoris causſa nomino, *Andreæ Hyperio, Theologo Marpurgēſi*, negotium dabat, ut omnes per univerſam Haſſiam tum Eccleſias, tum etiam Scholas viſeret, adjuncti illi & *Leonardo Criſpinio*, Hembergenſis Eccleſiæ antiſtite, & M. *Johanne Ruelino, Quæſtore Sontranenſi*, homine apprimè docto, & *Friderico Keudelio, & Hartungo* itemque *ab Eſchenneſſega* nobiliſſimis, præſtantiſsimis, ſpectatiſsimiſque viris. Quod verò in oppido N. Paſtoris intereſſent concioni, *Hyperius* omnes è templo imagines, præter unam *Domini Georgii* equo inſidentis, ſublatas conſpicatus, Paſtorem à concione hanc in rationem affatur: Enimverò in laude ponendum eſt *D. Paſtor*, quod idola omnia è templo exturbaveris tuo. Sed poterat iſte quoque *Georgius* (digito illum monſtrās) alio commigrare. Paſtor, eo audito, altero mox die, quam *Domini Viſitatores*, quos diximus, digreſsi ab ipſo fuerant, *Divo Georgio* mandat ut ex templo iſtinc faceſſat, alioque ſe conferat, quippe qui ſatis jā diu hoc in hoſpitio hæſiſſet. Ita bonus *Georgius* cum caballo ſuo ſtrigoſo, macilentus & ipſe (diu enim erat, cùm cibum ceperant nullum) ſolum vertere, in exſilium que profiſciſci cogitur, lacrymis ipſum planctuque aniculis quibusdā multum proſequentibus.

DXXVIII. *De N.N. Nobili.*

FUit olim in aula *Philippi Landgravii Haſſiæ*, magnanimi illius, ac per omnem *Europam* celebratiſsimi Herois, quem honoris causſa nomino, adoleſcens quidam ſummo loco natus, in quo tu plane nihil, niſi majores ſpiritus nobilitatem aliquam ſpirantes, præ ſeque ferentes, ac eam morum gravitatē deſiderares, quæ quidem ei hominum generi maximè

mè convenit. Etsi enim omni copiarum genere abundabat, ordinis tamen sui atque conditionis ratione habita prope nulla, cum vestitu utebatur admodum vili atque vulgari, tum nemini sese præferens, quoscunque suam in familiaritatem recipiebat, cũ iisque & jocabatur sedulo, & suavissime itemque vivebat: cęteroqui pius, & sobrius, & castus, & officii plenus, quatenus istæ quidem virtutes in hanc ætatem cadere possunt atque gentem. Eum *Princeps* hanc aliquando in rationem compellabat: Haud te clam est *Hermanne*, diebus me hisce tui loci homines quosdam cum ornasse, tum amplificasse etiã, ita quidem, ut hunc in numerum consiliariorũ meorum allegerim, illum crearim *Mareschallum*, alium fecerim cameræ, alium aulæ Magistrum, alii archimagiri personam imposuerim, alium venatoribus, alium saltuariis meis regendis præfecerim, & alium denique huic, alium illi muneri, vel in aula vel extra illam in præfecturis nostris hinc inde obeundo præposuerimque. Ecquando tu ergo *Hermanne*, gravitatis personam assumens, sapere tandem incipies, ut similiter, atque illi, ad dignitatem aliquam à nobis provehare? **Herman du weist/daß wir etliche vnserer vom Adel zu Ehrenämptern erhaben / wann wilt du ein mal weiß werden/dz du auch mögest empor vnnd zu Digniteten kommen?** Respondit *Principi Hermannus*: Ego verò, *Illustrissime Princeps, Clementissime Domine*, sapiam, ac meam tibi prudentiam probabo, quando tu cum que voles. **Gnädiger Herr / wann nur E. F. G. wöllen / so wil ich weiß werden.** Princeps admirabundus, quando ego velim, inquit? Quid istha c (malum) sibi vult oratio tua? Nunquid jamprudem optavimus, alium te esse atque es? **Wann wir wöllen. Was sagstu da? Wir hetten vorlangst gern gesehen / daß du wereſt weiß worden.** In nostra-

né manu est, ut tu sapientior evadas? Est verò, *Domine*, inquit *Hermannus*, id ipsum. Ut primùm me enim ad dignitatem aliquam provexeris, habebor equidē sapiens, ut maxime non sim : **E. F. G. gebe mir ein Ampt/so muß ich wol weise seyn/Ich sey es/oder sey es nicht/** tacite innuens, se posthabito quosdam provectos esse, quibus ipse quidem prudentia, rerum usu experientiáque nihil concederet. Quo audito *Princeps*, scitè profectò respondisti *Hermanne*, ac prudenter, inquit : Quippe *honores mutant mores, ac magni animi magnus honoribus fiunt*. Liv. lib. 4. Deci. 1. pag. 150. fac. 2. Age habebitur tui ratio, statim ut provehendi tui obtulerit sese nobis occasio : Ac non ita multò pòst provinciæ ipsum cuidam suæ regendæ præposuit. Quo quidem in munere sic sese ille tractavit, ut & jus æquabiliter administraret omnibus, & laudē sine invidia inveniret, & nō solùm Philippo heroi, verùm hujus etiam filio *Domino Guilielmo*, cordatissimo & literatissimo *Principi*, cujus memoriam nulla unquā delebit oblivio, ac futura est certè in benedictione æterna, suam fidem atque industriam satis probaret superque.

DXXIX. *De Philippo Landgravio Hassiæ, & Sebastiano Schertelio.*

PHilippus Landgravius Hassiæ

——————— *Quo justior alter,*
Nec pietate fuit, nec bello major & armis,

quum *Carolo* V. ad Ingolstadium bellum face ret, vespera quadam præcipuis belli ducibus cœnam dabat. In qua quidem *Princeps* vultum fingēs, ac quandam animi ægritudinem præ se ferens, subtristis & cogitabundus assidebat. Ejus rei, quæ causa esset miratus *Schertelius* vir & cōsilii magni, & virtutis, ex ipso quæsivit : Ecquid sibi ista animi tui rara & insolita ægritudo vult? verbum prope facis nullū, cogitatio-

gitationibus profundis totus immersus. Id quod non mihi modo, sed cæteris etiam Centurionibus meis perquam sanè mirandum accidit. Huic *Princeps* respondebat: Mihi verò *Scherteli* in mentem veniebat cogitare, *Christo* me *Jesu* multis nominibus esse superiorem. Tûne filio isto sis Dei superior? inquit *Schertelius*. Dii verò meliora! Quæ (malum) isthæc væcordia est? Faceslat ista opinio atque persuasio. *Princeps* contra respondet: Nunquam tu mihi *Scherteli* persuaseris, ut animum ab ista cogitatione abducam meum. Itaque iterum atque iterum quàm constantissimè atque adeo omni asseveratione affirmo, *Christo* me *Jesu* multis partibus præstare. Hîc quum *Schertelius* aliquandiu admirabundus assedisset, quæsivit tandem ex *Principe*, ecquanam parte *Christum* se antecedere putaret. Tum *Philippus* heros, Ego verò, inquit, Dominum Jesum salvatorem & redemtorem meum eò antecello, quòd proditionibus planè circumfluo, hisque ipsis omnia sunt castra mea usquequaque repleta, cum ipse unum duntaxat habuerit proditorem *Judam*. Quo quidem audito cum ipse *Schertelius*, tum cæteri etiam belli duces planè consternati & attoniti, quod contra mutirent, habuerunt planè nihil. Itaque non multò pòst domum se retulerunt, ægrè ferentes, suam fidem Principi in dubium venire, suspectamque esse. *Philippum* porrò *Principem* vera locutum esse posteà eventus demonstravit, ut jam mittam dicere, quòd ipse Cæsar illi enunciavit, majores se cottidie sumtus in proditores effundere, quàm ipse cum socio *Saxone* in universum exercitum faceret.

DXXX. *De Doctore Justo Didamaro, & Johanne Wormatiensi, Henselu von Wormbs/ cognominato.*

HAbuit *Guilielmus Landgravius Hassiæ* in veredariis suis *Johannem quendam VVormatiensem*.

illum quidem & viarum omnium per universam Europam egregiè gnarum, & officii plenum, perquam facetum hominem, sed insigniter nequam, atque adeo omnium non bipedum solùm, sed etiam quadrupedum nequissimum. Hunc *Justo Didamaro Jurecon-sulto Consiliario*q; *suo* ad Imperii comitia proficiscenti adjungebat, ejus ut opera & in abeundo & redeundo, & literis denique ultro citroque mittendis, si res cogeret, uteretur. Proinde cùm *Didamarus* alvum aliquando esset exoneraturus, servum istum suum advocat, ac anitergium sibi aliquod afferre jubet. Is stramineum mox manipulum contortum colligarumque *Doctori* exhibet. Quo ille conspecto exclamat, Papæ *Henseli*, quæ (malum) hæc est inconsiderantia, mihi primum *Doctori*, tum Consiliario, postremò Principis legato atque Oratori, usque adeo durum afferre anitergium? Apagesis in malam rem cum isthoc culitergio tuo, illo quidem non nostris, sed rustici mediastini natibus exstergendis idoneo atque accommodato. Nam ego quidem utique meum eo podicem prorsus perfricuerim & consauciaverim. Quamobrem fac, ut de molliori aliquo vel ex fœno, vel cordo, vel charta denique facto mihi dispicias. Veredarius igitur ad *Doctoris* vestem undulatam pellibus vulpinis suffultam conversus, manicam invertit, ac pellis vulpinæ laciniam inde aliquam cum aufert, tum *Doctori* affert. Qui eo viso, ipsum collaudans inquit: Jam verò, *Henseli*, negocium tuum curasti probè. Istud scilicet anitergium podici respondet nostro. *Henselius* igitur gratiam se non parvam ea re iniisse à *Doctore* intelligens, illi loco posteà secreto insidenti, nunc fœnum, nunc cordum, nunc stuppam, nunc linum, nunc chartam, nunc pelles denique vulpinas porrigit. Tum autem cumprimis gratiam se multò maximam à *Doctore* iniri sentiebat, cùm anitergia vulpina ipsi traderet.

Quo-

Quocirca tantisper ad vestem illius undulatam confugit, dum pelles vulpinas omnes ex utraque manica abstuliſſet. Miratur quidem *Didamarus*, eccunde illi pelles vulpinæ ſuppeterent, interim tamen ne minimo quidem ſuſpicionis odore ſentit, ex ſua eas veſte eximi. Etenim *Henſelius* ab ipſo interrogatus, eccunde eas acciperet, reſpondit, hoſpiti eſſe pallium rejectitium pellibus iſtiuſmodi ſuffultum, indeque ſe illas exſcindere. *Didamarus* fidem ei adhibet, quãtumvis neſcius haud eſſet, nihil eo nequius ne ſingi quidem fieríve poſſe. *Nam ut quisque est vir optimus, ita difficilimè esse alios improbos suspicatur.* Cæterùm cùm domum jam diis hominibúſque applaudentibus rediiſſet, uxor ejus exacto triduo, cum alias ipſius veſtes, tum undulatam etiam illam togam ſetaceo everſura ac repurgatura, animadvertit, manicam togæ iſtius utramque pelle vulpina omni nudatam diſpoliatamque eſſe. Itaque ex marito percontatur, quî fieret, quòd manicæ veſtis undulatæ pelles vulpinas haberent jam planè amplius nullas. Caſſænè igitur manicæ ſunt pellibus, inquit? Ac veſtem mox ipſam contemplans reperit, rem perinde ſeſe, ac uxor narrabat, habere. Itaque nunc demum ſubodorari occipit (homo alioqui naris minimè obeſæ) fucum ſibi à veteratore iſto factum eſſe, & ſuis ipſius pellibus podicem ſe ſuum iſtis in comitiis exterſiſſe, & rem ordine omnem conjugi ſuæ non ſine ſtomacho commemorat, in ſinumq; effundit.

DXXXI. *De ſtudioſo quodam Hamburgenſi.*

VEniebat olim ad *Dominum Doctorem Lutherum* Theologum optimum maximum, quem honoris cauſa nomino, *Mercator quidam Hamburgenſis*, homo & divitiis affluens, & conſularis, & magnæ denique apud ſuos authoritatis. Hic filium ſuum ipſi com-

commendabat, ut hujus tum mensa, tum hospitio uteretur. Quum autem inter missus cæteros, armi quoque vervecini, & anser itemque assus in cœna apponeretur, Venalitii filius anserem sibi probè deglutiendum animo destinans, probè ipsum probeq; excoriabat. Id quod cæteri quidem convictores tacito quodam risu prosequebantur. *Lutherus* verò atq; *Philippus* graviter ferebant, dissimulabant tamen propter ipsius parentem, virum & honoratum, & egregium, & ipsis apprimè carum. At verò cùm nullum ille excoriandi anseris neque modum neque finem faceret, cœpit ad extremum *Lutherus* stomacho nonnihil iracundiaque exardescere, atque hanc quidem in rationem mercatorem ridente ore compellare: Ecquod quæso *Domine*, artificium manuarium filium tu tuum docendum curasses, si is quidem ad discendas literas minùs idoneus fuisset atq; accommodatus. Artem mediusfidius sedentariam didicisset ille nullam, respondebat Mercator, sed rem certè, mercaturis faciendis, nostro quidem exemplo, quæsiviſſet. Tum *Lutherus*, si animum ille ad artem coriariam adjunxisset, inquit, næ poterat ille hanc ipsam artem cum celeriter arripere, tum dexterrimè etiam tractare, quòd hujusce quidem nunc rei præclarum specimen in anſere isto dederit. **Er hette warlich einen guten Gerber geben / dann er hat das Genßleder dißmals gar wol gearbeitet.** Quo quidem audito, & anſere simul inspecto, Mercator, cæteris effusè ridentibus, filium his quidem verbis corripit: Vide nebulo, ut isthac morum tuorum rusticitate aliis deridendum te exsibilandumque propinaveris. Cave per deos nostrumque tui amorem idem posthac faxis, posteaque conversus ad *Lutherum*: Equidem perquàm raro sum domi, inquit, sed maximam ætatis meæ partem tum in Belgio, tum in Anglia, tum in aliis etiam regionibus conficio. Unde

fit,

fit, ut nobis mater ejus uxor mea filium hunc nostrum utpote unicum & sibi incredibiliter carum indulgentia ista lenitateque sua corrumpat. Verùm ut ne impune istud ferat, pro ipso pœnas nunc luam, depromptisque aureis mox duobus vinum afferendum curat, quo istam filii sui maculam eluat. Etsi verò *Lutherus*, quo de quidem scitè admodum ac verè maximus ille *Major* atque adeo incomparabilis Poëta cecinit:

Japeti de gente prior, majorq; LUTHERO
Nemo fuit, sed par docte MELANCHTHON *eras.*

manibus pedibusque obsistebat, ut ne idipsum faceret, ad extremum tamen *Venalitii* utpote hominis sibi amicissimi, & singulari, quod ad rem maximè attinet, pietate præstantis, precibus locum relinquit, & ipsum itemque rogat, ut isthanc filii correptionem liberiorem suam mitiorem in partem interpretetur: Consueviſſe se quippe ne Comitibus quidem atque baronibus parcere, si hos quidem præter decorum quid committere animadvertat. Mercator hac *Lutheri* disciplina maximoperè collaudata, perquàm se posteà hilarem exhibuit, maximè cum videret, filio suo & *Lutherum & Philippum* illum magnum, magnum autem? immò maximum identidem tum præbibere, tum familiares etiam cum ipso sermones conferre, obliterata prorsus ac valere jussa molestia planè omni, quam quidem ex illa anseris istius nudatione excoriationeq; cepisse videbantur.

DXXXII. *De Doctore Erasmo Albero.*

QUum *Doctore Erasmo Albero* in obsidione Magdeburgica constituta, ac omnium fere rerum inopia laboranti, honestus & pius quidam civis piscium ferculum quoddam dono offerret, *Alberus* gratiis pro munusculo hoc civi actis hanc in rationem allocutus illum est: Equidem omnibus modis cuperem te utpote hospitem mihi longè omnium & gratissi-

gratissimum & exoptatissimum, piscículi, hisce mecum unà vesci. At verò ligna me deficiunt, quibus ignem admovens atque subjiciens, eos elixem coquamque. Sed bene habet. Deus Opt. Max. & de his ipsis (spero equidem) clementer mihi paterneq; providebit. Quid quæris? Vix aut ne vix quidem effatus hæc erat, ecce tibi provolat ex castris *Mauritianis* globus quidam bombardicus vastæ molis in ipsam illam *Domini Alberi* domum, de trabeq; quadam fragmentum satis grande demolitur, nemine omnium, qui ædes istas incolebant, læso aut offenso. Itaq; *Doctor Alberus* idipsum conspicatus. Vide, inquit, nunquid prædixi Domino Deo nostro curæ futurum, ut materia nobis suppeteret, qua piscículos hosce nostros mitigaremus? An me spes hæc mea expectatióve frustrata est, aut fefellit? *D. M. Christophorus Irenæus in explicatione Euangelii* xv. post Trinit. pag. 107. unde hæc in latinum sermonem transtulimus.

DXXXIII. *De quodam Pastore, & villico ipsius insulso rustico.*

ERant *Pastori* cuidam pagano, quo cum omnia mihi summæ necessitudinis jura intercedebant, villici tres, quibus exacta jam messe frumentoque omni in horreum devecto cœnam dare consueverat. Horum unus *Cyriacus* nomine cibis etiam atque etjam salitis mirum in modum afficiebatur, ita quidem, ut nullum tu cibum tam probè impenseque salires, quin ipse insuper plúsque salis ei identidem aspergeret. Quid quæris? neque caseo vescebatur, nisi sale affatim conspersо. Quodam autem tempore coloni illi tres *Tilemannus*, *Ludovicus*, & itemque *Cyriacus* à pastore suo prolixa cœna accepti pollicentur, se postridie redituros & tum anserem, tum par gallinarum, tum ferculum etiam piscium allaturos, ut iterum reficere sese atque recreare possent. Albicante igitur jam die ac prima luce affert *Ludovicus* anserem,

anſerem, *Tilemannus* gallinas duas. Unus *Cyriacus* circa veſperam demum primis ſe jam tenebris intendentibus, venit, ac mullos prægrandes octo affert: hísq; parochi uxori traditis, inquit: Hem, mea Commater, piſces ex ſententia nactus ſum: hi mihi ne corrumpantur cautio eſt. Fac igitur, ut ipſos elixans, ſale probè probeq; condias. Paſtoris uxor iniquè ferens, quòd ſus Minervam docere inſtitueret, toto animo in eam cogitationem incumbit, quemadmodum ſtipitem hunc nequitia aliqua afficeret. Non enim jam primùm illi objecerat, quod cibos pleroſque omnes minùs largè & liberaliter ſaliendo corrumperet. Quamobrem cùm piſces tum depurgatos, tum deartuatos fruſtillatimve conſciſſos mitigare jam vellet, maritum ex hypocauſto evocat, illiq; indicat, quemadmodum à *Cyriaco* admonita fuerit, ut probè illos probeque ſalliret. Quod igitur bona tua cum venia fiat, inquit, mingam ego in hoc cochlear, ac piſces elixatos jubebo, ut deguſtet, an ſatis eos ſalierim, nécne? Non diſplicet marito machinamentum: Proinde *Cyriacus* non ita multò pòſt evocatur, illique cochlear ſatis capax lotio repletum porrigitur, ac deguſtare jubetur, nunquid ſatis ſaliti ſint piſces. Illegarum eſſe ratus, muliebre lotium avidè exſorbet, collaudataq; matronæ induſtria inquit: Hos tu quidem hercle piſces perbene affabreque ſaliiſti, næ iſti palato reſpondebunt noſtro: **Eben recht/eben recht/ das habt jhr wol troffen/ mit dem Saltz/ die werden leiden gut werden/die dienen vor mich.** Interea verò, dum fungus ille abeſt, Paſtor cæteris ſignificat, quãobrem accerſitus ab uxore ſit, nimirum, ut lotium ipſius pro garo hauriat. Proinde ex redeũte ſciſcitantur cæteri, riſum ægrè tenẽtes, eccur evocatus fuerit. Ille evocabar equidẽ, inquit, à domina cõmatre mea, ut deguſtato garo judicium facerem, num piſces, qui nunc mitigantur, ſatis ſaliti eſſent. Ac probè quidem

dem illos ipsa probeque saliit, ita ut dubium non sit, quin vestro ii sint palato responsuri: **Sie hat sie warlich gar wol gepfiffert / sie zingern rechtschaffen / sie werden euch gefallen / vnd auff dem Zänchen schmecken.** Quo audito cæteri risu tantum non corruentes respondent: Tu verò insulse nebulo sale expleri haud potes: tu mediusfidius vel saccaro salem præferas. Paulò pòst sternitur mensa, apponuntur dapes, curatur cuticula, & in multam noctem bibitur: Cumprimis autem omnium tela *in Cyriacum* certatim dirigebantur, ut hunc quidem poculis obruerent, vinoque probè madidum redderent. Quapropter cùm Pastoris uxor ipsum & vino jam confectum esse, & dormiturire animadverteret, poculum satis capax depromit, idque vino repletum illi præbibit, exhaustumque *Cyriaco* ostendens, inquit: Viden' tu *Cyriace* Compater, quam pulcrè hoc exinaniverim? Equidem mox illud tum eluam, tum refrigerabo, ut potus tibi sit eò & gratior, & jucundior, & salubrior, ac foris illud lotio suo implet, posteaque in hypocaustum reversa, *Cyriaco* apponit, quam quidem, ipsa digressa, somnus jam arctus complexus fuerat. Quamobrem cum sesquihoram fermè dormiisset, illa hominem vellicans & excitat, & hunc ad modum alloquitur: Enimverò, compater *Cyriace*, jam non dormienti est tempus, sed potandi. Quousque stertis somniculose? excita ex somno poculum, mihique tandem aliquando responde. A te quidem sanè reliquis sitiendum est. Facessat iste languor & sopor. Ille ergò arrepto poculo, Item mea commater, inquit, ut ipsa coram oculis usurpes tuis, quanti te faciam, ecce tibi cum poculum hoc unico haustu epotabo, tum domino etiam tuo, propatri meo, suavissimè præbibam. Nec mora illud mox moxque exsiccat, ac nonnihil nauseans inquit: Vah quam tepidum & insipidum hoc est vinum? Equidem nauteam

bibere

bibere mallem: Ey Gotts Kôrein/wie iſt der Wein ſo warm? wie ſchmeckt er ſo läppiſch? Möcht einer doch lieber Compoſt ſolen/ oder ich weiß nicht was/ ſauffen. Cui Paſtoris conjux, *Cyriace* compater, reſpondet, tua utique culpa id accidit, qui ſcyphum horam integram eoque amplius in menſa reliqueris, anteaquam evacuaveris. Cui ille fidem habens petiit, ſibi pocænium propinari, ut vappam iſtam ex gutture proluat. Quo quidem porrecto unà cum cæteris benè potus domum diſceſſit.

DXXXIV. *De Caſparo Rodolphi, & Johanne Piſtorio.*

SOlebat *Caſparus Rodolphi*, Dialectices olim in ſchola Marpurgenſi Profeſſor, auditores ſuos, inprimisque eos, qui ad primam Philoſophiæ lauream jam aſpirabant, ſingulis propè menſibus diſputando exercere: ita ut ipſe quidem diſputationibus præeſſet, unus verò ex ſcholaſticis reſpondentis partes ſuſtineret, ac Candidati cæteri argumentis ſuis utrumque ipſorum peterent atque oppugnarent. Antea verò quàm conflictus hic ſcholaſticus publicè fieret, cogebantur ſtudioſi argumenta ſua ad unum omnia ipſi inſpicienda exhibere, non eo quidem conſilio, emendare ut ea atque corrigere, ſi minus rectè formata illa fortaſſe eſſent, ſed ut poſtea illa eò facilius citraque pulverem diſſolvere atque refutare poſſet. Cæterùm quum ordo jam *Johannem Piſtorium*, magni illius *Piſtorii*, quem honoris cauſa nomino, filium poſtularet, ut & ipſe *Caſparo* contradiceret, oſtendit illi quidem argumenta ſua, ſed certa quædam, non omnia, quod certum illi eſſet Dialecticum hunc theoricum magis, quàm practicum, & non diſputatorem, ſed oſtentatorem & Stentora clamoſiſſimum dignis modis accipere & exagitare. Quamobrem cùm ea *Piſtorii* argumenta *Caſparus* promptè jam ſolviſſet, quæ quidem ante triduum &

legerat & relegerat, & diu multumq; ventilarat, cœpit ad extremum *Pistorius* ea in ipsum tela ejaculari, de quibus eum celaverat. Unde fit, ut non ita promtè expediteque ea reselleret, ut priora illa prævisa, sed pessimè staret, & quam turpissimè se daret. Quid quæris? Et frontem subinde *Suevus* cornupetæ tauri instar feriebat, & titubabat, & non artificio, sed convitio ipsius argumenta solvebat, &, ut paucis deniq; omnia complectar, tanquam mus in pice hærebat, anxius & solicitus, quemadmodum inde eluctaretur. Ad extremum tamen hoc elogio demulcete adolescentulum atque placare studebat, ut diceret: Summum tibi atque adeo divinum est ingenium. Vide, ut ne eo abutare, sed parentis tui vestigiis insistes, qui quidem cùm literatissimus sit, tum pacis etiam tranquillitatisq; & studiosissimus, ac incredibili modestia præditus. At verò cùm *Pistorius* hoc illius elogio haud delinitus, plus plusq; illi insultaret, veritus *Suevus*, ne non penitus pudefieret & exsibilaretur, disputationem abrupit. Incredibile autem est, quantam Studiosi pleriq; omnes voluptatem ex hac velitatione, quæ puero annorum circiter 13. cum sexagenario hoc Dialectico intercedebat, perceperint, præsertim cùm hic hastam abjiceret, harenaque cederet, atq; adeo fugam capesseret, cùm aliorum alioqui argumenta prius visa, cognita, & ponderata, thrasonico quodam fastu atq; sesquipedalibus verbis solvere consuevisset, jam verò magis mutus esset, quàm piscis, ac nihil propè haberet prorsus, quod puero huic, illi quidem adhuc balbutienti, sed meherculè acuto & literato, responderet.

DXXXV. *De M. Sebastiano Froschelio Ecclesiæ Wittebergensis Archidiacono, & N.N. Jureconsulto.*

EQuidem à doctis exploratæque fidei hominibus accepi, fuisse olim *Witteberga* in cœtu scholasti-

co Ju-

eo *Juris quendam Doctorem*, qui quidem *Froschelii* filiam natu minimâ afflictim deperierit, in uxorem q; ducere omnibus modis exoptaverit. Quid verò obstiterit, quò minus voto illi hoc suo potiri haud licuerit, equidem dicere non habeo. Fieri utique potest, ut *Froschelius* aliquid in ipsius vel persona, vel fortuna, vel moribus, vel eruditione deniq; desideraverit. Fortasse religio quoq; ipsi fuit, cum homine *Jureconsulto* contrahere affinitatem, eiq; filiam in matrimonium collocare. Non est enim invenire Theologos nullos, qui *Jurisperitos* plane aversantur, atque adeo cane pejus & angue oderunt, nulla alia quidem de causa, nisi quòd *Jure* sint *Consulti*. Quam verò hoc piè ab illis, & quam rectè rationeque fiat, ipsi meherculè viderint. Cęterùm ne *Doctor* ille voti sui non compos evaderet *Froschelium* veluti patrem alterum observabat. Etenim conciones ipsius tum matutinas, tum meridianas, tum vespertinas frequentabat, & eum ferè quotidie invisebat, non solùm illius filiam, sed & ipsum illum munusculis identidem ornabat, & nihil denique eorum prætermittebat quicquam, quo quidem *Froschelium* se demereri & devincire sibi posse arbitrabatur & confidebat. At verò omnia hæc boni *Doctoris* officia in nihilum prorsus occidebant, quòd *Froschelio* in animo non esset gnatam ipsi suam nuptum dare, licet eam amantissimam ipsius esse, & nubere ei percupere non ignoraret. Ut ergo *Doctori* tandem aliquando ostenderet planumque faceret, quomodo affectus erga ipsum animatusq; esset, ecce tibi illum jam secum solum prorsum sic alloquitur: Quin animi causa rus unà concedimus, & exspatiamur: Gener non re, sed spe FROSCHELIO mox morem gerit. Is per eam urbis partem illum ducit, quâ ad locum supplicii itur. Quum autem non ita procul inde jam abessent, ecce tibi corvi mirum in modum crocitant, ita quidem ut garritu eos

suo ipsorum adventui certatim gratulari diceres. Itaque *Doctor* in hæc verba prorupit: Deus bone, quantus hic est corvorum crocitus, quantus strepitus! Huic *Froschelius* hanc in rationem respondet: Per me noverunt aviculæ istæ, ac meo nunc adventu conspectuq; lætantur, quippe haud ignaræ, me non parum quidem sæpe ipsis aliquem adducere, quo quidem pascantur & vescantur, ideoque in spem veniunt, te quoque sibi adductum à me nunc iri, quem deglubant & devorent. Enimverò sum Archidux montis Calvariæ. Quo audito *Jureconsultus* homo naris minimè obesæ satis intellexit, frustra se *Froschelii* filiam amare & ambire. Ut ne igitur aliorum ludibrio & divexationi ob hanc repulsam prostaret, postridie statim *Wittembergæ* discessit, in patriam q; suam se retulit, *Froschelio* ipsiusque filia in æternum valere jussis.

DXXXVI. *De adolescente quodam nobili.*

VIdi ego meis oculis rarum amoris signum. *Assidebat nobilis quidam* (insanus præ amore) *juveni* nobili & honestæ cuidam fœminæ viduæ, cujus nuptias ambiebat, & progressu temporis consecutus est. Hic in prandio ad mensam cum colloqueretur: ecce vena in temporibus prope aures illi sponte aperta est, & profluxit copiosus sanguis, quem strophiolo compescere conatus est. Hæc ipse vidi, cùm utrique in mensa assiderem, in arce quadam, eò ad nobilis cujusdam curam vocatus. *Cornax lib. 1. cap. 3. Consultat. medicar. & Johannes Schenckius de Grafenberg in observat. medic. observ. 244.*

DXXXVII. *De quodam Mercatore.*

VIr quidam mercator ex amore in insaniam deductus, melancholicus effectus est, mirisq; visis etiam interdiu, nedum noctu agitabatur, modò in iram ac furorem concitus, mox placabilis in risum effusus, amatæ speciem se in momenta singula in conspe-

conſpectu habere affirmabat: illi blandiebatur, ac ſi præſens fuiſſet: mox, quod ſe amantem redamare nollet, miris increpabat modis. Omnis de amata ſermo, omnis inter luctus ibat dies, noctem ſine ſomno triſtitia mœrorque conſumebant: & ſibi ipſi injeciſſet manus, ni ſuorum vi prohibitus fuiſſet. Cum ſic inſaniens totos ſex conſtitiſſet menſes, egoque eò profectus eſſem, ubi æger laborabat, ad curam accerſitus, hominem magno ſanè labore, multisq; in eam rem paratis auxiliis, ab inſania, Dei gratia adjutus, revoco, & integræ menti ac ſanitati reſtituo. *Valeriola obſervat. 7. lib. 2. & Schenckius de Grafenberg obſervat. medic. 142.*

Cæcus eſt ignis ſtimulatus ira,
Nec regi curat, patitúrve frenos,
Haud timet mortem, cupit ire in ipſos
Ovius enſes.

Seneca in Medea.

Sine ſenſu vivere amantes

ſcripſit Propert. lib 2. Eleg.

Et amorem eſſe furoris ſpecies tradunt Clar. *in practic. Criminal. §. final. q. 60. num. 10.* & Tiraquel. *in tractat. de pœn. cauſ. quart. per tot.* & ante eos Oldrad. *conſ. 210. num. 4. incip. regularis*, ubi per hoc homicidium amoris æſtu inter cortivales commiſſum ad ſimilitudinem furioſi mitius puniri debere tradunt. Confer tamen, quæ tradit Gail *lib. 2. pract. obſervat. 110. num. 23.*

Jam nunc de Veneris puero nos dicere oportet,
Hic eſt ille hominum domitor, domitorq; deorum,
Qui face, qui pharetra totum perterritat orbem:
Cui quamvis puero & cæco tamen omnia parent,
Quæ terras pelagusq; colunt, quæq; æthera ſummum,
Heu quantos ignes & quanta incendia paſſim
Excitat iſte puer, quantum ô pharetrate Cupido
Arbitrii tibi conceſſum eſt? tibi nulla reſiſtunt

Robora: tu pecudes, tu homines, tu numina vincis.
Palingenius in Cancro.

DXXXIIX. *De Studioso quodam Hungaro.*

WIttembergæ *Hungarus* quidam optimarum artium ſtudiis operam dabat, homo mirum in modum tetricus atque auſterus. Hunc puella quædam deperire cœpit. Itaq; perquàm eum amanter ſibi fortè fortuna obvium conſalutabat. *Hungarus* autem immemor iſtius Ciceronis: Nihil mihi minus videtur hominis, quàm non reſpondere in amore iis, à quibus provocêre: vix intuitu nedum reſalutatione eam dignabatur. Quod puellæ quidem perquàm moleſtum acerbumque accidebat. Itaque de eo apud ſtudioſum quendam Germanum conquerebatur, rogans eundem, uti ſe latinè doceret, quemadmodum agreſtes *Pannonij* iſtius mores ſalsè urbaneque perſtringeret. Inculcabat ille quidem puellæ huic *Terentianum* illud: *ô Panno, Panno*, utinam mihi eſſet pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret, ut aut hoc tibi doloret itidem, ut mihi dolet: aut ego iſtuc abs te factum nihili penderem. At verò cum puella memoria hæc complecti haud poſſet ad *Catonem* converſus, eam iſtuc in *Hungarum* ejaculari juſſit: *Saluta libenter.* Quid multa? Puella imis hoc ſenſibus confeſtim reponit. Nec mora, paucis interjectis diebus, in adamatum hunc ſuum *Pannonem* incidens, ita ei inſit: *Saluta libenter.* Tum verò *Hungarus* extempore ex eodemque illi autore reſpondet: *Fuge meretrices.* Quo quidem herclè reſponſo incredibile eſt, quantos ille riſus concitaverit, iis quidem, qui unà cum eo tum ingrederentur.

Gallus *amat celerem pede non remorante puellam,*
Quæ lævis eſt, certis ac magis apta modis.
Hiſpano *magis illa placet, cui forma benigna eſt,*
Cui Venus *ex oculis ſemper amica videt.*

At Italus *timidæ lætatur amore puellæ,*
Dulcia quæ Veneris prælia sæpe fugit.
Virgo sed aduci quæ provocat ore maritum,
Illa est Germano *dulcis amica viro.*

Philippus Melanchthon.

DXXXIX. *De Martino Luthero, atque Philippo Melanchthone.*

QUum *Philippus Melanchthon* quodam tempore, audiente *Martino Luthero* Theologo Opt. Max. affirmaret, homines plerosq; omnes, qui quidem in libra adversus Septentrionem ascendente in hanc lucem ederentur calamitosos, infelices, atque adeò omnis generis malis obnoxios expositosq; esse; *Lutherus* hanc in sententiam ipsi respondit: Næ miserum atq; adeò deplorandum hominum genus sunt *Astrologi*, quippe qui somniant, afflictiones atq; ærumnas non à Deo mundi hujus effectore & gubernatore, sed ab astris proficisci. Atque hæc quidem causa est, cur crucem patienter haud ferant, si quando illa subeunda ipsis venit, hisq; subjecit: Etenim pendere ex astris, & fidem illis adhibere, & fiduciam in eis aliquam ponere, & metuere sibi ab illis, est medius fidius idololatria quædam detestanda, quæ quidē cum prima Dei lege ex Diametro pugnat. *Henningius Fridericus Homil. tertia in Psal.* 90. unde hæc in Latinum sermonem transtulimus.

DXL. De *Philippo Melanchthone & Rodolpho Gualthero.*

ERat *Philippus Melanchthon* Astrologiæ judiciariæ aliquantò addictior, addictior autem? immò verò totus ex ea pendens, tantum propè illi tribuebat, quantum ipsi infallibili DEI verbo, quod tamen tanti viri, utpote de Ecclesia CHRISTI reque publica literaria præclarè immortaliterque meriti, bona venia dixerim. Is cùm Imperii Comitiis ANNO 1541. Ratisbonæ celebratis interesset, vespera quadam, cœna

cœna nondum peracta, de mensa surrexit, ac nemini cuiquam significavit, quò vel iret, quidve esset acturus. Unum tamen *Johannem Stigelium* sibi adjungebat, eoque comitatus locum quendam editiorem collémve conscendebat, inibique astra diu multúmque contemplabatur. Iis diligenter studióseque & ad satietatem usque inspectis, tandem domum sese recipit, ingressusque cœnaculum illud, ubi cæteri adhuc Theologi discumbebant, totum se lacrymis lamentisque dedebat. Per quàm hoc ipsum admirandum Theologis accidebat, plerisque existimantibus omnibus, ipsi Wittemberga literas esse missas, quæ quidem aut uxoris aut filii cujuspiam ipsius morbum obitúmve nunciarint. Ad extremum cæteris omnibus vel collacrymantibus, vel obstipo capite aut mœsto conturbatoque vultu & animo sedentibus, *Dionysius Melander avus meus paternus*, quem honoris causa nomino, ex ipso pcunctatur, quid causæ sit, quamobrem tantam lacrymarum vim profundat? Ei respondet *Philippus*: Equidem astra quàm diligentissimè nunc inspexi, ex præsentique syderum infausto positu satis conjicio divinoque, cum horum ventum comitiorum fore inauspicatum, tum Germaniæ etiam bellum impendere triste atque luctuosum. Quod quidem ego non possum non lacrymis fletuque prosequi, ac veris deplorare gemitibus. Tristi hoc nuncio cùm plerique omnes obstupefacti & perculsi responderint planè nihil, prodit unus *Rodolphus Gualtherus*, quem Theologis suis *Johanni Draconiti, & Antonio Corvino, & Johanni Pistorio, & Dionysio* itemque *Melandro Landgravius* adjunxerat, atque has quidem in voces erumpit: Quin horum Comitiorum exitus futurus sit funestus, dubitari meherculè non potest. Etenim cùm te quidem *Philippe Melanchthon* utpote Theologorum coryphæum ac principem precibus vacare nunc totum

conve-

conveniebat, ecce ad astra conversus ab iis perinde pendes, atq; à numine quodam fallere nescio. Ascēdat deprecatio, & descendet commiseratio. August. Sermon. 266. de tempor.

——— *Invictum venerunt vota precesque DEVM.*

Orationis puræ magna est virtus, & veluti nuncius fidelis peragit, & penetrat, quò caro non pervenit. August. in Psalm 65. Quo quidem festivo illius dicto, cum cæteris Theologis animus iterum accessit, tum *Philippo* etiam lacrymæ mox móxque exaruêre.

DXLI. *De Philippo Melanchthone & Dionysio Melandro.*

IDem vocatus aliquando *à Landgravio Hassiæ Cassiliam*, ad *Dionysium Melandrum* ejus Ecclesiæ pastorem primarium, amicum suum veterem divertit, conspicatúsque in cunis infantem menses circiter sex natum, bellus mehercule est infans *Dionysi*, inquit, ac venustus; Deus illi ubertim benedicat. Teneri equidem non possum, quin genesin ei erigam. Itaque scisitatus ex *Dionysio* diem & horam, quibus quidem in hanc lucem editus infans sit, genesin illi erigit. Quòd verò infans parentem facie mirificè referret, *Philippus* filiū esse ratus, inter cætera scribit, evasurū eum pereruditum, habiturum dignitatē in negotiis, ac subiturum certamina de religione. Quæ legentem *Dionysius Philippum* audiens, exclamavit, filia est *Domine Philippe*, haud filius. Ille igitur rubore suffusus aliquandiu conticuit, ac tandem dixit: *Ergo imperabit illa Viro*, hísque subdit:

Quin etiam interdum magnus dormitat Homerus.

Veruntamen aliam ego illi nunc erigam genesin. Quod quidem dum facit, prænunciat eam longævā haud futuram, sed ætatis suæ anno septimo Deo naturæque concessuram. Ea genesi *Dionysio* tradita, inquit: Si nunc ego *Dionysi* erro aut fallo, vana est ac

mendax omnis hæc scientia nostra: Wann ich jetzũder fele/ so ist alle meine Kunst fallsch. Verum quid fit: Septimo ætatis suæ anno *Dionysii* filia in gravem quidem ancipitemque morbum incidit, ast non interiit, sed sese confirmans, vixit usque ad ætatis suæ annum XIV. Quo quidem anno cùm pestilentiæ lue corripitur, tum ea confecta vitam cum morte commutat, suoque obitu testatur, PHILIPPUM vatem non omninò vanum fuisse.

Instauratur à multis astrologia judiciaria, quæ olim explosos gentium deos postliminio revocat, & frequẽter Christianos homines Jovi, Saturno, Marti, Veneri, aliisque Diis nefandis, non minùs tribuere audimus, quam olim Ethnici fecerint, quando illos belli pacisque præsides, conjugiorum tutores, annonæ largitores, adeoque omnium, quæ in terris geruntur, gubernatores constituunt. *Rodolphus Gualtherus in Commentariis in Amos Prophetam Homil. XVIII.* cap. 5. pag. 117. fac. 2.

Etsi communi sapientum hominum consensu damnentur artes divinandi, in quibus dæmonum opera adhibẽtur, multi tamen *astrologiam*, quæ judiciaria dicitur, minimè in istarum numero habendã esse arbitrantur, eò quòd illa causis nitatur naturalibus, & jam olim apud eruditos in summo precio fuerit. At longè aliter judicabimus, si hanc quoque ad verbi divini regulam examinemus. Nec n. astra in eum usum condita sunt, ut ex illis, quid unoquoque tempore eventurum sit, discamus, sed ut lucem terris ministrent, & temporum distinctioni inserviant. Quàm parum autem in reliquis tribui debeat astrorum virtuti, vel ipse creationis ordo nos docere potest. Cùm enim tertio die Deus stirpes & plantas omnes produxisset, quarto demum die pòst cœlum suis luminaribus ornavit, ne quis horum virtute terram fœcundatam putaret. Observavit hoc doctissimus

mus Hebræorum Philo, qui in libro de mundi opificio sic scribit: Quarto die cœlum picturis exornavit, non quod terræ id posthaberet, dans inferiori naturæ privilegium, potiorem verò ac diviniorē secundo loco ponens: sed ut evidentissimè imperii sui potentiam ostenderet. Quippe qui prævidens opiniones nondum creatorum hominum, conjecturas verisimiles & credibiles libenter sequentiū, quæ multam quidem rationis speciem haberent, non item sinceram veritatem, & quod suis oculis magis crederent, quàm DEO, admiratores sophisticæ potiùs quàm sapientiæ: quódque Solis ac Lunæ cursibus tum æstivis, hibernis, vernis, autumnalibusque mutationibus, annuorum terræ proventuum, omniúmque nascentium causas acceptum laturi essent syderum cœlestium ambitibus: ne cui creaturæ ascribero primas causas auderet, sive per imprudentiam, sive per ignorantiam nimiam: recurrant (inquit) mentibus ad primam hujus universitatis generationem, meminerintque ante Solem & Lunam omnigenas stirpes omnigenosque fructus è terra proditos. Atque ita sibi persuadeant, & in posterum eam prolaturam eos ex cœlestis patris arbitratu, quoties ei placuerit, non expectato cœli favore: cui dedit quidem potentiam, sed non liberam: Nam ipse sicuti auriga habenas, aut gubernator clavum tenens, dirigit, qua vult recto more ac lege singula, nullius ope indigens: omnia enim DEO possibilia. Atque hæc est causa, cur terra prior germinaverit, & herbam protulerit, cœlum verò pòst sit ornatum. *Hæc Philo.* In hominum verò corpora & fortunas adeo nihil possunt sydera, ut illa potiùs una cum reliquis creaturis hominum usui servire debeant. Qui ergo illis homines subjiciunt, ipsum usum naturæ pervertunt, & in veræ pietatis leges multipliciter peccant. Primò enim astris tribuitur

buitur, quod solius Dei est, & à divinæ providentiæ consideratione hominum mentes avocantur, dum ex syderum motu & positione omnia provenire credunt. Quæ deinde causa est, ut in secundis minùs fervidi sint in precibus & religionis studio, in adversis verò non Dei manum peccata ipsorum punientis agnoscunt, sed illa sibi ex astris necessariò contingere arbitrantur. Præterea ipsum Deum quodammodo astris subjiciunt, & abolitas dudum gentium superstitiones reducunt. Quid enim illæ olim plus tribuerunt Jovi, Mercurio, Phœbo, Veneri, Marti, Saturno, & Dianæ, quàm hodie illorum astris vanissimi homines tribuunt, quando inspecta nativitatis hora, de toto vitæ cursu, immò de animi vitiis & virtutibus audacissimè vaticinantur? Non temerè profectò olim *Jeremias* dicebat: *Viam gentium ne discatis, & de signis cæli ne formidetis: nam gentes illa timēt.* Ea gentiū viam vocat, quam illi artium omnium liberalissimam esse putant, & eos gentium similes dicit, qui astra observant aut metuunt, quasi illa nobis aliquid mali vel boni ex se ipsis portendere possint. Et mox eodē loco de gentium idolis loquitur, ut eandē astrorum & idolorum rationē esse doceat. Quod si locus in scripturis nullus exstaret, pter hūc nostri *Prophetæ*, qui *Meonemim* exscindēdos dicit, ut Christi regnum instaurari posset; solus hic sufficere poterat, ne illis in Ecclesia locus daretur. Viderunt hoc sancti patres, qui illos scriptis suis graviter oppugnant: & ex *Augustino* patet, *Mathematicos* olim in inimicorū Dei numero habitos, & non sine publica & solenni pœnitētia, si quando converterētur, in Ecclesiæ gremium, receptos fuisse. Taceo nunc leges Imperatorias, quæ eosdem ariolis, auguribus, & maleficis connumerant.

Objiciunt illi: At eventus docet artem istam minimè vanā esse, & exēpla sunt eorum, qui tum aliis, tum

tum sibi ipsis mala futura prædixerũt. *Spurina* n. *Cæsarẽ* monuit, ut sibi ab idibus Martiis caveret, quam admonitionem ille contemnẽs, eodem die in Senatu occisus est. Et *Ascletarion* à *Domitiano* interrogatus, quis ipsum exitus maneret, se brevi à canibus dilacerandũ respõdit. Voluit autẽ *Domitianus* artis vanitatem arguere, & illum absque mora sepeliri jussit. Quod cùm fieret, evenit, ut repentina tempestate funus dejectum sit, & canes cadaver semiustum discerpserint. Addunt his infinita alia exempla, ea maximè, quę nostro seculo contigerunt, & omnibus nota sunt. Sed & Christum dixisse ajunt: *Erunt signa in Sole & Luna, &c.* Unde colligunt, astrorum motus & signa cœlestia observari debere. Sed facilis est responsio. Primò enim quàm multos in toto orbe homines eodem sydere cum *Julio & Asclepione* natos fuisse putamus, quorum tamen non omnium eadem fuit conditio, nec idem vitæ finis? Aliunde ergo quàm ex artis suæ certitudine ista habuerint oportet *Mathematici isti*, qui prædixerunt. Et multò plura exempla poterunt adduci, quæ artis hujus vanitatem arguunt. Quid n. de *gemellis*, *Esavo & Jacobo*, dicemus, qui simul licet concepti & nati, ingeniis tamen & moribus fuerunt dissimilimis? Et apud Prophetas Chaldæi & Babylonii ridentur, quòd, cùm astrorum peritissimi essent, tamen excidium sibi imminens nec prævidere potuerint, nec avertere. *Isaias* certè *Babyloni* dicit: Stent quæso, & servẽt te servatores cœlorum, *stellarum inspectores, quiq; ex lunationibus prædicunt, quæ ventura sunt super te, &c.* Cumprimis verò memorabile exemplũ astrologiæ ludificatæ Romana historia in *Sev. imperat.* proponit, qui cùm artis ejus cognitionem haberet non vulgarem, mortua vxore *Martia*, nullam ducere voluit, nisi quę haberet regiam γένεσιν. Inventa est tandem *Juliæ* quædam in Syria, cui Regem maritum astra portendebant.

BIBLIOTHEK MUSEUM FÜR VOLKSKUNDE WIEN

debant. At qualis illa fuit? aut quibus moribus regia prædita? Talibus omninò, ut omnis nequitiæ prostibulum dici possit. Nec enim contenta marito Imperatore turpis adultera se ipsam & domum Imperatoriam infamem reddidit. Illo autem defuncto, privigno nupsit *Bassiano*, qui paulò antè ejus filium *Getam* ex collo ipsius pendentem occiderat, ne illum Imperii consortem haberet. Neque invita aut coacta parricidæ nupsit, sed ipsa illum ad amorē incestum invitavit. Cum enim coram illo quasi per negligentiam sinum nudasset, & ille diceret: *Vellem si liceret*: illa respondit, *si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* Secuta est incestas nuptias Alexandrinorum civium miserabilis clades, quorum multa millia cæsa sunt, quod nonnulli ipsam quidem *Jocastam*, illum verò *Oedipum* dixissent. Tandem cum *Bassiani* occisi cadavet ad ipsam esset delatum, illa super hoc incūbens sibi ipsi mortem conscivit. Atqui hæc fuit regia illa γένεσις, quæ illi obtigerat, quam Diaboli vilissimū fuisse, illius mores & moribus dignus vitæ exitus aliunde testantur. Hujus generis passim multa occurrunt in historiis, immo quotidie sese offerunt, si illa observare libeat. Nec tamen negaverim, sæpius ab astrologis vera prædici, at ideo arti huic credendum esse non sequitur. Justo enim DEI judicio fit, ut impostores interdum vera dicant, & ita suorum quidem fidem DEUS ptobat (sicuti per *Mosen* monuit) impios verò efficacia erroris dementari patitur, ut aliquando dignas suæ impietatis pœnas exsolvant. Quo ad verò Christi verba, ille non de legitimo astrorum motu, sed signis extraordinariis loquitur, quæ præter naturæ cursum visuntur, & ideo alicujus mali insoliti præsagia sunt. Docet hoc ipse, quando virtutes cœlorum commovendas dicit. Nec tamen illa quoque aliquid operantur

sed

sed pœnas denunciant, quas pœnitentia subterfugere licet. Quæ verò juxta naturæ ordinem fiunt, non magis aliquid portendunt, quam quod Solem oriri & occidere videmus, & solstitia & æquinoctia certis inter se vicibus commutari. Quod si hoc adversarii negant, scire velim, quæ ratio illos moveat, ut in minorum syderum ortu & occasu atq; positione plus efficaciæ constituant, quàm in Solis & Lunæ motu, quæ Moses luminaria mundi magna vocat? Aut si hæc quoque in homines aliquid posse dicunt, iidem quotidie illorum affectus erunt, & proinde non multam observationem requirunt, cum quotidie oriantur & occidant, & à Deo sibi constitutas metas percurrant. Præterea si quæ syderibus vis inest, eam non in pauculis modo istis, quæ *Astrologi* notarunt, inesse dicemus, sed omnibus quoque aliis, quorum multa millia in cœli regione fulgent. Nec enim putandum est, Deum aliquid in his ociosum finxisse. At cùm istorum omnium ne numerus quidem investigari possit, nedum vis & efficacia, inanis & incerta erit ars ista, cui illi tanta spe & fiducia nituntur. Viderunt hoc olim inter gentes, quicunque ratione & prudentia excelluerunt, *Cajus Sulpitius* Tribunus militum, cùm eclipsin Lunæ fore prævidisset, milites pro concione admonuit, ne hoc prodigium putarent, quod certis naturæ legibus fieret. Et ante illum *Pericles*, cùm exercitum navibus imposuisset, & solis eclipsis oborta multorum animos terreret, illos causam justi terroris habere negavit, eò quòd neque Sol neque natura quicquam patiatur, sed Luna legitimũ cursum secuta, Solis lucem intercipiat, quò minus illa in terras deferatur. Quæ exempla in eum finem adduximus, ut Christianos homines suæ levitatis pudeat, qui astris hodiè plus tribuunt, quàm olim apud gentes fecerint, qui ingenio præ cæteris valuerunt. *Rodolph. Gualther. in Miche. Proph. cap. 5.*

cap 5. Homil. 20. pag. 209. Si plura de hac materia requiris, Vide eundem in Sophoniam Prophetam Hom. 2. pag. 279. fac. 2. item in Haggaum Hom. 2. pag. 302. fac. 1. Item Homilia in Psalmum 113. lit. B. Germanicè anno 53. edita. Item Johannis Calvini admonitionem adversus Astrologiam, quam judiciariam vocant, opusculis ipsius insertam, & Petrum item Martyrem in Gen. pag. 130.

DXLII. *De Leonhardo Thurneuſſero & Conrado Stangio Coſſ. Eſch.*

ESt hoc in more inſtitutoq; *Leonhardi Thurneuſſeri* poſitum, ut, quid ſingulis diebus eventurum ſomniet, præſignificare ephemeridibus ſuis minimè omnium erubeſcat. Quum autem annis abhinc non ita multis prædixiſſet, impendere magnæ alicui perſonæ ruinam aliquam, & occaſum, evenit, ut *Conrado Stangio* Reip. Eſchuegenſis Archigrammateo, homini doctrina, virtute, prudentiaque præſtanti amico noſtro, conſulatum nunc iſtic gerenti, una de vaccis ſuis in ſpecum ſubterraneam cellámve vinariam, quam famula apertam incuria quadam recluſamvé reliquerat, prolaberetur, unde tamen non ita multò pòſt emerſit, nullo corporis ſui membro luxato, læſo, aut perfracto. Quod autem ea re conjunx illius partim terrore perculſa, partim verò gaudio delibuta eſſet, in curiam ædibus ſuis propinquam confeſtim procurrit, atque fortunam hanc ſuam marito in ſinum effundit. Qui quidem re omni ex uxore intellecta, id futurum, hodie prædixit *Thurneuſſerus* inquit, illiusq; prolato mox diario idipſum demonſtrat: Videtis, inquiens, *Thurneuſſerum* magnæ cuidam perſonæ caſum hodie pronunciare. Hujuſmodi quidem cùm vacca mea rubra ſit, in parvis utique perſonis minimè numeranda, næ acu ille rem tetigit, ac verus vates exſtitit: Quin igitur pręſagia illius ex Apollinis proficiſcantur tripode, dubitari certè non debet. Hac ille cavillatione atque ſcommate

non

ignarus, ineptissimos quosque fabros lignarios quã plurima plerunque secamenta efficere? **Was darff sich der Herr Præceptor so hoch darüber verwundern / weiß er nicht / daß die vntüchtigsten vnnd schlümbsten Zimmerleut die meinste Spãne machen?** Ac quod tùm privatim famulo respondit, id non ita multo pòst ipsi quoque *Philippo* dixit, qui isto illius festivo responso plurimùm delectatus recreatúsque fuit.

DXLV. De *Dionysio Melandro.*

QUodam tempore *Philippus* cum *Dionysio* corã expostulabat, quòd Iudæos in Hassiam recipi permisisset. Ille igitur sese purgans respondit: Equidem manibus pedibusque obstiti, ut ne stellionibus istis domicilium aut sedes aliqua in hac ditione præberetur: At verò oleum atque operam perdidi. Non enim te fugit, *unctionem docere & efficere omnia*, tacitè innuens, quosdam muneribus corruptos à Judæis constupratosque esse, qui quidem honestos ipsius conatus hac in re omnes retudissent, atque adeo perfecissent, ut isti se etiã invito ac multum reclamante admissi receptíque fuerint. D. *Georgius Nigrinus in suo adversus Judæos libello, cui titulum fecit,* **der Jüden Feind.**

DXLVI. De *Bertholdo Campensi & Judæo quodam.*

Bertholdus Campensis, qui præturæ olim Hallendorphianæ, & Hombergẽsi, & Hirsfeldianæ magna cum laude præfuit, ac munere insuper quæstorio annos complures Eschvvegiæ functus est, homo cum eruditione, tum virtute, tum prudentia deniq; rerumque usu præstantissimus, amicus noster, cum *Gvolphgango quodam Judæo Eltmanshusino* in disputationem Aberodæ veniebat, ac nihil ad summam diligentiam reliqui faciebat, sed omnem mehercule lapidem movens, totus in eo erat, quo hominem ab erro-

errore suo aversum, ad veram *Domini* JESU agnitionem perduceret. Etsi verò non solùm sacræ scripturæ testimoniis quàm plurimis & maximè illustribus, verùm ipsis etiam *Domini* Jesu miraculis demonstraret planumque faceret, ipsum esse unicum illum humani generis redemtorem, surdo tamen fabulam narravit, perverso ac perfracto Judæo in errore suo pertinaciter obstinatéque persistente. Itaque ira non nihil accensus *Quæstor*, quòd æthiopem lavaret, has in voces ad extremum erupit: *O Judæe* eccubi te in extremo judicio reperturus sum? Nunquid orci in oculo, ac regno Plutonis? **O Jud/ wo werd ich dich wol heut od morgen finden? In Nobis Krucken?** Ei *Judæus* respondit: Operæ tu verò precium facturus sis *Domine Quæstor*, istic quidem si me reperias. **Her: Renthmeyster jhr werdet warlich einen schönen Fund thun/ da jhr mich daselbst wurdet finden/** innuens, ne ipsum quidem procul ab inferis abfuturum & Acheronte, si se istic inveniret. Quo quidem falso responso miros ille risus concitavit.

DXLVII. De *eodem Bertholdo Campensi.*

IDē habito olim *Eschwegiæ* examine scholastico, ex literatore quodam inter pocula quærebat, qui vocaretur latinè **ein Rösling.** Ille rei hujus ignarus, ne suam insciti am proderet, respondit: **Ein Narr kan mehr fragen/ als zehen Weisen beantwortē können:** Stultus meherculè unus plura quærere potest, quam quibus explicandis vel decem sufficiant docti ac intelligentes viri. Eo audito Quæstor infit: Nunc verò teneo exploratumque habeo quomodo **ein Rösling** latinè dicatur: **Ja nun weiß ich/ was ein Rösling Lateinisch heisset.** Quem ipsorum sermonem cùm risus ingens ac planè syncrusius consecutus esset. M. *Johannes Schimmelpfengius* ejus Ecclesiæ Pastor primarius avus meus maternus

ternus ad extremum dixit: Ego verò crediderim, ranunculam appellari.

DXLVIII. De *Suffrido Breuero Cive Marpurgensi.*

NOvi *Marpurgi Suffridum quendam Breuerum* anium, qui quidem sacros per quàm rarò cæt⁹ frequentabat. Quamobrem ipsum Ecclesiæ istius antistites non solùm perstringebant, sed & sedulò cohortabantur, ut ad frugem meliorem sese recipiens sacris in posterum cœtibus crebrius interesset. At verò nihil proficiebant quicquam, quod fideles ipsorum & pias admonitiones scurra iste susque deque faceret, ac pro nihilo putaret. Die porrò quodam paschato *Suffridus* religione nova nescio qua imbutus, templum ingreditur, pastore jam jamque suggestum conscensuro. Itaque ædituus ei illico obviam procedit, dataque dextera gratulatus inquit: *Salvus sit ingressus tuus, ô rare, insolens, & inexpectate, hac quidem in Ecclesia hospes.* Quam quidem gratulationem astantes, cùm literarum studiosi tum cives etiam, non solùm tacito risu prosequebantur, sed & hominem postea finita concione miris modis exagitabant, quòd isthæc illi gratulatio facta esset. Ille igitur hac una re & excitatus & emendatus, cum sacras deinceps conciones adiit & audivit quam diligentissimè, tum cœnam etiam Domini non parum quidem sæpe percepit, ita quidem, ut nemini ille cuiquam pietate tunc concederet ac religionis studio.

DXLIX. De *Rodolpho Gualthero & Dionysio Melandro F. patre meo.*

CUM multa divinitus a senatu populóque Tigurino inventa institutáque sint, tum nihil ferè præclarius, quàm quòd lites nõ in multos annos extrahi patiuntur, sed paucorum eas dierum intervallo finiunt, dantque omninò operam, quo quisque

& quàm

& quàm commodissimè & quàm celerrimè suum ad jus perveniat. Neque enim litigatori ultra bazionē causidico suo numerare licet : neque huic amplius quid ab illo vel poscere vel accipere, neq; litem ultra quatriduum protrahere conceditur. Præclarum hoc ipsorum institutū cum *Dionys. Melander* pater meus summis ad cœlū laudibus extolleret, D. *Rodolp. Gualtherum* respondisse ei accepimus : Nusquam mehercule gentium magis frigent *Jureconsulti*, quam hîc. Apud vos quidem cum magno numero locoq; sunt, tum verò ingentes etiam opes acquirunt. Ac, ut ne sibi ipsi desint, hoc ferè aucupio utuntur, ut causas multos in annos *suspendant*, ipsi mediusfidius *suspendendi*.

In privatis eadem ratio est sententiæ rogandæ & suffragii ferendi : sed hi, qui causas habent, quas coram senatu agāt, primùm à *Tigurini* pagi legato petunt sibi senatum dari, is diem illis constituit, ac nomina eorum in albo curiæ annotat. Cæterùm ubi coram Senatu causæ agendæ sunt, alii quidem ipsi causas suas agunt, alii causidicis utuntur, quos vel domo secum abducunt, vel è præsenti copia unum deligunt. Nam quoties senatus habetur, complures causidici ex proximis pagis & oppidis stipendiariis Helvetiorum illuc confluunt. Disceptantur autem ab his causæ non ex Romano jure, & responsis Jureconsultorum, sed ex æquo & bono, & legibus atque consuetudinibus singulorum populorum. Scio hanc agendi rationem barbaram à multis judicari, qui existimant tantùm jure scripto Romanorum utendum esse, sine quo in gravium & obscurarum controversiarum explicatione, sæpe homines etiam prudentes à vero & justo aberrent. Ego verò Romanas leges à prudentissimis viris conscriptas maximi facio, neque earum autoritatem vel verbulo labefactatam velim : sed controversiarum disceptatio-

ptationi, quæ hodie in usu est, & judiciis illis nostri temporis, in quibus ex jure civili Romano jus dicitur, nostram agendi & dijudicandi rationem anteponendam dico, & id judicio bonorum & non litigiosorum hominum me probaturum confido: Primùm enim negari non potest, plerosque causidicorum, non tam justitiæ & æquitatis, quam juris studiosos, qui singula verba & syllabas legum venantur, & suo arbitratu exponunt, captiunculas aliquas simplicibus struere. Deinde cuncta ferè ab his ad privatum commodum referuntur, unde non explicandis, sed involvendis & obscurandis controversiis operam dant. Ita fit, ut lites in multos annos extrahantur, & sæpe etiam ad nepotes transmittantur: summa cum molestia utriusque partis, & immenso sumtu, quo nonnunquam integra patrimonia exhauriuntur. Unde non immeritò quidam pragmaticos hos & causidicos sanguisugas & hirudines appellare solent: qui opes vulgi & ipsum etiam sanguinem exsugant. Quod si in nostris judiciis nonnunquam error aliquis committitur in causis implicatis & obscuris, quæ tamen rarius occurrunt, nequaquam tamen tantum damni inde datur, quantum ex litium diuturna illa propagatione accipitur. Neque tantum nostra agendi ratione sumtus minuuntur, & parcitur populo, sed longè minor est litiũ & controversiarum numerus, dum sententia citò lata controversia tollitur, & litigantes rursus in gratiã redeunt: cùm alibi contra videamus, lites quotidiè novas oriri, & una nondum decisa, plures succrescere. *Josias Simlerus de Repub. Helvetiorum lib. 2. pag. 139 fac. 1.*

De statu nostrorum judiciorum omnes tam nobiles, quàm ignobiles conqueruntur, quòd nimia sit litium diuturnitas, & sumtuosa nimis juris impetratio, ut interdum præstet rem emisse, quàm in judi-

judicio obtinuisse. *Exhauriuntur litigantium loculi, exacerbuntur litigantium animi, multiplicantur in omnibus tribunalibus lites in immensum.* Quibus rebus causatur omnis disciplinæ dissolutio, summa animorum diffidentia, juris justitiæq; interitus, & Rerumpubl. mutatio. *D. Nicolaus Vigelius Jurisconsultus celeberrimus*, quo & hospite, & præceptore in Academia inclyta Marpurgensi per annos aliquot sũ usus, in præfatione Examinis Jurisconsultorum pag. 3.

———*Nusquam tuta fides, jura, fides, ubi nunc?*

Vigeli doctissime cum summa vigilantia incumbas, ut legum intelligentiam tua Methodo faciliorem reddas, *& judiciorum in infinitum protrahendorum improbam consuetudinem* ex veteris juris præscripto emendes, non possum non sanctissimos istos tuos conatus in cœlum laudibus extollere. *Jacobus Suistadius D. Vigelio* ibidem pag. 25.

Hi demum sunt *Jurisperiti*, qui æquitatis ac naturæ legis tractandæ sunt gnari, quique, ut Cicero dicit de *Sulpitio*, ad æquitatem facilitatemque omnia referunt, & tollere controversias malunt, quàm constituere, ut pax illa & inter homines, & in uniuscujusque servetur animo, qua omnium maximè natura ipsa gaudet. Et planè in hunc usum paratos olim apud innocentius illud seculum prius *Juriconsultos* arbitror, ut lites quàm citissimè prudentia sua dirimerent & finirent. *Ludovic. Vives lib. 19. de Civit.* Dei *cap.* 21.

D L. De Erasmo Roterodamo Germano, & Guilielmo Budæo Gallo, & Johanne Ludovico Vivo Hispano, tribus Ecclesiæ fulgentissimis luminibus.

DE hisce tribus tantis viris, ac omni laude superioribus hominibus, quos honoris causa nomino, *Rodolp. Gualtherum* virum apprimè doctum pro-

nunciasse, ac tale interposuisse judicium accepimus, fore eum prorsus incomparabilem, atque adeo miraculum quoddam mundi, cui quidem simul obtingeret & *Vivis* eruditio, & *Budæi* dicendi gravitas, & *Erasmi* denique perspicuitas.

DLI. De *Sejano Senatore*.

Sejanus Senator Tyberio nitenti CHRISTUM inter Divos referre, valdè obstitit. Ipse igitur tanta fortuna usus memoratur, ut toto orbe celeberrimus nomine amplissimas quasque dignitates fuerit assecutus, vel ipsum imperium pro libitu administrans: absente enim *Tyberio* apud Insulam Capream se ipsum pro Imperatore, *Tyberium* verò pro Insulæ Rectore habebat: quin sibi tanquam DEO res sacras fieri permittebat: Consul quoque designatus est cũ prorogatione quinquennii. In literis quoque publicis à senatu, ut *Tyberii*, ita & *Sejani* nomen præscribebatur, ac velut Imperator aureo curru in theatrũ advehebatur, admirabanturque omnes fortunam ejus. Tandem convocato à se senatu spe literarum *Tyberii* recitandarum, quibus sibi delata tribunitia potestas ferebantur, depositus jussu *Reguli Consulis*, consentiente senatu, in vincula ducitur, capite mulctatur, ad Gemonias scalas unco trahitur, triduo habitus ludibrio à populo, post in *Tyberim* tandẽ projicitur, liberi quoque ex Senatusconsulto, maximè verò filia, quam pater pactus fuerat *Claudii* filio, priùs à carnifice stuprata, necati sunt. *Dion. lib. 58.*

DLII. De *Ruffino*.

ERat is *Elusæ* in Aquitania humili loco natus, ac Constantinopoli in aula versatus, sese etiam in *Theodosii Imperatoris* gratiam insinuavit, ascendens usque ad consulatum unà cum *Arcadio*, post maximos Magistratus: pro libidine ipsa sæviebat in multos, sæviréque etiam Imperatorem adegit: pro-

vin-

vinciis, quos vellet, præsides dabat. Tandem factus est Imperii, ad quod aspirabat, proditor, accitis *Hunnis* imperii hostibus. O rem perpetua memoria recolendam! Cùm jam acclamandus esset Imperator, jam parata purpura ac diademate, aulaque regio apparatu dispositâ, epulisq; splendidiorib. apparari jussis, numismatibus quoque aureis cum *Ruffini* imagine jam cusis, ut singulis convivis donarentur, à mille gladiis appetitus perimitur, secatur in frustra, atque inter milites (erat is exercitus ingens) dividitur: caput imponitur pilo ad universæ urbis ludibrium, manus integra circumfertur hostiatim, velut obolum mendicans ludicrum in modum: nam ejus nervi, qui permovent articulos, cùm prominerent, dum trahebantur aut remittebantur efficiebant, ut manus aperiretur, aut clauderetur, cùm offerebatur igitur manus cuicunq; aperta velut obolum petens, remissis nervis: at post obolum datum dum attraherentur nervi manus acceptum obstringebat: atque is lusus per omnem urbem repræsentatus est. *Majol.* in memorab. pag. 821.

——————*Tollantur in altum,*
Ut lapsu graviore ruant.
Fortunam reverenter habe, quicunq; repente
Dives ab exili progredière loco.
——*Quum fortuna est prospera cuiquam,*
Actutum subit, & stimulat vesana libido,
Tum sua castra movet ventosa superbia, tunc &
Desidia atq; gula, & petulans audacia surgit.
Marcellus Palingenius in Virgine.

DLIII. *De Petro Martyre Vermilio Florentino, Theologo.*

PETRUS MARTYR responsurus ad quæstionem, cur homines è religione Christiani non æquè fortiter suorum mortes ferant, atq; *Ethnici* quidam, sed lamentis se plerunque lacrymisque darent:

Pulchra, inquit, quæstio, sed paucis eam absolvam: Cùm de illa cogito, venit mihi in mentem, quod in navi accidit, qua *Aristippus* vehebatur, & alius quidã ferox, sed indoctus. Tempestas orta est gravis, ut navigium propemodum mergeretur, expalluit *Philosophus*: sedata tempestate ait alter: *Philosophe*, quid sibi vult, quod ita expalluisti? Ego autem qui *Philosophia* operam non dedi, non expallui, sed naufragium forti animo expectavi. Satis facetè *Philosophus* respondit: Non debuisti sollicitus esse tu pro anima nebulonis, ego videbam, ARISTIPPUM *Philosophum* periclitari. Sic ego cogito, non mirum esse debere, si sancti & Ethnici aliter se gerant. Magnum enim inter eos est discrimen. Nam Ethnici existimabant de rebus adversis, quòd necessitate naturæ contingerent, aut ferrentur temerè, aut quòd post hanc vitam nulla reliqua esset. Ad providentiam Dei omnia gubernantem non respiciebant, aut, si præstantiores erant, Stoicam sectam profitebantur; ἀπάθειαν & ἀνεξηγησίαν sectabantur. Quia negare non poterant, se quandoque perturbari repentinis malis, προηγούμενα & ὑποπροηγούμενα faciebant, quæ cuperemus, & quæ primo motu refugeremus. Et luctandum esse dicebant, non ut PERIPATETICI moderarentur, sed ut exstirparentur. Sed in illa lucta dicunt, rationem & affectum certare de possessione hominis. In eo igitur toti erant. At nostra causa longè aliter se habet: non expendimus res ipsas adversas juxta earum naturam, ad causam confugimus. Deum autorem cogitamus, & nos causam dedisse illius crucis: illæ causæ sunt gemitus. Ibi fides excitatur, & quo est vehementior, eò major dolor de amissis oritur. Addimus affectus istos à piis hominibus non omninò impediri, quòd sciant, natura sua non esse malos. DEUS enim eos insevit homi-

nibus

nibus à creatione. *Martyr Com. Sam. cap.13. pag.255. fac.2.*

Cùm equidem video hominem adversis, quantum potest, reluctantem, in illisque deflentem, murmurantem, ac penè divinis promissionibus resistentem, eum ipsum tanquam in æternam mortem properantem comitor lacrymis, si resuffragari nequeo. Non eo se modo habuit fortissimum illud pectus *Johannis Ludovici Gonzagæ nobilissimi patritii Mantuani*, qui audita morte duorum filiorum suorum juvenum quidem optimæ indolis & expectationis, qui in octo dierum spacio, alter *Mantuæ*, alter verò *Venetiis*, vivere desierunt, ne suum quidem mutavit vultum, non deflevit, non questus est, non incusavit cœlum, ut plerique mortalium solent, etiam in minoribus infortuniis: sed in Deo fixus, nihil priùs curavit, quàm ut Christo Jesu, quem sibi in omnibus unicum elegit solamen & perfugium, gratias illas redderet, quas alii ob thesaurum aliquem inventum precioſissimum redderent. Quid mihi, inquit, jucundius in terris esse potest, quam res mihi charissimas, illi, quem supra omnia & colo, & amo, obtulisse? ô vocem divinam, atque à pectore cœlesti conflagrante incendio perrumpentem! Occumbant & cæteri, ait, filii, occumbat uxor, occumbat tota denique mea familia, absque ulla posteritatis spe, modo meus mecum sit CHRISTUS, & mihi opituletur, ne hilum quidem facio. Atrociora enim, inquit, pro me passus est CHRISTUS. Porro cui alteri, nisi DEO, genui filios? quis concessit nónne Deus? Insaniam quidem, nisi libenter illi reddam depositum, qui semper in me tam beneficus fuit. *Johannes Baptista Folengius Mantuanus* in Commentar. Psal. 21. pag. 74. fac. 1.

Esto animo forti, & dura, patientia vincit
Omnia, in adversis rebus sunt prospera semper

Magna-

Magnanimo ſpernenda viro: tunc celſior exit,
Quum premitur virtus, viden, ut fortuna frequenter,
Quos peſſum dederat mutata extollat eosdem,
Alternetq; vices? nihil eſt durabile ſemper
Sub cælo, redeunt poſt triſtia nubila ſoles
Jucundi: poſtquam ventis maria alta fuerunt
Exagitata diu: tandem pacata reſidunt,
Et remeat bruma poſt frigora floriferum ver.
Ergo animum firma, & duris ne deſice rebus,
Teq; ipſum ſerva fatis melioribus: olim
Adveniet tempus, curſum variantibus aſtris
(Si non ante diem Parcæ tua fila ſecabunt)
Quando tuum, quòd nunc merſum jacet atq; ſepultum
Mille per ora virum fiat memorabile nomen.

Marcellus Palingenius in Cancro.

DLIV. *De Elephanti amore erga hominem.*

QUUM *Bocchus* Rex in triginta quosdam ſævire decreviſſet, eos totidem elephantis objecit, ſtipitibus alligatos. Cumque immiſſi eſſent, qui inter elephantos procurſantes eos laceſſerent, nunquam efficere potuerunt, ut ſe regiæ crudelitatis miniſtros præberent. *Eraſmus in Colloq.* in Dialog. de amicit. pag. 714.

DLV. *De Monacho quodam & bufone.*

MOnachus quidam faſciculos aliquot ſcirporum in cubiculum congeſſerat, ſparſurus, cùm eſſet commodum. Is cùm à prandio ſupinus dormiret, bufo ingens erepſit, & os dormientis obſedit, infixis ſuperno atque inferno labro quatuor pedibus. Detrahere bufonem certa mors erat: non amoveri, quiddam erat morte crudelius. Quidam ſuaſerunt, ut Monachus ad feneſtram deferretur ſupinus, in qua ingens araneus habebat telam. Factum eſt. Mox araneus hoſte conſpecto filo ſe librat, & bufoni ſpiculum infigit, ac filo ſe recipit in telam. Intumuit bufo, ſed non eſt avulſus. Recipitur ab aranco, magis intumuit,

tumuit, sed vixit. Tertiò ictus abduxit pedes, ac mortuus decidit. Hanc gratiam araneus retulit hospiti suo. *Erasmus ibidem.*

DLVI. *De Puero quodam & Simio, atque testudine.*

SImius supra modum horret testudinem? Hujus rei quidam dedit nobis specimen *Romæ.* Puero suo in verticem imposuit testudinem, & pileo contexit, dein producit ad simium. Illico simius gaudens insiliit in humeros pueri, venaturus pediculos: sublato pileo, reperit testudinem. Mirum erat spectaculum, quanto cum horrore resilierit bestia, quàm expaverit, quàm timidè respexerit, an sequeretur testudo. Additum est aliud specimen. Alligavimus testudinem catenæ, à qua revinctus erat Simius, ut effugere non posset, quin saltem aspiceret. Incredibile dictu, quantopere fuerit discruciatus: tantùm non metu exanimabatur: interdum aversus posterioribus pedibus depellere tentavit hærentem bestiam. Tandem quicquid erat in alvo aut vesica oneris rejecit. Secuta est ex pavore febris, ut nobis fuerit solvendus à catena, & aqua vino temperata refocillandus. *Erasmus* ibidem pag. 716.

DLVII. *De Maximiliano Imperatore ejus nominis I.*

IMPERATOR MAXIMILIANUS anno quinto, priusquam diem obiret ultimum, in maximis Imperii & Regnorum negociis Sarcophagum sibi constitui curavit. Etenim cùm palatium amplissimum in Inspruck regio oppido Tirolis fabricaretur, atque nonnihil erroris artifices commisissent, ad *Matthæum*; (quem seniorem appellabant) qui primus inter eos, qui cubiculo regio præerant, secretiùs in aurem susurrans dixit: Nihil hi faciunt, quod mihi gratum sit. Ego domum mihi construam placituram: eaque die Sarcophagum cum omni, quæ mortuo ad

sepe-

sepeliendum necessaria supellectili, parari jussit: & clanculò quidem, ne ad hominum ostentationem, aut simulatam religionem id factum videretur. Quod secretissimè apud se, quinque illis annis, ubicunque locorum esset, etiam dum *Mediolanum* contra Gallos proficiscereturr, quàm diligentissimè singulis noctibus conservavit, ac reponi jussit. Arbitrabantur quidam homines, etiam, quibus rerum magnarum demandata fuerat cura, thesaurum aliquem istic detineri ac conservari. Alii nonnihil librorum, quibus historiæ veteres continerentur. Alii aliud quippiam eo deferri atque custodiri. Cæsar verò sibi conscius, in quem secum deferret usum, ut semper hilaris erat, subridendo in rei cujusdam sibi omnium charissimæ usum, id secum deferri dicebat. Sic assiduè mortem ante oculos sibi reposuit, ac dies atque noctes sepulchrum sibi adesse voluit, ut perpetua mortis recordatio eximeret cordi vanum hujus mundi fastum, sanctas autem cogitationes infunderet. Idem adhuc vivus jusserat, ut suum cadaver à cunctis, cujuscunque ac quantumvis infimæ sortis hominibus conspici permitteretur, ut vel suo exemplo discerent, cogitarentque cujuscunque status forent, sese mortales esse, nec ulla diademata, nullas opes, regna & imperia, à morte hominem præservare posse. *Reinhardus Hadamarius de Institutione Principis*, pag. 382.

Mors certa est, incerta dies, hora agnita nulli,
Extremam quare quamlibet esse puta.
Mors homini comes est, hominem comitatur, ut umbra,
Quoq; homo carpit iter, mors quoq; carpit iter.
Ille licet ferro cautus se condat, & ære,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

DLIIX. De *eodem.*

LAudanda *Maximiliani Cæsaris* modestia, qui moriturus inhibuit, ne præter communē hominum

sepe-

sepeliendi consuetudinem sibi pompa fieret exequialis. Et balsamo noluit condiri, cùm tamen Principibus Germaniæ, maximè autem *Austriæ* id fuerit consuetum atq; commune. Sepultus igitur in oppido *Welsis Austriæ*, honorifico magis, quàm apparatu nimium glorioso. *Idem Hadamarius eodem in libro* pag. 388.

DLIX. De Medico quodam.

HIc mihi venit in mentem suavis *Historia*, quæ extat apud *Augustinum* de quodam *Medico*, qui articulum resurrectionis mortuorum & animæ immortalitatem in dubium vocabat. Illi dormienti apparet pulcerrimus juvenis, ac familiariter eum alloquitur, & interrogat, num noverit? Id cum dormiens ille negaret, & tamen fateretur, quòd videret & audiret eum. Quomodo, inquit adolescens, me vides, cum oculi tui somno clausi sint? quomodo audis me, cùm aures tuæ non sint apertæ, sed dormias? Quam historiam refert *Lutherus* in Comment. suo in Genes. cap. 15. ubi addit illud Epiphonema: Disce igitur & crede, esse alios oculos spirituales, quibus credentes in Christum videant, etiamsi per mortem isti corporis oculi clausi, vel potius prorsus exstincti sunt. *D. Joachimus à Beust*, nobilissimus & eruditione pietateque præstantissimus JC. in Enchiridio de arte bene beateq; moriendi pag. 101.

DLX. De Theophrasto Philosopho.

PHilosophus fuit ex Eresso Lesbi oppido, prius Τύρταμος vocatus, qui inter Peripateticos doctissimus & eloquentissimus fuit. Unde & nomen sortitus est Θεόφραστος propter divinum eloquendi nitorem, ut dicit Quintilianus, Aristotelis discipulus & successor. Dictum illius memorabile illud celebratur: Doctum hominem solum ex omnibus *neq; alienis locis peregrinũ esse, neq; inopem amicorum.* Sicut &

in

in proverbio Græco dicitur: πᾶσα γῆ τρέφει τὰς τέχνας, id est, Omnis terra alit artes. *Cracovius in Com. in offic. Cicer.*

Scilicet est aliquid longinquas visere terras,
Nomen ab extremo clarius orbe venit.
Detrahit optato præsentia semper honori,
Perpetuoq; domi nemo placere potest.
Eobanus Hessus.

DLXI. De *Joachimo Vadiano* Medico.

JOACHIMUS VADIANUS non suæ tantùm Helvetiæ, verùm universæ etiam Germaniæ decus fuit conspicuum atque singulare. Hujus verò tanti viri in re medica scientiæ, rusticus quidam *Helvetius*, hunc ad modum, periculum fecit. Audierat is à multis popularibus suis, *Joachimum* curandorum morborum non prorsus desperatorum, adeo peritum, industriumque artificem esse, nulli ut propè omninò nequicquam medicinam adhiberet, quin omnes ex æquo depelleret. His autem ut fidem haberet, minimè adduci potuit, sed ita fere illos refutavit: Si *Vadianus* hanc artem calleret, ut fune per os sese in ventrem mihi demitteret, scalaque meo podici apposita eò subiret, tum verò crediderim, ipsum intus etiam atque etiam morbi mei causa perspecta, atque adeo membro affecto ad amussim explorato atque cognito, opem mihi afferre posse: At verò cùm tantùm circa urinam sit occupatus, & ad interiora nunquam penetret, eccui dubium sit, quin sæpe quidem numero tum fallat, tum etiam fallatur? Hanc illius impudentiam cùm nonnulli retunderent, affirmantes, *Doctorem* perpetuò cum rectissimè de morbis ex urina judicasse, tum etiam feliciſſimè eos curasse. Ne tum quidem asinus acquievit, sed dixit: Age statim ut meorum quempiam adversa valetudine corripi contigerit, experiar equidem, sit ne ille tam suæ artis

artis peritus, quàm vulgo prædicatur. Quid quæris? Menſibus non ita multis interjectis filius ejus tertianam in febrim incidit. Itaque datam ſibi occaſionem exiſtimavit experiundi, quàm ille doctus in re medica foret. Excipit igitur filii ſui lotium, idque ad *Vadianum* perfert, plura tamen haud effatus quàm *En tibi lottum*. *Vadiano* etiam percontanti, eccunde veniret, reſpondit: Id verò tuum eſt ex urina iſta diſcere, **Ihr werdets im Glaſe wol ſehen**. Neque verò aliud verbum ullum *Vadianus*, de quacunque etiam re illum interrogaret, ex hoc hominis monſtro exſculpere potuit, quàm illud: de eo tu ex hoc noſtro lotio cognoſces, **Ihr werdets im Glaſe wol ſehen**. Quare intellecta hominis ſimplicitate, ne dicam, an verò ſtupiditate, hoc quidem aucupio aſtúve uſus eſt *Vadianus*, ut diceret, ſe quidem iſta omnia ex lotio explorare poſſe, verùm cùm illud nimia agitatione turbidum effectum ſit, oportere horam unam & item alteram quieſcere. Proficiſcatur ergo in diverſorium, ibique pranſus ad ſe redeat. Quid multa? In hoſpitiũ ruſticus ille ſe confert. Quo facto *Vadianus* ſervo confeſtim ſuo mandat, ut aſinum eminus inſequatur, atque adeo obſervet, ad quem divertat, poſteaque hoſpitem roget, uti ſe quàm primùm accedat. Hæc illius mandata famulus diligenter exhaurit. Quum verò hoſpes ad *Vadianum* veniret, deridendam hominis fatuitatem ei explicat, ſimulque orat velit ſe ei prandenti adjungere ac ſciſcitari, unde veniat? quis ſuorum ægrotet? quamdiu decubuerit? quot filiorum ſit pater. Hoſpes hæc omnia cùm diligentiſſimè expiſcatur, tum etiam fideliſſimè ad *Vadianum* refert. Itaque difficile ei haud fuit ruſtico ad ſe reverſo, hæc omnia deinceps ex urina indicare. Qui quidem bene pranſus & potus, ad *Joachimum* tandem aliquando ſe recipit. Itaq; arrepta ille mox urina ita infit: Tu verò, mi vir, *Abbenzella* tum es

oriundus, tum verò etiam istic ætatem agis. Vocare Nicolaus. Pater es filiorum decem. Homo es & locuples, & res tibi pecuaria est ampla, & rustica sanè bene culta & fructuosa. Filius tuus natu minimus ægrotat, febri quidem, nisi parum prospiciunt oculi, tertiana. Decumbit ille decimum quartum nunc diem. Affers ad me urinam hanc, non tam ut illi mederis, quàm ut eruditionis meæ periculum facias. Hisque ad extremum *Vadianus* subjunxit: Quid desideras ne amplius quiddam? Tum verò Rusticus inquit: Nihil mehercule prorsus, mi Doctor, quàm ut primo quoquo die ad filium meum profectus, medicinam ei adhibeas. Moriar enim, ni meam de tua eruditione opinionem ita hodie confirmaris, tibi ut meum gnatum curandum lubens sim creditu-rus. Ac spondeo equidem, in méque recipio, gratum me adversum te futurum, si filii mei morbum arte tua correxeris. Quoties autem *Vadianus* tale quid dicebat, toties rusticus admirabūdus signaculo crucis pectus insigniebat, hac addita exclamatione: Vincor mediusfidius veris: Ihr treffendts bim Crütz Gotts/ihr treffendts. Domum verò reversus *Vadiani* eruditionem apud suos in cœlum laudibus extulit. Adeo fatuos ineptosque rusticos invenias, qui quidem opinentur, ex lotii contemplatione certiorem fieri posse Medicum de omnium rerum decumbentis statu, sit ne ille mas, an verò fœmina: dives an pauper, albus in ater, quandiu decubuerit, &, ut res sese in universum omnes ægrotantis habeant. His nimirum stipitibus hunc ad modum fucum facere comamque circumtondere convenit.

Sed enim silentio ferè præterieram, quemadmodum *Vadianus* trunci hujus confidentiam ultus fuerit. Quum filius ejus jam sese ex morbo illo confirmasset atque convaluisset, nebulonem hunc probè argento emunxit, & quadruplo plus ab illo poposcit

quàm

quàm ab alio quopiã, illata causa, se non modò occupatum fuisse in morbi genere inquirendo, sed & multum studii atque operæ posuisse in perscrutando omni rerum illius statu, quem quidem ita illi ob oculos collocarit, ac si domi ipsius fuisset. Quod cum ipse negare minimè omnium possit, reliquum esse, quàm liberalissimè nunc solvat sibi, atque satis omnino faciat. Atque de precio primùm postulato *Vadianus* ne teruncium quidem remisit.

DLXII. *De Medico quodam Impostore.*

Impostor Medicus, quales rudis Hessia tantùm
Miratur, sacras constitit ante fores.
Et sua jactavit stupidæ magnalia turbæ,
Cui malo certam pollicitatus opem.
Audit hæc adstans, & ei, heus tu, rusticus, inquit,
Magnæ tua Doctor me precor arte juva.
Errantem infelix amisi nuper asellum,
Da quod, ut inveniam, si medicamen habes.
Adnutans Medicus decerpta lathyride grana
Mox dedit, hæc patulis glutiit ille labris.
Inde domum repetens, subitò cita viscera motu
Sensit, & medio est sæpe solutus agro.
Hîc ubi post quoddam desedit fortè salictum,
Aspexit pascens protinus ire pecus.
Tum quanto potuit lætatus cæpit hiatu,
O magnum, DEUS hunc quem tulit ipse, Sophum!
Sic celebre indignis parit ignorantia nomen,
Doctus apud fatuos sordet Apollo viros.

Cordus lib. 9. Epigramm.

DLXIII. *De Nicodemo Frischlino.*

ERat *Guilielmus Landgravius Hassiæ*, heros ille omni laude superior, quẽ honoris causa nomino, Princeps, ut inter omnes constat, non modò litteratissimus, sed & literatorũ omniũ Mecænas & patronus summus, ita quidẽ ut eos & in aulis ferret, & proveheret, & tueretur, & augeret, & quoquo denique

modo juvaret. Hic tantus heros *Nicodemo Frischlino* pro singulari illa sua incredibilique in homines doctos humanitate & benevolentia cœnam olim dabat. In qua quidem cùm structor *Frischlino* ovum apponeret, idque ille in disco relinquens neque attingeret, neque manducaret, Princeps eum semel atque iterum, eoque amplius admonuit, ut ne verecundaretur & edere & bibere ἀδεῶς. Itaque *Frischlinus*, qui jam vino incaluerat, ovo in manum ad extremum sumto: Equidem non parum quidem sæpe audivi, *Clementissime Princeps*, inquit, sex propè modis circa ovi alicujus manducationem delinqui: ast ego omni nunc numero hîc peccabo, hisq; dictis totum mox ovum in os ingerens, non sine stridore aliquo mandit devoratque. Unde quum *Princeps* nauseæ quandam molestiam susciperet, nonnihil stomachans dixit: **Ihr möcht wol ein Doctor seyn/ Vnd möcht auch wol ein Narr seyn.** Es tu quidem Doctor: at istæ meherculè ineptiæ fatuum aliquem magis decerent, quàm tuam istam personam. *Frischlinus* rubore suffusus, tacitum aliquandiu ac sub tristis assedit, ita ut cuivis perspicuum evaderet, pœnitere ipsum haud mediocriter, quòd, dum facetus haberi gestiret, tanto PRINCIPI simul & nauseam & stomachum fecisset. Id perspiciens GUILIELMUS heros, & cum homine rursus familiares sermones confert, & illi identidem præbibit, & aureis itemque aliquot ornatum auctumque, quàm clementissimè à se dimittit. Cæterùm quum in ovorum mentionem delapsi hîc simus, & facilè circa ovorum usum erretur, operæ precium fortasse facturus sum, si hoc loco adscripsero, quemadmodum ea rectè rationeque manducentur. Qua de re OTHO BRUNFELSIUS in Cateches. pueror. Tom. 4. cap. de moribus in convivio observandis pag. 80. ita scriptum reliquit:

4. *Ova manducaturus panem conscindito frustillatim prius.*
2. *Ne quid praterfluat, curato.*
3. *Mature edas ovum.*
4. *Testas non confractas in catinum rejicito.*
5. *Inter edendum ovum non potabis.*
6. *Comesturus thoracem ne commacules.*

DLXIV. *De Doctore quodam Juris.*

JUrisconsultus quidam præstantissimus, ac per omnem Europam celeberrimus, cujus egregia monumenta etiamnum, non solùm in Germania, verùm etiam in Gallia typis descripta, ab omnibus legum studiosis diuturna nocturnaque manu versantur, atque adeo lectione conteruntur, cum quodam Germaniæ Principe olim pransurus, puero ad mensam assidente, ac DEO Opt. Max. pro benedictione cibi supplicante, astabat & ipse, læva quidem sandalium tenens, dextera verò cultellum ad illud ipsum exacuens. Id conspicatus *Princeps* dixit: *Oh Domine Doctor*, ubi hoc didicisti? Ille tum crepidam redinduens, tum verò illotis manibus accumbens respondebat; per quàm verò retusus & hebes cultellus hic meus erat. Itaque mihi faciendum putabam, ut eum nonnihil exacuerem, hisque dictis ungem sinistri pollicis cultello mox subjiciens scabensque insit: Vide, quàm pulcrè nunc scindat? Idem cum finito jam prandio nonnihil de pane & esculantis cultello adhæsisse suo animadverteret, eum & conspuit, & sputo suo tantisper lavat, dum sordes omnes detersisset, quas & mantili *Principis* allinit. Quamobrem *Princeps* subridens inquit: Crediderim equidem *Domine Doctor, te ex Grobiani* prodiisse schola. Ei *Doctor* respondet, Ego verò *Clementissime Princeps* non morum civilitati, sed jure civili operam dedi, ideoque veniam mihi dari postulo. *Princeps* hominem à se dimittens inquit: Erat tamen & morum civilitati non-

nihil dandum. Et rectè quidem pronunciavit *Princeps*. Etenim si Themistocles habitus fuit indoctior, quum recusasset lyram, quantò magis parum doctus habendus est is, qui moribus usque adeo agrestibus est præditus, ut a sordido aliquo cerdone nihil ferè differat? differat autem? immò verò hunc ipsum morum rusticitate multum antecedat. Scitum profectò est illud Nasonis:

Adde, quòd ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Ac *M. Petrum Vincentium* in Academia Marpurgensi pro publica concione non parum quidem sæpe dixisse accepimus: *Qui non sunt assuefacti honestis moribus, ii quidem à sue facti sunt.* Incredibile profectò est, quantum autoritati alicujus quamlibet doctissimi decedat, cui quidem mores minùs sunt emendati. Huic quippe aulici certatim medium digitum ostendunt, pro oblectamento ipsum usque habentes. Quo circa, qui autoritatem conservare suam sartam tectam in aula cupit, is quidem totus eam in curam atque cogitationem incumbat, ut non solùm sit doctrina atque optimarum artium studiis eruditus, sed & quàm optimis elegantissimisque moribus imbutus.

DLXV. *De Doctore Antonio.*

ANtonius hic ut jure consultissimus, sic moribus etiam mirum in modum agrestibus præditus fuit. Nam cùm aliquando apud viduam *Ducis Erici Brunsvicensis* pranderet: apponerē tibi domina boni quippiā inquit, si tale quid in patinis inesset: **gnädige Frawich wolt euch gern etwas guts vorlegen/ so ist nichts guts in der Schüssel.** Qua quidem incivilitate sua hoc est consecutus, ut à Ducis mensa, utpote minùs delicata, penitùs excluderetur, domique saliarem in modum, si diis placet, deinceps pransitaret. Idem ab Hessorum Principe ferinis carnibus aliquan-

liquando donatus, gratias Celsitudini ejus nullas egit. Quod optimo & liberalissimo Principi stomachum fecit, ideoque propter hoc ingrati crimen, pũgendum ipsum nonnihil censuit. Itaque hanc in rationem eum est affatus: Ecquid nos amas de ferinis carnibus, tibi non ita pridem donatis? Cui ille respõdit: Illustrissime Princeps per quam eæ macilentæ fuêre, sic quidem, ut devorare eas renuerim, atq; adeo inter pauperes, ne totæ scilicet perirẽt, distribuerim. Quod illiberale, impium atque adeo impudẽs ejus responsum Princeps ita accepit: Accipies verò deinceps pinguiores. Rectè ergo Augustinus: *Qui proficit in literis et deficit in moribus, plus deficit quam proficit.* DLXVI. De *Alladio.*

ALLadius vir impius & tyrannicus, bonorum contemtor, cõmentus est quomodo imitaretur tonitrua, strepitus ac fragores edens fulmineos, ut civibus attonitis haberetur pro DEO. Sed imbribus ac veris fulminibus irruentibus in ejus ædes, stagnóque juxta quod habitabat, exundante præter solitũ tum diluvio cum ipsis ædibus absumtus est, & nunc quoque deficiente stagno & aquis decedentibus per tranquillitatem spectantur diruta cœnacula, & habitationis alia vestigia.

Dionysius Halicarnassæus lib. 1.

Vos quibus Rector maris atq; terræ
Jus dedit magnum necis atq; vitæ,
Ponite inflatos tumidosq; vultus.
Quicquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno graviori regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Seneca in Thyeste.

Quando boni gremio Respublica nixa recumbit
Principis, humanum gaudet ubiq; genus.

Imperiis homines sed quando fruuntur iniqui,
Flebilibus populus fletq; gemitq; modis.

Hartmannus Schopperus.

DLXVII. De Cive Megalopolita.

CIvis *Megalopolitæ* ex Arcadia, *Cercidas* nomine, moriens dixit familiaribus suis, se non ægrè mortem obire: sperare enim, se conventurum ex Philosophis *Pythagoram*, ex Historicis *Hecataum*, ex Municis *Olympum*, ex Poëtis *Homerum*. Et hæc effatus, ut fama est, vitam amisit.

DLXIIX. De Conrado Ledderhosio Reipublicæ olim Cassilensis Senatore.

QUum anno Christi Salvatoris 1552. Cassiliæ Hessorũ metropoli pestilentia vehementer sæviret, & non parum quidem multos quotidie morte deleret, ad orcumque mitteret, evenit, ut quadam vespera bubo fenestris illius & obvolitaret, & obstreperet, & frequenter itemque bubularet. Quod verò res ea in mali ominis loco duci soleat, conjunx illius continuò exclamavit: Periimus *Conrade*: Nam pestis & nostras has ædes invasura & purgatura cum pulvisculo videtur. Ad hæc *Conradus* planè obstrupuit & obmutuit. At verò cum bubo subinde rediret, & tum strepitu, tum cantu etiam suo molestiam illi exhiberet, terroremque incuteret, ad extremum animum recipiens, hanc in rationem exclamavit: ô dii immortales avertite & detestamini quæso hoc omen, posteaq; conversus ad bubonem, ipsum hunc ad modum objurgavit. Quid tu verò infausta ac mortifera avis mihi nunc obstrepis, facesse meis ab ædibus in malam rem: isthæc obnunciatio tua non mihi, non conjugi, non liberis, non familiæ meæ, sed cani eveniat meo. Quid fit autem? Quum canis illi pervigil esset, qui & per omnem alioqui noctem latrare, & ædes diligenter obire soleret, ea is nocte magis mutus, quàm piscis, postridieque exanimis

post

post focum in culina repertus fuit, cùm pridiè quidem & belle habuisset, & cibum affatim cepisset. Neque verò postea quisquam ea in domo præter hunc canem, peste, quamdiu ea istic fuit grassata, interiit.

DLXIX. De quodam Rustico & nonnullis Scholasticis.

RUsticus quidam Scholæ N. N. Rectori plaustrũ lignorum vendebat. Hic conspicatus illũ pluviis & nivibus totum madere, jussit, ut plaustro exonerato auditorium scholæ interius ingrederetur, ac se tum siccaret, tum etiam calefaceret. Rusticus igitur, ut primùm currum exoneravit, pecuniamque accepit a Rectore, auditorium mox intrat, postfornacemque sedem capit. Ubi quum aliquandiu sedisset, ex reticulo suo panem atque caseum depromit, iisque perquam avidè vescitur. His pastus & satiatus podicem ad fornacem ferreum ita propè admovet, ut Rhenonem suum adureret. Quod videntes infimæ classis pueri quidam, cœperunt alter alteri digito in rusticum extento dicere, ecce, ecce. Id de se dici stipes ille haudquaquam animadvertit, tantisper dum Rheno ipsius sic jam flagraret, ut flãmas etiam spargeret. Itaque & naribus & natibus adustionem vestis jam satis superque sentiens, podicem muro, quantum potest, affricat, atque hoc quidem pacto incendium illud restinguit, hanc quidem in rationem exclamans? Nunc demum intelligo, quid vox illa *ecce* sibi velit, innuitis scilicet, vestem meam pellibus suffultam aduri: **Ja nun merck ich/ was Ecce heist/Ecce heist der Beltz bornt.** Hisq; dictis hypocaustum mox purgat, fœtore incredibili post se relicto, ita quidem, ut cum ipsi præceptori tũ pueris etiam in mentem veniret suspicari, rusticum illud incendium culi sui fumis restinxisse, perinde ut Caminum conflagrantem sclopeti alicujus displosione exstinguere consuevimus.

DLXX. De *nobili quodam insipiente, & Scabino suæ opinione perquam sapiente.*

NOvi ego *nobilem* quendam hebetis obtusíque cordis hominem, qui quidem inter scyphos aliquando de opum suarum amplitudine plus quàm thrasonicè, atque adeo intolerantissimè gloriabatur. Id audiens *Scabinus* quidam rusticus, homo tum morosus, tum persuasione etiam eximiæ cujusdam sapientiæ imbutus, eáque re mirum in modum sibi placēs, in væcordem istum nobilem stomachosè invehebatur, dictitans: Quid tu verò trossule de divitiis istis tuis tam gloriosè magnificéque prædicas, quum his tamen ipsis tantīsper duntaxat gaudeas, dum in hac vita commoraris? **Juncker / was rühmet jhr viel von ewren Gütern / habt jhr sie doch nit länger / als ewer lebenlang**: innuens, pleraque omnia nobilis bona feudalia esse, quæ eo rebus humanis exemto (ultimus enim in ista familia ipse absque sobole mascula superstes erat) ad Principē revolverētur ac redirent, cùm ipse contra hæreditarias possideat opes, quas vita defunctus liberis sit suis relicturus. Eo audito nobilis & cordatè & lepidé respondet: Tu ne ergo, tertie Cato, cedo quæso, opibus tuis tum adhuc perfruere, cùm functus vita, divinæ necessitati morte jam concessisti? **Ey du weiser Schöpf / hastu dann deine Güter länger / als dein lebenlang?** Atque hæc quidem effatus effusè cachinnatur. Id quod cæteri combibones ad unum omnes factitant. Itaque *Scabinus* errorem suum agnoscens, & à nobili isto, qui pro fatuo vulgo habebatur, superari se sapientia acerbè ferens, illicò de mensa surgit, domúmque remeat, identidem se ipse incusans atq; detestans, quòd digito labellum non compescuisset, sed suam stultitiam & prodidisset, & omnibus deri-

deridendam propinasset. *Stultus siquidem tacens, sapiens reputatur: ut scitè Salomon in proverbiis innuit.*

DLXXI. *De quodam rustico.*

RUSTICUS quidam servo suo comitatus, theriacam emturus, filiæ ut inde suæ decumbenti medicinam faceret, ad Pharmacopolam in proximam urbem proficiscitur. Quẽ cùm aromata quædam in mortario tundentem conspicaretur, hunc ad modum ipsum alloquitur: *Salve mi Domine Magister* **Stimpestamp. Glück zu Herr Meyster Stimpestamp!** & mox denariis sex depromptis inquit: En theriacam volo pro his nummis: Illam autem, Magister, velim in hunc saccum (quem tantæ quidem magnitudinis, ut vel modium frumenti capere potuisset, depromebat rusticus) mihi condas: Si verò de theriaca aliquid superfuerit, quod saccus hic non capiat, illud ego & servus meus vorabimus: **Meyster ich will vor 6. Peng Treyockels / den wöllet jhr mir in diesen Sack thun / was nicht hinein gehet / das will ich vnd mein Knecht fressen.** Quum verò parvam admodum pixidem, in qua theriaca recondita erat, Pharmacopola porrigeret, rusticus repetitis nũmis suis valere illum jussit, & de alio medicamento, quod tam magno non constaret, filiæ suæ adhibendo cogitationem suscepit.

DLXXII. *De alio quodam rustico.*

MARPURGI Hessorum evenit annis abhinc, ni fallor, tredecim, ut rusticus quidam, qui causam in dicasterio illic habebat, indignè ferens, in tam multos istam annos non sine magno rei familiaris suæ incommodo atque indetrimento protrahi, ad Vicariũ Principis *Dominũ Burckhardũ Cramiũ*, virũ omnib⁹ veræ nobilitatis ornamentis insignem profici sci eũque suppliciter rogare, quo is quidẽ autoritate sua, qua valeret plurimũ, interposita, operam daret,

daret,ut causæ tandem aliquando illius finis optatus imponeretur,animum induceret suum: Itaq; recta ad dicasterium se confert, ibíque pullatis hypocausti illius, in quo Scribæ commorantur, foribus, percontatur ex illis,ubinám sit ille, qui pallio bene longo ad talos usque propendente amictus incedat? Scribæ quem vellet, ex hac se circumscriptione deprehendere negant,quod complures illic essent,qui isto habitu incederent. Itaque alia utens periphrasi rusticus,illum volo, inquit, qui gladium lateri accinctum suo gerit,& vocatur *Burckhardus*. Scribæ ne tum quidem,quia & tales in aula complures versarentur,quem vellet,sese intelligere denuo respondent.Tum rusticus infit: Illum ego volo, illum inquam,qui absente Principe Diabolus totus est in dicasterio? **Ich meyne den / welcher der Teuffel gar auff der Cantzley ist/wann der Forst nicht daheim ist/** innuens,omnium ipsum negotiorum,quæ in aula & dicasterio gererentur,proram esse,quod dicitur,atq; puppim,atque adeo Principem ipsum representare, eiusque vices gerere. Hunc Scribæ Principis Vicarium esse affirmant.Rusticus, ubinám nunc ille cõmoretur,se namque accedere ipsum constituisse ,interrogat : Respondent illi: Conferas te in forum, per illud Vicarius circiter horam octavam contendet ad dicasterium. Rusticus dicto ipsorum est audiens,ad forumque profectus,adventum Vicarii avidè expectat. Interea orationem,qua dominum Vicarium compellet,diligenter meditatur. Conspicatus igitur eminùs adventare *Vicarium*,demisso ad eum gradu,nudato capite pileóque natibus admoto, accedit,atque hanc in rationem ipsum alloquitur: O æterne & omnipotens Domine Vicarie,audivi equidem te Diabolum ipsum esse in dicasterio,quæso te per Deum, ut huic quoque causæ meæ finem imponi facias : **O ewiger allmächtiger Herr Statthaller/**

heller/ich hab gehört/ihr seyt der Teuffel gar auff der Cantzeley / ich bitt euch vmb Gottes willen/helffet doch meiner Sachen auch ab. Significare autem volebat, omnes in dicasterio causas in Vicarii manu esse atque potestate. Vicarius, quæ summa illius erat humanitas, ista compellatione, quam è mera rustici simplicitate proficisci satis intelligebat, nihil quicquam offensus, causæ ipsius provehendæ se non defuturum respondet, eumque ad horam unam atque alteram præstolari jubet. Id fecit rusticus, & optatum eo adhuc ipso die in causa sua responsum tulit.

DLXXIII *De alio quodam rustico.*

QUum Doctorali laurea insignitus, ex Academia in patriam praxis exercendæ causa me contulissem, veniebat ad me rusticus quidam & prædives, & præter cæteros singularis cujusdam sapientiæ persuasione imbutus, meque rogabat, libellum ut sibi supplicem ad illustrissimum Principem conficerem. Ut verò & benevolentiam, sicut ipsi quidem persuasum erat, captaret meam, & simul incredibilis illius suæ, si diis placet, sapientiæ specimen aliquod daret, ita me alloquebatur: Doctoralem Majestatem tuam Domine Doctor, enixè rogo, nulli ut labori in causa mea parcas, senties utique me præclarè memorē atque gratum. Ich bitt/Herr Doctor/ewre docterliche Majestät/wölle in meiner Sachen ein Fleiß anwenden/ich will Danckbar seyn. Ego, licet risum ægrè tenerem, quem insolens ille mihi movebat titulus, in causa ipsius tractanda ad summam diligētiam reliquum me nihil facturum recipiebam. Rusticus, cū libellum jam supplicem cōfectum ipsi prælegissem, collaudata diligentia mea, ut & liberalitatem mihi suam probaret, & testatum pariter faceret, quam vir esset omnium virtutum ornamentis conspicuus, aureo me nūmo cohonestavit, priorique titulo repetito mi-

to mihi valedixit, & Cassellas se contulit, Principi libellum istum supplicem exhibiturus.

DLXXIV. *De aliis quibusdam rusticis.*

RUstici plerique persuasum sibi habent, si quis Doctoris honore sit redimitus, eum in omni scientiarum atque facultatum genere excellere, ac nihil planè ignorare. Cùm igitur non ita pridem Doctorali laurea assumta, ex Academia in patriam migrassem, rustici morbo aliquo correpti tum lotiũ ad me suum mittebant enixè rogantes, ut illo inspecto remedia sibi præscriberem, quibus usi pristinæ possent valetudini restitui: tum ægrotos etiam ipsos ad me adducebant, ut coram conspicarer, quo cum morbi genere conflictarentur, facilius deinceps futurum rati, ut remedium conveniens adhiberem. Ego verò, ut in opinione ista sua, quàm de Doctoribus conceptam habent, conservarem rusticos, mihi per alias occupationes jam non vacare causatus, illos ad M. *Georgium Amicum* Medicum Eschwegensem, virum omni liberali disciplina & politissimum & prudentissimum Reip. Eschwegensis Consulem, amicum meum ac cognatum atque affinem carissimum rejeci, qui probè postea ipsos, memor tamen illius vulgari sermone contriti proverbii: *Accipe, dum dolet*: curavit, & pristinæ sanitati restituit.

DLXXV. *De alio quodam rustico.*

EST id in more institutoq; positum, ut tribus diebus dominicis antè, quàm nuptiæ celebrentur, novi sponsi publicè ex suggesto à presbytero illius loci, in quo nuptiæ celebrandæ sunt, proclamentur. Et hanc quidem proclamationem sponsus à pastore suo petere atque impetrare cogitur. Qua de causa veniens aliquando rusticus quidam sponsus ad patrem meum: Nuptias, inquit, domine pastor, celebrare mihi certum est. Itaque te rogo, ut in principali

pali tuo suggesto pro more publicè me sponsamque meam proclames: **Ich bitt euch Herr Pfarher / jhr wöllet mich vnnd meine Mensche auff ewer Fürstlichen Cantzel auffruffen.**

DLXXVI. *De quodam Diacono & rustico.*

SUfficiebatur in Diaconi cujuspiam rebus humanis exemti locum pastor quidam paganus, homo & integræ vitæ, & doctrinæ minimè vulgaris, & ingenii valde sedati, &, quod caput est, ad docendum populum inprimis idoneus. Hunc rustici, quo tolerabilius igniculum desiderii ipsius ferrent, intervisebant, quotiescunque quidem in urbem proficiscebantur, seu vendituri, seu empturi quippiã, seu aliud denique aliquid acturi. Evenit autem, ut quidam ipsum convenerit, quum venam jam incidendam curaret. Is conspicatus sanguinem ubertim ex venula prosilire, admirabundus exclamavit. *Papæ Domine Nicolae*, quid idhæc sibi corporis vult laceratio? Quæ (malum) dementia est, ita se chirurgo lancinãdum consauciandumque propinare? Respondente verò Diacono, & plurimum id ipsum valetudini conferre, & sine ullo aliquo doloris sensu fieri nullo homini negocio persuadet, ut ipse venam sibi secari pateretur. Quamobrem cum chirurgus illi & brachiũ jam demulceret, & utrinque ligando venam cõspectiorem efficeret, & phlebotomo denique ipsam illã feriret aperirétque, rusticus sao ipsius sanguine conspecto corruit, animíque deliquium patitur. Itaque Diaconus nardinum illi mox aspergit, atq; hoc quidem pacto salutem reddit. Qui quidem ut primùm sese collegit ac meliusculè jam habuit, oculis in nardinum conjectis, summis id laudibus ad cœlum effert, inquiens: **Ey Herr Claus / das muß leyden guter Safft seyn / wenn ich den nicht kriegen hätte / wäre ich im meinen Kopff gestorben.** Perieram equidè *Domine Nico-*

Nicolae,,ni isto unguento delibutus fuissem. Quin igitur precioſum ſit valde ac ſalubre, dubitari mehercule non debet. Porro Diaconus ruſtico cum prandium præbet, tum compotatiuncula eum exhilarat, tum domum etiam ſub veſperam remeaturum detinet admonetque, apud ſe uti pernoctet. Quod igitur vino confectus eſſet, penulam ſibi ſcindi haud patitur, ſed mox moxque annuens, apud Diaconum permanet. Is anaclinterium ſternendum ei curat, in quod & reclinat. Vix dum autem Diaconus ab illo digreſſus fuerat, candelámque exſtinxerat, ecce tibi ruſticus ad nardinum reverſus, animum ſuum inducit eo probè ſeſe probéque proluere. Quod verò propè vitrum nardinum, aliud quoque atramento repletum poſitum eſſet, ille hoc ipſum arripiens cum faciem, tum lectum etiam pulvinariáque pudēdum in modum contaminat. Itaque Diaconus poſtridie hypocauſtum ingreſſus, atque ita denigratum ruſticum cernens, diabolum quendam in lecto cubare ratus, pedem mox refert, toto corpore trepidās. Hunc clamore ſuo ruſticus revocat, atque redeuntem hunc ad modum alloquitur. Heri vix dum mihi dorſum obverteras *Domine Nicolae*, ecce tibi ægrotare occipio, ita quidem graviter, ut dubiū non ſit, quin animi ſyncopen iterum fuerim paſſurus, ni arrepto nardino me confeſtim recreaſſem: Diaconus igitur ſpeculo illi mox ante oculos poſito conſtitutóque reſpondet: Vide inſulſe nebulo, quo ſis nardino delibutus, & ut cum faciem tuam, tum lectulum etiam meum fœdaris conſpurcaverisque. Is igitur agnito errore cum deprecatus eſt culpam, tū albis etiam aliquot numeratis ad vinum ſublimatum coēmendum, peccatum iſtud expiavit, ac ſordes iſtas aqua calida lixivióque non ſine ſudore ex facie eluit.

DLXXVII. De *Superstitiosa quadam rustica.*

SUB initium renascentis Euangelii rustica quædam in Cattis vaccam morbo affectam habebat. Quæ quidem, ut ne morbo isto interiret, sed consaneſceret in vivisque permaneret, pullos gallinaceos duos filiæ suæ dabat, quas in delubrum auff dē Hůlffenberg portaret, ac monialibus offerret. In spem siquidem magnam adducebatur, ea se re vaccæ suæ salutem incolumitatémque impetraturam. Cæterùm quum puella ad fanum istud jam perveniſſet, incidit in quendam vicinum suum, à quo interrogata quamobrem accesserit, illi rem omnē exponit. Is verò puellæ omnibus modis suadet, ut ne pullos istos gallinaceos virginibus vestalibus offerat, sed vendat potiùs, ac pecunia inde redacta, cerevisiam Eimbecensem emat, secúmque potet. Puella nonnulla purioris religionis cognitione jam tum imbuta; vicino suo omni asseveratione affirmāti periturum illud sacrificium, facilè fidē adhibet, ac morem illi gerens cùm pullos gallinaceos divendit, tū verò nūmulos inde redactos cereviſiæ Eimbecensi impendit, cum suóque vicino poculis indulget. Sub crepusculum vespertinum, quum domum se retuliſſet, percontatur ex ipsa mox mater horam, qua pullos gallinaceos virginibus illis obtuliſſet. Et respondente ipsa, hora XI. meridiana, exclamavit continuò mater, hem ea ipsa hora noſtra vacca meliusculè habere cœpit. Cave igitur putes futurum unquam, ut inveterata ista religione valere jussa, novā illam Lutheranámque amplectare. Equidem vaccæ meæ sanitatem uni meo sacrificio sacris virginibus per te oblato acceptum refero. Itaque ab ista me religione nemo divellet quisquam, dum spiritus hos reget artus.

DLXXVIII. *De rustico quodam.*

FUit sacellum quoddam in Hassia non procul à *Germeroda* situm, *Divo Lucæ* sacrum. Huc aliquando rusticus porcum male affectum habens proficiscebatur, Divóque huic modicum tritici dimidiatum offerebat, quo is quidem suem istam valetudini pristinæ restitueret, in vitaque conservaret. Interea dum domo rusticus abest, porcus moritur. Itaque domum ille reversus admodum *Lucæ* indignatur, atque cum ipso hanc in rationem expostulat: *Lucelle Lucelle* apparet te esse quantivis precii socium, cùm quidem frumẽtum a me sumseris, ac nihilominus porcum meum mori siveris: **Lötzge Lötzge du darffst mir wol ein Gesetchen seyn/ du vmbst den Scheffel Wayß von mir/ vnd lest mir nun dewinger mein Saw sterben.**

DLXXIX. *De Balthazare Cossa Pontifice Romano.*

COnvocaverat quondam Romæ concilium, maxima quorundam impulsus contentione, *Balthazar Cossa* perfidissimus, è Petri sede, quam turpissimè fœdabat, ejectus, in quo paucissimis præsentibus, ex aliquibus, qui aderant, Italis & aulicis suis, sessiones aliquot tenuit, de rebus supervacaneis nihilque ad Ecclesiæ utilitatem pertinentibus. Cùm autem ante primam Concilii congressionem, pro invocatione Spiritus sancti, sacra de more fuissent facta, ut patres assederunt, & *Balthazar* sublimi in loco præsedit, ecce dirus ac feralis bubo, funeris aut alterius, ut ferunt, calamitatis semper nuncius, è latebris erumpens, voce illa sua horrifica cõtinuò advolat, superque trabem templi mediam, oculis in *Balthazarem* intentis, astitit. Universis mirantibus, quod nocturna avis & lucifuga, in turbam diurna luce advenisset, malumque ex prodigio ominantibus,

Baltha-

Balthazar, in quem fixa acie oculos intendebat, angi, sudare, atque intra semetipsum æstuare cœpit, & dimissis patribus, ac soluto conventu discessit. Aliqui prodigium in risum verterunt, dicentes, specie bubonis in congregationem improborum, Spiritũ sanctum advenisse. Secuta altera deinceps sessio, in quam eodem modo rursus bubo advenit, verso semper in *Balthazarem* cõtuitu, qui majore pudore, quã prius, perturbatus, avem ominosam clamoribus abigi, & supplosione manuum terreri præcepit: Sed illa non prius amota fuit, quàm fustium ictibus pulsata, in conspectu omnium exanimis decideret. Hic autem bubonis adventus augurio suo non caruit. Nã & concilium cum dedecore Pontificis dissolutum, & *Balthazar* paulò pòst *Constantiæ* exautoratus est, & *Monheimii* in oppido Principis Palatini in vinculis detentus. Suam autem fortunam in carcere his versibus deploravit, qui, quamvis ad hanc historiam nihil faciant, utilem tamen de fortunæ mutabilitate admonitionem comprehendunt:

Qui modo summus eram latatus nomine Præsul,
Tristis & abjectus nunc mea fata gemo.
Excelsus solio nuper versabar in alto,
Cunctaq; gens pedibus oscula prona dabat.
Nunc ego pœnarum fundo devolvor in imo,
Vultum deformem pallidaq; ora gero.
Omnibus è terris aurum mihi sponte ferebant,
Sed nec Gaza juvat, nec quis amicus adest.
Sic varians fortuna vices, adversa secundis
Subdit, & ambiguo numine ludit atrox.
Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit,
Vertice de summo mox ego Papa cado.

Nicolaus Clemangius.

Ovidius:

Ignavus bubo dirum mortalibus omen.

Idem.

Triſtia mille locis ſtygius dedit omnia bubo.

Autor Philomelæ.

Bubulat horrendum ferialı carmine bubo,
Humano generi triſtia fata ferent.

DLXXX. *De Changio Can Imperatorıs Tartarorum.*

ACcidit aliquãdo, ut *CHANGIVS CAN, Imperator Tartarorum* victus ab hoſtibus, inter arbuſta lateret, inter quæ cum fortè bubo inſideret, victores, dum perquirunt victos, paſſim occultatos, neminem latere putarunt, quaſi ave illic minimè manſura, ſi hominum quisquam adeſſet. Itaque factum eſt, ut ſilentio noctis ſecutæ Imperator ad ſuos evaſerit, & ſalutis ſuę cauſam expoſuerit. Ab hoc igitur tempore Tartari bubonem ceu avem felicem & ſacram reverentur, & plumas ejus ceu amuletum & proſperitatis cauſam in capitibus geſtant, ac, quicunque illas habere poſſunt, ſe felices exiſtimant. *Haithonus in libro de Tartaris.*

DLXXXI. *De Conſule quodam Jenenſi.*

JEnæ quidam N.N. homo & ætate jam provectus, & ſimplex, & minimè malus, ſed nulla fere ſingulari prudentia, aut certe quam exigua prędituſ, conſulatum gerebat. Quòd verò de iſta ipſius ſimplicitate literarum ſtudioſis plerisque omnibus conſtaret, quidam illorum cæteris nequiores hominẽ mirificè exagitabant. Etenim quoties ille hyberno tempore vel rure rediret, vel ex templo, vel curia deſcenderet, domum ſeſe recepturus, toties ſtudioſi illum, & prenſabant, & circumſiſtebant, & hanc denique in rationem ſermones cum ipſo conferebant: Salva ſit prudentia veſtra domine Conſul. Et quid prudentiæ veſtræ de præſenti hoc frigore tam grandi videtur atque vehementi? Nę intenſum eſt frigus.

Vah

Vah quantisper *prudentia vestra* frigore isto fracta, prostrata, atque adeo exhausta est? Male sit nobis, ni tibi condoleamus: **Gott geb ewer Weißheit einen guten Tag/Wolweiser günstiger lieber Herr Bürgermeyster/ was düncket ewre Weißheit vmb diese Kälte? Ist das nicht eine grewliche grosse Kält? Ach ewer Weißheit ist jämmerlich erfroren.** Hoc quidem verborum involucro obliquè illi tectéque ingenii ipsius tarditatem stupiditatemve notabant, &, ut explicatius loquar, adunco ipsum naso suspendebant. Quod ipse tamen utpote obesæ naris homini minimè omnium subolebat, qui laudi sibi ducebat, ad eum se modum ab adolescentibus literatis prensari, & hujusmodi colloquiis deliniri. Itaque gratiis ipsis actis perquam amanter respondit: Enimverò magnum est frigus, optimi adolescentes, quod quidē, ut rectè auguramini graviter me afflixit. Proinde, ut ne ipse mihi desim, domum nunc propero, ad fornacem utique me refecturus. Quod si vos quoque ad nostram hanc ætatem aliquando perveneritis, næ nobis etiam multum, credite mihi, de isto vestro cum corporis, tum animi calore decedet atque deminuetur.

DLXXXII *De Diocletiano Imperatore.*

Diocletiani dictum fuisse fertur: Ego apros occido, sed alius pulpamento vescitur, quod inde natum est. Agenti in Gallia *Diocletiano* dicebat Dryas sacerdos, vel saga: Nimium *Diocletiane* avarus, nimium parcus es. Cui per jocum is: Tunc ero largus, cum Imperator fuero. At *Dryas*: Noli *Diocletiane* jocari. Nam Imperator eris, cum aprum occideris. Ex eo venationibus deditus aptos fortè oblatos enixius occidebat, dicti eventum exspectans, quo est frustratus, donec præfectum prætorii *Arium Aprum* peremit. *Calius.*

DLXXXIII. De *materiario quodam fabro, Leone, Leæna, & Ursa.*

IN Pangio Thracio monte, *Eudemus* ait, ursam, quæ leonis lustrum non ignorabat à defensoribus vacuum esse, hujus catulos, qui per ætatem se nondum tueri possent, interemisse. Mox parentes, cum alicunde ex venatu revertissent, & cùm etiam leunculorum cædem factam vidissent, acerrimo, ut par erat, dolore pressos, ursam insecutos fuisse. Hanc verò summo cum metu, quantum potuit itineris, contendentem, in primam quamque arborem conscendisse, ibique, ut ab illorum insidiis declinaret, consedisse. Eam autem illi cùm se viderent ulciscinequire, leænam quidem diligenter summa diligentia ad arboris truncum insidias molientem excubasse, sursumque versus intentis oculis sanguinariam aspexisse. Leonem verò similiter atque hominem ex liberorum morte mœrentem, longè latéque summo cum dolore totis montibus erasse, dum materiariũ fabrum offendisset, cujus è manibus magnopere exterriti securim ubi is excidisse perspexisset, sese attollens illũ suaviter & blandè amplexabatur, linguaque illi faciem abstergebat. Quam benignitatem homo sentiens, suis rebus fidere cœpit. Leo hunc cauda amplexatus ducebat, neque securim, quæ hujus manibus effluxerat, illum relinquere permittebat, sed pede suo securim tollendam esse ostendebat. Cùm ejus significationem homo non intelligeret, securim leo ore accepit, mordicusque tenẽs illi porrexit, ac deniq; illum ad lustrum suum, ubi constrati catuli jacebant, perduxit, id quod leæna videns, ipsa quoque ad eos profecta, homini significabat, ut cladẽ miserabilem respiceret, atque postea sua significatione hunc impellebat, suspiceret ursam. Unde homo conjectura affecutus, aliquam hos ex hac gran-

grandem injuriam accepisse, omnes nervos ad exscindendā arborem cōtendit, quam cum evertisset, ursam præcipitem in terram delapsam feræ distraxerunt. Hominem illæsum leo reduxit in locum, ubi prius ei occurrisset, atque materiæ, quam a principio cædebat, illum inviolatum reddidit. *Ælianus interprete Gillio.*

DLXXXIV. *De Androdo & Leone.*

Appion, qui Polyhistor appellatus est, litteris homo multis præditus, rerumq; græcarū plurima atq; varia scientia fuit. Ejus libri non incelebres ferūtur, quibus omnibus fermè, quę mirifica in Ægypto visuntur audiuntur que historia comprehendit. Sed in iis, quæ audisse vel legisse sese dicit, fortasse à vitio studioque ostentationis fit loquacior. Est enim sanè quam in prædicandis doctrinis suis venditator. Hoc autem, quod in libro Ægyptiacorum quinto scripsit, neq; audisse, neque legisse, sed ipsum sese in urbe Roma vidisse oculis suis cōfirmat. In circo maximo, inquit, venationis amplissimę pugna populo dabatur. Ejus rei, Romæ cū fortè essem, spectator, inquit, fui. Multę ibi sęvientes ferę, magnitudine bestiarū excellentes, omniūq; inusitata aut forma erat, aut ferocia. Sed præter alia omnia leonum, inquit, immanitas admirationi fuit, præterquae omnes cæteros, unius. Is unus leo corporis impetu, vastitudine, terrificóque fremitu, & sonoro, toris, comisque cervicum fluctuantibus animos oculosque omnium in se converterat. Introductus erat inter complures cæteros ad pugnam bestiarum *Dacus* servus viri consularis. Ei servo *Androdus* nomen fuit. Hunc ille leo ubi vidit procul, repente, inquit, quasi admirans stetit, ac deinde sensim atque placidè, tanquam noscitabundus, ad hominem accedit. Tum caudam more atq; ritu adulantium canum clementer & blandè movet: hominisque sese corpori adjungit, cruráque ejus,

& manus propè jam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Homo *Androdus* inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum recuperat: paulatimque oculos ad contuendum leonem refert. Tùm quasi mutua recognitione facta, lætos, inquit, & gratulabundos videres hominem & leonem. Ea re prorsus tam admirabili, maximos populi clamores excitatos dicit, accersitumque à Cæsare ANDRODUM, quæsitamque causam, cur ille atrocissimus leonum uni parsisset. ANDRODUS rem mirificam narrat atque admirandam. Cùm provinciam, inquit, Africam pro consulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniquis ejus & quotidianis verberibus ad fugam sum coactus. Et ut mihi à domino terræ illius præside tutiores latebræ forent, in camporum & arenarum solitudines concessi. Ac, si defuisset cibus, consilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum sole, inquit, medio rapido & flagranti, specum quandam nactus remotam latebrosamque, in eam penetro, & me recondo. Neq; multò pòst ad eandem specum venit hic leo debili uno & cruento pede, gemitus edens, & murmura, dolorem, cruciatumque vulneris commiserantia. Atque illic primò quidem conspectu advenientis leonis territum sibi & pavefactum animum dixit. Sed postquam introgressus, inquit, leo, uti re ipsa apparuit, in habitaculum illud suum, videt me procul delitescentem, mitis & mansuetus accessit: & sublatum pedem ostendere mihi & porrigere, quasi opis petendæ gratia visus est. Ibi, inquit, ego stipem ingentem vestigio pedis ejus hærentem revulsi, conceptamque saniem vulnere intimo expressi, accuratiusque sine magna jam formidine siccavi penitus, atque detersi cruorem. Ille tum mea opera & medela levatus, pede in manibus meis posito recubuit, & requievit. Atque ex eo die triennium totum ego, & leo in eadem specu eodem-

eodemque victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat, quæ ego, ignis copiam non habens, sole meridiano torrens edebam. Sed ubi me, inquit, vitæ illius ferinę jam pertæsum sensi, leone in venatum profecto, reliqui specum: & viam ferme tridui permensus à militibus visus apprehensusque sum, & ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandam, dandumque ad bestias curavit. Intelligo autem, inquit, hunc quoque leonem me tunc separato captum, gratiam nunc mihi beneficii & medicinæ referre. Hæc *Appion* dixisse *Androdum* tradit. Eaque omnia scripta circumlataque tabella populo declarat. Atque ideo cunctis petentibus, dimissum *Androdum* & pœna solutum, leonemque ei suffragiis populi donatum. Postea, inquit, videbamus *Androdum*, floribus spargi leonem, omnesque ferè ubiq; obvios dicere: Hic est leo hospes hominis. Hic est homo medicus leonis. *Aul. Gell. lib. 5. noct. Attic. cap. 14. pag. 84. & seq.*

DLXXXV. De Abbate Geraſimo & leone.

UNo ferè miliari à Jordane monasterium distat, quod *Abbatis Geraſimi* dicitur. Hîc *Abbas* quadam die ambulans super Jordanis ripam, obvium habuit leonem valdè rugientem suspenso pede, cui infixus erat ex calamo aculeus, adeo ut ex hoc pes ipse intumuisset, & sanie plenus effectus esset. Cum igitur vidisset leo senem, ostendebat illi vulneratum ex infimo aculeo pedem, flens quodam modo & obsecrans, ut illi curam adhiberet. Senex sedens apprehendit ejus pedem, aperiensque vulnus, aculeum eduxit, cum reliqua putredinis copia, depurgatoque vulnere ac panno alligato dimisit eum. Leo, cum se curatum vidisset, noluit senem deserere, sed ut carus discipulus, quocunque pergeret, magistrum sequebatur, ut admiraretur senex tantam feræ gratitudi-

nem. Itaque ab eo inde usque tempore senex nutriebat eum, mittens ante illum panem, & infusa legumina. Habebat autem ipsum monasterium asinum unum ad ferendam aquam, consuetudinem autem fecerat senex, ut curam pascendi asini Leo haberet. Itaque abiens cum illo juxta Jordanis ripas pascentem observabat. Quodam autem die, dum pasceretur asinus, leo se ab illo longiusculè avertit, cum ecce Camelarius ex Arabia veniens inventum asinum abduxit. Leo verò, amisso asino, rediit in monasterium tristis valde, & dejecta facie ac cervice ad *Abbatem* suum. *Abbas* igitur *Gerasimus* putavit, quod asinum leo comedisset, & ait illi: Ubi est asinus? Ille verò, quasi homo, stabat tacens, & deorsum aspiciens. Dicit ei senex: Comedisti eum? Benedictus dominus, quicquid faciebat asinus, amodo facies tu. Ex tunc igitur Leo, jubente sene, portabat canthelium capientem amphoras quatuor, ferebatque aquam in monasterium. Die verò quadam venit miles quidam ad senem benedictionis gratia, qui, cùm videret leonem bajulantem aquam, didicisset que causam, misertus est ejus, proferens que tria numisinata dedit senibus, ut emerent asinum, ad ipsius aquæ ministerium, ut eo labore leo liberaretur. Brevi autem transacto tempore, postquam à labore liberatus fuerat leo, camelarius ille, qui asinum abduxerat, veniebat ferens triticum, ut illud venundaret in sancta civitate, habens & asinum secum: & cum transiisset Jordanem, accidit, ut occurreret leoni, quo viso, dimisit camelos, & fugit. Leo autem cognito asino, cucurrit ad eum, & ore ut solebat, ejus capistrum mordens traxit eum cum tribus camelis, & gaudens simul & rugiens, quòd perditum asellum reperisset, venit ad senem. Senex autem putabat, quòd asinum leo comedisset, tùm verò didicit, quia insidias passus fuisset leo. Imposuit autem leoni nomen JORDANEN.

DANEN. Egit itaque leo in monasterio cum fratribus plusquam quinque annos, nunquam recedens à sene. Cum autem migrasset ad dominum *Abbas Gerasimus*, & à patribus sepultus esset, per dispensationem DEI leo tunc in monasterio inventus non est. Post modicum verò venit leo in monasterium, & quærebat senem suum. *Abbas* autem *Sabbatius Celix*, qui & discipulus fuerat *Abbatis Gerasimi*, viso illo, dixit ei: *Jordane*, senex noster dimisit nos orphanos, & migravit ad dominum, sed accipe & comede. Leo autem comedere nolebat, sed jugiter huc atque illuc se vertens circumspiciebat, quærens videre senem suum, ac rugitu magno ipsius absentiam se ferre non posse significans. *Abbas* autem *Sabbatius*, & senes reliqui fricantes ejus cervicem, dicebant ei: Migravit senex, & dimisit nos. Ille verò ex voce, facie, & oculis mærorem ostendebat, quem babebat, non videns senem. Tunc ait illi *Abbas Sabbatius*: Veni mecum, duxitque eum, ubi illum sepelierant, distabat autem ab Ecclesia quasi passibus quinque, & stans *Abbas Sabbatius* supra sepulcrum dixit leoni: Ecce hic senex noster sepultus est, & inclinavit genua sua *Abbas Sabbatius* supra sepulcrum senis. Cum ergo leo vidisset prostratum *Sabbatium*, & flentem, tunc ipse prostravit se percutiens in terram caput suum vehementer, & rugiens: atque ita continuò defunctus est, juxta sepulcrum senis. *Sophronius Sophista in prato spirituali, cap. 107.*

DLXXXVI. De Augusto Cæsare & Corvo.

CUM ex Attiaca victoria reverteretur *Augustus*, occurrit inter gratulantes quidam, corvum tenens, quem instituerat proferre hæc verba: *Ave Cæsar victor imperator.* Miratus Cæsar tam officiosam avem viginti millibus eam emit (h.e. quingentis aureis solatis) multasq; præterea similes cõparavit. Quo exemplo motus pauper sutor, instituere ipse quoq; aggressus

gressus est corvum ad parem salutationem, sed impendio exhaustus ad avem non respondentem dicere solebat, *Opera & impensa periit.* Cœpit tamen aliquando corvus optatam salutationem exprimere, ac fortè audita, dum transiret *Augustus*, respondisset que: Satis talium salutatorum habeo domi, superfuit corvo memoria, ut & illa, quibus dominum querentem solebat audire, verba subjungeret: *Opera & impensa periit.* Ad quod subridens Cæsar, emi avem jussit, quanti nullam aliam emerat. *Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 4. & Erasmus Chiliad 1. cent. 4 prov. 62.*

DLXXXVII. De Agricola quodam, & aquila.

DEcem & sex viri, frumentum in area baculis excutientes, vastissimis Solis ardorib. cum ardentissimè sitirent, unum ex suis, ut aquam ex proximo hauriret fonte, miserunt: Is messoriam falcem in manibus habebat, & in humeris situlam gestabat: Ubi verò ad fontem venit, aquilam offendit extrictissimè serpente circumplicatam, & jam jam proximam, ut strangularetur, in eam, ut sæpe solet, involaverat, veruntamen non suarum fraudum compos in ea ipsa expugnanda evaserat. At enim spiris illius circumventa vicina erat ad pereundum. Agricola, vel quod non ignoraret, vel, quod auditione accepisset, aquilam Jovis nunciam & ministram esse, & item quod teneret feram bestiam esse, falce serpentem ab aquila abscidit, & vinculis eam, unde effugere non poterat, exsolvit. Cumque his obiter gestis revertisset, atque hausta aqua vinum temperatum omnibus ministrasset, ii quidem avidissimè bibere ingrediuntur. Is autem, qui aquam hausisset, jam post illos bibiturus (nam tùm famulus, non compotor erat) ad labra poculum cùm admovisset, servata aquila circum locum illum etiam nunc versans, sic in poculum involavit, ut potio effunderetur, scyphusque frangeretur.

retur. Ille, quod graviter sitiret, indignatus ait: Hâncne gratiam, cum sis illa, (nam avem recognoscebat) tuo conservatori refers? Itáne Jovem gratiarum inspectorem & præfectum vereris? Cùm hæc elocutus, se ad alios converteret, videt ex venenata potione palpitantes, extremum spiritum efflare, serpens, ut conjicere licebat, suo veneno fontem imbuerat, &, ut alii volunt, aquila serpentem viderat venenum infundentem in vas, quo aqua hausta fuerat, vel è quo bibebant, Itaq; redemtionis præmium ei, qui se conservasset, aquila cum pari salute compensavit. *Ælianus in historia animalium.*

DLXXXIIX. De Ciconia.

PRÆTER pietatis erga parentes laudem, *Gesnero* cum Ciconiis & natura & historia ab antiquo tribuit, etiam re ipsa compertum est, hospitalitatis officium vicemque ciconias agnoscere beneficio suo & compensare. Contigit enim non procul à patria mea (*Sanctogoarinum* vulgus appellat) in civitate quondam imperii libera *Wesalia* superiore, quod sæpe audivi avos & majores meos mihi commemorare, ut ciconia nidum in cujusdam civis tecto haberet, in quo per multos annos ex more ova excluderet, & pullos nutricaret. Tanto autem tempore eadem avis benigni hospitis clementiam experta, ut quæ à nemine domesticorum (pio patre-familias ita cavente) infestaretur, quotannis suo tempore avolare & redire, eundemque nidum repetere solebat. Habuit autem in more præter cæteras sui generis aves hæc bestia, sive hospitis frugi modestique humanitate ducta, sive commoditate loci, ædiumque sive quod verisimilius est) natura ad hoc ipsum invitante, ut bis, nimirum sub veris & autumni tempus pridie ferè, antequam avolaret, & postridie cum rediret, circum limen ac porticum domus hospitis sui volitaret, & stridenti rostro se præsentem velut indicaret,

caret, semper lætabundo ac ceu applaudente gestu voceque à patre-familias accepta ac rursus dimissa. Hæc cum jam multis annis inter avem & hospitem consuetudo fuisset, tandem aliquando ex more sub autumnum avolatura ante ad porticum domus obstrepero impetu fertur, ac crepitanti rostro ceu hospiti valedictura insolentius aliquantò gestire visa est, cui bene precatus herus amico ore avem quasi alloquens jubet, ut salva & incolumis redeat. Sub ver igitur postmodum reversa bestia, ex more hospitem in foribus ædium rostri crepitu salutat, ac mox ante pedes viri radicem magnam recentis zinziberis è gutture exerens, tanquam gratulabunda collocat, rostro ut plurimum obstrepero, in symbolum hospitalitatis. Admiratus hospes peregrinum & informe quodammodo munus accipit, & vicinis videndum præbet, certò cognoscentibus gustando, veram ac viridem zinziberis esse radicem. Et quandoquidem hactenus apud multos dubium fuit, & quodammodo incompertum (inter quos etiam PLINIUS est) quónam è loco veniant, aut quo se referant ciconiæ, vel ex hoc facto constabit, calidas eas terras & ultramarinas, ubi zinziber hodie nasci dicitur, cum à nobis avolant, petere. Verum & hoc exemplo qualicunque si non alio, certè nos admoneri arbitrarer, inter homines etiam cum pietatem, tum hospitalitatem plurimi fieri oportere. *Justinus Goblerus ad Gesnerum.*

DLXXXIX. De quodam Principe & rustico.

GErmaniæ quidam Princeps socero suo falcones tres mittebat. His tabellarius in itinere multum sese oblectabat, dum eos & subinde contemplaretur, & demulceret, & etiam atque etiam pasceret, & manibus imponeret, & ex cavea emitteret, & cavea rursus includeret. Evenit autem adverso quo-

dam

dam rustici fato, ut, cùm alites istos aliquantò indulgentiùs tractasset, unus de ipsis ex cavea forte fortuna prosiliens avolaverit. Qua quidem ex jactura miser ille incredibilem animo mœrorem traxit, & nunc frontem ferit, nunc capillos barbamque vellicavit, nunc lachrymis se totum lamentisque dedit, animi pendens, vellétne duos illos Principi reddere, an verò his ipsis divenditis, natali solo relicto, in militiam proficisci, ac sui Ducis in conspectum posthac redire nunquam. Ad extremum tamen quum ad se jam nonnihil rediisset, placuit ipsi, diis bene fortunantibus, pergere, eosque ad Principem perferre. Quum igitur in dicasterium jam perveniisset, Secretario cùm Ducis sui literas, tum etiam falcones exhibet. Is continuò ad Principem se confert, eique literas falconesque reddit. Qui quidem munusculo isto mirificè exhilaratus jubet extemplo, ut tabellarius cibo potuque affatim reficiatur. At verò quum literis generi sui jam perlectis cognoscit, se non duobus, sed tribus falconibus donari, cœpit nonnihil excandescere, ideoq; tabellarium è vestigio ad se accersit, ipsumq; hunc ad modum alloquitur: Túne es ille, qui falcones apportavit? Hoc ipso affirmante pergit Princeps quærere, Eccubi igitur reliquisti tertium? scribit enim Gener noster, te tres mittere. Ubi inquam reliquisti tertium? Miser ille toto corpore contremiscens, lachrymabundus respondet: Is quidem, *Clementissime Princeps*, avolavit. Avolavit? inquit Princeps. Id verò credat Judæos Apella, non ego. Tu nebulo videris eum vendidisse. Eccuinam nobili vendidisti eum, ac quanti? ut ipsum redimamus? Respondet rusticus perquam flebiliter & demisse, Avolavit ille, ita me Deus bene amet: ac dispeream equidem, si cuiquam illum divenderim? Egóne illum divenderim? Dii verò meliora. Avolavit ille, avolavit inquam. Tantámne igitur rem, inquit Princeps,

ceps, tam negligenter agier oportuit? Næ noster si essēs, graves nobis socordiæ istius tuæ atque negligentiæ pœnas exsolveres. Sed bene habet: Nos Duci tuo perscribemus, tibi ut mandet, si quid rectè curatum velit. Neque verò dubitamus, quin te ob istam negligentiam tuam in squalidissimum sit conjecturus carcerem. Rusticus igitur animadvertens, Principem magis magisque stomacho atq; iracundia exardescere, ad pedes illius provolutus, has in voces perquam suppliciter demisseque erupit. **Gnediger Herr/ wie dude/wie debede/ist nit eher einem armen Mann ein Feulchen entflogen?** Hui *Clementissime Princeps*, ut sævis, & tumultuare, anné cuiquam misero nunquam avolavit avicula? Quo audito Princeps cùm omnibus, qui illi aderant, in risum solutus est, ac misero illi non modo culpam remisit, sed & munusculo ornatum & auctum à se dimisit, nulla ipsius incuriæ iis in literis mentione facta, quibus genero suo de falconibus ad se missis per hunc ipsum fungum gratias agit.

DXC. *De suffraganeo quodam.*

EO ipso anno, quum publica ecclesiarum reformatio, auspiciis *Landgravii Philippi* Magnanimi illius ac fortissimi herois, quem honoris causa nomino, per Hassiam, instituta factaque fuit, evenit, ut Eschwegiæ in templo Divæ Catharinæ sacro adolescens quidam interdiu (totum enim diem templa in Papatu patent, ita quidem, ut cuivis non solùm per ea ire & redire, verùm etiam in his ipsis ultro citroque inambulare, confabulari, ac nugari liceat) stupri consuetudinem cum propudio quodam habens deprehenderetur. Hoc mox ad clerum delatum fuit, qui quidem incredibilem ea ex re molestiam trahens, à sacris tantisper se abstinuit, dum phanum expiatum de integro esset. Proinde Scortator & suffraganeum Moguntia accersere, & suis templum sumtibus

tibus expiandum repurgandumque curare cogitur. Adest ille, & cum ædem sacram indignabundus, & singularem quendam zelum præ se ferens ingreditur, tum consuetas ceremonias omnes adhibet, tum aquam etiam lustralem suam depromit, qua quidem & pavimentum, & parietes, & fenestras, & subsellia, & libros missales, & altaria, & candelabra, & baptisterium, & suggestum, & pulpita, & omnes denique delubri istius angulos piè religioseque imbuit atque conspergit. Id conspicatus Veterator quidam, qui facinus istud non solum patefecerat, sed & Lutheranæ doctrinæ favere videbatur, actutum prosilit, honoremque præfatus, dextram suam sinistro suffraganei brachio injicit, eumque hanc in rationem alloquitur: Veni mecum, mi domine, veni mecum, inquam. Ego verò tibi ostendam, ubi non parva aliqua, sed bene larga aquæ lustralis effusione opus sit: paululumque progressus, hîc verò siste gradum, inquit, & jam non aspergillo tuo, ut antea, utere, sed omnem potius aquam lustralem, aquiminario isto tuo penitus evacuato, huc effunde. Hoc enim ipso loco, id quod oculis ego hisce meis vidi, stuprum est commissum, ecce tibi, hunc ipsum lapidem (quem pede pulsans monstrabat) scortillum podice suo pressit, ut hic quidem, si uspiam alibi, copiosa aquæ lustralis effusio usurpanda adhibendaque sit. Hunc illius sermonem risu planè syncrusio, quotquot aderant, prosequebantur. Quamobrem suffraganeus totus & obstupefactus & pudefactus, quid vetera tori isti responderet, habebat planè nihil. Ideoque fanum extemplo purgans, in viam se dedit, Moguntiamq; repetiit, ubi cùm ipsi Episcopo, tum universo etiam clero conquestus est, in Hassia non parum quidem multos Lutherana hæresi imbutos esse. Quamobrem futurum propediem, ut & hæc ditio a sede Romana

deficiens, in *Lutheri* castra transeat. Id quod & factum est. Nam paucis interjectis mensibus *Princeps Philippus* papistica idolomania antiquata, & cum pulviseulo sublata, Sacrosanctum Christi Euangelium per omnem ditionem suam, piis, doctis & idoneis ministris adhibitis, publicè docendum curavit.

DXCI. *De quodam Verbi divini Præcone.*

Fuit annis abhinc non ita multis, in urbe quadam percelebri, quidam verbi divini præco, ille quidem haud vulgariter eruditus, sed qui minùs ad dicendum paratus ac meditatus non parum quidem sæpe accederet, studeretque extemporaneas magis, quam perfectas ingenio elaboratasque industria habere conciones. Hic quidem cùm isthac Christi Servatoris nostri verba: *Ne judicate, ut ne judicemini, &c.* explicanda suscepisset, inter alia dixit: Admodum hoc vitium nostra hac ætate vulgare est, ita quidem, ut non crimini illud amplius detur, sed in laude ponatur. An non enim eos suspicimus & admiramur, & in oculis ferimus, quibus in proclivi est aliquid in alio animadvertere, quod suggillent, carpãt, reprehendant, mirisque modis exagitent? Sed quodcunque tandem infelix hic mundus de eo pronunciet judicétve, equidem omni asseveratione affirmo esse vitium longè omnium & maximum & pestilentissimum, quod quisq; bonus meritò fugiat & aversetur, détq; omnino operam, quantam quidem poterit maximam, ut ab eo quam alienissimus remotissimusque sit & videatur. Graviter enim hoc ipsum Deus, id quod exemplis nonnullis, si res cogeret, planum facere possem, inde a mundi exordio semper punivit, puniturus & te quidem, nisi ad meliorem te frugem maturè receperis. Resipisce igitur, resipisce inquam, ad sanitatemque redi, & huic tam fœdo vitio protinus nuncium remitte, memor utique, illud

lud ipsum sanioribus quoque Ethnicis vehementer displicuisse, cui rei hæc ipsorum pictura fidem facit. Istiusmodi nebulonem, qui in cernendis aliorum vitiis, lynceis oculis præditus est, eaque ad vivum resecare, ac mirificè exagitare consuevit, pinxerunt habere de collo dependentes manticas binas, unam a tergo, alteram a fronte, atque in hanc quidem conjicere illum ea quæ alii præter decorum committunt, iisque brevi tempore hanc implere, in illam verò, quæ ipse designet peccetque projicere, quod tamen perquam rarò fiat, ita ut nunquam propè ea repleatur. Non est ovum ovo tam simile, quam tu es illi, cùm aliena vitia actutum cernens ea nullo negotio arripias, in manticam istam anteriorem condas, probeque asserves, his te noctes atque dies oblectes, &, ea passim mirandum in modum exagitas: de tuis verò illis quid tu interim? Hæc quidem perquàm rarò perspicis, quod si verò aliquando perspicis, non in anteriorem illa, sed in posteriorem recondis manticam, ne ob oculos tibi obversantia mœrorem pudorémve aliquem incutiant, sed è conspectu tuo sublata retroque projecta oblivione perpetua obruantur, neque te ulla unquam molestia afficiant. Sed heus bone vir, inserto manum & in posteriorem, & reperies hîc quoque quod & fœteat, & te maceret conficiatque. **Aber hôre mein Mann / greiff in den Hindersten / so wirstu auch was finden / das dir in die Nasen wirdt stincken / vnd darmit du dich magst beissen.** Quod verò germanica vox **Hinderste** obscœnam quoque corporis partem, podicem nimirum, denotet, non deerant, qui in risum solverentur, existimantes, eum utiq; coinquinaturum digitos, eosq; redditurum fœtidos, si quidem manum posteriori podici ve, ita ut jubebatur, inserturus esset. Hujusmodi multa iis excidant necesse est, qui eruditione facundiaque sua confisi, imparati ad concionandum pro-

siliunt, spreta divina illa *Hipponensis Episcopi* admonitione: *Sermo tuus veniat ad limam prius, quàm ad linguam*, ut nihil jam dicam de horrifico illo tremendoque justi vindicis fulmine: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter*, quod illi pro nihilo putant, ac susque deque (proh pudor) faciunt, quum rem tantam profectò tam negligenter agier minimè omnium oporteat. Ac ipse etiam *Cicero* Orator tum doctissimus tum eloquentissimus de se scriptum reliquit: *Ad causas nunquam nisi paratus ac meditatus accedo.* Sed hæc querela alius est loci. Itaque hîc facessat.

DXCII. De *Bertholdo Scheffero.*

Qui *Bertholdum* hunc familiarius noverunt, ii quidem affirmant, fuisse eum admodum lepidi facetique ingenii hominem, qui item tum in bibliis tum in historiis etiam patrio sermone conscriptis non infeliciter fuerit versatus, ac casus insuper mundi longo rerum usu, & perdidicerit, & exploratissimè cognitos habuerit. Hic quidem asseverare haud dubitabat, etiamsi ea eruditione præditus esset, ut præconis Euangelici munere rectè rationeque defungi posset, malle se tamen in omnes partes æditimum aliquem agere, quàm verbi divini præconem, quod ille quidem funem, quo campana impellitur, nullo negocio recuperare possit, si hunc casu è manu amittere ipsum contingeret: Huic verò idipsum in revocando recipiendoque aliquo verbo, quod sibi temerè ac fortuitu excidisset, minimè omnium liceret: quod volet irrevocabile verbum, & non pauci suis sibi concionibus malum, veluti turdus, cacent. Hinc illud ego aliquando carmen panxi:

Ædituus malo, quàm pastor, in æde vocari,
Funis et: huic nunquam vox fugitiva redit.
Ergo cave, tibi ne vox imprudentior ore
Excidat, illa semel missa redire nequit.

Pro-

Proverb. 18.

Mors & vita in manu linguæ, &, qui diligunt eam, comedunt fructum ejus.

Cùm vita & mors sit in manu linguæ, magis, quàm pupillam oculi, linguam tuam custodias, Regius quidam equus est lingua nostra. Si ergo ei frenum immiseris, & doctrina tua gradarium feceris, ascendat in eum Rex, ut quiescat in eo: Si autem nullo freno domueris, sed huc atq; illuc infrenem jactari permiseris, Diaboli eam vehiculum feciſti. *Chryſoſt. Hom.* 52. ſupra Matth.

Fide parum, ſalido conſtringe loquacia freno
Guttura, nam raro conticuiſſe nocet.
Hartmannus Schopperus.

Heſiodus ἔργων καὶ ἡμέρων α.

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
φειδωλῆς, πλείστη δ' χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης,
Εἰ δ' κακὸν εἴποις, τάχα κ' αὐτὸς μείζον' ἀκούσαις.

Id eſt:

Lingua bonum eximium eſt homini, ſi pauca loquatur,
Siq; modum conſervet, ineſt tum magna venuſtas.
Si probris laceres, laceraberis illico pejus.

DXCIII. An ſit uxor ducenda.

ERGO *mihi uxorem qualem ducam? annè* puellam?
Hæc forſan veniet non ſatis apta mihi.
An viduam? *Dominam quis poſſet ferre tonantem?*
An vetulam? *tolerat quis patienter anam?*
Fœcundam? *fœcunda domum mihi proles gravabit.*
An Sterilem? *Sterilis non decus arbor habet.*
An ditem? *Nihil eſt magis intolerabile dite,*
Aſt inopem? *Quid opis ferre valebit inops.*
Pauciloquam? *Non me poterit recreare loquendo.*
Verboſam? *Mulier res onerosa loquax.*
Formoſam? *variis eſt ſubdita forma periclis.*
Deformem? *pœnam ducere nunquid amem?*

Non igitur ducenda uxor, quia fœnore tanto
Apparent socii damna timenda tori.
Sed cum sit visum tibi sitq; perutile nobis
Tu vitæ sociam, da pie Christe *piam.*

DXCIV. Formosa mulier vitanda.

FOrmosa occursus mulieris, Dæmonis arcus,
Parthorum tanquam dira sagitta ferit?
Tutius in sylvis Basiliscum audire frementem,
Quam dulces cantus fœmineosq; choros.

DXCV. De quatuor mulierum generibus, quæ ex quatuor his animalibus nascuntur, cane, apicula, sue, & equo: Epigramma de sententia Phocylidis, quæ extat apud Stobæum.

BIs duo Phocylides *sapiens animalia finxit,*
A quibus uxorum nascitur omne genus.
Cum canibus memorans, volucres florentis Hymetti
Cornipedes porcis *annumerabit* equos?
Dic mihi conjugio qui te vis dedere casto,
Quattuor ex illis quæ tibi sola placet?
Est agilis, velox, forma pulcerrima conjunx,
Quæ genus à cupidi semine ducit equi.
Sed tamen in morem quoniam discurrit equorum,
Sit procul à thalamo tam vagabunda meo.
Altera, quam dicunt porci *de sanguine natam,*
Nil habet illa mali, nil habet illa boni.
Tertia sed rabido fera de cane *bestia nata,*
Perpetuò miseris est odiosa viris.
Ex apibus *verò quæ nascitur apta labori,*
Hæc mihi præ reliquis omnibus una placet.
Præstantem veris virtutibus ergo puellam
Oeconomam quisquis duxerit, ille sapit.
Talis in amplexus veniat mihi Sponsa petitos,
Connubiis aptum cùm mihi tempus erit.

Hæc ex clarissimi quondam Academiæ Jenensis Professoris Domini Magistri Johannis Rosæ bibliotheca

theca descripta, communicavit mecum præstantissimus vir *Dominus Georgius Amicus* Reipubl. Eschwegensis Medicus & Consul.

DXCVI. *De Martino Coquo Consule Eschwecensi.*

EQuidem ab exploratæ fidei hominibus accepi, fuisse olim *Eschwegæ* oppido Hassiæ haud mamœno *quendam Martinum Coquum Consulem*, hominem tum virtute, tum sapientia, tum verò usu rerum eximiè præstantem, cui quidem nihil frequentius in ore fuerit, quam ut diceret, **Wann ich todt bin/so scheist mir ein Hund auffs grab.** Me verò mortuo a cane tumulus permerdetur meus. Cum primis autem hæc verba faciebat, quoties quidem essent, qui vel ipsius in sententiam discedere nollent, vel ea convellerent, quæ ab ipso rectè rationeq; constituta erant, vel ipsius consilia tanquam nimis calida improbarent, vel cum ipse deniq; vino confectus planè esset. Videtur autem Consul iste, quem honoris causa nomino, ad istud illius respexisse: *Me mortuo terra misceatur igni.* Verùm quid fit? Hora Consuli fatalis appetit. Itaque Deo naturæque concedens piè religioseque sepultura afficitur. Justis autem jam factis, dehumatoque isto, quum pastor concionem funebrem haberet, ecce tibi accurrit non unus aliquis canis, sed permulti & catervatim & certatim, qui quidem consulem voti sui compotem facturi, sepulcrum ejus probè probeq; permerdant, admirantibus ad unum omnibus & dicentibus: Quid bono isti Consuli tam fuit in ore frequens, quam dicere: Equidem vita hac defunctus minimè omnium impediverim, quo minus canes excrementis suis sepulcrum meum conspurcant atq; coinquinant? An non idipsum nunc fit? An non omnia illi ad voluntatem modo suam fluunt? An non illud evenit, quod futurum pridem ei animus præsagiit?

DIIIC. De quodam Metallico.

ANnis abhinc duo de viginti dysenteria *Abbatisrodæ* non parum quidem multos partim senes, partim juvenes utriusq; sexus homines diu multumque excarnificatos ac planè exhaustos confectosque, morte delebat. In quibus erat & mulierecula quædam, illa quidem perbrevis staturæ, sed valdè corpulenta & obesa, ita quidem, ut corporis sui spissitudine dolio alicui vix aut ne vix quidem concederet. Hanc quum sepultura afficere jam vellent, evenit, ut sepulcrum tum arctius tum contractius etiam esset, quam ut capere illã ullo modo posset. Quamobrem ejus ecclesiæ pastor *Balthasar Hillebrandus* vespilloni mandat, ut aliud mox moxque faciat. Hic pastoris dicto audiens tumulum celerrimè efficit, in quem & defunctæ mulierculæ corpus infertur. Habita concione funebri, quum quisque, qui ad exequias cohonestandas convenerant, domum se jam reciperent, ecce tibi egreditur ex pago quidam metallicus. Is conspicatus Libitinarium in sepulcro adhuc subsistere, adit eum, visoque altero illo sepulcro patente adhuc & minime complanato, quærit, quid causæ sit, cur muliercula in eo non sit condita? Respondet ille, & brevius idipsum & angustius fuisse, quã ut corpori illius accipiendo par idoneúmve fuerit. Quod igitur alii plures adhuc satis cum periculo decumberent, placitum sibi fuisse illud non complanare terráve obruere, sed alii cuipiam humando reservare. Vix hæc effatus erat, ecce tibi metallicus deposita hasta mox sua, quam humero dextero gestabat, ad tumulum accurrit, in eoque se reclinat, ac aliquantisper in eo commoratus, ingenti clamore sublato pollinctorem advocat, atque hanc quidem in rationem alloquitur: Vide amabo te per DEUM immortalem, quàm pulcrè hoc bustum corpori nostro respondeat. Enimverò sive longitudinem, sive latitu-

latitudinem ſpectes, ad corpus id ipſum noſtrũ perinde quadrat & convenit, ac ſi nobis illud accõmodaſſes admenſusvé eſſes. Atque his quidem dictis effusè cachinnans, ex tumulo proſilit, veſpilloneque valere juſſo, ad *Adamum Anefeldium Lubecenſem*, qui officinæ ærariæ *Beilſtenio* ſubjacenti tum præerat, proficiſcitur, inibiq; totum iſtum diem pergræcatur, genioque indulget ſuo. Appetente jam veſpera cum vino ad ambas uſque aures ingurgitatus, domum cogitaret, & conſcenſo colle iſto, qui *Abbatisrodæ* imminet, alvum exonerare vellet, venabulo telluri infixo, & caligas detrahit, & rei iſti vacat. Alvo exonerata, quum & circa caligas retrahẽdas, & thoraci aſtringendas occupatus eſſet, ſemita pluviis lubrica facta, collo in venabulum prolabitur, quod quidem quo magis ex terra extrahere nititur, eo & altius & fixius collo ſuo inſerit, donec ad extremum collabens, miſereque in luto ſuoque ipſius ſanguine volutatus, extremum vitæ ſpiritum edit, animamque efflat. Manè miſer ille collo ſuo ipſius venabulo inhærens, non procul ab oleto, quod excreverat, exanimis reperitur, caligis nondum ſubtractis aut ad thoracem religatis. Quamobrẽ ipſe illi ſepulcro infertur, quod pridie menſus fuerat, ac ſibi uſque quaque reſpondere dixerat.

DIIC. De *Gabriele Lupichio ædituo Honenſi.*

HAbuit parens meus ædituum quendam *Gabrielem Lupichium*, illum quidem decurſa jam ætate hominem, atque adeo alterum pedem in cymba Charontis habentem, ſed ab omni pietate prorſus remotum, temulentum, libidinoſum, & blaſphemum. Is cum conjuge honeſtiſſima crebras vel quotidianas potiùs ſimultates inimicitiasque exercens, eam & diris devovebat, & verberibus non parũ quidem ſæpe ad mortem uſque multabat. Illa igi-

tur iis clavibus, quibus templi valvæ recluduntur, quodam die vehementer ab ipso percussa, perquam miserabiliter, audiente mea matre, in has voces erupit: O Domine Jesu, conjuges sumus septuagenarii, ita ut à rixis, altercationibus, & pugnis nos quam alienissimi nos esse deceret! At verò nulla propè dies, proh dolor, abit, quin indignissimis modis præter omnem meam culpam (te equidem testor & appello OPT. MAX. JESU) a meo viro tracter & accipiar. Ad te igitur unum confugio, suppliciter demisseque orans, velis viam aliquam atque rationem inire & invenire, qua commodè & honestè disjungamur. Ego enim, quod te mihi mè omnium fugit, sum hujus profectò ærumnosissimæ vitæ saturrima, dissolvíque gestio, & tecum ætatem agere. Hoc illius votum quum cerebrosus maritus audiret, stomacho iracundiaque ferventer effervescens, respondet. Si Procreator ille mundi Deus nos segregare non vult, age, separet nos Diabolus. Erat enim ganeoni huic Satan admodum frequens in ore, sic quidem, ut inde illi verbum vix ullum exiret, quin protinus illud ipsum Diabolus comitaretur. Cæterùm ea ipsa mox hora, qua infelix hic senex ista verba evomuerat, *Eltmannshusium* proficiscitur, atque hic quidem vino ad auribas usque aures sese ingurgitat, concubiaque nocte domum remeaturus, de recto tramite deflectit, vel ab hoste potius humani generis *Satana* deducitur, profundæque nivi irretitus, vi frigoris opprimitur & exstinguitur, postridiéq; hinc inde quæsitus, tandem gelu confectus & exanimatus, ea ipsa hora domum reportatur, qua pridie dixerat: Si Deus divellere nos recuset, equidem minimè omnium deprecor, quo minus id ipsum a Cacodæmone fiat: **Wil vns Gott nicht scheyden / so scheyde vns der Teuffel.**

Du

DIC. *De Eobano Stangio cive Eschwegensi.*

ERat *Eobano Stangio* civi Eschwegensi, homini cæteroqui perbono & honesto, nihil frequētius in ore hac voce: *Ut te paries melinans obruat extinguatq;*. Hanc non tùm usurpabat tantùm, quum iracundia incitatus, in ferméto jacebat, sed cùm quieto etiam atque tranquillo erat animo, & familiares tecum jucundosque sermones conferebat. Quoties enim te ille vel aliunde redeuntem, vel aliquo commeantem cerneret, toties hanc ad rationem te alloquebatur, eccunde venis? quorsum cogitas? ut paries te ruinosus obruat, morteque multet. Quid quæris? sive tu illi præbiberes, sive ipse tibi sive jocosè tecum, sive seriò ageret, protinus illa ipsa vox, ut paries te labens caducusque & operiat & perimat, audienda tibi mox erat. Porrò quodam tempore quum in forum descenderet, inibique *Johannem Mollerum cognatum suum*, & itemque *M. Ludovicum Balneatorem* amicum suum una colloquentes offenderet, eos hunc ad modum affatus est: Salvete, ut paries vos inclinatus obtegat sepeliatque, quin mecū proficiscimini ad *Johannem Orthium*, vinum hornotinum rubrum generosissimum nunc vendentem, quo equidem heri ad ambas me usque aures ingurgitavi? Ne multa, facilè ipsis nulloque negotio persuadet, ut secum ad ipsum illum commeent. Quum autem aliquò usque progressi jam essent, ecce tibi propendens ruinosusque paries quidam ipsos opprimit, ac huic quidem costas aliquot, illi verò crus, alteri denique brachium perfringit. Itaque illi hominum atque divûm opem implorantes, miserè contusi, cōsauciati, fracti, compressiq; à vicinis extrahuntur, domúmque pro mortuis ferè reportantur, ac sani postea facti alter per omnem reliquam vitá turpiter claudicat, alter lumbos miserabiliter trahit, alter denique fœdè pallet, luridum quendam colorē præ se ferens. Cæterum *Eobanus* hac vindicta divina

correptus instigatúsque isthac imprecatione deinceps repudiata & abjecta, hanc delegit, ut diceret, *ut te afflicta senio arbor caduaque adobruat occidatque.* Quid sit autem? Quum aliquando in sylvam contendens, arbores nonnullas cædendas curaret, per mehercule parum abfuit, quin ab aliqua ex improviso obrueretur atque prosterneretur. Proinde:

Non aliter stupuit, quam qui Jovis ignibus ictus
Vixit, & est vitæ nescius ipse suæ.

atque hac ipsa etiam imprecatione penitus se in posterum abstinuit. Equide nominare nonnullos possem, qui quidem novas quotidiè imprecandi formulas excogitabant, eóque nomine mirificè sibi placebant, quod tamen pessimè illis venit. Etenim quidam ira inflammatus has in voces proruere consueverat: Utinam ut tu universis omnium mendicorũ morbis corripiare, **Daß dich aller Bettler Kranckheit ankomme.** Huic deinceps non cum uno aliquo morborum genere, sed cum innumerabilibus conflictandum fuit, quibus & perquam miserabiliter interiit, è medióque fuit sublatus. Novi, qui identidem aliis morbum comitialem imprecabantur; sed & hi ipsi ad extremum cruciatu summo ipsa illa epilepsia enecti extinctique fuerunt. Novi qui aliis imprecari subinde solerent, ut à virtute Dei deserti, miserandum in modum pessum irent, **Daß sie Gottes Krafft solte schänden.** At verò ipsi illi morbis gravissimis ac omnem medicinam respuentibus tandem immersi à Dei virtute, ope, auxilióq; sic destituti fuêre, ut eluctari inde minimè valerẽt, sed desperabundi planè extremum vitæ diem morte conficerent, atque illud *Vergilii* de ipsis usurparetur:

Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Enimvero si alicui maledicas, aut diris quempiam devoveas, hoc vicissim tibi ab illo expectandum erit, tacitus ut dicat regeratvé, istuc quidẽ capi-

ti sit tuo. Ac solent quidem retorsiones hujusmodi per quàm rarò in nihilum recidere, maximè si tu immerito, si homini pio malè preceris. Proinde censeo iis aut penitùs abstinendum, aut hujusmodi certè utendum esse, quæ noxiæ pestiferæve haud sunt, quales sunt, ut te anas obterat, **Daß dich ein Endte zertrette**/aut, ut te ovis mordeat, **Dat dich ein Schaap biette**/aut, ut te fœnum tumule **daß dich das Häw steche**/ atque id genus aliis, quibus quidem magni nominis ac illustres præstantesque viros usos fuisse meminimus, sicuti & Lutherus Theologus Opt. M. hanc imprecandi formulam usurpare solitus est: *Ut ne malum in vita habeas unquam*, **Daß dich alles Unglück fliehe**. *Luth. Tom. Witt. 6. pag. 92. fac 2.*

Ast hæ execrationes plerisque nunc omnibus veluti pueriles sordent, ideóque eas respuentes, novas cottidie easque horrisonas, ardentes, vulnificas, tremendasque & comminiscuntur, & cum tonitru quodam crepant atque ejaculantur, quæ tamen in eorũ fere capita, teste experientia stultorum magistra, redundant, qui quidem vibrare eas, contorquere, & jacere in alios minimè dubitant aut verentur. *Intelligenti sat dictum*. **Wers nicht glauben will / sehe mit zu / daß jhm der Glaube nicht in die Handt komme.** Serò sapiunt Phryges. Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

D C. De Henrico Comite à Schwartzburg.

ERat id Comiti huic perpetuò in ore, ut diceret: Ut stercoribus excrementísve coinquineris. **Daß dich die Scheiß bestehe.** Hic una cum aliis quinque comitibus, aliisque compluribus, cænaculo, in quo erant, ruinam faciente, in paludem fœditissimam, quæ infra illud erat, & in quam ex cloacis omnes undequaque sordes confluebant, delapsus, miserabiliter periit. D. *Beccherus Vir eruditissimus amicus noster in Germanica Chronologia sua Thuring. pag. 248.*

Mulse-

DCI. *Muliebris de admirabili isto adorandóq; Sacrosanctæ Trinitatis mysterio disceptatio.*

ERat Cassiliæ olim muliercula quædam **die Zie-genbächin** appellata, quæ quidem sive ipsa verba alicui faceret, sive alios sermocinantes audiret, prava quadam & illaudabili consuetudine, ad tertium quodq; verbum exclamabat, **Hilff du heylige Dreyfaltigkeit.** ô sacrosancta Trinitas! Hanc avia mea utpote nomen Domini vanè usurpantem, ea gratia in convivio genethliaco corripiens, dicebat: Tibi verò *Elisabetha* sacrosancta Trinitas per quàm crebra est in ore & frequens: ast ausim ego affirmare, ac sacramento etiam contendere, te planè nescire, quid sacrosancta illa sit Trinitas. Muliercula rubore suffusa, ac nonnihil etiam commota, respondet, Tûne igitur, *Gertrudis*, Theologiæ omnis usque adeo rudem & imperitam me putas, id ipsum ut ignorem? Puto verò, inquit Avia mea, actutúmque quærit: Cedo ergo, mea *Elisabetha*, quid est quæso sacrosancta Trinitas? Illa nihil præmeditata quicquam, ut erat & audacula & dicacula, effutit protinus, quicquid in buccam venerat, ac dans sine mente sonum, insciti-amque suam turpiter prodens, respondet: **Die heylige Dreyfaltigkeit ist vnser lieber Herr Gott/mit seinen lieben Engelchen/** id est, Sacrosancta Trinitas est DEUS ille optimus maximus noster, una cum dilecto isto angelorum suorum satellitio. Mulierculis cæteris risu ad unam propè corruentibus, mea mater infit: Totò verò cœlo erras *Elisabetha*. An non prædicebã te ignorare, quid sit sacrosancta Trinitas, quam tu tamen toties crepas, atque adeo ad ravim usque omnium auribus inculcas. Sacrosanctæ verò Trinitatis vocabulo, ut ne nescias, innuimus tres illas in unitate essentiæ divinę personas, videlicet Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Mise-

Misera illa hunc ad modum confusa & pudefacta, prorsus obmutuit, nihil habens omnino, quod contra mutiret. Itaque lacrymis se dedit, quòd & tam turpiter sese dedisset, & alius tot quæ cernendam propinasset, per omnem reliquam vitam ab illa sacrosanctæ Trinitatis usurpatione tam temeraria penitus se abstinuit, perinde hanc ipsa aversata & exosa, ac marinos nauta solet scopulos.

DCII. *De sponsa quadam honesta.*

ERat superioribus annis N. N. faber quidam ferrarius N. N. qui *BARBARAM* filiam suam servo cuidam suo in matrimonium collocabat. Etsi verò par erat, nuptias eum, pro ut omnes intelligentes viri suadent, non diu differre, sed primo quoque tempore facere, eas tamen nescio quo malo fato suo ultra annum eoque amplius extraxit. Quocirca adolescens quotidiano puellæ & conspectu, & observatione, & colloquio, amore sic exardescit, totus in hanc cogitationem ut incumberet, quemadmodũ ea potiri aliquandò tandem commodè posset. Quũ igitur & socer illius, & socrus cõvivio alicui genethliaco aliquando interessent, amanter cum sponsa diligenterq; egit, ut corporis sui copiam potestatemque sibi faceret. Id quod ad extremum etiam impetravit. Cœpit non ita multò pòst puellæ uterus turgescere. Ergo vicinæ animadverso ipsam cohortantur ut famæ ratione habita suæ, nuptias, quantum quidem posset, maturaret. Illa verò cùm se uterum gestare pernegat, tum per se non stare quæritat, quo minus nuptiæ vel jam pridem celebratæ sint, vel primo certè quoquo die non concelebrentur: sed unã novercam suam mulierem admodum cervicosam, & malignam in causa esse, cur eæ nondum coaluerint, ac ne nunc quidem coeant, quòd ipsa illa impedimentum quotidie aliud ex alio inferat, atque

que

que adeo omnem moram interponat, ut ne fiant. Hisque dictis vicinas suas admonet, ut ipsæ parenti suo aurem de maturandis nuptiis vellicent. Id illæ facturas sese & recipiunt, & promissa itemque præstant. Quamobrem nuptiis dies dicitur: Quo appetente partim vicinæ partim cognatæ sponsam accedunt, eamq; commonent, ut ne ita sese ornet comatque, ut eæ sponsæ assolent, quibus quidem pudicitia sua sarta adhuc tectáque est, sed cum flammeo, tum frontali, tum sertulo, tum denique virgineo ornatu omni valere jussis, velo muliebri caput obnubilet & tegat, satis enim jam animadverti, animadverti autem? immò verò à nemine non perspici, gravidam ipsam partuique vicinam esse. Hic sponsa stomacho atque iracundia exardescens, cum mulierculis istis convicium facit, tum conceptis etiam verbis dictitat: Ego verò, ita me DEUS bene amet, integra adhuc incorruptáque virgo sum: Malè sit omnibus illis, qui infantulum me unum aliquem utero meo inclusum circumferre perhibent. Mentiuntur illi quidem hercle turpissimè. Rem ita sese habere mensibus decem jam decursis manifestum perspicuumq; mediusfidius cuivis evadet. Quid quæris? deducitur sponsa nostra, perinde ut honesta quæpiam, & inviolatæ castimoniæ virgo, in templum, suóque sponso, publice solennibus ceremoniis adhibitis nuptum datur, susque deque faciens, in laudéne illud populus, an verò in vituperatione ponat. Verùm quid fit? Ecce tibi postero statim à nuptiis die magnum hoc continentiæ exemplum infantem non unũ, sed duos enititur. Itaque omnes sic dictitabant: Enimverò dixit Sponsa hæc nostra, quippe quæ præ se tulerit, omnes se illos manifesti mendacii convicturam, qui quidem asseverare haud dubitarent, uno se infantulo aliquo gravidam jam esse, quum non unum tantùm, sed duos, pudendo mehercule quodam fustigan-

gandóque exemplo, in lucem ediderit. Die Braut hat die Warheit geredt/da ſie geſprochen / ſie wolt all die jenigen zu Lügner machen/ die da ſagten / ſie gienge mit einem Kinde Schwanger / dann ſie nicht mit einem/ſondern mit zweyen/ wie das Werck den Meyſter lobet Schwanger gangen/vnd dieſelbigen nunmehr an die Welt geboren hat.

Eſt quædam de fructiferis nota omnibus arbor,
Si nomen quæras, octo elementa notant.
Ultima ſic poſito, tria ſi de nomine demas,
Inter mille alias vix erit una tibi.

Vel hoc modo.

Eſt quædam ſcribenda notis bis quatuor arbor,
Sympoſiis aptas ferre ſuëta nuces.
Unde notas ſi tres poſtremas demſeris inter
Mille alias unam vix reperire queas.

Eobanus Heſſus.

Quotusquisque nunc inter Chriſtianos celebrat nuptias, ut non ordine præpoſtero prius cognita ſit conjunx, quàm ducta, immò ſæpiùs cognita, priusquam deſponſata? Nonnullis ſponſis tam impotens eſt ardor libidinis, ut corpuſculo puellari vim afferant, non tam delibantes virginitatem, quàm ipſam virginem in ſummum vitæ diſcrimen adducentes. Et miramur inter Chriſtianos eſſe parum auſpicata conjugia, quæ ſic coëunt abſque DEO. *Eraſmus in Inſtitutione Chriſtiani matrimonii l. 3. fac. 1.*

Utile non videtur, ut, poſtquam ſponſalia habita ſunt, diu differatur nuptiarum celebratio. Interea enim multa ſparguntur à malis, quæ mutuam benevolentiam conjugum labefactare poſſent. Apud nos ſponſæ domo non exeunt poſt ſponſalia, donec nuptiæ celebrentur. Ne igitur diu à cœtibus ſacris eas abeſſe oporteat, utile erit celebrationem nuptiarum maturare. *Lavaterus in lib. Iud. cap. 14. Homil. 76. pag. 86. fac. 1.*

DCIII. *De Mendaci quodam ædituo.*

NOvi ædituum quendam, illum quidem plenũ officii hominem, sed ex mendaciis planè conflatum. Cujus nunc unum atque alterum mendacium in medium afferam. Hallendorphii, quæ illi patria est, Lanium quendam novi, inquit, hominem prædivitem & locupletem, qui quidem taurum Poloniacum vasti corporis magníque precii, & ictibus aliquot securi capiti impactis prostraverat, & præcisa gula neci dederat, & sinistro latere penitus excoriarat. Cæterum cum taurum hunc in latus dexterum jam obvertisset, & hîc quoque cutem magna sui parte detraxisset, ecce tibi Lanius vesicæ levandæ causa paulisper secedit. Interea taurus in pedes sese mox moxq; erigit, per patentemque januam in publicum proruens, cum obvium quemque cornibus prosternit, tum cœlum mugitibus implet, tum verò arenam etiam ungulis spargit. Quum autem cives quidam & fustibus, & sudibus & contis illi in ponte occurrerent, ut ipsum prosternerent, ecce tibi de põte in Vierram prosiliit, cumque in eo diu multumq; ultro citróque natasset, tandem defatigatus in ipso illo flumine submersus suffocatusque periit, ac piscium fieri esca, quàm hominum maluit.

DCIV. *De eodem Halophanta.*

IDem nugabatur esse Hallendorphii Consulem quendam *Christophorum Mattenbergium*, qui quidem porcum per integrum annum saginasset. Ne verò hunc non quam piguissimum efficeret, pavisse eum non modò vulgari ista & usitata sagina, quæ statis certisque horis profundi illis solet, sed extraordinariis etiam illis devoranda projecisse & omnis generis frumenta & panes partim secundarios partim similagineos, & caseos, & fraga, & aprum, & cerasa, & pira, & poma, & nuces, & castaneas, & uvas, & lauri baccas, & glandes denique tum quernas tũ faginas

ginas: atque ita nullam fere diei partem sine accurato aliquo & exquisito porci cibatu præterlabi passũ fuisse: eaque re porcum ita obesum evasisse, ut, cùm mactandus jam foret, per *haram* foras extrahi minimè omnium potuerit, sitq; Consul Mattenbergius coactus fabrũ lignarium accersere, qui harã nõ modò tecto nudaret, sed penitus dissolveret atque demoliretur, ut porcus illi reddi mactariq; posset. Cæterũ quid fit, destructa jam hara, & porco ob omniũ oculos versante? Omnes mehercule, quotquot aderant, cum admirari, tũ sanctè etiam sanctèque affirmare, per omnem se vitã grandiorem porcũ, qui vel quemvis ursum inusitata & vasta corporis mole ac magnitudine antecederet, se haud vidisse. Quid verò Lanius? Mihi verò cultro longiore opus fuerit, inquit. Nam hoc quidẽ certè jugulũ ipsius haud petiero. Non ita multò pòst tamen adesse sibi jussit eos, qui spectandæ beluæ causa accurrerant, ut ipsorũ opera porcũ prosterneret. Quo quidẽ prostrato, exsecandæ mihi priùs è collo ejus erunt aliquot carniũ libræ, inquit, alioqui ad jugulũ ipsius vix aut ne vix quidẽ penetra vero. Exsectis igitur inde carniũ libris circiter XXX. jugulũ ei dein ptęscindit, ac suem cõtrucidat. Etsi verò vel pueri hoc pinguissimũ esse & vægrande mendaciũ & agnoscerent & dicerent, ipse tamen testatus Deum vivum, severam narrasse historiam, omni asseveratione affirmabat.

DCV. *De eodem.*

IDEM in publicis nuptiis, cum fortè fortuna Coquorum mentio esset injecta: Facessite in malam rem, inquit, cum vestris istis rancidis lixis, quas ego ad unum omnes ne vitiosa quidem cassavé nuce emerim, utpote homines impuros, artis, quam profitentur, ignaros & imperitos, ac, ut verbo dicam, nauci, fungos, triobolares, atque adeo terræ filios. Mihi verò est frater coquendi ita peritus,

ut ſecundum mehercule non habeat in Europa, Europa autem? immò verò in rerum univerſitate: inprimis autem excellit in frigendis placentis, ſcriblitis, tucetis, tortis, artocreis, & id genus aliis cupediis. Qua de re accipite hoc inſigne ejus artificium, à me quidem ſanè plus millies hiſce oculis meis viſum. Quum placentas ille frigit in ſartagine, eas non, ut coquorum vulgus ſolet, frictorii ventilatione qualicunque vertit, neque verò cochleari aliquo aut orbiculo diſcóve idipſum efficit, ſed cacabum ita profectò vexat ventilatque, ut ipſam illam placentã per caminum projiciat, ac mox móxque in plateam procurrens, eam ſartagine ſartam tectam recipiat, atque hoc quidem pacto verſam, hac quoq; ſui parte tantiſper deinceps frigat, dum eam eruditatem jã exuiſſe omnem intelligit. Quid vobis videtur? ecquid non hoc magnæ eſt artis? Ecquid tale unquã vel viſum eſt vobis, vel auditum? Quantumvis verò omnes eum mendacii coarguerent, ac exſibilarent etiam, ipſe tamen vera ſe narraſſe Jovem lapidem jurabat.

LUTHERUS.

Wer Liegen wil/der ſol es nicht krumb trehen/damit ers auch fiddern könne

Superioribus nugis hæc quoque tanquam veritati minùs conſentanea ſubjicere placuit. Interim tamen fides ſit penes lectorem. In *Arcadia* ſcio eſſe ſpectatam ſuem, quæ præ pingsitudine carnis non modò ſurgere non poſſet, ſed etiam, ut in ejus corpore ſorex exeſa carne nidum feciſſet, & peperiſſet mures. Hoc etiam in juvenca factum accepi. *M. Varro* citante *Johanne Rivio Attendorienſi* in libello de puerorum inſtitutione.

Conſtat, illis diebus in *Apulia* cervos vulturésque tanta ex aëre vi tantísque agminibus inter ſe confli-

xiſſe

xisse, ut carri XII. eorum cadaveribus explerentur. *Bembus lib. V. Hist. Venet. pag. 173.*

Alii post hos relictis populis, mare rubrum ingressi complures, nigrorum item & bonorum hominum ac bello fortium civitates adierunt, qui natis statim fœminis naturam consuunt, quo ad urinæ exitus ne impediatur: easque cùm adoleverint, sic consutas in matrimonium collocant, ut Sponsi prima cura sit conglutinatas atque coalitas puellæ oras ferro interscindere. *Tanto in honore apud homines barbaros est non ambigua ducendis uxoribus Virginitas. Bembus lib. 6 Hist. Venet.* pag. 223.

Per idem tempus *Machtyldam* Hennenbergensem, filiam Florentii Bathavini, sororem Wilhelmi Cæsaris, mille quingentos quatuordecim simul genuisse, in malluvio ab *Ottone Trajectensi Episcopo* sacra aqua lustratos esse, inter ostenta a nonnullis narratur. Quod equidem magis, ne prætermitterem, retuli, quam quia verum aut verisimile putem. *Aventinus annalium* Bojorum lib. 7. pag 667.

DCVI. De Nobili quodam N.N.

VIR quidam nobilis, quum annos non parum quidem multos in exteris regionibus confecisset, cœpit ad extremum de repetenda patria suisque revisendis cogitationem suscipere. Domum igitur reversus, die quodam dominico concionis audiendæ gratia in templum intravit. Hic quidem conspicatus, subsellia quædam se absente & inscio ædificata esse, stomacho & iracundia totus exarsit. Quamobrem concione finita pastorem hanc in rationem affatus est: Ecquis verò malus genius isthanc in mentem te impulit, ut hæc subsellia nobis insalutatis & inconsultis exstruenda curaveris? Hisque dictis, extemplo in subsellia impetum facit, eaque pede dextero, quantum potest, disturbat & perfringit Pastor verò, quod jus patronatus ecclesiæ istius non ad no-

bilem, etsi pagi dominus esset, sed ad Principem pertineret, illum admonuit, ut ne tantopere in aliena domo atque adeo templo Dei sæviret & grassaretur, neque falcem in alienam messem mitteret, futurum alioqui, ut sibi ipse malum, veluti turdus, cacaret. Tantum autem abfuit, ut Centaurus iste hac pastoris commonitione flexus ad sanitatem redierit, ut potiùs longè vehementiùs excanduerit, ac cum subsellis ante luctari non destiterit, quàm ea funditus prostraverit, pessundederit, everterit. Cæterũ, ut primùm Cyclops hic domum revertitur, ecce tibi inter prandium ipso illo pede, quem subselliis evertendis primùm admoverat, sacro igni corripitur, quo quidem crus omne ita intumescit & inflãmatur, ut parum abfuisset, quin vitæ conservandæ gratia illud ei amputandum fuerit.

DCVII. *De Nobili quodam Rustico Westphalo.*

NObilis quidem Westphalus singulis ferè diebus dominicis, Presbytero suo homini juveni facundo & faceto, & non ita pridem ad Ecclesiæ gubernacula admoto, prandium præbebat. Quum autem aliquando peregrè proficisceretur, & ab arce sua jam miliare circiter dimidiatum abesset: Venit mihi, inquit famulo, rei nunc cujusdam in mentem, de qua quidem admoneri meam conjugem, cum ipsius sane, tum mea etiam plurimum interest. Quamobrem pedem è vestigio refer, meque illi conceptis verbis serióque mandare, dic, ut ne Presbytero me absente vel prandium vel cœnam det, néve toto isto tempore, quod abfuero, meas in ædas illum intromittat, multo autem minus ipsius domum ingrediatur, sed ab ejus colloquio penitus se abstineat. Famulus se heri mandatum hoc exhausturum affirmat. Aliquo usque autem ab illo digressus, sic secum cogitabat, & mussitabat: Næ venit he-

ro

ro meo in mentem vereri, ne Presbyter hic noſter novitius, utpote juvenis adhuc, ſucci plenus, robuſtus, ſpecioſus, & ſalax, ipſo abſente conjugis pudicitiam expugnet, ideoque omni illi cum ipſo familiaritate interdicit. At noti mihi mehercule ſunt mulierculorum mores, ſiquidem ea demum committunt patrantque, à quibus ſe abſtinere jubentur. Ne igitur illa nobis abſentibus, contra heri mei interdictum, corpus ſuum cum Sacrifico copulet, equidem herilis mandati nullâ prorſus apud illam mentionem faciam, ſed aliud quid comminiſcar, quod illi per me herus meus ſignificari velit. Quid quæris? Vix dum ædes nobilis ingreſſo famulo occurrit hera, & lacrymabunda percontatur, ecquid ſibi vult repentina iſta tua reverſio? Salvæne ſatis mei mariti res? Salvæ verò, inquit ſervus. Sed unum eſt, quamobrem herus me ad te remiſerit, de quo te etiâ atque etiam ipſius nomine admonerem. Vult ſcilicet & jubet nobilis meus, ut ne ſe abſente eum moloſſo hoc noſtro loris aſſuefacto luſites, aut ipſi inſideas, metuit enim, ne te ille forte mordeat, quòd tum admodum irritabilem & ad mordendum proclivem eſſe norit. Ad quæ hera reſpondet: ecquæ verò (malum) hæc eſt inhibitio? Mihi mehercule de cane vel demulcendo vel conſcendendo ne per ſomnum quidem unquam in mentem venit, ac ſcio, neminem omnium vivere, qui unquam me cum cane aut luſitantem aut inſidentem illi conſpexerit. Quapropter iſta admonitione ad me quidē nihil opus erat. Servus igitur ad herum remeaturus inſit: Inteſlexti hera, quid viri tui verbis tibi perceperim? Cave igitur faxis, ut dicto illi minus audiens fuiſſe videaris. Hera autem redi, inquit, ocyus ad meū nobilem, eique omnia fauſta precatus, dic, ut tranquillo ſit animo, meáq; cauſa

non laboret, mihi namque curæ futurum, ut re ipsa intelligat, me hac quoque in parte, ut in aliis omnibus, fuisse morigeram. Cæterùm famulus vixdum illi dorsum obverterat, ecce tibi mirari satis nequeo, hera inquit, quid sit, cur meus mihi maritus prohibeat, ne molossum demulceam aut cõscendam. Magni profectò quid subsit oportet, cur hoc à me fieri nolit. Ipsa mecastor in memoriã redire non possum, tale quid unquam à me tentatum nedum factum fuisse Quid multa? Dispeream equidem, si eum hactenus digitulo attigerim. Hæc cùm admirabunda secum mussitasset, panes mox profert, quos cùm avidè devorare canem ac ipsi adblandiri insuper conspiceret, plures profert, & eum ad satietatem usque pascit: tandemque illum manu etiam demulcet, factura nimirum periculum, tamnè irritabilis foret quàm esse illum maritus per stabularium renunciaverat. At verò postquam mulier animadvertit, canem istam tractationem patienter ferre; Næ valde tractabilis, inquit, molossus hic est noster, ac simul ipsi insidens dorsum illius natibus nonnihil premit. Hic igitur canis ringitur, dentésque mulieris brachio infigit, morsuque miserè consaucia t, ita ut chirurgum sanandis vulneribus adhibere illa cogeretur. Interjectis aliquot diebus Nobilis domum reversus, conjugem lecto affixam; ægram & pallidam offendit. Quare attonitus; Ecquid hoc infortunii est mea lux, inquit. Huic illa: tua culpa in hoc malum incidi, respondet, nisi enim tu per stabulariũ mihi renunciasses, ne cum molosso lusitarem, nunquam illum attrectare fuissem ausa. Nobilis igitur uxori se purgans Jovem lapidẽ jurat, tale quid se per famulum non renunciasse, famulúmque accersitum sic affatur: Egone tibi mandavi furcifer, ut diceres conjugi meæ, ne canem demulceret. Minimè verò inquit, sed ut illi interdicerem, ne nobis absentibus

tibus Sacerdotem in ædes tuas intromitteret. Alterum illud ego commentus sum, quippe qui non ignorabam, consuesse mulieres ea demum facere, quibus illis interdicitur. Itaque si illi omni presbyteri commercio ac consuetudine interdixissem, admisisset illa haud dubie presbyterum & haberes tu jam pro honesta uxore fœdum prostibulum. Id ego scilicet malum amoliri studui, quem non fugiebat, mulierem semper niti invetitum, cui eidem rei & hoc ipsum fidem facit, quod canem demulserit ac conscenderit, ut maximè hoc vetuerim. Nobilis igitur servi prudenti consilio approbato, illum majori deinceps in precio habere cœpit, ac satius omnino esse respondit uxorem suam à cane morsam, quàm à Mysta isto constupratam esse.

DCIIX. De Doctore Johanne Megobaccho.

QUum *Johannes Megobacchus* præstantissimus ille, bene dictæ memoriæ, Medicus ex Italia, ubi Doctoralibus insignibus paucis ante mensibus redimitus fuerat, in Hassiam sese diis hominibusque applaudentibus recepisset, placitum illi est *Cassilium* illustre *Hassiæ* propugnaculum cumprimis seligere, ubi & fixam sedem locaret, & medicinam faceret, & ætatem reliquam omnem transigeret. Vixdum autem mensem hîc unum confecerat, ecce tibi cœpit illico ab hominibus bonis in precio haberi, ferri in oculis, & maximi fieri, cum quòd *Philippus Lundgravius Hessiæ*, cujus illustris fama (uti reor) nullo ævo consenescet, Archiatro eo uteretur, tum quod singulari quadam humanitate morumque comitate præditus esset, tum verò maximè quod nulli propè morbo medicinam adhiberet, quin eum quàm felicissimè curaret atq; depelleret. Quo factum est, ut cunctis admirationi esset, fieretq; incredibilis ex omnibus ferè Hassiæ angulis ad eum tanquam ad sacram aliquam anchoram, hominum concursus atque effu-

fusio. Inter cæteros autem convenit ipsum & anicula quædam Grebensteiniana annos nata octoginta eoque amplius, quæ hanc in rationem eum affata est: Gratulor equidem communi patriæ, atque adeo Deo Opt. Max. gratias ago, cum te quidem, clarissime D. D. nobis medicum destinarit ac dederit, quo non solùm ad morborum nostrorum depulsionem, verùm etiam ad vitæ nostræ tum prorogationem tum propagationem uti nobis liceat. Quid verò sit, cur te nunc adeam, paucis accipe. Annos sum nata 84. Interim tamen satis bellè pro re nata valeo. Cum febri aut alio aliquo ancipiti morbo equidem conflictata sum nunquam. Neq; verò ullos unquam vel capitis vel dentium dolores sensi. Dentes ad unum omnes adhuc habeo, & quidem sartos tectos, & ad conficiendum cibum minimè hebetes, & stomachus officium suum etiamnum rectè facit, ita ut cibum mansum nullo negocio concoquat. Cibi potusque perquàm adhuc sum appetens, nihil vel nauseans vel respuans. Ad potum quod attinet, utor cervisia nostrati, quam salubrem esse perhibent. Huic interdum vini quippiam addo. Cibo, quod & opes mihi suppetant, & liberis caream, delicato vescor, ac ad concoquendum ~~dirigendumque~~ digerendumque facili. De somno præterea nihil est quod conquerar, cùm maximam noctis partem suaviter dormiendo conficiam. Nondum mihi, ut vides, nutat caput, nondum DEI Opt. Max. munere atque concessu tremunt manus, nondum vacillant pedes, scipione nitor adhuc ac fulcior nullo. Unum tamen est, quod non parva me molestia afficit, oculis nimirum meis quotidie magis magisque hebescentibus, ac minus prospicientibus. Non parum quidem sæpe fit, ut hîc & illic impingens, miserè prolabar atque corruam. Quamobrem te per omnia sacra oro, ut huic malo remedium aliquod tum invenias, tum adhibeas, quo pristinam

oculo-

oculorum vim aciemque recuperem. His dictis marsupio recluso aureum depromit, eoq; *Megobacchum* donat, quem ille quidem in manus sumit & contemplatur, sed protinus mulierculæ reddit, inquiens, vetustus quidem & probus hic est aureus. Ast ego tibi illum, mea mater, restituens affirmo, multis me antiquis templis interfuisse: in nullo tamen unquam inveniſſe integras aut pellucidas fenestras, quod pleræque omnes partim temporis longinquitate, partim etiam tempestatum multitudine atque injuria, situ & squalore obductæ vitium fecissent, ideoque lucem propè nullam transmittant, vel penitus etjam contusæ essent, atque perfractæ: **Liebe Mutter da habt jhr ewren Goldtgülden wider / ich habe nicht gesehen / daß alte Kirchen gute oder helle Fenster gehabt hetten.** Quo quidem vetula audito, intelligenti sat dictum, inquit. Itaque tuam ego opem propter decrepitam senectutem meam frustra imploro. Tu tamen, quod me tam patienter audieris, aureum tibi hunc nihilominus reservabis, ac bene feliciterq; valebis. Hisque dictis *Megobacchi* domo, non sine magno cæterorum audientium risu, exiit.

DCIX. *De Johanne & Anastasio Schimmelpfengiis, illo Eschwegensis, hoc Lichtenaviæ Ecclesiæ fidelissimis administris.*

INtererãt hi duo olim boni cujusdam viri nuptiis, magna hominum honoratorum frequentia *Hallendorphii* in Hassia celebratis. Hîc quum *Johannes* quendam & veste splendidiore indutum, & ea re mirificè sibi placentem cerneret, cœpit admirari, ecquisnam ille foret, de eoque *Anastasium* diligenter interrogare. Qui quidem, quod & *Hallendorphii* aliquando literatoris munere esset functus, & uxorem hinc oriundam in matrimonio haberet, & frequens in ea urbe multusque esset, hominem primo mox intuitu agnoscens, consobrino suo significat, ephip-

ephippiarium eum esse. Eo ille cognito non tam admirabundus, quam indignabundus, inquit: DEUS bone hiccine est sellarius, & tam lautè sumptuoseq; vestitus incedit, ac tantos sibi spiritus sumens, cristas usque adeo tollit? Ut te dii deæque omnes perdant. Moriar equidem, ni putaverim, ipsum esse unum aliquem de Principis consiliariis, ad cohonestandas hasce nuptias, & sponsum munere aliquo afficiendum, ab ipsius celsitudine huc missum: Vah, quantopere mea me fefellit opinio! Hic quidem cum propterea tantopere superbiat tamque insolenter se efferat, quod ephippia duntaxat contexere novit, quid cedo quæso facturus sit, si equos cabellósve procreare posset? Tum quidem hercle nihil foret ipso superbius, nihil elatius, nihil asperius: **Ist der Kerle so stoltz/ weil er nur Sättel kan machen/ was wolte er wol thun/ wenn er köndte Gäule machen/ dann würde er der Teuffel selbst seyn?** Quibus quidem dicteriis incredibile est, quantus ille risus tum consobrino suo *Anastasio*, tum cæteris etiam convivis concitaverit.

DCX. De philauto quodam seu sciolo.

MArpurgi adolescens quidam Philosophiæ nuper renunciatus Magister, eximiam quandam nõ hujus modo literaturæ, sed & sacrosanctæ Theologiæ cognitionem sibi arrogabat. Itaque pastorem quendam paganum rogat, sibi ut potestatem concionandi in quadam ipsius ecclesia faciat. Quod quidem cùm impetrasset, congestis, quotquot omnino habere potuit, postillis & pervolutatis cùm conciunculam aliquam consarcinat, tum memoriæ mandat, tum appetente jam die dominica alacer in pagum **Kölben** habendæ istius concionis gratia proficiscitur, ubi conscenso suggesto concionem in tria membra partitur, de hisque ordine se verba facturũ confirmat, atque rusticis spem facit. At verò cùm omnium

omnium & oculos & mentes in se unum defixas animadverteret, aqua illi hæret, ita quidem, ut totus obmutesceret, prima concionis parte vix aut ne vix quidem ad umbilicum perducta. Quamobrem, ut ne in reliquis quoque subsisteret hæsitarétve ac turpiter se daret, rusticos hanc in sententiam est allocutus: Rogo vos dilecti in Domino amici, ut prima hac parte contenti nunc sitis, de reliquis duabus alio tempore agam; hisque dictis *Marpurgum* se retulit. Non multò post autem quidã ex rusticis ligna *Marpurgum* deportans, fortè fortuna in hunc Magistellum incidit, qui quidem sic illum compellat: Ecquando tu verò *Magistelle Paphnutuléve* ad nos redibis fidem liberaturus tuam, teneris enim nobis, ut scis, obstrictus duabus adhuc concionis illius tuæ proximè apud nos habitæ partibus recitandis. Fac igitur, ad nos te recipiens, promisso isti receptuique tuo satisfacias: **Herr Magister jr seyt uns noch zwey Stück schuldig von der letzten Predigt / lieber wann wolt jhr kommen / und euch lösen / und uns bezahlen.**

DCXI. *De Johanne Schimmelpfengio, & Caspare Rennero.*

Johannes Schimmelpfengius Ecclesiæ Eschwegensis pastor hoc tempore primarius, avus meus maternus, longè mihi carissimus & observandus, vir omni planè doctrina liberali præstantissimus, scholæ Eschwegensis quondam Rector fuit: in eoque munere sic sese tractavit, ut & domino Superattendenti *Justo Hybernio*, & hujus ecclesiæ antistitibus *Conrado Clerico*, *Guilielmoq; Rittero*, & Reipubl. istius civitatis proceribus patribusque conscriptis, & universæ denique civitati industriam suam abunde probaverit, eaque re cum laudem egregiam consecutus sit, tum magno etiam in pretio apud ipsos fuerit. Enimvero prodibant ex illius tum schola, veluti ex equo Trojano, adolescentes pro sua illa ætate tum bene docti, tum

tum egregiè etiam morati. Quod totus in eam curam atque cogitationem recumberet, quemadmodum teneros puerorum animos non solùm optimarum artium studiis excoleret, verùm pietate etiam eos honestisque moribus imbueret atque perpoliret. Et hanc quidem in curam cuivis perito atque prudenti literatori incumbendum esse equidem statuo. Præceptore porrò tum eo non tantùm promiscuæ multitudinis civiumque liberi, sed & finitimorum nobilium filii magno numero usi sunt. In quibus & *Rodolphus à Trotta* fuit, fulgentissimum hodie nobilitatis Hassiacæ lumen atq; ornamentum. Hujus pater *Wernerus à Trotta* vir omni laude superior, *Schimmelpfengium* cum sæpe invitabat, tum verò advenientem prolixè accipiebat. Quodam verò tempore *Schimmelpfengius* sua ipsum sponte accessit, adducto simul *Casparo Rennero Diacono Eschwegensi*, homine festivo, lepido, & perfaceto. Quamobrem cum biduum jam integrum summa animi hilaritate apud eum confeciissent, bene poti tertio demum die domum sese recipiunt. Quod autem non procul à Dattenroda, quæ transeunda illis erat, sanctuli cujuspiam statua longinquitate jam temporis crebrisque imbribus exesa & putrefacta collocata esset, *Rennerus* coram hac in genua (*Schimmelpfengio* id frustra prohibente ac dictitante, sanctos plerunq; consuesse, ut est in proverbio, signare) provolvitur, & securicula eam sua nonnihil pulsat, & sacrificulorum more psallit boatq; : *Sancte Benedicte* ora pro nobis, Sancte Roche ora pro nobis. Sancte Franciscе ora pro nobis. Vix dum autem hunc exorsus fuerat hymnum, ecce tibi incredibilis crabronum numerus ex statua provolat, magnoque cum fremitu impetum in *Rennerum* hunc facit, eumque fugam capessentem & pallio faciem obtegentem insequentes crabrones toto ferè corpore miserè pungunt lancinantque,

nantque, ita quidem, ut ipsius cantio in planctum ejulatumque converteretur. *Schimmelpfengius* processerat jam longius, ideoque extra omnem teli jactum erat, in portuque navigabat. *Rennerus* verò in non parvo versabatur discrimine. Quod enim vino sese ad ambas usque aures ingurgitasset, ad currendum fugiendumve minus erat idoneus atque expeditus. Quo quidem factum est, ut vel crabronibus sese fodiendum exponeret, vel sursum deorsum certè præcipitaretur atque corrueret, spicula eorum evitaturus. *Schimmelpfengius* hominem & quiritantem, & lacrymantem, & immanè vociferantem exaudiens substitit, aliquantisper expectaturus ipsius reditum atque congressum. At verò ille vetuit, ut ne id faceret, sed, quantum quidem posset, progrederetur, dato manu signo, illum admonuit. Itaque *Schimmelpfengio* in mentem venit suspicari, serpentem quendam hominis seu incondita vociferatione, seu quod statuam plus satis quassasset, excitum ex carioſa ista ruinosaque statua prosiliisse, illiusque vel cruri vel brachio sese implicuisse. Quod autem *Schimmelpfengius* id genus insecte mirum in modum reformidaret, minimè sibi faciendum putavit, ut præsentiam illius operiretur: ideoque Ricosaxonium usque perrexit, ubi *Rennerus* ipsum & consecutus, & de infortunio suo perquam lamentabiliter conquestus est, & plagas itemque cum in facie, tum in collo, tum in manibus, tum in cruribus, tum in toto denique corpore sibi undique à crabronibus inflictas ostendit, seipse detestans, quod *Schimmelpfengii* dicto non fuisset audiens, qui ita illi respondit: Nunquid tibi dicebam futurum, ut tibi ipsi malum, veluti turdus, cacares, si quidem cœpto non desisteres? Solere namque sanctos insignire omnes, à quibus molestia aliqua contumeliáve afficerentur. *Rennerus* porrò toto corpore sic intumuit, ut & dies aliquot

quot satis cum periculo decubuerit, & medicos itemque adhibere ad depellendum malum istud vitamque conservandam necesse habuerit. Itaque tam graviter ægrotans non parum quidem sæpe Jovem lapidem juravit, nulli se posthac sancto unquam ullam injuriam illaturum.

DCXII. De Matthia Dornemanno, & opilionibus duobus.

ANNIS abhinc septem *Duntzebacchii* (pagus is est nobilium à Boyneburg) verbi divini præconem agebat *Matthias quidam Dornemannus Allendorphensis*, homo nec illiteratus, & facundus Ecclesiastes. Is quotidie ferè *Fridam Duntzebacchio* vicinam commeabat, atque hic quidem cerevisiam Fridensem cum familiaribus quibusdam rusticis suis hauriebat. Hanc enim ille Eschwegensi præstare putabat, tametsi hæc illi utpote nec satis coctæ, & perquam turbidæ, & stranguriam plerunque parienti longè anteponenda videatur. Quodam verò tempore scabinus istic quidam *Johannes Schefferus*, zythum perbonum coxisse perhibebatur. Itaque *Matthias* minimè sibi committendum putabat, ut eam præteriisse suumque genium defraudasse videretur. Ut primum igitur cerevisiam istam deferbuisse, ac ætatem jam habere potabilemque esse factam accepit, Fridam cum uxore ejus degustandæ potandæq; gratia proficiscitur. Id conspicati opilionis *Duntzebacensis* pueri duo, ita alter alterum alloquitur: En tibi Presbyterum istum nostrum cum conjuge sua Fridam euntem. Nulla mehercule dies abit, quin eo excurrat cum rusticis, pergræcetur, & helluetur. Isthinc quidem antè haud discedet, quam cerevisia sese ad ambas usque aures ingurgitatum planeque confectum esse sentiat. Quamobrem, si me audies, exagitabimus nonnihil hominem, ubi hac vespera bene potus *Frida* redierit. Sunt in littore viæ istius regiæ,

qua

qua *Paphnutio* noſtro redeundum eſt, veſparum nidulí duo, ad hos nos conferemus, ubi reverti jam illum videbimus, ac bacillis noſtris veſpas ex nidulis eliciemus, in ipſumque jam tum appropinquantem concitabimus. Apprimè conſilium hoc & alteri nebuloni placet. Itaque uterque perquàm anxiè Sacerdotis reditum expectat, ut animum explere ſuum in divexando ipſos atque exſatiare poſſint. Quid quæris? Collem conſcendunt modò hunc, modò illum, ſpeculantes quam diligentiſſimè, num rediret, quantumvis non ignorarent, ipſos ante crepuſculum veſpertinum cauponulam purgare haud conſueviſſe. Appetit tandem deſiderata diu expectataque veſpera. Quamobrem in ſpem eriguntur nunc certam, brevi ipſum cum conjuge ſua affuturum. Nec verò hæc ſpes fruſtrata ipſos eſt. Etenim nunc demum accedit *Dominus Matthias* dextera uxorem ſuam ductitans, perinde ac ſi cum ipſa ſaltaturus eſſet. Apparebat certè ſatis, ipſos cereviſia probè madidos eſſe, cùm identidem & prolaberentur, & corruendo nunc uxor marito, nunc maritus uxori ſuperincumberet. O pulcrum ſpectaculum, atque adeò digniſſimum, quod hujuſmodi homines, religioſi nimirum, opiliónibus & iis quidem pueris præbeant! juxta illud Chriſti: Quisquis autem offenderit aliquem ex parvulis iſtis, qui in me credunt, præſtiterit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria de collo ejus, ac demergatur in profunditate maris. Verùm ad rem.

Pueri Paſtorem ejusque conjugem lento gradu cochleæ inſtar adrepere conſpicientes, gaudio prorſus exſiliunt, ut, quod dudum facere animum ſuum induxerant, nunc demum exequantur. Proinde ad duas iſtas veſparum cavernas celeriter advolant, ſupiníque hîc dormientium more jacent. Hos ita jacentes Paſtor excitat, inquiens: Quid hîc verò ſtertitis aſini, quin vos ad ſepta veſtra recipitis caſaſque

occupatis vestras? priusquam fur quispiam noctur-
nus accedat, & oves aliquot furto intercipiat, ne da-
mnum magistro vos vestro præstare cogeremini.
Pueri his auditis, veluti profundo ex somno excitati,
sese erigunt, arreptisque bacillis suis, vesparum illos
cuniculis inserunt, ut hoc pacto eas prolectent. Qui-
bus quidem catervatim mox proruentibus, ipsi in
pedes sese, quantum possunt, conjiciunt. Quo fit, ut
illæ & in pastorem, & illius conjugem cerevisia pla-
nè perfusos & fœtentes, impetum facerent, ac pasto-
ri quidem cùm in capillitio, tum in barba, tum in
facie etiam hærerent, miserandum ipsos in modum
pungentes. Ne non igitur ipsis quoquo modo resi-
steret, & adversus earum injuriam sese muniret, to-
ga sua arrepta caput tegit atque obvelat. Cæterùm
quid fit interea pastoris conjugi? Hæc cerevisia pro-
lixius hausta facta animosior, mantili, quod manu
gestabat, cum vespis pugnat. Ast illæ mantile sus-
que deque facientes magis atque magis ipsam cir-
cumvolant, strepuntque, ac illius cum cervicem, tum
brachia, tum manus, tum humeros, tum pectus, tum
mammas, tum faciem denique quàm vehementissi-
mè lædunt. Illa nihilominus pertinaciter cum ve-
spis fortiterque digladiari pergit, usa in hoc prælio
adversus hostem suum non mantili solùm suo, ut
antea, sed & maxima quadam stentoreaque accla-
matione, conviciis, minis, atque maledictis, ita ut fa-
ctitare solemus, si quando aviculas de cerasis triti-
cóve abigere volumus. Cæterum quum misera hosti
mappa hac sua, maxima contentione totisque viri-
bus resisteret & repugnaret, atque hanc etiam atque
etiam jactaret ventilaretque, evenit, & quidem ma-
gno ipsius malo, ut eam aliquanto longius abs se
projecerit. Quamobrem hoc armorum genere cùm
nudata jam esset, præsidium illi restabat aliud planè
nullum, nisi quod in una togula sua collocatum re-
posi-

positumque habebat. Hac igitur sublata cùm caput tegere molitur, atripit simul (ô infortunium!) interulam suam, atq; hoc quidem pacto vespis inferiora quoq; corporis sui membra fodienda offert, superioribus certè satis jam vexatis superque. Unde illæ extemplo, & ipsius dorsum, & nates, & femora, & crura, & ventrem (ut pudenda nunc mittam) perquam hostiliter invadunt, stimulant, pungunt. Audisses tu hic perquam miserabilem ejulatum: Vidisses miros portentosos; saltus. Quid quæris? qui non ita pridem cerevisia prorsus erant confecti, ii dicto citiùs pulcrè reddebantur sobrii. Qui præ nimia ebrietate repere antea, non incedere videbantur, ii quidem nunc sic currunt, ut pedum pernicitate vel ipsos cervos æquarent. Nunc cursu Presbyter post se relinquebat uxorem, nunc hæc ipsum antevertebat, podicem illi vespis usquequaque obsitum identidem ostentans. Quid multa? Si spectaculi hujus pulcerrimi astitisses spectator, næ tu sacramento contendisses, stadium ipsos currere. Ita nimirum maleficæ vespæ calcaria illis subdebant, talariaque induebant. Ad extremum domum redeunt, avibus meherculè minimè bonis, ac vespas nonnullas secum adducunt, quæ in famulam quoque sæviunt. Itaque ingentes illa clamores sustollens Divûm atque hominum fidem implorat. Cæterùm Pastor hujusque conjunx delassati omnino atque exanimati, toto corpore incredibiliter & æstuant, & sudant, & decursu languent, & molestissima denique siti torrentur atque torquentur. Quam quidem sitim suam cùm cerevisiæ mensura aliqua restinguere gestirent, ecce tibi famula vacua redit, dictitans, rusticos, ipsis Fridæ potantibus, cerevisiam hospiti omnem exhausisse. Proinde miseri isti (usque adeo nulla calamitas est sola) tenui sese potu cerevisiáve secundaria reficere, sitimque sedare coguntur.

Ea nocte pastoris conjunx toto corpore sic intumuit, ut è lectulo prorepere postridie haud valeret. Quotquot etiam officii causa eam invisebant, ii quidem putabant omnes, futurum nunquam, ut ex isto malo emergeret, sed eo miserè periret atque exstingueretur. Interim tamen mulierculæ & theriacam ipsi hauriendam propinabant, & hac itemque tuberculæ illius ungebant atque liniebant, ita ut ogdoade una & itemque altera elapsa meliuscule habere cœperit. Pastor autem bene manè *Jestedtam* profectus, de hac tam insigni atque intolerabili injuria sibi uxoriqúe suæ quam petulantissimè inusta apud *Fridericum Hermannum à Boyneburgk* conquestus est. Is prætori Duntzebacensi mandat, ut utrumque nebulonem quàm primùm comprehendat, in vinculaque conjiciat. Quod quidem nobilis sui mandatum cùm Prætor exhaurire jam vellet, alter quidem arrepta jam tum fuga sibi consuluerat, alter verò capitur, in eumq; carcerem ducitur, quem Boyneburgenses nobiles Boyneburgi antiqua ista & avita sua arce habent sanè & profundissimum & squalidissimum. Ubi pane atq; aqua septimanas aliquot pascitur, posteaq; mulcta numerata liberatur atq; dimittitur.

DCXIII. *De* M. *Georgio Amico, viro doctissimo, Reiquepubl. Eschwegensis & Medico præstantissimo, & Consule prudentissimo.*

Colstetti rustica quædam febri correpta tertiana, maritum suum rogabat, ut Eschwegam ad *Doctorem Amicum* profectus, lotium illi suum inspiciendum offerat, ac simul cognoscat, quemadmodum morbo isto depulso consanescere pristinamque recuperare valetudinem possit. Maritus igitur uxoris urinam urceolo exceptam, continuò *Eschwegam* perfert, admodum anxius & sollicitus, quemadmodum uxoris negotium rectè atq; ratione curet expediatque.

diatque. Quod quidem ne non fieret, Causidici cujuspiam opera utendum sibi esse statuit, ideoque ad *Jacobum Quentelium* rabulam Eschvvegensem se confert, ab eoque petit, ut suam causam apud *Doctorem Amicum*, cujus ipse vix ferat conspectum, & quocum venire in collocutionem ob insignem illius eruditionem non ausit, agere haud gravetur. Quid multa? *Quentelius* suam illi operam cum addicit, tum studiose etiam diligenterq; navat, habita ad *Amicum Medicum* oratione bene longa, ac diu multumq; elaborata. Cæterùm cum jam peroraſſet, *Medicus* conversus ad rusticum inquit: Nihil tibi opus erat hac quidem in re *Causidici* hujus opera, quòd ipsi tibi integrum fuerit gravamen tuum vel tribus verbis in sinum mihi effundere. Huic respondet Rusticus: Incredibile est *Clarissime Domine Doctor*, quanta tuæ cum eruditionis tum virtutis etiam per omnem Eichsfeldiam sit opinio. Itaque mihi religio fuit sermonem tecum conferre. Quid quæris? persuasum est plerisque omnibus nobis, quoscunque te morbos vel nutu depellere posse atque curare. Quocirca te ceu numen quoddam ac semideum aliquem suspiciens in oculisque ferens, veritus equidem sum tuum in conspectum solus prodire, ac verba tecum commutare, hisq; dictis urceolum lotio repletum ex quasillo profert. Quem quidem dum Medicus in vitrum effundere studet, ecce tibi vacuum omnino & inanem reperit, pauloque pòst pertusum etiam esse fundoq; carere perspicit, ideoq; exclamat: egóne ex inanibus paleis triturам faciam? **Groß Geschrey vnd wenig Wolln/ sagt der Teufel/ vnd scharr eine Saw.**

DCXIV. *De Hermanno Smincio Chirurgo Cassellano, & Mendico quodam.*

MEndicus quidam circumforaneus Stercontii Cattorum ad *Hermannum Smincium* tonsorem peritum atque præstantem adibat, summis eum

precibus per communem mortalium omnium Creatorem Deum rogans, ut sibi Iro pauperiori tum comam, tum barbam etiam resecare haud gravaretur. Chirurgus, qui misero huic capillitium impexum, promissum, lendinosumque, ac barbam insuper mirum in modum squalidam, horridam, & pediculosam esse conspiceret, sic quidem, ut nihil ab ipso præter sordes & pediculos esset expectandum, hoc modestè illi detrectat, eleemosynaque aliqua ei oblata, jubet, ut ad alium quempiam commeet, seque tondendum curet. Mendicus, quòd à plerisque omnibus Reipublicæ istius tonsoribus protelatus repulsusque esset, stipem hanc minimè omnium accipit, sed instat urgétq;, ut stipe ista reservata sibi propter Deum cæsariem barbamque decurtaret, fore hoc sibi officium alia quacunque etiam liberalissima eleëmosyna longè gratius atque jucundius. Quamobrem Chirurgus sentiens, mendicum nullum neque modum neque finem obsecrandi facere, precibus illius ad extremum locum relinquit, ad tondendumque illum, licet animo admodum invito & repugnante, ne dicam iracundo, accingitur. Ut ne verò mendicus in posterum ad ipsum rediret, idemque fortè peteret, cum forpicem tum novaculam etiam planè rejectaneam mireque hebetem ac retusam in tondendo ipso adhibet usurpatque, atque his quidem miserum istum ita radit, excoriatque, ut & suspiria ex intimo ventre traheret, & dentibus frenderet, & femur percuteret, & tantùm non lacrymas funderet. Interea verò dum Mendicus eum ad modum deglubitur, ecce tibi canis quispiam in culinam per fenestram fortè tum apertam insiliit, cremorem, ita ut ante hac non parum quidem sæpe factitarat, de lacte, quod ad focum calefiebat, devoraturus. Quod conspicata chirurgi uxor, quæ jam tum in fermento tota jacebat, propterea quòd ille mendicum tonderet,

deret, qui hypocaustum sordibus pediculisq; oppleturus esset, occlusa mox moxque & fenestella, & janua, arrepta furca, canem probè probeque dedolat, ita quidem, ut perquam miserabilem latratum ululatúmve ederet. Quo mendicus audito hanc in rationem tonsorem hunc suum affatur: Næ & hic quidem gratis propter Deumque tondebitur: **Ach du lieber Gott / den wirdt man auch vmb Gottes willen scheren.** His quidem verbis innuens, se a Chirurgo non multò liberalius clementiusque tractari, quàm illius uxor canem istum acciperet. Atque non ita multò pòst, omni gratiarum actione posthabita, Chirurgo valedicit, minimè omnium dissimulans, se per omnem reliquam vitam ad ipsum haud rediturum esse, ut gratuitam tonsuram porro ab eo emendicaret, ullámve ullo unquam tempore eo nomine molestiam ei exhiberet.

DCXV. *De eodem Chirurgo, & Rustico quodam Orphterodano Hessò.*

HIc idem amicis aliquando nonnullis suis, qui tonsore ipso utebantur, prandium præbebat, utpote *Johanni Heugelio Seniori*, *Nicolao Confluentino*, *Johanni Neuhofero*, *Laurentio Geigerò*, & *Christophoro* deniq; *Campensi*. Quum verò prandio jam peracto sese mutuũ aliquanto prolixius bibendo ad hilaritatem accenderent (celebrabantur n. tum Dionysia) evenit, ut rusticus quidam perquàm insulsus & quadratus, qui ex salinis Hallendorphianis salẽ Cassellas transportarat, hypocaustũ præter omnem eorum expectationem ingrederetur, eosq; hunc ad modũ alloqueretur, salvete vos socii, ecquis vestrûm est tonsor? **Gott ehr och de Gesellen / welcher vnger och es der Schärer?** Quam illius inurbanam salutationẽ quum risu non vulgari excepissẽt, *Heugelius* vultu ad austeritatem cõposito: Ego verò ipse sum ille rasor, inquit, simulque porrecto illi poculo jubet, ut bibat.

BIBLIOTHEK
MUSEUM FÜR
VOLKSKUNDE, WIEN

Quid autem fit? Salinarius poculum satis capax dicto citius exhaurit, minima quidem guttula in eo relicta, posteaq; evacuatum scyphum *Heugelio* reddens inſit: Sitiebam equidem. Itaque cum pulviſculo, ut vides, elambi. Vinum mehercule generoſum eſt. Habeo gratiam. Hisque ſubdit: Magiſter méne tu nunc tondebis? Mich dorſte/drumb hab ichs reyn auß geſoffen/ wie de ſehest. Es iſt by Gott gut Win Gott loyn och. Meiſter wolt de mich nun ſchären? Cooritur iterum inter eos riſus multo maximus. Quo ſedato *Heugelius* ſurgit, ad tondendumque iſtum ſeſe accingit, ei cum ſedem, quam capiat, oſtendens, tum linteum etiam illius collo humerisque aptans. Atque ſtipitem hunc ita tondet, ut & oculi ipſius manerent guttis, & dentes ſtridorem aliquem ederent. Daß jm die Augen wäſſerten/vnd er die Zäne plecktе/wie ein Hund/ wenn man jhm eine Oſengabel zeyget. Erat hoc ſpectaculum cæteris convivis, qui tantùm non riſu corruebant, longè omnium jucundiſſimum. Ruſticus autem iſtius raſuræ pertæſus, *Heugelium* hanc in rationem affatur: Næ tu Magiſter vino es confectus. Me namque miſeris modis vellicas, incredibilemque mihi dolorem inuris, ne beſtiæ quidem ferre poſſent. Meiſter de muſt voll ſin/de reuſſt mich liden vbel/es thut me Sacramantſch wehe/könte es doch kum ein Gul erliden. *Heugelius* jubet eum animo eſſe tranquillo, quod parum abſit, quin probè probeque detonſus jam jam ſit diſceſſurus. Nec ita multò pòſt ad illius barbam novandam, quæ ad cutem uſque radenda erat, convertitur. Sumpta proinde in pelvim aqua calida, ruſtici mentum maxillasque hac etiam atque etiam macerat, ut crines ſcilicet emolliat, minoreque dein negocio reſecet. Cæterùm aquam mento illius ita aſpergit, ut ea non in pelvim recideret, ſed per pectus illius defluens uſque ad ſcrotum nateſque illius derivatur, eæque

totæ jam maderent. Quamobrem pelvi jam exhaustâ Rusticus tandem aliquando subodorans adunco se naso suspendi ludibrioque haberi, *Heugelium* sic alloquitur: Quæ isthæc (malum) est humectatio? Penis mehercule meus totus immersus est jam aquis, natat & in his podex meus. Num & hunc tu es ra u.us? **Je Meyster wat den Dûbel soll dat sin/ de hat me nit allein das Mul/ sondern auch den Arsch vnnd den Zaull genätzet / das he im Wasser recht sch wimmet/ wolt de mich im Orsche auch schären?** Nec mora, linteum mox abjicit, sumtoque viridi pileo suo semitonsus probéque madefactus, in pedes se non sine stomacho conjicit, *Heugelio* & convivis cæteris tantum non risu emorientibus in suóque sinu gaudentibus, *Antonium* hunc asinum sibi datum fuisse, quem pro oblectamento habere, suáque bacchanalia ritè peragere cum ipso illo potuerint.

Mores hominum regioni respondent, καὶ τῶν φυλῶν τὰ σπέρματα, καὶ τῶν ἀνθρώπων οἱ βίοι ταῖς χώραις συνεξομοιοῦνται.

DCXVI. *De rustico quodam Hesso.*

RUsticus quidam Hessus die quodam Saturni Casiliam proficiscebatur, partim ut lavationi hic operam daret, partim verò ut barbam ad cutem usque, ita ut ea tempestate fieri solebat, deradendam demetendámque curaret. Quum autem in cives quosdam amicos familiarésque suos fortè fortuna incideret, atq; hi quidem ipsum rogarent, ut secum in cellam vinariam descendens, vini mensuram unâ atque alteram biberet, ac alio tempore cum lavaretur, tum tonderetur, morem ipsis haud repugnanter gessit. Porrò cùm horas jam aliquot poculis strenuè operam dedisset, & apperente nunc vespera, ad ambas usque aures vino ingurgitatus, domum cogitaret, evenit, ut urbe vix egressus & corrueret, & vomerer,

meret; & somno itemque opprimeretur. Interea Venatores quidam à venatione redeunt in urbem sese recepturi. Horum canes ea cum pulvisculo abliguriunt omnia, quæ porcus iste ejecerat, & os itemque illius impurum genasque esculentis usquequaque oppletas & squalidas, etiam atque etiam lambunt & vellicant. Quod ille sentiens in balneis se tonstrinave sic tractari autumat, semisomnisque voce, quanta potest maxima, exclamat: Lenius verò, lenius, inquam, me tracta tondéq;. Quippe prætor sum Heilgenrodanus: **Scher sachte/ scher sachte / ich bin der Grebe von Heilgenroda.** Quæ vox postea in proverbium abiit, ita quidem, ut aulici & cives aliquantò asperius incivilíusve ab aliquo accepti dicerent: Parcius verò ac mollius. Etenim quæstor sum ac Judex, ne nescias, Heilgenrodanus.

DCXVII. *De Sartore quodam Francofurtensi, cognominato* **Dürr Hänsel.**

FRancofurti ad Mœnum Sartor quidam ætatem egit, qui quidem ob raram quandam corporis maciem atq; gracilitatem strigosus *Johannes* dictus vulgò cognominatusque fuit. Hic nulli propè rei alii, nisi uni huic studebat, ut & quotidie helluaretur, & risum inter scyphos concitaret, & simpliciores cõpotatores suos adunco naso suspensos mirificè, tum argento etiam vafrè emungeret. Accidit autem, ut saturni quodam die, cum quibusdam sui similibus pergræcaretur, illique vino jam ferè confecti dicerent: Quin imus unà lotum? Norant enim, hominem à balneis mirum in modum & perinde, ac diabolum à sacris, abhorrere. Itaque is protinus non sine stomacho respondit: Nos hîc quidem bellè lavamur: ecquis enim nostrûm est, quin probè jam probéque vino madeat: Quæ igitur (malum) væcordia foret ab equo ad asinum nunc descendere, ac præ-

præstanti hoc vino valere jusso, extrinsecus aqua madefieri lavarique velle? Porrò quo magis cæteri Sarctorem hunc & tergiversari & balneas aversari animadverterent, eò impensius instant urgentque, ut una secum balneas ingrederetur. Quod quidem ut tandem aliquando illi persuaderent, sanctè recipiunt, sese cum ipso per integram subsequentem septimanã & compotaturos, & symbolum itemque pro eo numeraturos, ita quidem, ut gratis illi per integrum octiduum genio indulgere suo liceret, si hac quidem in parte ipsis obtemperet morémque gerat. Quibus ille auditis cœpit nonnihil labare, ac spem ipsis nonnullam facere, futurum se ipsorum in potestate, si quidem ex ipsis cognosceret, ecquem fructũ ex balneis istis percipere posset, se enim cùm nullis unquam nisi infantem interfuisse, tum iis etiam hactenus sine ullo valetudinis suæ dispendio caruisse. Proinde illi hanc in rationem respondent: Principio quidem sudorem & elicies & abjicies, qui quidem retentus, morbos periculi alioqui plenos parare solet. Deinde verò sacrificationis beneficio hoc consequêre, ut phlegmata ea exsiccentur, quæ intra cutem & carnes residen, & valetudinem haud mediocriter affligunt atque labefactant, nisi positis cucurbitulis exhauriuntur. Tertiò cum jam hircum oleas, abstergebitur tibi istic omne illud virus, ac cunctæ denique totius corporis, quibus plãnè squales, sordes. Quartò senties etiam à lotione non solùm capitis, sed & totius corporis miram quandam acceptã & jucundam cum levationem, tum refectionem. Postremo exacuetur ea ipsa cibi potusque appetitus, & admovebuntur tibi insuper stimuli quasi faces quædã ad matrimonium strenuè strenuéq; exercendum. His auditis fidem continuò dat, se cum ipsis balneas initurum. Quod quidẽ dum faciunt, sarctorem læti excipiunt omnes, quotquot jã

in bal-

in balneo erant, fore utique sperantes, ut facetiis illius exhilararentur. Cæterùm cùm sarctor grandi macie torridus, atque adeo pumice aridior, horam propè dimidiatam in balneo confeciſſet, ac sudorem emitteret planè nullum, reliquis interim, qui cum ipso acceſſerant, effusè jam sudantibus juſſus est à balnearum præfecto vaporarium conscendere. Cui ille non solum morem gerit obtemperátque, sed & ex superiore loco, ubi solus sedebat, partim corporis sui deformitate atque squalore, partim etiam facetiis suis frequentes effulósque risus omnibus concitat. Quamobrem cùm aliquandiu istic jam jacuisset, cœpit ad extremum & sudare & exclamare: Vah quantam ego sudoris vim profundo? crediderim equidem, fontem aliquem in meo corpore exortum esse, qui quidem istos humores effundat. Atque interim Campestre tacitè, neminéque animadvertente, de podice removens, ingens oletum egerit, posteáq; vaporario relicto, reliquis iterum assidet. Non ita multò pòst spargitur excrementi istius fœtor per omne balneum, nullo interim odorante, eccunde is proficiscereturet. Ad extremum balneator tum sarctorem, tum hujus etiam combibones allocutus, inquit: Vos socii ad ambas usque aures vino ingurgitati, certatim mihi pendere videmini. Ut vos dii deeque omnes perdant. Tantum mehercule fœtorem nobis afflatis, quantum vix aut ne vix quidem cloaca aliqua. Optarim equidem, vos nunquam huc detuliſſe pedem, aut mox móxque per diabolum quẽpiam hinc abripi. Hic cùm pro sua se quisque parte excusaret, evenit, ut Ambabaja quædam Sarctorẽ accederet, cùm eóque hunc ad modum jocaretur. Cedo mihi dorsum tuum strigosè nequam, ut illud tibi defricem. Sensisti tu ungues ante hac nostros unquam. Dispeream equidem, nisi probè te depexum redditura jam sim. Quid multa? Vix dum illa

Sar-

Sarctori ungues ſuos injecerat, ecce tibi exclamat illico muliercula, Papæ! quantas hic ego ſordes defrico. Per mehercule tempus fuit nebulo, ut balneas tandem aliquando iniens, eas expurgares atque ablueres. Moriar, ſi in hominem ſordidiorem unquam inciderim. Hircum mediusfidius oles. Miror, uxori tuæ placere poſſe. Phy putidiſſimè ganeo. Huic Sarctor reſpondet: Ludum tu verò jocumque dices fuiſſe has ipſas ſordes meas, præ ut ego quas deterſi in vaporario iſto. Iſtic quidem hercle ſordes ego non unciatim, ſed libratim omninò depoſui, **Da hab ich geſehẽ witzt/daß der Dreck iſt mit Pfunden von mir gangen.** Unde nata eſt pleriſque omnibus ſuſpicio, hunc exhauſto omni pudore ſecernam iſtic alvum exoneraſſe ſuam. Neque varò falli opinione ſe ſua animadverterunt, ſimulatque oculos ſuos eo defixêre. Itaque & aquis partim gelidis nebulonẽ perfundunt, & ſitulas in eum ſuas conjiciunt, & omni conviciorum denique maledictorumque genere ex balneo exturbant. Quem quidem fugam jam jam arrepturum balneator comprehendit retrahítque, & cum verberibus largiter mulctat, tum verò humi proſtratum pedibus etiam atque etiam proculcat. Itaque impudentiſſimus ſannio occiſum ſe iri à balneatore ſuſpicatus, ne ſibi ipſe deeſſet, ac ipſius è manibus evaderet, conceptis verbis omnibusque audientibus juravit, nunquam ſeſe in omnem æternitatem eodem reverſurum eſſe. Impurus hic nebulo immutato poſtea nomine per omnem reliquam vitam balnearum inquinator ab omnibus minimis maximisque appellatus fuit.

Anticipiti ſi vis præceps occurrere morti,
Sæpe tibi venas incidito, ſæpe lavato,
Sit cibus immodicus, numeroſaq; pharmaca ſume,
Sollicitus vivas, gravibusq; obſtringere curis,
Atq; vacans ſtudiis fœtensq; habitato cubile,

Invidiâq; irâq; frequens consumere, nullis
Visito cum sociis: VITAM sic perdis & horas.

Wer vor der Zeit will sterben/
Der soll sich fleissig bewerben/
Offt Baden vnd Aderlassen/
Fressen vnd Sauffen ohn massen/
Viel wachen/bekümmern das Leben/
Sich in schwere Sorge begeben.
In stinckenden Gemachen wohnen/
Mit Zorn sich nicht verschonen/
Alle Gesellschafft vermeyden/
Pillulen vnd Artzney offt leyden.
Das seyndt zehen guter Stück/
Den gesunden Leib zu vnderdrück.

Balnea, Vina, Venus corrumpunt corpora nostra,
Et vitam tribuunt balnea, Vina, Venus.

D.CXVIII. *De Pharmacopola quodam Gottingensi.*

PAucis abhinc annis, quum pestilentiæ lues *Gottinga* mirum in modum sæviret, ac ingentes hominum strages quotidie faceret, Reipublicæ istius pharmacopola ad eos, qui exequias funerum suorũ prosecuti jam fuerant, ac justa ipsis solverant, conversus, hanc in rationem verba fecit: Vos verò domini & amici mei, nullo malum istud negocio declinare poteratis, nisi pecuniarum nimis amantes essetis atque tenaces. Proinde facite, ut iis minimè parcẽtes, me posthac conveniatis, accepturi utique prætio justo medicamenta ea, quę omnes adversus virus illud tueantur, tegant, atque conservent, sic quidem, ne eo vel inficiamini, vel intereatis. Verùm quid fit? Ea mox hora peste Myropola corripitur, postridiéque ea confectus, Deo naturęque concedit, ac nõ sine risu eorum multo, qui hasce ipsum insolentius voces tumido & superbo ore jactare audiverant, sepultura afficitur.

Du

DCXIX. *De Conrado Gesnero, & Johanne Frisio.*

PRoficiscebatur olim herbatum *Conradus Gesnerus*, ac itineris sibi comites adjungebat *Johannẽ Frisium*, *& Christophorum Froschoverum*, *& Samuelem Pellicanum*, *& Rodolphum Funccium*, & literarũ itemque studiosos quosdam, in quibus & parẽs meus fuit. Quum autem progressi jam aliquo usque pago Zollikon appropinquarunt, hanc in sententiã eos alloquebatur *Gesnerus* : Cavete sepem aliquam supini oscitantesvé prætervoletis, sed facite, ut ad eas consistentes ac morantes diligenter dispiciatis ac oculis vestris prolustretis & investigetis, nunquæ ibi herbæ stirpesvé appareant. Nam hîc quidem hercle herbæ plerunque minimè contemnendæ crescunt atque proveniunt. Vixdum autem hæc prolocutus fuerat, ecce tibi perveniunt ad quandam sepem, pòst quam quidem oletum rustici vægtãde ac jam jamque egestum jacebat. Eo conspecto *Frisius* exclamat : Papæ *Domine Doctor*, quid hîc herbæ est! Vide, quàm pulcrè vireat? quàm venustè floreat? quàm suaviter fragret? Enimverò dubitari nõ potest, quin herbula sit minimè mala. *Gesnerus* igitur in spem erectus, hausturum se jam lactis gallinacei quippiam, hoc est, ut explanatius loquar, visurum se raram aliquam ac pretiosam stirpem, protinus accurrit, prolatóque è marsupio conspicillo ac naso imposito, (erat enim oculis hebetioribus, & minus prospicientibus) humi procidit, etiam atque etiam herbam istam contemplaturus. At verò ut primùm in genua procubuit, non tam aspectu, quam odoratu percipit, ecquænã qualisvé sit herba. Quod aũt barbã *Gesnerus* suam excremento isto nonnihil imbuisset, ac indignè juxta ferret, fucum sibi esse factum, ira accensus, glebula *Frisium* petit feritq;, cæteris ad unum omnibus non modò effusè ridentibus, sed & diu multúmq; cachinnantibus.

De

DCXX. *De Johanne Jacobo Ammiano Professore Logico Tigurino.*

QUI in Schola Tigurina artes dicendi, quas vocant, publicè olim profitebatur, *Johannes Jacobus Ammianus*, is quidem Quintilianum istic explicandum susceperat. In quo authore enarrando, cum annos integros septem consumsisset, vulgo deinceps per ludibrium *Septilianus* a literarum studiosis appellatus fuit.

DCXXI. *De Othone Werdmullero & Rodolpho Gualthero Theologis Tigurinis.*

EXiliit prorsus gaudio *Otho Werdmullerus*, atque adeo omnibus lætitiis incessit, ut primùm filiolo auctus parensque factus fuit. Ac proinde ad *Rodolphum Gualtherum* profectus, hoc ipsum illi gaudens ac lætabundus his ferè verbis in sinum effudit: Hac me hora, *Rodolphe*, uxor mea filiolo bellissimo parentem fecit. Tu igitur cedo quæso, ut appellandum ipsum ad sacrum fontem censes? Aveo namq; rarum illi aliquod nomen insolens, atque exoticum indere. Huic *Gualtherus* gratulatus respondet: Quid prohibet ergo, quo minùs *Habacucum* ipsum baptizandum cures? Etenim ipse tu Habacuci propheticum librum pro concione publica nunc interpretaris, neque quisquam est in urbe hac tota nostra, cui quidem illud tam insolens sit nomen. Quamobrem cum filiolo tuo singulare quoddam nomen & à cõmuni usu remotum indere gestias, hoc utique illi, si me audies, imponendum curabis. Etsi verò *Gualtherus* per jocum hæc dicebat, *Werdmullerus* tamen seriò hoc ipsum ex animóque loqui ratus, placere sibi nomen istud in omnes partes, ac obtemperaturum se illius voluntati spondet, idque filiolo suo se impositurum, atque ita a *Gualthero* digressus, conjugi suæ indicat, velle se, ut & filiolus suus in crastinum aqua

Chri-

Christiana lavetur, & Habacucus cognominetur. Quando verò hoc nomen uxori suæ minimè placere intelligebat, mutata sententia *Abelem* ipsum appellari fecit. Quod quidem *Gualtherus* rescisens *werdmullerum* non ita multò pòst accessit, atque ita jocatus in illum fuit: Belle tu quidem Alphabetum auspicatus es *Otho*, at verò pertexere illud, hoc opus, hic labor erit. Innuens, vix eum aut ne vix quidem tot liberos ex conjuge susceperum, quod Alphabeti literæ essent. Itaque minimè sperandum, singulis ut liberis, literas Alphabeti singulas, perinde ut instituisset, ordine imponeret, **hatte vom A angefangē würde aber schwerlich zum Z. kommen.** Id quod & illi datum non fuit, &, quod sciam, nulli, aut perquā sanè paucis, præsertim ex una eadémque conjuge.

DCXXII. *De Johanne Rhenano.*

Johannes Rhenanus, qui & Ecclesiæ Salinarū Hassiacarū, & ipsis itemque Salinis annos non parum quidem multos præfuit, filio suo postremo, natuvé minimo aqua Christiana jam lavando *Beati* nomen imponebat, non quidem, quòd magnum illum *Beatum Rhenanum* sanguine attingeret, sed quod exoptaret, filiolum hunc suum *Beati* illius quàm simillimum aliquando evadere. Quantus enim ille vir fuerit, & Erasmi, & aliorum doctissimorum hominū ad eum literæ, & ipsius illius itemque eruditissimi libri testificantur planúmque faciunt. Tantum autem abest, ut *Johanni Rhenano* voto isto suo potiri licuerit, ut filius *Beatus* potiùs aversissimo à studiis fuerit animo, eaque cane pejus atque angue oderit, ideóque pistor ad extremum factus, furnariam exercuerit, atque hoc quidem opificio se suósque honestè sustentaverit. Cæterùm *Rhenani* hic filius, posteaquam jam nonnihil adolevit, cum in ludo literario à condiscipulis suis, tum in platea etiam gressúque publico, tum à vicinis pueris, tum verò

maximè à salinariis atque plerisque mulierculis, *Pilatus*, non *Beatus* cognominatus fuit, erroréne atque insciti a, an verò ludibrio atque nequitia, equidem haud facilè dixerim. Hoc unum affirmare habeo, non solùm *Rhenanum* patrem, verùm etiam filium graviter hanc appellationem molestéque tulisse. At verò excandescere ipsis propterea in fermẽtóque jacere licuit, impedire autem vel prohibere nequaquam. Quinimmò quò iniquius ferre ipsos *Pilati* appellationem norant, eò crebrius hanc ipsam illis occinebant.

DCXXIII. *De Johanne Leningo, N. N. Cive Melosungensi, & Opilione quodam.*

QUo primùm tempore *Petri Martyris Vermilii* Commentarii in *librum Judicum* prodibant, nihil *Joh. Leningo* Pastori Melosungensi prius, quam ut ipsos illos emeret, & diurna nocturnáque manu versaret. Ut ne verò hos ipsius Commentarios oscitanter perfunctoriéve legeret, placitum illi fuit *Judicum* librum in publico cœtu pro concione explicare. Unde factum est, ut Commentarios istos non solùm attentè, diligenter, studioséque pervolutaret, sed & legendo planè contereret, in suúmq; succum atque sanguinem converteret. Evenit autem, ut ipso *Ehudis* historiam jam interpretante, civi cuidã Melosungensi filius nasceretur. Qui quidem cùm ex historia illa *Ehudis* incredibilem voluptatem cepisset, animum suum omnino inducit, filiolo isti suo *Ehudis* nomen imponere. Quod igitur Opilione quodã *Breitennavia* ætatem agente inde à multis annis familiarissimè utebatur, huic præter cæteros eum honorem habendum esse statuit, ut pro filiolo isto suo ad sacrum fontem fideijuberet. Quamobrem postridie *Breitennaviam* profectus, opilionem amicum suum per omnia sacra orat, ut ne propatris partes sus-

susciperе recusет abnuatvé. Ille facturum se idipsum summa voluntate omnique animi promtitudine stipulatur, & compatrem hunc suum accumbere mox jubet, posteáque & pastorem & præfectum ejus loci accersit, ut hi quidem operam suam in exhilarando compatre isto suo sibi navent. Erat n. opilio hic planè in cœlo, ac sibi semideus quispiam videbatur, cũ accepisset, se primum quidem pro civis, deinde verò pro Consulis, & quidem cum honorati tum opulenti filio ad sacrum fontem fidejussurum. Itaq; omnibus lætitiis incedẽs, nullis planè sumtibus jam parcebat, quo cum hunc suum, tum reliquos etiam duos, Presbyterũ & præfectum inquam perquàm prolixè acciperet. Cæterùm cùm singuli jam vino incaluissent, civis opilionem sic affatur: Unum adhuc, mi propater, habeo tibi significare, quod quidem ut patienter audias, atq; adeo mitiorem in partem interpretêre, te equidem majorem in modum etiã atque etiam rogo. Ac, ut ne diu te suspensum teneam, dicam, quidnam illud sit. Cupio equidem gnato meo *Ehudis* nomẽ imponi, tum quod Pastor noster in historiæ illius enarratione jam versetur, tum quod insignis heros ipse ille extiterit, hisque dictis *Ehudis* historiam illi omnem ab ovo ad malum usque enarrat. Quo ille audito non solùm conditionem accipit, sed & DEUM se comprecaturum recipit, ut filius hic ex sacro fonte suus, *Ehudis* evadat quàm similimus. Postridie opilio in urbem proficiscitur, ut infantulum istum ex sacro fonte susciperet, uxore sua, & parocho & præfecto comitatus. Qui quidem cum non parum quidem sæpè inter eundu ex eo scisciterentur, nũ in memoria adhuc haberet, quo modo filius ex sacro fonte suus appellãdus esset. Tenere se id ipsũ in recenti memoria affirmavit, ipsumq; *Ehudis* nomẽ pulcre expressit. At verò postquã ad baptisterиũ

venit, interrogatus à Baptista *Leningo*, ecquod nomen filio suo imponi velit, planè obmutuit, quòd nomen illud ipsi prorsus excidisset. Itaque uxor hæc illi summissa voce sugerens, inquit, *Ehud* appellatur. Tum opilio, infantulus **Einhod** est baptizandus inquit. Quærit ex ipso *Leningus* iterũ, quomodo vis appellari infantulum? Respondet opilio **Einhod/Einhod.** Unde plerique quidẽ omnes in risum soluti sunt; at verò *Leningus* iracundia atque stomacho exardescens, in has voces prorupit: Ut te dii deæque omnes perdant, istud quidem hercle infanti nomen nunquam imposuero. Tum infantis pater opilionem severa voce admonet, *Ehudem* eum esse nominandum. Proinde opilio mox exclamat: **Ja das ist recht/mein Petter sol Ehud heissen: Ehud sol er heissen.** Rectè me admones, infans vocabitur *Ehud*: *Ehud* erit illi nomen. Quod quidem nomen cum illi inditum jam esset, *Leningus* cu Consule expostulans inquit: Heus Consul, si liberis tuis Hæbraica nomina imponi gestis, cave istiusmodi stipites ei rei adhibeas, sed hanc provinciam iis potiùs committe, qui ea & memoriæ mandare, & pronunciare exprimereque sciant. Ipse enim & auribus usurpasti jam tuis, quam turpiter hic asinus se dederit, & ut obscœno & impuro suo ore mihi quidem stomachum, cæteris verò delicias fecerit, risumque moverit. Opilio planè confusus & pudefactus, aliquot aureos numerasset, se tam fœdè lapsum non fuisse, dejectóq; vultu & obstipo capite in convivio natalitio sedit, neque tam hilarem se præbuit, quam haud dubiè exhibiturus se erat, si absque illo fuisset. Porrò hic *Ehud* planè puer ex hac vita excessit, nondum natus menses septem. Quod si verò superstes in vivisque mansisset, periculum erat, ne non **Einhod** pro Ehud per omnem vitam cognominaretur.

DCXXIV. *De Georgio Menccio Diacono Caßellano, & Ruſtico quodam.*

CAſsiliam mulierecula quædam ruſtica, ſuo cum viro ad nundinas aliquando proficiſcebatur, ut hic quidem & ova caſeolósque divenderet & nonnulla itemque coemeret. Quod verò illa cùm uterum ferebat, tum partui etiam (quod tamē ipſam ut juvenculam, & jam nunc primùm gravidam fugiebat) vicina erat, evenit, ut iſtud ventris ſui onus, Caſſiliæ feliciter Lucináq; propitia deponeret, maritumque ſuum prole maſcula parentem faceret. Hanc ille ea mox veſpera baptizandam curat, pro patre aſcito *Jacobo officiale* hoſpite ſuo, viro bono & honeſto. Venitur in templum, ac Paſtor ad puerum aqua Chriſtiana lavandum accingitur, ex *Officiale*q; quærit, quomodo infantulum nuncupari velit. Is cum reſponderet, velle ſe ipſum *Jacobum* appellari, ruſticus eo audito, voce illico, quanta poteſt maxima, exclamat & vociferatur. Nequaquam vocabitur *Jacobus* ſed *Hennojunior*, **Nein / nein / er ſol nicht Jacob heiſſen / ſondern Junghenn / Junghenn ſol er heiſſen.** Hoc hoc illi nomen impone. **So ſolt jhr jhn Tauffen / ſo ſolt jhr jhn Tauffen laſſen.** Hanc hominis inſulſiſſimi importunitatem, quanto aſtantes plerique omnes riſu proſecuti fuerint, ipſi colligere facilè poteſtis. Cæterùm ne *Menecius* homini non ſatisfaceret, ipſum illud nomen puero indit, poſteáque ruſticum hanc in rationem affatur: Næ *Henno*, filio tuo hoc nomen perpetuum haud futurum eſt. Etenim ſi vita illi ſuppeditabit, ac annis ille ætatéque ingraveſcet, antiquabitur & intercidet hoc nomen haud dubiè, ita quidem, ut & pro *Hennone* minore aut juniore, *Henno* major ſeniorvè vocetur. Atque his verbis ſomnium hoc hominis cæteris deridendum propinans, amandat miſſumque facit.

Qui quidem per omnem ferè noctem cum *Jacobo officiale* propatre suo strenuè pergræcatus, jubet uxorem suam puerperam postero die benè manè surgere, colligere sarcinas, & secu domũ remeare. Quod ipsa igitur ex partu nullã ferè offensione aut valetudinis imbecillitatem sentiret, imperata mox facit, cum viróque suo domum, multum licet prohibente propatre & commatre sua, se recipit, valetudine ita integra, ac si pridie infantem in hanc lucem non edidisset. *Henno* junior postea ætate, viribus & robore succrescit, & annos circiter octo aut novem natus, à patre equo imponitur, cum eóque ligna in urbem vehiculo deportat. Hìc cum fortè fortuna in *Menecium* incideret *Henno* senior, salute dicta, hunc ad modum illum alloquitur, viden' tu illum, qui in equo hæret? Nostíne ipsum? Quum verò *Menecius* se ipsum non nosse diceret, respondit rusticus, An non nosti eum? Id verò perquam mihi mirandum accidit, præsertim cum tua ipsius manu aquâ illum Christiana laveris. Respondet *Menecius*, à se minimè expectari aut postulari debere, ut omnes illos norit, quos quidem baptizasset, quòd hoc opus hic labor sit, ac in nullius cujusquam manu. Tum rusticus, quasi verò *Menecii* multùm interesset hoc ipsum scire, Ut ne verò nescias, inquit, *Domine Pastor*, & quisnam ille sit, significo tibi, esse ipsum illum *Hẽnonem juniorem*, qui annis abhinc novem hac in urbe in lucem susceptus, Christianáque aqua lotus à te fuit. Hoc quidem pacto asinus iste nunc iterum in foro omnibus sese deridendum propinat, ut antea in templo fecerat, præsertim quum *Menecius* diceret: Eja mi Henno, gnatus hic tuus statura & robore corporis egregiè profecit: vide quàm procerus, quã robustus, & quàm denique quadratus sit, propediem mehercule futurum est, ut pro *Hennone* minore aut juniore vocetur *Henno* magnus crassusque.

De

DCXXV. *De inepto quodam puellarum amatore.*

ERat *Philippo Landgravio Hassiæ* Principi omni laude superiori, quem summi honoris gratia nomino, organicen quidam *Guilielmus Enaeius* Christophori Consulis Cassellani filius: ille quidem scientiæ istius perquam insignis artifex, sed moribus aliquantò agrestioribus præditus, quippe qui extra Hassiam pedem extulisset nunquam. Hic Marpurgi, quò aulam tum suam Princeps transtulerat, *Diethmarum Dietzium* hominem consularem amicum paternum non parum quidem sæpe intervisebat. Unde factum est, ut hujus quandam filiam adamare cœperit, qua cum absentibus aliquando parentibus familiariter collocutus, illius facundiam singulari quadam cum suavitate conjunctim admirabatur, ac in collum ei ruens scapulas illius nonnihil diverberat, atque in hæc quidem verba erumpit: Vah, quanta in te est suavitas, nihil mehercule te fingi fierivé potest amabilius: **Ach du freundtlicher Schelme / du solteſt einem ein Fell von den Augen herunder waschen.**

Eo à famula animadverso & eliminato, incredibile est, quantopere miser ille & insulsus cochleator ab aulicis exagitatus fuerit, qui ipsum postea amabilem nebulonem **den freundtlichen Schelmen** appellabant, quum antea quidem vervex domesticus & gallus Trusellanus, a Trusula rivulo Cassiliam perfluente, diceretur, propterea quòd extra hanc urbem, quæ ortum ipsi dedisset, ubi minimè migrandum putaret, ac nunc demum coactus quodammodo & præter suam voluntatem *Marpurgi* ætatem extra ipsum illud oppidum, patriam suam, ageret.

DCXXVI. *De eodem.*

IDem cùm hanc ipsam aliquando reviseret diu erat multumque sollicitus, ecquánam de re potissimũ

cum ipsa sermonem institueret. At verò ubi illius in conspectum jam venit, ac ipsa tum data dextera, tum amplexu etiam suo illius adventui gratulatur, ecce tibi suggeritur ei extemplo argumentum habendæ cum ea collocutionis pulcerrimum. Etenim contemplatus illius dexterã & digitos, in cœlum illos laudibus tollens, inquit : Papæ quàm candidæ tibi eburneæque sunt manus! Deus bone quantus ipsis illis inest calor? planè mehercule igneus! Vide, quàm teneros, quàm niveos, quàm elegantes habeas longósque digitos? Dispeream equidem, si quid venustius unquam viderim. Næ tu animula mea castrandis porcis perquàm fores idonea. Digituli enim tibi oblongi sunt, quibus rem illam bellè admodum affabréque peragere posses. Emanavit & hic illius sermo in vulgus. Quantopere igitur & hoc nomine à turba aulica exagitatus fuerit, equidem haud facilè dixerim. Ab hoc verò exemplum, quod imitentur, ii petant, quibus quidem lubitum est furtivis puellarum amoribus indulgere, cum ipsisque vènire subinde in collocutionem : & cum laudem sine invidia invenient, cum ipsos etiam immortaliter sibi, si diis placet, sunt devincturi.

DCXXVII. *De Medico quodam Viennensi.*

ERat Viennæ Austriæ Medicinæ quidam Doctor (nomen illius dedita opera silentio transeo) qui quidem & summa cum laude docebat, & medicinam itemque dexterè admodum felicitérque faciebat. Quod verò natura esset aliquantò austerior & morosior, studiosos plerosque omnes à se totos abalienabat, ita quidem, ut ipsum non modò aversarentur, sed & cane pejus atque angue odissent, ideóque, quibuscunque clam possent, injuriis afficerent. Accidit autem quodam tempore, ut adolescens quidam opilio *Viennam* proficiscceretur, ut animum suum hîc expleret, cum scortoque aliquo in lu-

in lupanari publico sese volutaret. Quamobrem conspicatus in foro studiosos quatuor, in hisque *Petrum Paganum*, ultro citroque inambulantes & sermones mutuum conferentes, accedit eos, saluteque dicta rogat, ut ne plateam monstrare sibi eam, aut nominare saltem gravarentur, quæ recta ad lupanar duceret. Quo audito *Paganus*, præclara meherculè nunc nobis, inquit (usus sermone latino) & perpulcra offertur occasio stomachum Doctori isti medico faciendi, crabronesque irritandi, cum nimirum asino huic ipsius domum, pro meretricia ista, quam ingredi gestit, commonstraverimus. Quin igitur id facimus? Placet cæteris *Pagani* consilium. Itaq; opilionem ille è vestigio se subsequi jubet, spondetq; lustrum se illi ostensurum. Inter eundum autem cum ex ipso stipite percontatur, ecquam ante hac cum scorto aliquo stupri consuetudinem habuerit, an verò nunc demum habere gestiat, tum verò ipsum instruit, ut sese tractet, rei venereæ jam operam daturus. Unde ille mirum in modum libidine inflammatus cœpit incredibili videndarum quamprimum ganearum desiderio æstuare. Quem consolatus *Paganus*, jam jam videbis eas, inquit: paululumque progressus, Medici ædes illi monstrat, dictitans, viden tu vastam illam domum fenestris ornatam pictis, hæc tibi subeunda est, ea ipsa est illa fornix, ubi tu Veneri operam dare gestis. Videbis tu illic juvenculas sex (tot erant Doctori isti filiæ plerunque nubiles) mirum mehercule in modum & speciosas, & affabiles, & amabiles, & tractabiles, & perquam denique splendidè vestitas. Cum harum una aliqua, aut pluribus etiam, si lubet, probè te probeque ad satietatem usque oblectabis. Hisque dictis stipitem largiter fustigandum abs se dimittit. Qui aperto mox capite, dataque *Pagano* dextera ingentes pro hoc officio sibi præstito gratias agit, posteaque, quantum potest, ad

scortandum, hoc est, ad vapulandum plagasq; ferendas properat. Hunc tantopere festinantem *Paganus* revocat, inquiens, heus adolescens, præterieram quippiam, quo de cumprimis admonendus es mihi. Est meretriculis istis, quibus cum rem habere nunc cogitas, aliquanto plus, quàm triobolaribus & meritoriis istis propudiis largiendum. Hæ bazione, ut scis, contentæ sunt uno; at illis vel aureus vel thalerus certè numerandus erit. Cave igitur faxis, ut sumtibus hîc pepercisse dicare. Huic, opilio, non est, quòd de eo labores, respondet: mihi nunquam pecuniæ non satis superque suppetit: neque verò parcè erogare eam consuevi, quoties Venerem exercere mihi collibitum est, sed eam planè perfundo, ac ita amari me plus plusque sentio, sublatoque simul brachio jubilaturi instar exclamat: Vah, quid ego curo pecuniam, quum ex lana redigere eam quotidiè possim. Ne non igitur *Paganus* asino huic comam probè probeque circumtonderet, laudo equidem ingenium istud tuum, inquit, teque adhortor, ut istis quoque Nymphis munificentiam tuam atque liberalitatem probes. Ita mehercule futurum est, ut illæ te non tantùm in oculis ferant, verùm primas etiam tibi & deferant, & tribuant. Quibus quidem auditis, abitum opilio mox moxque incredibiliter pruriens parat. At *Paganus* ipsum retrahens, audi me amplius inquit: Leno iste, ad quem diversurus nunc es, homo mirè tetricus est atque morosus, inquit. Quin igitur torve aspecturus te sit, ubi concubitum expetieris, dubitari non potest. Proinde aureum tu illi antè numerabis, quam ullam ejus rei mentionem facias. Eo numerato audacter deinceps pudore planè omni absterso, coitionem cum meretricula ista, quæ tibi præter cæteras arriserit, postulabis, atque lenonis cum vulticulum, tum maledicta susque deque facies, pro nihiloque putabis.

putabis. Intellextin me satis? Nostin illud, incus maxima non metuit strepitus. Huic opilio, Ego verò tuorum præceptorum probè futurus sum memor, respondet, *Panganóque* valere jusso, citato gradu ad meretriciam domum veluti salax caper contendit, atque hic quidem fores, quantum potest, pulsat. Id famula exaudiens, eum actutum & intromittit, & in ipsum itemq; hypocaustum abducit, rata, ut mea est opinio, ipsum ab ægroto aliquo nobili aut literas, aut urinam certè hero suo inspiciendam afferre. Cæterum opilio hypocaustum ingressus, salutem ipsis dixit, posteaq; verbum fecit planè nullum, sed podice ad fornacem admoto sese calefaciens, oculos nunc in parietes, suppellectile stannea egregiè vestitos atq; cultos, nunc in anaclinterium stragulis & pulvillis perpulcre ornatum, nunc in ipsum lenonem pecunias numerando, nunc percensentem, nunc in ipsam lenam, nunc in recellicl unias omnes ex ordine nentes conjicit, persuasum habens se in ipso jam lupanari, inter lenonem, inter lenam, inter lupasque versari. Cæterum cum tacitus ranæ Seriphiæ istar aliquãdiu ad fornacẽ constitisset, Medicus ex ipso percontatur, ecquid boni afferret? Sed ne hic quidem respondit quicquam, verecũdia haud dubiè impeditus, sed modo caput aperit, modò cooperit, modò caput scalpit, modò villos de pileo vellicat, modò barbam demulcet, modò manus fricat, modò frontem ferit, modò aliis deniq; aliisque gesticulationibus utitur. Itaque Medicus hominis silẽtium admiratus, urget responsum, inquiens: Missum fac rusticum illum pudorem tuum, & liberè audacterque eloquere, quid demum postules. Hic ergo opilio sibi non diutius cunctandum silendúmve arbitratus, ad mẽsam accedit, apertaque crumena aureum dependit. Quærit igitur Medicus, quamobrem hunc numeret. Tum opilio, digito in quandam Medici filiam, quæ cæteras formæ præstan-

præstantia longè anteibat, intento inquit: Ut liceat mihi cum illa. Proinde Medicus percunctari pergit, quid ergo tibi cum illa liceat? In anaclinterio isto tuo commiscere corpus meum cum illius. Hîc verò Medicus ita stomacho atque iracundia exardescit, ut homo non irasci, sed furere omnino, totusque ex potestate exiisse videretur. Quid quæris? impetu mox in Pamphilum hunc facto, ipsum & pugnis contundit, & humi prosternit, & pedibus proculcat. Accurrunt præterea tum mater, tum filiæ, tum famulæ, sua quæque colo miserum istum probè probeq; demulcentes. Hunc postea Medicus, eum ad modum detonsum depexumque, medium arripit, per graduſque præcipitat. Verum nec hic quidem receptui canitur, sed insequuntur illum mox & filiæ, & mater, & famulæ fustibus, hisque eum cum in area, tum in vestibulo ita dedolant, ut Divûm atque hominum fidem imploraret. Dum hæc fiunt, interventt Doctoris famulus, ad vicinum quendam nobilem ab hero suo missus. Hic veritus, ne morte nebulonem delerent, ex furentium manibus ipsum eripit, infractisq; aliquot colaphis, ex herili domo exturbat. Itaque Chirurchum mox adit, suaque vulnera, quæ non parum quidem multa in capite acceperat, obliganda curat, perquàm flebiliter & de lenonis, & de lenæ, & de recellicluniarum denique ferocia atque sævitia conquestus. Finis querelæ is fuit, ut conceptis verbis juraret, nunquam se in omnem posteritatem ullum lupanar initurum, sed scraptias istas vulgares & exoletas æqui bonique facturum, quòd illæ quidem vel octo denariis conductæ cuivis summa voluntate omnique animi promptitudine sui copiam facerent. Unde conjicere cuivis promptum est, somnium hoc hominis fucum haudquaquam odoratum esse, maximè cùm non tam de plagis acceptis, quàm de aurei & pilei sui plumis insigniter exornati amissio-

amissione atque jactura conquereretur. **Sagte vnd klagte / es thäten jhm die Schläge nicht so wehe / als daß er einen solchen schönen alten Goldgülden / vnd den Hut mit den schönen Federbusch / vergeblich vnd vmbsonst hette hinter sich lassen müssen / tröstet sich aber selbst / vnd sprach / hin ist hin.**

DCXXIIX. *De Doctore Theophilo Gualthero Bidencapio.*

QUUM *Theophilus Gualtherus Doctor* Medicus, vir apprimè doctus, amicus noster, *Eschwegiæ Hessorum* medicinam olim faceret, convenit eum muliercula quædam rustica, per omnia sacra orans, ut secum continuò profectus domum, vaccæ ipsius graviter ex partu & satis cum periculo laboranti opem ferret. Medicus, quem fugiebat, seriónе hæc diceret rustica & ex simplicitate quadam, an verò instigata ab aliquo ipsius exagitandi divexandiq; causa, totus excandescit, graviterque cum illa expostulans, inquit: Tibíne ego idoneus videor, quem adunco naso suspendas pro oblectamentóve habeas? Apagesis meis ex ædibus temeraria. Equidem hominibus, non bobus, medicari didici. Quamobrem aliam quercum excutiens, facesse ad veneficam aliquam anum, vel ad bubulcum tuum. Hi omnium optimè medicari vaccæ tuæ poterunt. Rustica stomachosum hoc & asperum *Doctoris* responsum ægrè & iniquè ferens, respondet: Quum vaccæ tu meæ medicinam aliquam afferre nescias, cave futurum putes unquam, ut meum tibi corpus curandum credam, hisque dictis domo egreditur, & cum *Doctorem* pudendæ passim insciticæ insimulat, quippe qui ne vaccæ quidem medicinam adhibere posset, nedum homini, tum verò Eschwegensis Reipubl. proceres vægrandes stultos appellat, qui istiusmodi asinum rei medicæ planè rudem & imperitum alere non dubitarent.

De

DCXXIX. *De quodam Germaniæ Principe, & Superattendente.*

ILlustrissimus quidam Germaniæ Princeps, cujus memoria sit in benedictione, quum ab exploratæ fidei hominibus accepisset, *Superattendentem* quendam suum studioso cuipiam Ecclesiæ alicujus curam & administrationem commisisse, non quidem, quòd hunc præter cæteros mysteriorum divinorum haud pœnitendum dispensatorem futurum putaret, sed quòd pecunia ab eo ac largitionibus corruptus esset, hanc in rationem *Superattendentem* istum interprandendum perstrinxit: Ardua mehercule res est & difficilis creare aliquem divini verbi præconem: sic quidem, ut affirmare haud dubitaverim, minori negotio Romanum aliquem Imperatorem, quàm pastorem quempiam paganum creari posse. Etenim ad Cæsaris alicujus electionem Electores duntaxat septem requiruntur, at verò ecclesiæ pastor renunciari qui gestiat, is quidem voto hoc suo potiri non potest, nisi electores ei præsto sint decem, falsè *Superattendentis* istius Simoniam perstringens, qui acceptis thaleris electoralibus decem istum ad Ecclesiæ gubernacula provexerat, alio quodam, qui asinum istum & eruditione, & vitæ innocentia, & docendi dexteritate multum antecederet, posthabito propterea quòd a tot electoribus, quàm noster hic, instructus haud esset.

DCXXX. *De Johanne Schwertero Latomo Helvetio.*

QUUM anno recuperatæ salutis 1556. incomparabilis ille heros, *Philippus* Landgravius Hassiæ, ejus nominis primus, arcis Cassellanæ partem aliquam funditus diruendam, ac ex fundamentis de integro excitandam exstruendamque curaret, summæ rei præficiebat filium suum *Dominum & Principem Guilielmum*, illum quidem adhuc juvenem, sed qui egre-

egregium jam tum & ad omnem posteritatem memorabile heroicæ fortitudinis suæ specimen in parente suo liberando edidisset, & præter insignem in omni disciplinarum genere eruditionem præstantemque prudentiam, omnibus viro Principe dignis dotibus atque virtutibus, ad miraculum usque ornatus redimitusque esset. Incredibile autem est, quantus latomorum aliorumque opificum numerus, ad extruendam arcem istam, ex omnibus propè mundi regionibus Cassiliam confluxerit, ita quidem, ut inter cæteros *Johannes* quoque *Schwerterus Helvetius* advolarit, qui & fervente ædificatione ista Cassellis viduæ cujusdam filiam *Dn. Justi Didamari* ex sorore neptem in matrimonium duxit. Cæterùm quum *Guilielmus Princeps* de more operas obiret, evenit, ut in hunc quoq; *Schwerterum* proceræ staturæ vastiq; corporis hominem incideret, ex eoq; quæreret, cujas esset. Hic ergo quum Helvetium se esse responderet, *Princeps*, quem minimè fugiebat, religionem apud Helvetios esse diversam, aliis Pontificiam, aliis reformatam amplectentibus, pergit percontari, cujus es religionis? Tum Schwerterus honorem præfatus, Ego verò, clementissime Princeps, inquit, non una aliqua religione imbutus contentúsve sum, sed tres ex æquo sector, utpote *Papisticam*, *Lutheranam* & itemque *Zwinglianam*. Quòd enim otii sim longè omnium amantissimus, certum est mihi à Papistica religione ne latum quidem digitum discedere, sed mordicus illam ad extremum usque vitæ spiritum tum retinere tum tueri. Nam hæc quidem hercle otio nostro egregiè consulit, nostramque ignaviam mirificè fovet, dum innumerabiles, ut scis, ferias instituit celebratque, quibus multis simul laboribus eximimur, qui exantlandi cæteroqui nobis essent. LUTHERANAM porrò religionem ambabus, quod ajunt, manibus amplector, quòd hæc quidem

quidem cuivis facultatem comedēdi carnes permittat, quas minori precio, quàm pisces, comparare possum, cum mihi alioqui utpote *Leberide* nudiori piscibus emendis nummi haud suppetunt, sæpe mehercule numero ater panis ex hesterno jure devorandus foret, si absque illo esset. Postremò *Zumglianæ, Calvinianæve* religioni non possum non favere, neque totum dedere, propterea quod hæc feriis quàm pauciſſimis contenta, me laboris alioqui admodum fugitantem, cogat compellatque ut sedulò assidueque laborem opusque faciam, nisi strenuè quidem strenuéque esurire, bonisque dentibus malè manducare velim. Hoc *Sebvvertert* festivo reiponso tantum abest, ut pius Æneas offensus fuerit, ut permaguam potius ex eo voluptatem ceperit, idq; affatim ridendo haud dissimulaverit.

DCXXXI. *De Martino Luthero Theologo Opt. Max.*

QUUM *Dominus Lutherus* adhuc esset Monachus, & incideret in lectionem *Psal. 31. In te Domine speravi: in justitia tua libera me*: ac cogitaret, psalmum loqui de justitia activa, ita lectione hujus dicti affirmat se consternatum fuisse, ac si fulmine esset ictus. Sic enim intellexit: *In justitia, scilicet activa*, qua judicas & ponis nocentes. Sicut tua justitia puniviſti *Pharaonem* in mari rubro. Sed nativa & vera sententia dicti in Psalmo est: *Libera me in justitia tua*, scilicet promissa in Euangelio, qua nos justificas, imputando nobis alienam obedientiam, & alienum meritum, videlicet Christi. Hæc justitia est nobis grata & dulcis. De hac dicit Paulus 2. Corint. 5. Ut nos essemus justitia Dei per eum, id est, ut essemus justi & placentes Deo per Christum. *D. Victorinus Strigelius lib. 1. Dialect.*

DCXXXII. *De Friderico Saxoniæ Electore.*

TEneri equidem non possum, quin hîc quoque *Friderici*

Friderici Electoris benedictæ memoriæ mentionem faciam. Huic quidem à Republica Erphordiana graviter offenso, quidam ex nobilitate autores erant, ut bellum ipsis faceret, affirmantes, si quinque duntaxat ex suis subditis vitæ discrimini committere vellet, minimè se omnium dubitare, quin ipsorum urbem occupaturi eaque potituri sint. Tantum verò abest, ut *optimus maximus* hic Princeps in hanc ipsorum sententiam bello eos prosequendi discesserit, ut potius dixerit, plus satis futurum, si vel unum in obsidione ista occumbere vitamq; amittere contingeret. *Lutherus Tom. 12. Wittemb. pag. 226.*

DCXXXIII. *De Philippo Macedonum Rege.*

EO die quo natus est *Alexander Magnus* tria læta nuncia allata sunt *ad Philippum* patrem: 1. De nativitate *Alexandri*, quod erat jucundissimum. 2. De victoria *Parmenionis*. 3. De equo cursore, qui fuerat victor in Olympiis. Allatis his ad Philippum, in hanc vocem erupit: ô DEUS da mihi pro his tantis bonis parvum aliquod malum, hoc est, cùm fortuna sit mobilis, & semper extrema gaudia luctus occupet, oro te Deus, ut misceas his tantis bonis aliquam parvam mali particulam. Res enim humanæ quamlibet florentes facilimè evertuntur deserente DEO: contra Deo benedicente, res exiguæ magna incrementa accipiunt. Solet enim Deus ex parvis magnos facere, & ex magnis parvos. Ideo in secundis rebus nihil in quenquam superbè ac violenter consulere decet; nec præsenti credere fortunæ, cùm, quid vesper ferat, incertum sit. Unde & Ambrosius ait: Quis sapiens non in orbe quodam atque circuitu locata humanarum rerum novit negotia, quia non eosdem semper successus habent, sed variant status, & mutant vices? *D. Victorinus Strigelius in comment. in 1. Tuscul. pag. 452. & 458.*

DCXXXIV. *De Lanio quodam.*

FUit apud nos *Rostochii* ante paucos annos lanius, in colligenda pecunia nulli labori profectionibúsve parcens, qui in mortis agone constitutus, hos germanicos Rythmos, lingua saxonica sibi nativa proferebat:

Ja ja wol gerönt vnd gereden/
Nach einem Lacken vnd 4. breden.

Ostendens, se ex omnibus suis divitiis, quas indefesso labore pedes & eques sibi comparassent, tantùm linteamen, cui mortuum corpus involvitur, & loculum ex quatuor asseribus fabricatum accipere. *Simon Pauli 1. Postill. su part. pag. 261.*

DCXXXV. *De Rustico quodam, & Satana.*

EQuidem in confirmationem consolationis hujus nõ gravabor in medium proferre historiam, quæ nostra memoria in Germania accidit. Hic quidem cùm rusticus quispiam, simplex ille quidem & minimè vafer, at veræ tamen religioni addictus, gravissimè decumberet, atque adeo in agone mortis constitutus jam esset, evenit, ut juratus ille humani generis hostis *Satanas*, proceri viri specie, truculentaque facie, atque adeo flammantibus oculis ipsum accesserit, eumq; perquam ferociter his quidem verbis affatus fuerit: Moriendum tibi nunc est. Quamobrem cùm minime omnium me fugiat, innumeris flagitiis contaminatum te esse, præstò sum ea omnia literis proditurus. Nec mora papyrum ille mox ex sinu atramentariumque depromit, ac mensæ assidens scribæ officiò defungi aggreditur. Rusticus verò præsenti & infracto animo ipsi respondit: Equidem inficias ire haud possum, omni scelerum genere coopertum me esse. E diverso verò compertum habeo, peccata mea morte salvatoris mei Jesu Christi expiata atque deleta esse, atque illum quidem esse mediatorem, propter quem cœlestis Pater me in gratiam, sat

scio,

scio, recipiet. Quod si certum tibi omnino est flagitia mea literis consignare, equidem minimè omniũ pigrabor ea tibi percensere. Fac igitur hinc scribendi initium facias: *Sumus ut immundus nos & tanquã vestimentum inquinatum omnes justitiæ nostræ*, Jes. 64. Hoc quidem infernalis iste *Notarius* mox moxq; literis consignans, ægrotum hortatur, ut pergat. Itaq; morem hic illi gerens, ita progreditur: Tu verò mi vive & misericors Deus dixisti: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & transgressionum tuarum non recordabor amplius. Quid, quòd & hæc est tua promissio? *Si fuerint peccata vestra tanquam coccinum, veluti nix albescent, si fuerint rubra, veluti vermiculus, velut lana alba erunt.* Quæ quidem verba Diabolus memoriæ mandare renuit, ideóq; ægroto autor fuit, ut pergeret tenere istam viam, quam instituisset. Cui ille alacri & forti animo respondit: *Filius Dei apparuit, ut opera Diaboli destruat.* His dictis ille protinus evanuit, ægrotus autem non ita multò pòst, constanti in Deum fide, exspiravit. *D. Gualtherus Homilia quinta de Tentatione, unde hæc utcunq; transtulimus, pag. 113.*

DCXXXVI. *De quodam Pharmacopola.*

ERat cuidam Germaniæ Principi cumprimis illustri & inclyto *Pharmacopæus* quidam, homo perfacetus, tum artis etiam medicæ valdè peritus. Hunc princeps prandio aliquando suo interesse volebat, ut ipsius colloquiis facetiisq; recrearetur. Etenim animi quandam ægritudinem tum sentiebat, & valetudine satis commoda non utebatur. Pharmacopola igitur, cùm haud obscurè perspiceret, jocos suos Principi jucundos, gratos, & acceptos accidere, bibit eò prolixius, ita futurum sperans, ut facitiæ suæ & majore cum dexteritate proferrentur, & cum majore applausu & voluptate audirentur. Quamobrem quum vino jam probè madidus pran-

dii finem appetere animadverteret, jocis suis extremam manum hanc quidem in rationem addidit: Convenit me *Clementissime Princeps*, inquit, non ita pridem Rusticus quidam tuus, B. ætatem agens, qui quidem diebus decem eoq; amplius nihil quicquam excreverat, ideoq; uterum ita turgidum distentúmque habebat, ut hominem jam jamque rumpi diceres. Ego igitur datis nebuloni pilis tot, quot quidem rusticis, quibus robusta & beluina sunt corpora, purgandis conveniunt: ex eo non ita multò pòst quæro, num quæ ventris tormina sentiat? Quo quidem respondente: istæ verò tuæ caprinæ fabæ, quæ mihi deglutiendæ nunc fuerunt, ita in meo ventriculo oberrant, ut solent pulices, si quando illi aures nostras irrepserunt? Jubeo hominem periculum facere, numquem ventris crepitum emittere possit. Quid quæris? Vix effatus hæc eram, ecce tibi edit Rusticus crepitum ventris mirum in modum reboantem, ac simul ingenti cum fragore pedens stipitem istum imitatur. Id Princeps indignissimè ferens, túne audes exhausto pudore nebulo primùm ad mensam, deinde dum cibus captatur, tum, quod caput est, coram Principe pedere? Tibíne idonei videmur, quibus culi tui fumos pedoresque affles? Apagesis nebulo actutum è nostro conspectu, forisque præstolare, dum huc te revocaverimus: haud enim impunè scurrilitatem istam feres. Eo digresso incenduntur odores: jam tum enim pharmacopæi pedor plerorumque nares subierat & ferierat, posteaque venator quispiam accersitur: cui quidem Princeps conceptis verbis mandat, ut catellos mox eos cogat, quibus quidem ob sagacitatem narium in indagandis feris utatur, eosque in pharmacopolam concitet, quò eum latratu morsuque suo ex aula exturbent. Interea autem, dum Venator mandatum hoc Principis sui exhausturus, canes conquirit, Pharmacopola, qui sibi

ipsi

ipsi veluti turdus malum cacaverat, ante Principis cœnaculum in luctu atque squalore jacet, suumque fatum queritur: Paulò pòst redit Venator canibus usquequaque stipatus, atque hanc quidem in rationem Pharmacopæum alloquitur: Ego verò, *Magister Georgi, à Principe* meo in mandatis habeo, ut catellis hisce in te cōcitatis ex aula te ejiciam. Quamobrem fac, ut ne tibi ipse desis, sed talaria induens, in pedes te, quantum quidem potes, conjicias. His *Pharmacopæus* auditis, fugam mox moxque arripit, canibus ipsum & per fornicem, & per aream, & per pontem arcis velociter cursitantem magno cum latratu persequentibus ac vellicantibus. Ponte superato in proximam civis domum fugit, atque sic quidem è canum dentibus elabitur, qui tamen multum ipsum haud sauciarunt, propterea quod veste undulata preciosis vestibus suffulta, & ad talos usque demissa, se texisset. At verò ipsam vestem canes ita discerpserant & dilacerarant, ut illa in reliquum tempus uti minimè posset. Pharmacopæum nocte concubia domum reversum uxor graviter objurgat, tum quod coram Principe pedere non erubuisset, tum verò quod pleraſq; omnes facetias suas crepitibus ventris condire & ad umbilicum ducere consuevisset, magno in beneficii loco ponendum esse dictitans, quòd Princeps tam leni animadversione contentus ipsum non scuticis conscindendum, aut in carcerem conjiciendum, aut quinquaginta denique centúmve thaleris, pro ut ipsius delictum merebatur, mulctandum curasset. Hic ergo ista canum insectatione ac vellicatione factus modestior, penitus sese ab illa scurrilitate deinceps abstinebat, perparcè admodum audientibus aliis pedens, cum antea hac quidem in parte nemo esset ipso vel expeditior vel liberalior.

DCXXXVII. De *eodem*.

IDem, priusquam ad eum modum, quem diximus

acciperetur, ex pleriſque omnibus ſcholaſticis, ſeu chartam, ſeu atramentum, ſeu ſuccum liquorium, ſeu aliud quippiam emptūris quærebat: Ecquiſnam ſagittariorum omnium eſſet inſulſiſſimus: **Welches der vngewiſſeſte Schütz were?** Iis reſpondentibus, id ſe ignorare: Ego verò vobis illum monſtrabo inquit, emiſſoque ſonoro mox bombo ſubjecit: Crepitu ventris utique non eſt ſagittarius alius quiſpiam v l ineptior vel incertior Is ſiquidem collimans ad calcem pedis, tangit feritque nares. **Ein Furtz iſt der aller vngewiſſeſte Schütz/der zielt eim nach der Perſen/vñ trifft die Naſen.** Cæterum ab iſta canum perſecutione & vellicatione, quæ ſuſtinenda ipſi, diis hominibusque applaudentibus, fuit nunquam poſteà uſurpata ab illo iſthæc verba auditáve fuerunt. Scilicet Vexatio dat intellectum. Quæ nocent, docent. Piſcator ictus ſapit. Et Phryges non niſi plagis emendantur.

DCXXXIIX. *De Theophilo Gualthero.*

HUnc Eſchwegiæ medicinam aliquandiu feciſſe ſupra attigi. Is quum & incredibilem raparum numerum, & magnam itemque ſiceræ vim, ex vicinis pagis quotidie in urbem deportari cerneret, in has voces multis audientibus erumpebat. Equidem hac in urbe diu haud duraverim, quòd hîc quidem medicos frigere, ac rem minimè facere, odore ſuſpicionis haud fallaci ſentiam. Ut enim cives viciniq; ruſtici pravos humores colligant, hos tamen ipſos partim rapis veſcentes, partim verò ſiceram potãtes per ſe ipſi exhauriunt, noſtra arte atque opera ſpreta & poſthabita. Itaq; anno vix uno atq; altero iſtic confecto, ut ne cum fame ſibi conflictandum hîc foret, ſolum vertit, Goslariamq; ſe contulit, ubi etiamnum medicinam, ut accepimus, dexterrimè facit, & ab omnibus ſummo in honore atque precio habetur, cum iſtic quidem nullo ferè numero locóve eſſet.

De

DCXXXIX. *De Martino Rhenano Medicinæ Licentiato.*

EO Goslariam profecto, Eschwegiam commigrat *Martinus Rhenanus Medicinæ Licentiatus, Medicus præstantissimus, & Reverendissimi* atq; *illustrissimi Principis & Domini Archiepiscopi Bremensis ac Ducis Holsatiæ* hoc tempore Archiater, amicus meus longè carissimus, spe certa ductus, futurum utiq;, ut hic rem faceret, oviculas suas, quod nostris hominibus est in proverbio, probè tonderet, atque adeo amplas opes consequeretur. Sed nec hic quidem modium istic salis consumsit, partim quod agrestiores eo in loco sint homines, quàm ut in valetudinem curandam aliquid sumtuum conferant, partim quod & siceræ, & raparum, idque genus tum ciborum, tum potionum, quibus vitiosi exhauriuntur humores, magna copia ubertasque provenire istic soleat. Itaque ut rationibus suis prospiceret atq; consuleret, Eschwegia relicta in alium se locum contulit, quem quidem rei faciendæ magis convenire existimabat. Cæterum paucis ante diebus, quam inde discederet, ridiculi ipsi quippiam contigit, quod non possum non hîc referre. Quum enim animi causa rus concessurus esset, idq; *Bertholdus Schefferus* homo salsissimus animadverteret *Rhenano* sese adjungit, & hunc ad modum ipsum alloquitur: **Ich wünsche dem Herrn Doctor ein guten Tag/ wo gedenckt der Herr Doctor hinauß? Wañ er mit mir gehen möcht/ wolte ich jnen an einen Ort führen/ da er das Wasser besehen solt/** hoc est: Salvus sit Dominus Doctor. Quorsum is tendit? si integrum illi esset mecum ire, haud pigrarer equidem ipsum aliquò adducere, ubi liceret illi aquã inspicere. *Rhenanus* isthoc *Bertholdi* sermone haud mediocriter exhilaratus, omnib. lætitiis incedit, spem bonam habens, ductum se iri ad ægrotos quosdam, quos quidem, inspecto ipsorum lotio,

pecunia aliqua emungeret. At verò ducitur ille à *Bertholdo* in proximum pontem, quo *Vierra* constratus est, jubeturque *Vierræ* aquas his quidem verbis contemplari: **Herr Doctor jhr klagt jmmerdar/daß euch niemandt das Wasser zu besehen bringe / vnnd wollet deß halben von vns ziehen/hier habt jhr Wassers voll auff zubesehen** / hoc est, Conquereris tu quidem domine Doctor frequenter & assiduè, quod nemo ferè quisquam hic sit, qui quidem urinam tibi suam considerandam afferat, eaque re in animo habes nobis valere jussis, aliò commigrare. At vero hic tibi aquæ inspiciendæ considerandæque affluenter suppetunt. Hæc ille circumfusus omnis generis hominum frequentia proloquebatur, risu prope coruentibus, quotquot quidem aderant, eoque acerbius *Rhenanus* ferebat, ludibrio se illi despectuique esse, qui & hanc irrisionem vindicaturus videbatur, siquidem per reliquos cives, pro sanione isto haud dubie propugnaturos, id ipsum ei licuisset.

DCXL. *De Pastore quodam pagano.*

NOvi pastorem quendam, illum quidem neque literatum, neque ἀνέγκλητον, sed opulentum, & cum patre aulico prognatum, tum ab aulicis etjam amicis probe instructum. Is quidem die quodam Paschatos cœnam Domini & auditoribus suis præbebat, & ipse itemque percipiebat. Quum igitur sumto jam calice prolixe satis bibisset, bibisset autem? imo verò calicem penitus elambisset, & cum pulvisculo exsiccasset, frontem illico contrahens, vinum istud palato suo minime respondere haud obscure tulit. Conversus enim ad ædituum exclamavit: Æditime, eccubi emisti hoc vinum? nullius profecto est pretii, & cassa vix glande titivilitióve emendum: **Opffermann / wo hast du den Wein geholet? Das ist warlich ein schlimmer Wein / vnd kaum einer Schlehen werth?** Ædituo respondente, **Herr**

Pfarr-

Pfarrher: ich hab jhn zu N. N. gekaufft: Domine pastor, equidem N. N. emi, exclamavit iterum pastor, ein Hundtsfott auff dem Nasen / kondestu jhn nicht zu N. N. geholen / daist er heyden gut / ich soff sein Gestern gute Stücke. Malam verò pestem tibi, eccur non emisti N.N. ibi vinum jam optimum prostat, cujus ego haud contēnendam vim heri exhausi. Hæc Epicuri iste de grege porcus in cœtu sacro, audientibus omnibus, ac quidem gratiis de cœna dominica celebrata & percepta nondum actis, eructabat, suo sese semet indicio tanquā sorex prodens, ad sacrā Synaxin se nihilominus accessisse, quantumvis pridie vino probe fuisset madidus. O caput elleboro dignum, atque adeo ab ara depellendum, ad haramque relegandum.

DCXLI *De alio quodam Ecclesiaste.*

ALius quidā & ipse mihi not⁹, die quodā Saturni in urbē proficiscebatur, q̄ pago illi, ubi ætatem agebat, admodum vicina erat, inibíq; helluādo, partim totū istum diem sequētemq; noctem, partim ludendo consumebat. Postero igitur die, cum jam luceret, à colluforibus suis admonitus, diem esse dominicum, quo quidem concio illi habenda foret, continuo surgit, sodalitioq; isto suo honesto valere jusso, ad portam urbis contendit, eaque aperta domum properè se recipit. Ubi cum aliquantisper respirasset, suggesto conscenso, auditores suos hortatur, ut *Deo Opt. Max.* supplicent, quo ipse quidem dextre concionari, illi verò rectè rationeque dicta atq; docta percipere memoriæq; mandare possint. Hac admonitione ita, ut fieri assolet, præmissa, procumbit & ipse in genua, ac Deum ita pie sancteque precatur, vt mediis in precibus obdormiscat, somnoque consopiatur. Quamobrem cum ultra tempus genibus innixus in pedes se non erigeret, ædituus dormire eum animadvertens diu multumq; vellicat, ad extre-

mumque excitat. Qui quidem inter combibones se suos adhuc versari arbitrans, sublato ingenti clamore, vociferatur: **Juch / juch Grün ist gewehlt** Evax evax color viridis eminet. Hoc illius ovatu jubiloue totum templum personabat, aliis quidem ridentib⁹, aliis verò stomachantibus. Tandem bonus pastor cõcionem habet. At quam eruditam, quam nervosam, quam elaboratam & concinnam, id ipsi quidem vel me tacente facilè exputare potestis. Non ita multò pòst scurræ huic Ecclesiastica functio abrogatur, propterea quod & ipsi Domini Consiliarii, & Domini Superattendentes oleum & operam in dealbãdo hoc æthiope perderent. Tametsi enim sæpissime ab illis correptus, & carcere etiam mulctatus vitæ emendationem promisisset, semper tamen ad ingeniũ rediit, podice utique, ut est in proverbio, lotionem vincente. Quamobrem capitis diminutionem passus, animum ad caussas agendas appulit, eaque re aliquandiu vitam propagavit. Cui quidem rei quum in extrema senecta vàcare amplius non posset, stipem ostiatim collegit, & ne non rẽ faceret oblata occasione etiam quidvis ferè clepsit. Quòd igitur tum Consiliariis, tum verbi divini administris, tum civibus etjam opulentioribus non solùm mendicando, sed & obvia quæque intervertendo furandoque multum molestus esset, in ptochotropheum quoddam deportatus fuit, ubi extremum vitę suæ diem morte confecit, dignus mediusfidius nebulo, qui quidẽ fame fuisset enectus, cum totã vitę rationẽ studiis fœdissimis contaminaverit, ac ne pilum quidem boni viri unquam habuerit, habuerit autem? imò verò ne habere quidem studuerit.

DCXLII. *De Johanne Keudelio, & Caspare Rodolphi.*

HOC illustre nobilitatis Hassiacæ lumen atque ornamentum *Johannes Keudelius*, qui quidem

Phi-

Philippi Senioris Cattorum Principis laudatissimæ memoriæ in Hassia superiori personam, per aliquot lustra commemorabili quadam religione, dexteritate, suique laude summa atque adeo nunquam intermoritura sustinuit, *Casparum Rodolphi* ubi aliquando doctorali quodam in epulo Marpurgi proponebat, in quem omnia poculorum suorum quotquot quidē acciperet, tela emitteret, intentus nimirum in id unum totus, ut vino ipsum probè confectum pro oblectamento deinceps haberet. Itaque cum vino ipsū usquequaque jam madidum, atque adeo ad ambas usque aures ingurgitatum esse, tum ex sermone, tum gestibus, tum toto denique corporis ipsius habitu haud obscurè animadverteret, incredibile est, quantopere hominem exagitaverit, quantosque jocos facetiasque illi, admirantibus & effusè ridentibus omnibus excusserit. Finis autem convivii & colloquii istius hic ferè fuit, ut ex eo ad extremum percontaretur ac diceret: Cedo mihi quæso *Sueve*, verumne est, quod de vestra gente vulgò jactatur? Suevos nimirum veluti canes & æluros planè cœcos in hāc lucem edi ac suscipi, ita quidem, ut ante diem nonum neq; oculos aperiant, neque quicquam sanè cernāt? Huic *Casparus* extemplò hunc ad modum respōdet: Equidem inficias ire haud possum, *inclyte Domine Vicarie*, illud tam esse verum, quam quod verissimum. Interim hoc tamen mihi in mentem venit admirari, quid sit, cur *Hessum Sueví* ex patibulo pendentē conspicentur, ut primum jam oculos ad suum officium fungendum aperiunt? Hoc *Rodolphi* responsum quantumvis plus aloes, quam mellis habebat, tantū tamen abfuit, ut heroi illi ceterisque convivis, Hessis plerisque, stomachum fecerit, molestiævé quippiam asperserit, ut risu potiùs syncrusio prosecuti illud, in partemque mitiorem interpretati fuerint.

De

DCXLIII. *De inepta & fatua quadam famula.*

ERat *Cassiliæ* Hessorum metropoli *Henricus* quidam *Vinea*, civis & honestus & opulentus, & locuples. Hic defuncta uxore, Westphalam quandam famulam conducebat, quæ illi rem familiarem annos viginti quatuor eoque amplius administrabat, ita ut nobis quinquagenaria visa fuerit, quũ missam ipsam faceret. Erat autem ancilla hæc cum mirè deformis, tum valde inepta, tum insigniter etiam fatua atque stolida. Hæc herilem filium natu maximum *Johannem* summis laudibus ad cœlum passim efferebat, quod is quidem & optimarũ artium studiis quã diligentissime operam daret, & in his ipsis egregios jam tum progressus fecisset, & non solum excellens musicus, verùm etiam suavissimis moribus præditus esset. Quid quæris? Huic uni herili filio suo acceptũ referendum esse asseverabat, quod *Joannes Eichelbergius* Cassilienſis Ecclesiæ organicen tibiis organicis modos faceret, dictitans, si absq; eo esset, ipsum artem hanc suam exercere haud quaquã posse. **Sagte/ o vnser Johannes ist ein geschickter Gesell / wann er ehete/ so köndt klein Johann** (Sic enim vulgo organicen iste appellabatur) **nit gurgeln.** Quantum autem ad *Joannem* istum pertinebat, utebatur *Eichelbergius* ejus opera in sublevandis excitandisque follibus, quibus quidem fistulæ atque tibiæ organi inflantur, **Muste die Bälge tretten.** Quod ipsum vel quivis rusticus præstare poterat, & eo quidem dexterius, quo robustior quadratiorvé esset. Id cum semifatua ista ignoraret, herilem filium impensius laudando omnibus se deridendam propinabat.

DCXLIV. *De eadem.*

SOlebat *Magister Johannes Blavius* Pædagogiarcha Cassellanus, pro more atque consuetudine istic recepta, statim à feriis natalitiis CHRISTI cũ Col-

Collega uno atque altero, & scholasticis itemque aliquot opulentorum civium ædes inire, atque hic quidem harmonia canenda musicandové, faustum ipsis felicemq; annum precari. Quo nomine illi vicissim literatoribus honorarii quippiam, utpote vel grossum angelicum, vel quadrantem thaleri, vel Joachimicum dimidiatum, vel solidum thalerum, vel aureum denique, pro re quisque nata, numerabant. Quod vero *Henrici Vineæ* domus ludo literario Cassellano admodum propinqua vicinaque esset, hic ferè cantandi fiebat initium. Itaque cum aliquando *Blavius* & collegæ ejus una cum pueris musicis in area jam domus consisterent, & haud insuaviter modularentur, herus famulæ mãdat, ut domi se esse neget. Itaque illa propiùs ad ipsos accedens, ita eos affatur: Herus meus dicit, se domi haud esse. Quo quidem *Blavius* audito; Nos, inquit, nihilominus hypocaustum ingrediemur, ut hic quidem aliquantisper nos calefaciamus. Idque dum illi faciunt, offendunt *Vineam* ad mensam sedentem atque cœnãtem. Itaque de integro harmonia canere incipiunt, ut Euclionem istum argento emungerent. Etsi verò ipsis, finita jam cantiuncula, quadrantem mox thaleri numerabat, sperabatque futurum, ut eo accepto alio continuo pergerent; *Blavius* tamen munusculum hoc minimè moratus, *Vineæ* cum collegis *Nicolao Confluentino*, & *Jacobo Placo* assidet. Itaque ille vinum ex cella sua depromere cogitur. Quod non ipsi modo præceptores, sed & discipuli ad summum usque mane affatim hauriunt, itaque sordidum istũ hominem non solum vini aliquot mensuris multant, sed & miris modis exagitant, quod retinendæ tam exiguæ pecuniolæ caussa domo se abesse præteruisset.

DCXLV. *De Johanne Ficino.*

QUi Ecclesiç olim Lichtenavienſi non sine laude annos

annos præfuit complures, *Johannes Ficinus*, vir pius juxta ac eruditus, is quidem adoleſcens, dum Argentorato, ubi & optimarum artium ſtudiis, & ſacroſanctæ Theologiæ operam dabat, deſcendens, in patriã ſeſe recipiebat, ut hic quidem valetudinem ſuam febri tertiana afflictam ac fractam, medicorum opera curaret.

Quum igitur menſibus circiter tribus exactis, meliuſcule jam haberet, balneas de medicorum conſilio inibat. In quibus quidem cum aliquantiſper conſedisſet, & pororũ reſolutionem fruſtra exſpectaſſet, balneatore auctore & ſuaſore ipſum vaporarium cõſcendit, ut iſtic ſudorẽ provocaret. Ubi non ita multò pòſt cum pori ſeſe aperiunt, tum incredibilem etjam ſudoris vim profundunt. Quod verò *Ficinus*, & de morbo, non ita pridem depulſo, nonnihil adhuc langueret, & tepedarii calores eſſent ingentes, cœpit animi quandam ſyncopen extimeſcere.

Quapropter ut ne hanc ſubiens concideret, vaporario relicto pavimentum mox petit, in eoque ſe reclinat, manu utraque capiti ſubſtrata, & cruribus ita ſublatis atque erectis, plantis ut pedum pavimentum ipſum calcaret. Hunc ad modum ipſo recubante, una de ambubajis balneum ingreditur, manu utraq; urnas geſtans, quarum altera quidem aqua fervenți, altera verò frigida repleta erat: Hæc conſpicata adoleſcentulum iſtum, & humi proſtratum reſupinũque jacere, & toto pallere corpore, & ſpiritum denique oculis clauſis hiantique ore ægrè ducere, verita, ne non deliquium animi jam jã pateretur, huic malo prævenire, atque medicinam afferre cogitat. Proinde urna ea, qua calida aqua continebatur, arrepta (errorẽne, an verò de induſtria, haud facilè equidem dixerim) propius adoleſcentem acceſſit, frigidã illi utique aſperſura. Quando verò animadvertebat, à mutone eum ſic inſtructum eſſe, ut campeſtri tege-

re ſe

re se non ita posset, quin colei evidenter conspicueque eminerent & apparerent, faciendum sibi putavit, ut hos quidem cum primis refrigeraret. Nec mora, aquam illam mox omnem adolescentuli podici testiculisque affundit. Itaque miser ille ingenti clamore sublato & subsilit illico, in perdesque se erigit, & furiosi instar ultro citroque in balneo cursitat, & pronus in faciem procidit, & in pavimenti sordibus sese perquam sane miserabiliter volutat, iis interim, qui una lavabantur partim ridentibus, partim verò gravem illius & acerbum casum miserantibus. Quãobrem balneorum præfectus, ut ne officio suo defuisse videretur, cum maleficam ambubajam mox moxque ex balneo facessere jubet, tum adolescentem in apodyterium introducit. Atque hic illi & pavimenti sordes detergit, & subligaculum detrahit. Quo quidem detracto animadvertit, se illi simul tum cutem, tum barbam etiam genitalem omnem cum pulvisculo demsisse. Quocirca recentibus illum lodicibus extemplò involuit, in ædesque paternas deportandum curat. Quantum verò optimi adolescentis parentes optimo conspecto filio hoc suo, ejusque infortunio cognito, animi dolorem traxerint, cogitatu utique haud est difficile. Patri quidem certè nihil prius fuit, quam ut conscenso mox equo Cassiliã veheretur, atque hinc quidem Magistrum Paulum Cellarium, Principis Chirurgum, accerseret. Eo digresso adolescentis soror natu minima, quę cũ aqualibus suis in platea lusitarat, & cum nescia erat, tum per ætatem etiam non intelligebat, quanto suus frater damno affectus jam esset, domum revertitur, & ad lectum accedens data fratri suo dextera, inquit: Volo equidem, mi frater, lavationem tibi isthanc bene fœliciterque evenire: **Bruder Hans Gott gesegne dir das Bad.** Huic ille lacrymabundus respondet: O mea sororcula, dextella mea, isthęc qui-

quidem hercle lotio mihi non fauſte evenit, ſed incommode profecto occidit, ita quidem, ut in mentẽ mihi veniat ſubvereri, ne non propediem mihi vita cum morte ſit commutanda: **O mein liebes Schweſterlein/o mein liebes Hertzlein/das Bad iſt mir warlich vbel geſegnet/es iſt mir nicht wol bekommen/ich trage leyder die Vorſorge/ich werde die Erde darüber müſſen kåwen.** Et quod ipſe quidem ominabatur, idem augurabantur & alii plerique omnes. Sed Deus, qui opera ipſius in Eccleſia ſua uti decreverat, id ipſum clementer avertit. Poſtridie enim ſummo mane pater, Chirurgo adducto rediit, qui adhibitis & unguentis, & lenimentis, & emplaſtris, & fomentis, & potiunculis denique, ſex ſeptimanarum ſpacio ipſum, Deo juvante, pulcre ſanavit, ſic tamen, ut ad exercendum matrimonium habilis jam non eſſet amplius ac accomodatus, ſed cœlibem in poſterum vitam agere cogeretur.

DCXLVI. *De Pſittaco quodam.*

NOn ſilebo parte hac miraculum inſigne noſtris viſum temporibus. Pſittacus hic fuit. *Aſcanii Cardinalis* Romæ aureis centum comparatus nummis, qui articulatiſſimè continuatis perpetuo verbis, Chriſtianæ veritatis ſymbolum integre pronunciavit, perinde ac vir peritus enunciaret. *Cælius Calcagninus Rodiginus.*

DCXLVII. *De alio quodam Pſittaco.*

NUper amicus quidam recitavit nobis jucunda de Pſittaco hiſtoriam, quem ajebat *Londini* in Anglia è palatio Regis *Henrici VIII.* in præterlabentem fluvium *Thamaſin* decidiſſe, & voce conſueta iis, qui quantocunque pretio (ut in periculo aliquo cõſtituti, aut alii etiam joco) portitorem ex oppoſita ripa vocant, **abotta bottfor twentye/pondt/** quod eſt: cymba, cymba, vel pro viginti libris, quam ſæpiſſimè enunciari audierat, & tum cõmodiſſimè me-

meminerat, exclamasse. Ea excitatum portitorem quendam propere navigasse, & sustu isse avem, & Regi (ad quem pertinere agnoscebat) reddidisse, tantum mercedis sperantem, quantum avis promiserat. Rex pactus est, ut quam avis interrogata denuo mercedem dixisset, acciperet. Placuit: respondit avis: **gibe the Knabe a grott**/ id est, da nebuloni solidum.

DCXLVIII. *De Luscinis.*

QUoniam de avibus perscripturus es, *Gesnere*, dicam tibi de Luscinijs sermones hominum imitantibus admirabile quiddam, ac propemodum incredibile, quod & verissimum est, & ipse his meis auribus audivi, atque expertus sum proximis Comitiis Ratisbonensibus anni 1546. Cum istic in publico diversorio ad auream coronam agerem, habebat hospes tres luscinias separatim collocatas, ita ut singulæ singulis caveis opacis includerentur. Per id verò tempus vernum, quo alioqui continuò ac indefessè cantare solent, adversa valetudine ex calculo ita laborabam, ut quam minimum mihi somno indulgere liceret. Tum circa & post quidem mediam noctem, cum nihil usque turbarum esset, miras altercationes & æmulationes duarum luscinarum germanico sermone inter se colloquentium audivisses, plane hominum sermones imitantium, me ob admirationem propemodum obstupescente. Promere enim ac conferre inter sese nocte, silentio hominum facto, quicquid interdiu ab hospitibus colloquentibus inaudierant, & meditatæ fuerant. Duæ autem inter eas erant ejus artis insignes, atque præcipuæ vix decem pedum spatio disiunctæ, tertia longe remotior aberat, quam non ita lecto decumbens exaudire poteram. Sed duæ illæ mirum in dictu, quam invicem altera alteram lacessendo invitabat, nec voces tamen confundebant simul, sed potiùs alternatim reddebant. Præter autem quotidiana & recenter à

convivis relata, duas potissimùm historias mutuo inter sese prolixè, & à media nocte in auroram usque, donec multus hominum strepitus fieret, decantabāt, & ea quidem modulatione sua nativa & vario inflexu vocis, ut nisi intentus, nemo hominum, facilè ab illis bestiolis exspectasset vel animadvertisset. Et quærenti mihi ex hospite, num linguæ earum fortasse novacula sc lutæ essent, aut aliquid loqui edoctæ, respondebat, minimè: num item animadvertisset aut intelligeret, quæ noctu occinerent, similiter negabat. Idem dicebat familia tota. Ego verò, qui totas noctes sæpe dormire non poteram, auscultabam bestiolas avidius ac diligentius, industriam earum & certamen profectò admiratus.

Altera historia seu collocutio erat de pincerna seu οἰκέτῃ ejusque uxore, quæ postulantem maritū, profecturum in bellum, sequi noluerat. Conabatur enim maritus uxori, quantum ex aviculis animadvertebam, persuadere spe prædæ, ut diversorio eo servitioque relicto secum proficisceretur in bellum. Illa verò recusans sequi, vel Ratisbonæ mansuram, vel Norinbergam abituram se recipiebat. Fuerat utrinque magna & longa contentio, sed amotis (quantum intelligebam) arbitris atque hero inscio, hancque totam reddebant aviculæ. Si quid etiam secretius tacendumque magis inter disceptandum fortè evomuerant, illæ prodebant, ceu nescientes discrimen inter honestas & inhonestas voces. Et hanc quidem contentionem & altercationem bestiolæ sæpe noctu repetebant, ut quæ firmissimæ, ut conjiciebam, hærebant, ac quam probe meditatæ fuerant.

Altera erat tunc imminentis belli contra protestantes historiæ, & ceu præcinium quoddam, rem enim omnem, quæ paulò pòst accidit, velut præsagientes

entes & vaticinantes decantare visæ sunt. Tum & immiscebant ea, quę antea contra *Ducem Brunsvicēsem* gesta erant. Sed, ut ego puto, aviculas illa hausisse omnia ex nobilium seu capitaneorum quorundā privato & clandestino colloquio, quod eo loci, ubi aviculæ detinebantur, tanquam in publico diversorio, frequens esse potuit. Hæcque nocte (ut dixi) & præsertim post mediam, cùm profundius esset silentium, faciebāt, interdiu verò magna ex parte silebāt, & nihil quam apud se illa, quæ fortè vel in mensa cōvivæ, vel deambulando conferebant, meditari videbantur. Ego profectò nunquam Plinio nostro credidissem, multa adeo miranda de aviculis istis scribenti, nisi ipse has bestiolas talia promentes & oculis vidissem, & auribus hisce audivissem. Neque ex tempore tamen, mi *Gesnere*, tam ista ad te omnia perscribere possum, & singula comminisci longum esset. *D. Conradus Gesnerus lib. 3. histor. avium*, & *Michaël Neander in Physica* pag. 426.

DCXLIX. *De Monomachia sive certamine Lucii & Rana, memorabilis historia.*

REcitat *Dubravius* jucundum spectaculum, quod ad vivaria arci Cresirienſi subjecta cū *Stanislao Turzone* viderit: Delitescebat, inquit, in latebris ripæ vivarii discors lucio rana, cum fortè lucius ocioso similis levi caudæ motu summas vivarii aquas ultrò citroque sulcaret, quoad tandem ad locum, quem insidiis faciundis rana cepit, propius appelleret. Non omisit bene gerendæ rei occasionem rana, sed, simulatque facultatem assiliendi hostis sibi oblatam vidit, ita ut erat, finibus buccarum inflatis, oculisque præ ira flagrantibus, repente in caput ipsius insilit, lateque divaricatis pedibus frontem complexa, (vide solertiam animalculi) in ipsos præcipuè oculos lucii invadit, mollissimasq; & clarissimas partes lancinat. At ille dolore exagitatus modo citato p undas

das cursu ferri, fluctusque circum se concitare: modo vertigine rotari: modo fruticum & arundinum, quę in vivario subnatæ emicabant, attritum quærere, si quo pacto male conciliatum, nullarumque præ se virium insessorem fronte excuteret. Cæterùm omnes ejus conatus in cassum cadebant, jam mordicus frõtem rana obtinebat, tamque pertinaciter pœnas ab avidissimo corporis sui vexatore exigebat, donec torpescentibus ex multa lucta viribus, ipse lucius victus succumbit, seque ranamq; in ima gurgitis demersit. Adhuc nobis omnibus, qui aderamus, eodem loco subsistentibus, luctatoresque (qui jucundum nobis spectaculum de se exhibuerant) oculis inquirentibus, ecce tibi rana subito in altum exsilit, moreque victorum ovans, coaxans vitulansque, rursus se in palatia sua recepit. Imperat extemplo *Thurzo* acciri piscatores, qui lucio retibus invento, in lucemque prolato, cognoscendi potestatem facerent, quidnam cum illo demerso actum esset: atqui miser ille utroque lumine orbus extrahitur, non sine omnium nostrũ admiratione. At piscatores vetant casum mirari, se enim crebro talibus certaminibus intervenire, & sæpenumero à ranis lucios excœcatos atque eosdem emaciatos piscari, quoniam amissis oculis venari sibi pisces nequeunt, sed sterili tantum arena ventres saburrant. *Idem ibidem* pag. 38.

DCL. *De Ciconiarum castitate.*

CIconica quædam, mare avolante ad pabula convehenda pullis, aliquoties interea rem habuit cum propinqua ciconia, ac, ne maritus reversus adulterium persentisceret, mox à congressu cum ciconia corpus suum in fonte vicino lavit, ac ita peccatum suum celavit, donec hospes illa re animadversa ciconiam à fonte arceret, neque ad lavandum corpus admitteret. Tamensi autem de adulterio uxoris ipsi reverso sat constaret, tamẽ dissimulavit dolorem ciconia,

nia, ita tamen, ut nihilominus aliqua pœna afficeret adulteram, solam pullos educare, & ad maturitatem perfectam alere coegit, ipso nihil ad illam rem opis afferente. Tandem autem cum emigrandum ante hyemem esset, adduxit ad adulteram suam agmen ciconiarum, quas è vicinis pagis & urbibus coegerat, illis adulteram laniandam & discerpendam tradidit. Ac deinde pœna sumta de perfida conjuge, in terras demum peregrinas evolavit. *Idem ibidem* pag. 416. ubi ex *Aventino* ita in pago *Tengen* Bavariæ, sub Duce Bavariæ *Humberto* accidisse scribit.

DCLI. De quarundam Ciconiarum erga matrem suam impietate.

QUæ à multis auctoribus *Aristophane*, etiam de Ciconiarum pietate in parentes produntur, videmur contraria animadvertisse in ciconiis Ilfeldẽsibus anno 1582. ubi pulli anno præcedente excluſi, alti & educati in nido Ilfeldensi a sedulis & piis parentibus, sequente anno reversi, & fortè loci cõmoditate delectati, matri iterum excubanti ova, quæ recens tria posuerat, bellum cruentum & violentum, me & multis aliis inspicientibus, hora prima pomeridiana clara luce intulerunt, matrem nido exturbarunt, ova ejus perfracta de tecto præcipitarunt, nidũ occuparunt, ova sua ibi tria itidem posuerunt, unde suo tempore tres Ciconiæ prodierunt, quas etiam miraturæ, secum in terras longinquas temperatiores nostra ex Germania abduxerunt, ut scilicet exacta hyeme illi sceleratorum parentum nõ dissimiles fœtus, parentibus debitam gratiam, τῷ αὐτῷ μέτρῳ persolvant, ᾧ κ᾽ λοΐον εἶκε δύνασθο. Ut enim sementem feceris, ita eam metes. θρέψαι κύνας, θρέψαι κ᾽ λυκιδᾶς ὡς τὸ φάγοντι, inquit quispiam apud Theocritum. *Idem ibidem* pag. 417.

De

DCLII. *De Cassaro Rodolphi, & Johanne Lonicero, Professoribus olim Marpurgensibus.*

HI olim duo Marpurgensis Academiæ Doctores, animi relaxandi reficiendique causſa, rus simul ex urbe evolabant, & aliquo usque jam spaciati, in puellas nonnullas incidebant, quæ quidem in uliginoso ac multum palustri loco morabantur, & cum gramina defalcabant, tum has etiam non parũ quidem sæpe jactabant voces: **Ey botz leyden / wie ist es hie so brüchig?** Papæ, quam hic quidem locus est paludosus? Quòd verò Germanicum vocabulũ **Bruch** duplicis sit significationis, & partim quidem paludẽ denotet, partim vero femorale designet & campestre, *Casparus* iis salutatis exclamabat: Vos verò virgines dabitis operam, ut à subligaculis vobis quam diligẽtissime caveatis: **Sehet zu jhr Mägdlein / vnd hütet euch vor den Brüchen.** Hunc *Lonicerus* subsecutus, ita eas non sine risu alloquebatur, imò verò facietis vos nymphæ, ab iis ut aviculis vos abstineatis, quæ quidem in femoralibus utpote nidulis suis latitant: **Ja hütet euch vor den Vögeln / die in den Brüchen stecken** / penes nimirum membravé virilia innuens, ut ab illis quidem sibi caverent, ac tum pudicitiam suam etiam atque etiam tutarentur, cum verò adolescentulo alicui literarumvé studioso corporis sui copiam perfricta fronte pudoreque abstersо facerent planè nullam, quod puellæ alioqui Marpurgenses nimis se faciles tum quidẽ ac benignas scholasticis impertire minimè dubitarẽt aut erubescerẽt.

DCLIII. *De N.N. Studioso Wittenbergensi.*

MAgni cujusdam Theologi filius de puellis Wittenbergẽsibus civibus suis dicere solebat, multas earum interdiu sibi dari obvias, quas quidem capitis sui apertione & detectione salvere juberet: cùm tamen illas easdem podicis nudatione noctu salutaret:

ret: Sagte/deß Tags ziehe ich den Hut vor jhnen ab/ deß Nachts aber das Gesäß.

DCLIV. *De D. Johanne Waltthero.*

OBtinebat *Johannes Waltherus* ob raram adeoq; singularem pari cum eruditione conjunctam prudentiam, summum inter Illustrissimi Cattorum Principis Consiliarios locum. Neque verò Princeps tantum cęterique aulę proceres toti ab eo pendebãt, sed promiscuæ etiam multitudinis incredibilis ad eũ concursus fiebat, ejusque consilio rebus dubiis multum juvabantur. Cæterùm cum eodem tempore Princeps in aula haberet quendam a pedibus hominem Gallum, *Gabrielem* nomine, isque non contemnendam pecuniæ summam alea perdidisset, hanc in rationem collusores suos est affatus: Magnam hic habet præclaræ prudẽtiæ opinionem *Johannes Gualtherus*, sic quidem, ut ob eam omnibus sit admirationi. Experiar ergo, tamné ille sit prudens, quàm vulgò existimatur. Nec mora, ócyus ad *Gualtherum* se confert, eumque hunc ad modum alloquitur: Scio equidem *Johannes Gualthere*, prudentiam tuam singularem ac prope divinam esse, quippe qui non ea modo, quæ ante pedes sunt, provideas, sed & quę jam evenerint, quævé eventura post sint, rectissime prospicias. Cũ igitur fur quidã cista mea effracta, quicquid istic pecuniæ recõditũ erat, abstulerit, scire pervelim, ecquis nebulo ille sit, qui tantum mihi damni dederit. Quẽ quidem ut tu mihi homo scilicet longe omniũ sagacissimus cõmonstres, abs te etiam atque ẽt majorem in modũ peto quæsoq;. Huic *Gualtherus*; ostendam tibi verò consceleratissimum istum furem, inquit, *Gabrielemq;* ad speculum adductũ introspicere illud jubet, data fide, se hìc furem liquido visurum. Sensit tum *Gallus* iste, *Gualtherum* probe olefecisse, pecuniam istam se suam non furto, se alea amisse,

sisse, seque conscelleratum istum esse furem, qui quidem, dum ludēs aliorum pecuniis furacissime inhiarit, suas nequiter perdiderit. Itaque insignem *Gualtheri* prudentiam admiratus, summis eam laudibus ad cœlum extulit, multumque de illa prædicare postea consuevit.

DCLV. *De M. Petro Vincentio, Professore Wittebergensi quondam disertissimo.*

HIC cùm apud *Livium* historiam de raptu Sabinarum interpretaretur publicè, hunc jocum admiscuit, ut diceret: Profectò qui hic non de formosa aliqua sibi dispexit, sed indifferenter in proximam quamque irruit, eum credi par est, vel antiquū aliquod corium, vel etiam prostibulum nactum adeptumque esse. Nam hoc quidem fœminarum genus spectaculis hujusmodi præter cęteras cum vehementiùs afficitur, tum etiam diligentiùs adest.

DCLVI. *De D. Petro Martyre.*

CUM Romæ aliquando essem, in mentem venit Apophtegmatis Crateris. Is cùm venisset Delphos, & in templo Apollinis vidisset *Phrynis* meretricis nobilissimæ imaginem auream, exclamavit: Ecce trophæum petulantiæ Græcorum. Sic ipse considerans ibi meretrices sumtuosas & magnificè ornatas, dicebam: *Ecce trophæum petulantiæ pontificiorū Prælatorum.* Mittamus igitur eos, & verba DEI, ratione que ductas inde persequamur. *Martyr. in Jud.* cap. 16. pag. 157. fac. 1. circ. fin.

DCLVII. *De Capelleto, & Monacho quodam.*

MUsciatus Gallus ex ditissimo maximóque mercatore in Gallia eques factus, cum iter haberet in Etruriam cum Carolo Senzaterra, Regis Galliæ fratre ad Bonifaciū Pontificem accersito, accinctus jā ad iter, animo totus erat in negociis, quæ magna quidem & ampla habebat, & (sicuti pleraque sunt mercatorum) oppido intricata, ad quæ extricanda mul-

multum laboris sumebat. Hæc igitur negocia tandem aliis compluribus committens, cùm omnibus satis prospexisset, de hoc solùm in dubium venit, cuínam idoneo provinciam traderet exigendi æs, quod in nominibus habebat à plerisque Burgundis debitũ. Causa verò dubitationis hæc erat, quod acceperat, Burgundos homines esse iniquios, malè moratos, & fluxæ fidei. Quamobrem nemo quisquam satis impudens ei visus fuit, quem speraret rectè opponi posse ipsorum flagitiis. Tandem hac de re multa denique meditato in mentem venit *Capperellus* quidam a Prato cognomen habens, qui Lutetię domum ejus frequentabat, quem, quia statura parvus erat atque elegans, ignorantibus Gallis, quid sibi vellet *Capperelli* nomen, & suspicantibus *Capellum*, id est, Corollam patrio sermone significare, quoniam parvus erat, ut diximus, non *Capellum*, sed *Capelletum* vocabant, *Capelletóq;* nomine notus fuit omnibus, adeoque notior, quàm *Capperelli* appellatione. Ejus hæc erat vita. Scriba cùm esset, eum penè pudebat, si quæ suarum tabellarum, quamvis pauca scriberet, non inveniretur falsa, imò falsas facere rogatus, nunquam recusabat: libentiusque gratis eas scribebat, quam conductus quavis mercede, veras. Præterea testimonia falsa magna cum voluptate, seu vocatus, seu non vocatus, ultro citroque dabat. Cumque eo tempore jurijurando multa fides in Gallia haberetur, ipse parvi pendens perjuria, lites innumeras pervincebat, quoties jurejurando suam fidem obstringere poscebatur. Mirum in modum verò studebat & obnixè conabatur inter amicos, & propinquos, & quosvis alios mala, discordias, & offendicula serere, unde quantò plus damni proficisci videbat, tantò plus voluptatis capiebat; ad cædem vel simile scelus incitatus, nulla interposita mora, obsequebatur, quin & promptissimus esse tum ad vulnera, tum ad cædem

manu sua edendam, Dei ac Divorum maximus contemtor, supra cæteros mortales iracundus, & quidem minima de re, ad templa nunquam adire: Sacramenta sicut vilia contumelioſis verbis incessere, cauponas verò & inhonestissima quæque loca libenter invisere, & frequenter in eis versari, a fœminis non secus, atque canis a baculo, abhorrere, aversa Venere plus, quàm cuiquam credibile est, delectari: denique ad prædas & furta maximè proclivis esse: voluptuarius, impurus, gulæ servus, & potator maximus, aleator, & falsarum tesserarum insignis magister. Postremò, ut rem in pauca conferam, omnium qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, pessimus. Hujusmodi *Cáppelleti* flagitiis longo tempore præsidio fuit potentia & authoritas *Musciati* cujus gratia & præsidio nebulo iste, & a privatis, & ab aulicis (quibus utrisque sæpissimè faciebat injuriam) tutus erat.

Cùm veniſſet igitur Musciato istius Capperelli seu Cappelleti in mentem, cujus sensum pulcrè callebat, talem censuit eum omnino esse, qualem nequitia Sequanarum seu Burgundionum postularet, & idcirco, eo ad se accersito, hunc ad ad modum verba fecit:

Haud te præterit, inquit, Cappellete mi, me hinc abiturum esse, &, cum inter cætera negocium cum Sequanis hominibus fraudulentis habeam, nescio, cui provinciam illam bona mea exigendi, tradere queam, magis idoneo, quàm tibi. Quapropter cum tibi vacet (modo libeat) exorabo tibi auxilium ab aula, justissimamque tibi ejus quod exegeris, partem donabo. Cappelletus iners & futilis imperitusque, intelligens illum abire, in quo ejus spes omnésque opes longo tempore sitæ fuerant, sine ulla mora, & quasi coactus egestate absque longiore deliberatione se libenter ea facturum recepit. Quare cùm hac

hac de re inter ipsos conventum esset, susceepissetque negocium Cappelletus, & Regis literas commẽdatitias haberet, post abitum Musciati profectus est ad Sequanas, ubi à nemine cognitus, præter naturam suam benignè humaniterque æs alienum exigebat, quasi de industria ad extremum iras differens. Ita se gerens cùm ad duos fratres Florentinos applicuisset, qui ibi fœnerabantur, eumque causa Musciati observabant, & colebant, evenit, ut ægrotaret, ad quem ambo fratres illico accersunt medicos & pueros, ad ministrandum illa omnia, quibus ad perd tam valetudinem opus esset. Sed frustra quidem, nihil cùm auxilii posset afferri, quod prodesset. Bonus enim ille vir & jam ætate confectus, & nimium ventri deditus (ut medicis videbatur) indies pejus se habebat. Quam rem ambo fratres graviter molesteque ferentes, quadam die propter cubiculum, in quo decumbebat, inter se hoc ceperunt consilii: Quid, inquiunt, nobis hoc homine faciendum? Res ejus pejore loco non possent esse, quàm in quo nunc sitæ sunt. Extrudere eum domo nostra ita gravi afflictum valetudine, magnæ nobis esset infamiæ, magnumque imperitiæ argumentum, quippe vidente populo, quod cum semel exceperimus operamque dederimus, ut curaretur, nunc verò nulla nobis ab eo orta injuria, tam repente domo nostra, atque adeo perdita valetudine laborantem ejici. At rursus homo adeo sceleſtus est, ut neque scelera sua cuiquam Sacerdoti fateri, neque ullis uti sacris velit, quo fiet, ut morientis sine confessione vocali nullo sacello cadaver sint dignaturi, imò ritu canis in fossas abjecturi. Quin etiam, ut maximè cõfiteatur, tot flagitia ipsius tantaque sunt, & tam horrenda, ut idipsum futurum sit. Propterea neq; monachus neq; sacerdos ullus invenietur, qui talẽ velit aut possit absolvere, atq; ita non absolutu[illegible]t sic ejicietur in fossas.

sas. Quod quidem si evenerit, populus hujus civitatis (apud quem tum ipsi ob negociationem alioqui malè audimus, tum quæ ejus est petulantia, bona nostra prædæ sunt) confestim tumultuabitur contra nos, clamitabuntque indignissimè factum, & canes nos vocabunt. Longobardos ab omnibus fanis & sacris exclusos, neque amplius ferre nos volent, & ad ædes nostras concurrent, & fortè non solùm bona nostra diripient, verùm etiam vitam eripient: denique, utcunque iste vita defungatur, actum est de nobis.

Capelletus, qui ut diximus, propè locum illum decumbebat, ubi tale consilium ineibant, auditis omnibus, quæ de se inter se erant collocuti, fratres ambos ad se accersit, orationemque hujusmodi habuit: Nolo vobis ulla de re in suspicionem venire, aut vereri, ne mea causa quicquam detrimenti sitis accepturi. Equidem omnia, quæ de me locuti estis, intellexi, & certò scio, ita futurum, ut dicitis, si res, ut dixistis, eveniret, sed secus res geretur, ac vos opinamini. Ego tot alia, dum vixi, scelera admisi, ut etiam si jam moriens aliquid sceleris ampliùs addam, non magni referat. Quapropter date operam, ut quàm sanctissimum & maximè egregium Monachum ad me (si quis modò est vobis) huc evocetis. Reliqua finite esse mihi curæ. Nam res in eum modum componam meas, ut bene se habituræ sint, & vos sitis conquieturi. Mox fratres, quanquam haud magnopere ei fidem haberent, ad collegium nihilominus quoddam adiêre, indeque accersivêre sanctum quendam ac sapientem virum, Theologiæ Magistrum, magni apud omnes cives nominis, gravem, & ipsa senectute venerabilem. Qui cum in cubiculum Capelleti, ubi ille jacebat, venisset, eique assedisset, primum cœpit eum aliquot verbis, ut fit, consolari, mox in hunc modum interrogare:

Confes-

Confessio, in qua colloquuntur Monachus & Capelletus.

MON. Sæpéne, fili mi, ad Confessionem accedis? CAP. Singulis hebdomadis: ut, cum minimùm, semel, plerunque verò sæpiùs. Veruntamen ex quo ægrotavi, abhinc jam ferè dies octo, tanta fuit molestia ex valetudine, ut nequiverim. MON. Bene factum, & ita faciendum erit deinceps. Cæterùm, cum tam frequenter confitearis, parum laboris cum audiendo, tum interrogando capiam. CAP. Nequaquam, mi pater, hoc in animum inducas tuum, siquidem nunquam adeò obiter confessus sum, quin semper percupiverim (saltem in genere) omnia mea delicta, quorum mihi venit in mentem, recensere ab eo die, quo natus sum, usque ad eam horam. Quamobrem obsecro, ut ita sigillatim me interroges perinde ac si nunquam confessus fuissem, nec rationem habeto ullam valetudinis meæ. Malim enim longe carnem meam offendere, quàm illi parcendo, facere animæ jacturam, quam suo precioso sanguine Christus servator meus redemit.

Verba hæc mirum in modum placuêre sancto viro, & magnum argumentum bonæ mentis esse visa sunt. Collaudata *Capelleti* consuetudine, sic percontari orsus est.

MON. Age fili mi, an unquam fœminis oblectatus es. CAP. Heu mi pater, pudor est in hac parte verum dicere, siquidem vereor, ne peccem gloriæ cupiditate. MON. Quin animo virili dicito. Nam verum fatendo neque hic neque alibi peccatur. CAP. Posteaquam præstas culpam, dicam. Ita corpore sum casto, ut ab incunabulis. MON. O te felicem apud Deum, qui tam rectè te gesseris, & ita te gerens, tantò plus promeruisti, quantò majorem, si voluisses, potestatem habebas secus faciendi, quam quidem potestatem non habemus nos aut alii, qui Monachorum

chorum præscriptis astringuntur. Sed quid de vitio crapulæ? CAP. Heu me miserum, ut mihi me hoc delictum tam sæpe admisisse graviter dolet, quippe cum præter alia quadragesimæ jejunia, & quæ reliquo anni tempore a religiosis hominibus observantur, tribus è septem diebus saltem vesci solo pane & aqua solerem, aquam illam tanto cum appetitu bibebam, ut nihil supra (præsertim labore aliquo seu orando, seu peregrinando, defatigatus) minimeque rarò delicias illas herbaceas, cujusmodi mulieres ruri parare solent, desideravi, præterea cibo quocunque impensius delectabar, quam decebat hominem religionis causa jejunantem. MON. Fili mi, peccata hæc humana sunt, admodumque levia. Quapropter nolim te gravius ob hæc animo angi. Nemo est, cui post longam inediam aut labores, cibus ac potus non sit suavior. CAP. Ah suadere noli: Sat enim scio, quæ pro Dei cultu suscipiuntur, sincerè & ex animo geri oportere. Quisquis autem aliter agit, hunc peccare. MON. Assentior his, quæ dicis, & perplaces mihi, qui hæc tam intelligas probè, & in animo tuo tecum perpendas. Sed rumor est, te avaritia ardere, quod vitium multò maximum est. Avaritia enim fidem, probitatem, cæterasque artes bonas subvertit: præterea autem, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effœminat, semper infinita insatiabilisq; est, neque copia neque inopia minuitur. CAP. Isthæc tibi fortasse incidit suspicio, quia in his ædibus dego, & cum istiusmodi ingeniis conflictor. Mihi hercle nihil rei est cum fœneratoribus istis: immò eos admonendi hortandique gratia huc concessi, ut à turpi hoc quæstu animos eorum abducerem: & successisset, ni mihi hoc morbi eveniſſet. Sed scito, patrem meum mihi satis amplas reliquisse facultates, quarum dimidium ferè mox ab ejus morte egenis erogavi. Quod autem animum ad

merca-

mercaturam adjeci, id eò feci, ut me ac meos & pauperes Christianos inde alerem. In his quæstum aliquem concupivi, qui quantuluscunq; semper ejus dimidio egentes impertivi: alteram partem in meos usus impendi, & hinc propitiis fatis negocia mea in optimo statu semper fuêre. MON. Recte. Cæterùm, sæpéne irascéris? CAP. Hac equidem in parte plus nimio mihi conscius sum. Quis enim passim tot scelera quotidie videns admitti, se reprimeret? Nusquam juxta Dei legem vivitur, nemo Deum aut ejus judicium veretur. Itaque talia videndo sic offensus fui, ut cùm morte depacisci potius concupiverim, quàm vivens videre homines adolescentulos omni genere flagitiorum conspurcari, jurare ac pejerare, perpotare, omnia deniq; sacra negligere, & Deum ac res divinas mundo posthabere. MON. Euge fili mi, hæc non est injusta ira, neque ob eam tibi ullam pœnam irrogare ausim, ni casu aliquo te ira ad edendam cædem, aut ad convitia, aut ejusmodi aliud scelus impulerit. CAP. Hem pater, quo pacto pietas tua ferre potest, ut ista dicas? Ego, si quid istorum unquam in mentem mihi incidisset, crede mihi, nunquam Deum toleraturum fuisse credo. Hæc sunt flagitia facinorosorum & sceleratorum hominum, qualibus ego, si quis fortè occurrit, perpetuò optare mentem meliorem soleo. MON. Age fili mi, ita te Deus amet, verum fatere, an perjurio aliquem defraudasti? An ve alicujus famam læsisti, aut res invito domino intercepisti? CAP. Nunquam alterius cujusdam famæ detraxi, quàm cujusdam potatoris olim vicini mei, qui plus nimio potus erat, quo jure quaque injuria uxorem suam nihil commeritam pugnis cædebat, hujus ergo insolentiam semel ad cognatos uxoris detuli, misertus illius miseræ. MON. Dic sodes neminémne fefellisti, ut mos est mercatoribus, lucri gratia? CAP. Hui, fefelli equidem, sed nescio

prof. ctò

profectò quémnam : cùm quiſpiam adnumeraſſet argentum, quod mihi debebat de panno, quem vendideram, id numeratum repoſui in arca mea: deinde uno poſt menſe teruncios quatuor ſupereſſe amplius, quam debebatur, animadverti, quos, cùm non ampliùs illum viderem, & cùm circiter annum adſervâſſem, ut redderem, dedi tandem cuidam mendico. MON. Iſtuc non factum malè, imò ita decuit te facere. Quare fili mi, ſi nihil unquam gravius admiſiſti, nihílve aliud habes, quod dicas, non video, quid ſuperſit aut obſtet, quin te abſolvam. CAP. Unum ſupereſt, quod præterii. MON. Quidnam id eſt? CAP. Memini, me die Sabbathi quodam à veſperis juſſiſſe puerum meum ædes verrere, non habita ratione feriarum, ut par erat. MON. Levia iſthæc ſunt, fili mi. CAP. Quid levia? quaſi dies dominica non ſit ſumma veneratione digna, cum ea die Servator noſter à morte ſurrexerit. MON. Numquid verò reſtat amplius? CAP. Imò etiam. Nam in templo, quod domus Dei eſt, aliquando imprudens in terrã exſpui. MON. Ha ha hæ. CAP. Irrides? MON. Quídni, cum nihil iſta ſint, an non vides nos, qui religioſi vocamur, in templis excreare quotidie? CAP. Sanè verò indignum facinus. Quem enim locum major mundicies deceat, quam eum, in quo ſacra Deo fiunt? MON. Quid eſt, quod lacrymas? CAP. Etiam præterea mihi aliquid peccati reſtat, quod nunquam confiteri auſus fui. Adeo me vehementer illius pudet pigetque, &, quoties mihi in mentem venit, (ut nunc certis) lacrymæ cadunt, & vereor, nunquam fore, ut DEUS det mihi veniam. MON. Apage fili mi. Quid narras? Non te horum verborum pudet? Si omnia ſcelera & flagitia, quæ unquam ab omnibus committuntur, commiſsáve fuerunt, aut committentur, quoad mundus durabit, ab uno homine commiſſa eſſent, & eorum illum pœniteret, ut te, tanta eſt Dei miſeri-

cordia

cordia & benignitas, ut pœnitenti talium scelerum nunquam sit veniam negaturus. Quare dic audacter. CAP. Ha ha me miserum. Meum hoc nimis grave flagitium est. Nisi tuæ preces subveniant, vix credo veniam daturum. MON. Ne time. Meam tibi obstringo fidem, DEUM me pro te comprecaturum. CAP. Heu me miserum. MON. Pergis lacrymare, nec quicquam dicis? bono animo es, quid taces? quid suspiras? CAP. Posteaquam hoc te mea causa facturum polliceris, pater, dicam. Scito itaque, cum essem puer, me aliquando detestatum fuisse matrem meam. MON. Quid hoc? Adeóne grave tibi videtur? Homines quotidie Deum divosque detestantur, & facilè eis ignoscitur, si quidem eos detestationis pœnitet, & tu non credis, Deum in hoc leviore crimine tibi veniam daturum? CAP. Væ misero mihi. MON. Lacrymas mitte, ac bono es animo, neq; dubita, quin, etiamsi de eorum grege esses, qui Dominum nostrum cruci affixerunt, ignosceretur tibi tantopere dolenti ac pœnitenti. CAP. Hem matrem meam, quæ me totis novem mensibus in alvo habuit, & quę me puerum tantillum centies in manibus gestavit suis. Hei nimium est, &, si Deum non precaberis pro me, actum est de me.

Monachus videns nihil *Capelleto* esse reliquum quod diceret, illum absolvendum censuit. Impositis igitur manibus, illi bene ominatus, hominemque verè sanctum judicans, absolvit. Neque enim dubitabat, quin, quæ dixisset, vera essent omnia. Quis enim de vita periclitans mentiretur? aut quis morienti fidem non haberet? Peractis autem absolutionis ceremoniis, hæc verba subjecit. MON. Heus, mi *Capellete*, Deo adjuvante propediem convalesces: at si fortè secus eveniret, & Deus sacram hanc & optimè comparatam animam tuam hinc ad se evocaret, estné cordi tibi *Capellete* mi, ut corpus tuum sepelia-

tur penes nos? CAP. Maximè, imò nolim esse alibi, cùm certò condixeris, te pro me Deum precaturum, & cùm præterea semper præcipuè in sectam vestram ultrò propensus fuerim. Quare obsecro, cum primùm domum reversus fueris, cura, elabora, perfice, ut ad me corpus CHRISTI preciosissimum deferatur. Id enim (licet eo indignissimus) tuo permissu susciperе decrevi. Deinde similiter postremam sanctamq; unctionem, ut, licet vixerim ut Ethnicus, saltem ut Christianus diem extremum obeam. MON. Perplacet, curabo sedulò.

Hactenus Confessio.

Interim dum hæc gerebantur, duo illi fratres abdiderant se post tabulata, quæ *Cappelleti* cubiculum dividebant ab altero cubiculo vicino: ibi exaudientes intelligentesque nullo negocio, quicquid monacho narrabat, sæpeque tanta illos ridendi libido cœpit, cùm præclara ista facinora audirent, quæ recensebat, ut risu propemodum disrumperentur. Nonnunquam verò inter se susurrabant, quid nam hominis esset hic, quem neq; senecta, neq; perdita valetudo, neque mortis imminentis metus, neq; Dei timor (judicio cujus mox sistendus esset) à flagitiis subinde novis perpetrãdis avellere possent, aut commovere, ut aliter mori studeret, quam vixisset. Attamen audito consideratoque pacto, quo eum in templum sepultum iri senserant, nihil de cæteris soliciti fuêre. Paulò pòst *Cappelletus*, accepto sacræ communionis symbolo, & cum præter modum morbus ingravesceret, mox etiam extrema delibutus unctione, vesperi, statim eodem die, quo tam sanctè scilicet confessus erat, excessit è vivis. Mox duo fratres, quos supra diximus, funus ei honorificum instruxêre, accersitis religiosis, qui ex more apud cadaver ea nocte excubias agerent, & postridie mane omnia, quæ ad pompam funebrem opus essent, apparārent. Bonus verò ille

Mona-

Monachus, qui confitentem eum audierat, intelligens eum vita defunctum esse, è vestigio monasterii præsidem adiit, ejusq; jussu ad datum signum convenientibus ac concurrentibus undique monachis, palam significavit omnibus, Cappelletum virum fuisse sanctissimum, ut ex ejus confessione comperisset: Speransque Deum in eo multa signa editurum, persuasit, ut illud corpus summa cum ceremonia & religione exciperent. Hanc ergo in rem tum Præses, quem dixi, tum alii ad unum omnes uno ore consentiunt. Nec mora vesperi illuc, ubi Cappelleti cadaver jacebat, frequentissimi convolantes, excubias solennes & insignes peregerunt. Postridie autem mane omnes stolis & palliis amicti, librosque manibus gestantes, & crucibus præeuntibus nænias canentes, ad efferendum cadaver processere, & magno cum plausu ceremoniisque receperunt in templum, sequente ferè omni civitatis populo, tam virorum quàm mulierum. Quo tandem depositio in æde sacra, sanctus ille Monachus, qui ei à confessione fuerat, concionem ascendit, ac multa de eo, deque ejus vita & abstinentia, castitate, simplicitate, innocentia, sanctitate, miris modis prædicare cœpit, narrans inter alia, quod & quàm exiguum peccatum Cappelletus præcipuum, & quantis cum lachrymis, confessus esset, & quanto conatu vix tandem persuaderi sibi passus esset, Deum id non vindicaturum. Atq; hîc interposita digressione ad populum, qui auscultabat: At vos, inquit, execrabiles, propter quæ frivola & propter quas quisquilias Deum matremque ejus, & omnem aulam cœlestem detestamini? Præterea multa alia de ejus fide atque innocentia testatus, breviter tali concione (cui habita integrè fides fuit ab auditoribus & tota vicinia) sic eum in animos & affectus omnium, qui illic aderant, insinuavit, ut statim sacris peractis, confertissima turba, ad pedes manusq;

ejus oculandas irruerint, præque nimio studio vestimenta ejus undequaque discerpserint, cùm se felicem putaret, quisquis vestis ejus particulam nactus esset, adeo ut eum toto die in templo oportuerit relinqui, ut ab omnibus spectaretur, & consalutaretur. Sequente verò nocte in arca marmorea honorificè in quodam sacello conditus fuit. Quo loci postridie vulgus longa serie cœpit eum, accensis cereolis, ut divum venerari, ac nuncupatis votis, cereas imagines suspendere, pro sua quisque religione. Postridie adeo crevit celebritas, opinioque sanctitatis ejus & cultus, ut propemodum nullus esset, qui alioqui ægritudine affligeretur, qui divis aliis, quàm huic, vota faceret, vocatusque est passim *Divus Capelletus*. Prædicant etiam, Deum multa signa per eum edidisse, & edere quotidie apud eos, qui hunc religiosè colunt. Sic igitur vixit, & sic vita defunctus est *Capelletus Pratensis*, quem haud inficias eo, posse beatitudine frui apud superos. Nam utcunque vita ejus impia sceleratáque fuerit, potuit tamen eum in extrema morte scelerum suorum adeo pœnitere, ut fortasse Deus misertus sit illius, & in regnum suum & numerum beatorum receperit. At quoniam non constat nobis, ego judicans ex manifestis ajo, istum potius esse apud inferos, & cum Sathana malè mulctari, quàm apud superos versari. *Pamphilus ex Johannis Boccatii Decamerone, Olympia Fulvia Morata interprete, ex cujus operibus ista huc transtulimus.*

DCLIIX. *De Johanne Brentio, & Johanne Cochlæo.*

IN Comitiis Augustæ Vindelicorum anno 1530 celebratis, magni nominis Episcopus quidam cum nostræ, tum suæ etiam partis Theologis cœnam dabat. Huic cum & *Johannes Cochlæus* interesset, evenit, ut disputationem de Invocatione sanctorum ingrede-

gredereturr. Cæterùm cùm à *Brentio* urgeretur, ut istud suum dogma sacrarum literarum authoritate corroboraret, idque is quidem minimè omnium posset, nolens caput sine lingua, quod est in proverbio, haberi, ad extremum in hac verba erupit: Audire mehercule hac in parte oportet, *Brenti*, matrem ecclesiam, cui hoc visum est. At *Brentius* mox ei respondet: Quid si verò *Pater*, Deum ejusque verbum innuens, diversum præcipiat, num matrem *Cochlæe* dicto illi audientem esse convenit? Hoc salso & arguto responso *Brentius* ita *Cochlæo* linguam intercluſit, ut planè obstupefactus plura non adderet, præterquam *Pater, pater, pater*. Ex quo quidem nostris Theologis risus longè maximus, ipsius verò complicibus non parva molestia nata fuit. *D. Georgius Major in publica lectione. Extat idem jocus in oratione de vita & obitu Johannis Brentii à D. Jacobo Herbrando habita, pag. 24.*

DCLIX. *Declinatio adverbii* INTERIM.

INTERIM quæ pars? Adverbium. Quid est Adverbium? Est verbum Satanæ conjunctum cum verbo Dei ad decipiendas animas, & stabiliendam idololatriam Antichristi, & confirmandam tyrannidem. Adverbio quot accidunt? Tria. Quæ? Significatio, ut dogmata ecclesiastica sic pingas & ornes mendaci fuco, ut homines venenum pro medicina, mortem pro vita, judicium pro salute, idololatriam pro cultu: in summa Diabolum ostendentem regna mundi, pro Christo adorent & accipiant.

Secundum accidens adverbii INTERIM est Comparatio, quàm universus mundus negligit. Hæret enim in admiratione humanæ potentiæ, non videt, neque credit, quòd Pater, qui universo mundo præcipit: *Hunc audite. Hic est filius meus dilectus, in quo delector*, sedeat in cœlis cum filio & Spiritu sancto, dominus totius creaturæ, & rideat stultitiam Regum

& Principum, & eos tandem compellaturus sit, & in ira sua conturbaturus, & disjecturus, ut, quò se vertant, nesciant, secundùm beatæ virginis dictum, cui quotidie vota faciunt: *Deposuit potentes de sede.* Itaq; INTERIM est adverbium, sed in mundo non comparatur. Cùm autem comparabitur, nec Comparativum, nec superlativum habebit, sed jacebit in profundo inferni. Qui igitur sapiunt, ab adverbio ad verbum se convertant.

Tertium accidens adverbii INTERIM est Figura, non simplex, sed composita, atq; id multis modis. Convenit enim cum verbo INTERIMO, si spectes literas & sonum, quod si voluntates hominum spectes, etiam convenit. Non enim, ut pacetur Germania, hoc INTERIM excogitatum est à Monachis & Episcopis, sed ut occasio sit *interi nendorum* piorum doctorum. Sed eorum, qui Spiritu Dei illuminati sunt, aliud judicium est. Sentiunt enim magis convenire cum vocabulo *interitur*, quod doctrina in *Interim* proposita verè sit interitus animarum. Simplices Grammatici ideo simpliciter affirmant, hoc *Interim* esse compositæ figuræ, qui verè sit tanquam chimæra aliqua. Constat enim ex mendaciis *Satanæ*, quæ nonnunquam sententiis scripturæ, item Patrum authoritate, nonnunquam fucosis rationibus picta sunt. Sed hæc jam satis. Reliqua sequentur. Rogati enim sumus, ut totum *Donatum* reverendo patri *Michaeli Suffraganeo Moguntino* & discipulis ejus explicemus. Vos qui Christum Dei æterni verbum amatis, incumbetis orationi pro Ecclesia & malum *Interim* cavebitis. DEO enim magis, quàm hominibus, serviendum est. *Reperi inter schedas avi mei paterni Dionysii Melandri.* Quis verò declinationis hujus author sit, me quidem fugit. Pontificium quendam non esse verè tibi, *Lector*, affirmare possum.

De

DCLX. *De eodem* INTERIM *epistola incerta cujusdam autoris ad Martinum quendam.*

IN Christo pacem & salutem, mi *Martine*, &c. Postulas nova, &c. Egressus portas Augustanas in conspectu apertissimo alpes habes, ejus altitudinis, ut nubes tangere videantur, in hanc diem nive candent. Segregant etiam Germanos ab Italis: in his reperta est casu mulier parturiens hisce diebus, quæ tendebat *Augustam*. Verùm aberrans via dudum in alpibus delituit, ita, ut jam jam frigore perire cœperit. Missæ igitur obstetrices salvam adhuc in urbem duxerunt. Rogata igitur de nomine respondit, suum nomen esse *Concilium* & Romæ viciatam. Optimè igitur tractata cum propter nomen, tum etiam propter locum, in quo viciata erat. Tandem suo tempore peperit hîc filiam, cujus nomen est *Interim*, quod datum est illi, antequam nasceretur. Jacet igitur nondum baptizata, non confirmata, non ratificata, clamitans & postulans compatres, qui desiderantur. Quod si tu formosam illam puellam ad Christianissimum juvare volueris, fac ut ocyus intelligam. Dabitur tibi compatris locus, &c. Nulla alia modò nova Augusta peperit. Vale. Augustæ XIII. Junii Anno, &c. 48.

DCLXI. *De Francisco.*

DE *Francisco* Monachi peculiare volumen commenti sunt, quod titulo conformitatum Franciſci cum Christo inscripserunt. Perhibent in eo *Franciscum Petri Bernardonis* illum filium in ecstasi raptum, & tanquam alterum quendam Israëlem cum Christo sive colluctatum, sive alioquin arctissimè commissum fuisse, inq; illa sui cum corpore Christi collisione totidem plagis ac stigmatibus, iisdemque in locis à CHRISTO compunctum, quot ipse Salvator in crucem suspensus sacrosanctis suis membris acceperit. Qua de causa *Franciscus* nominatur illis

Jesus Typicus, quod nihil est aliud, quàm Christi pro nobis crucifixi & mortui figura & imago. Ajunt enim, quemadmodum æternus Pater ardentissimi sui erga nos amoris effigiem vulneribus unigeniti filii expressit: ita Christum cicatricibus *Francisci* suum erga nos animum, tanquam in lucido speculo ob oculos statuere voluisse. Quo sanè respicit in vestibulo libri abominandum istud carmen:

Franciscе Jesu Typice, dux normaq; minorum,
Sedes nobis perpetuò da regni cælorum.

Longum foret recitare tum ineptissimas comparationum ineptias, tum horrendas in Christi meritum blasphemias, quæ ibidem ad nauseam & bilem leguntur. Epilogum saltem adjiciam, quo liber tandem clauditur, quæ sic habet: *Ex dictis*, inquiunt, *apparet, Dominum nostrum* Jesum *Christum beatum patrem nostrum* Franciscum *sibi fecisse similem & conformem, non solùm in actibus passionalibus, scilicet, in passione per sacrorum stigmatum impressionem, sed etjam in actibus perfectionalibus, & etiam in actibus personalibus: & per consequens patet deductum, quòd Dominus Jesus Christus B. Franciscum fecit similem in gloria sanctorum*, id est, *sibi ipsi, qui est gloria sanctorum. Ex hac lerna fabularum illud etiam erupit, ut Franciscum omnibus Apostolis, & Johanni Baptistæ longissimè præponerent, licet Christus Matth. 11. disertè dixerit, inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista.* Liber autem conformitatum sacratissimo & veracissimo Christi ori, in quo dolus & mendaciũ non est inventũ, è diametro sese opponens, ipsamq; cœlestem veritatem mẽdacii (ô sceleratã impudentiam!) arguẽs, de Francisco ita fabulatur: *Fr̃aciscus plus fuit, quàm Johannes Baptista, quia Johanes Baptista tantum fuit pœnitentiæ prædicator & ordinis pœnitentiæ institutor. Ille fuit præcursor Christi: hic prædicator & signifer Christi. Quæ in re Johannem ipsum excedit. Johannem*

Franci-

Franciſcus præcedit, quia plures ad Dominum conuertit, & pluribus in locis, videlicet in toto mundo. Joh. duos annos & parum plus prædicauit: Franciſcus XVIII. annis, Johannes verbum de pœnitentia accepit à Domino: Franciſcus à Domino & à Papa, quod plus eſt. Stigmatiſationem porro *Franciſci* ejuſmodi pulcerrimis deſcribunt emblematis: *Non ſolùm manus*, inquiunt, *& pedes* FRANCISCI *fuerunt perforati, ſed conclauati, ita quod claui in eis apparuerunt. Deinde clauorum capita erant nigra: cùm tamen carni & neruis ſimiles eſſe deberent, ex quibus facti erant: tertiò capita clauorum erant oblonga & repercuſſa, cùm tamẽ nec martellus nec ictus affuerit. Quartò in loco oſſoſo & non molli ſtigmata ſunt impreſſa. Quintò licet claui eſſent carnei vel nerui, ad inſtar tamen ferri erant duri, fortes & ſolidi. Sextò ipſi claui non erant breues, ſolùm acumina habentes ſeu capita: ſed erant longi ad partem aliam reſultantes. Septimò, claui non ſtabant ex parte alia longi, ſed recuruati, ſic, ut digitus intra recurſationem arcualem ipſorum immitti valeret. Octauò cùm claui eſſent facti ex carne, vel neruis, & ex utraq; parte pedum & manuum reſultarent, & excederent, profectò non erant nec pedes nec manus deformatæ vel contractæ. Nonò, claui erant circumquaque à carne alia ſeparati, ut pecia circumcirca ponerentur, propter ſanguinis reſtrictionem. Decimò claui mouebantur, & tamen à manibus nec à pedibus removeri poterant, cùm B. Clara & alii hoc facere attentaſſent. Undecimò, cicatrices clauorum & lateris per tantum tempus non ſunt putrefactæ, ſcilicet per duos annos & ultra. Duodecimò, vulnus laterale erat ad inſtar vulneris lateris Chriſti. Inſuper miraculum erat, quomodo Beatus Franciſcus, cum maximum haberet dolorẽ ex apertione corporis in quinque locis, videlicet manibus, pedibus, & latere, & ſanguis jugiter à locis prædictis emanaret, potuerit per tantum tempus vivere, ſcilicet poſt biennium, quod ſuper vi-*

sit à stigmatum susceptione. At cùm mendacii ea sit natura, ut eundo accrescat, idem quoque monastico huic Franciscanorum somnio accidit. Miseri enim & excæcati homines eò dementiæ tandem devenerunt, ut vestibus *Francisci* & fraterculorum ejus ordinis peculiarem vim adversus mortem, ignem purgatorium, infernumque inesse sibi persuaderi sinerent, multique Reges ac Principes, de quibus liber ille gloriatur, in habitu Franciscanorum sepeliri avidissimè expeterent. Quemadmodum ex historia *Christophori Longolii*, qui Tullianæ eloquentiæ lumẽ habetur, patet, quod ipse quoque ante annos septuaginta octo, cum doctrinę renascentis fama jam dudũ alpes transierat, nihilominus obsoleto errore fascinatus in Franciscano cucullo sepultus sit: quo minus est mirum, *Baldum* Jureconsultorum Principem, qui centum ante *Longolium* annis diem obiit, in eadem impia opinione decessisse, exuviisq; Franciscaniis involutum ac humatum esse, sicut ipsius Epitaphium testatur:

Conditur hîc Baldus Francisci tegmine fultus,
Doctorum Princeps, Perusina natus in arce.

In Papatu proinde homines à meditatione vulnerum & passionis Christi ad ridiculam & impiam cõtemplationem stigmatum Francisci abducti, inque iis spem suam defigere, & rancidissimas ac turpissimas Minoritarum gerras pro fidei articulis acceptare dito anathematis & æternæ damnationis fulmine compulsi sunt: id quod Bulla *Gregorii IX.* in eodem lepidissimo libro testatur, quæ sic habet: *Papa Gregorius IX. de sanctitate B. Francisci, & de ejus Stigmatibus plures bullas fecit, in quibus asserit, B. Franciscum stigmata Domini Jesu* veraciter in suo corpore impressa à Christo habuisse: *ET HOC TENENDUM MANDAT FIDELIBUS ET CREDEN.*

DENDUM, & sub nota hæresis puniendum oppositum sapientem. *D.D. Salomon Gesnerus in Epistola dedicatoria præfixa explicationi passionis Domini nostri Jesu Christi.*

DCLXII. De *Jacobo Marchione Badensi.*

DE *Doctoris Johannis Pistorii Niddani* ἀποστασίᾳ & ad papismum defectione haud dubiè intellexisti, quemadmodum Principem suum, *Jacobum Marchionem Badensem* ad eandem induxerit defectionẽ, ut superiore mense Julio in suæ ditionis Ecclesiis religionem mutarit, & exturbatis synceris verbi ministris in locum illorum substituerit sacrificulos missificos. Qui quidem Princeps sub initium mensis *Augusti*, cùm expiatis de more templis primã missam celebrari curasset, & peracto sacro, proceres nonnullos magnifico excepisset convivio, in illo ipso convivio dysenteria correptus, intra tertium diem interiit, singulari providentiæ divinæ atque vindictæ exemplo. *Pistorius* illinc profugit. Idem factitarunt sacrificuli, qui nuper eo venerant à *Principe* acciti, abductis secum, quas attulerant, & in templis passim collocarant, imaginibus. Gubernationem tutorio nomine suscepit Principis defuncti frater *Ernestus* synceræ religioni addictus: qui statim à funere fratris revocatos ab exilio verbi ministros à fratre ejectos, suæ quemque Ecclesiæ & loco restituit. Incredibile esse ajunt, quantopere Pontificii de *Marchionis* illius *Jacobi* defectione gloriati fuerint, & quantas conceperint spes regni sui per Germaniam propagandi. Verùm non fuit illis solidum hoc gaudium. Vale in Christo cum universa familia tua. Maipurgi 28. die Augusti An. Christi 1590. *D. D. Daniel Arcularius in epistola quadam ad Dionysium Melandrum patrem meum.*

Deo

DCLXIII. De *Augustano quodam juvene.*

CUM anno 1531. recens Augustam, illò ad prædicandum Christi servatoris nostri verbum vocatus, veniſſem, veniebat ad me ſubinde juvenis quidam annos circiter 24. plus minus natus, conſcientiæ ſuæ, quam habebat deſperatiſſimam, relevationẽ quærens. Cauſa erat anxietatis, qua diſcruciabatur, quod maſſam argẽti puer adhuc hero ſuo furtim abſtuliſſet. Hanc integram adhuc habebat. Inter confitendum ſub Papatu juſſus erat partem dare Miſſatoribus, partem pauperibus. Id non fecerat, quia ad conſcientiæ laborantis refocillationem verã ac certam non faciebat. Domino ſuo non reſtituerat, pudore impeditus. Ubi cauſam perturbatæ conſcientiæ intellexi, urſi hominem, ut ablatam hero ſuo reſtitueret, niſi perire vellet. Oſtendi viam, qua commodè poſſet. Obtemperavit, reſtituit coram, utrinq; illacrymantibus & ipſo & hero, qui furti illius prorſus fuerat ignarus, & omnem juveni reſipiſcenti benevolentiam promittebat. Poſt hanc reſtitutionem afflictiſſimus juvenis, qui aliquandiu propter ſpeciẽ inſaniæ catenis divinctus fuerat, ſibique ipſi necem intentaverat, feliciſſimè non modò cum hero ſuo rediit in gratiam, ſed & ſibi ipſi reſtitutus honeſtè vivere cœpit. D. *Wolfgangus Muſculus in Locis commun. fol. 112.*

Nec lucrari ſe quisquam putet, ſi delicti conſcium non habebit. Scit enim ille omnia, in cujus conſpectu vivimus, nec, ſi univerſos homines celare poſſumus, Deum poſſumus, cui nihil abſconditum, nihil poteſt eſſe ſecretum. Exhortationes ſuas *Seneca* mirabili ſententia terminavit: *Magnum*, inquit, *neſcio quid, majusq; quàm cogitari poteſt, numen eſt, cui* ſȣvẽ*do operam damus. Huic nos approbemus. Nihil prodeſt, incluſam eſſe conſcientiam, patemus Deo.* Quid verius dici poteſt ab eo, qui Deum noſſet, quàm dictum eſt ab ho-

ab homine veræ religionis ignaro? Nam & majestatem Dei expressit majorem esse dicendo, quam ut eam cogitatio mentis humanæ capere posset: & ipsũ veritatis attigit fontem, sentiendo, vitam hominum supervacuam non esse, ut Epicurei volunt: sed Deo ab his operam vivendo dari, si quidem justè ac piè vixerint. Potuit esse verus Dei cultor, si quis illi monstrasset: ac contemsisset profecto *Zenonem*, & magistrum suum, *Socionem*, si veræ sapiẽtiæ ducem nactus esset. Huic nos, inquit, approbemus. Cœlestis prorsus oratio, nisi antecederet ignorantiæ confessio. *Nihil prodest inclusam habere conscientiam, patemus Deo.* Nullus ergo mendacio, nullus dissimulationi locus est, quia parietibus oculi hominum submovẽtur: Dei autem divinitas nec visceribus submoveri potest, quo minus totum hominem perspiciat & norit. *Idem in ejusdem operis primo*: *Quid agis?* inquit: *Quid machinaris? quid abscondis? Custos te tuus sequitur. Alium tibi peregrinatio subduxit, alium mors, alium valetudo: hæret hic, quo carere nunquam potes. Quid locum abditum legis, & arbitros removes? Putas tibi contigisse, ut oculos omnium effugias demens? Quid tibi prodest non habere conscium, habenti conscientiam?* Nõ minus mirabiliter de conscientia & Deo *Tullius lib. 3. Offic. Meminerit*, inquit, *Deum se habere testem, id est*, (ut ego arbitror) *mentem suam, qua nihil homini dedit Deus ipse divinius.* Item cùm de bono & justo viro loqueretur: *Itaq; talis vir*, inquit, *non modo facere, sed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non audeat prædicare. Purgemus igitur conscientiam, quæ oculis DEI patet: &*, ut ait idem: *semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur: putemusq; nos momentis omnibus, non in aliquo (ut ille dixit) orbis terræ theatro ab hominibus, sed desuper spectari ab eo, qui & judex & testis idem futurus est, cui rationem vitæ reposcenti, actus suos inficiari non licebit. Ergo satius est*

aut

aut effugere conſcientiam, aut nos ipſos ultro aperire animum, & perniciem reſciſſis vulneribus effundere: quibus nemo alius mederi poteſt, niſi ſolus ille, qui greſſum claudis, viſum cæcis reddidit, maculata membra purgavit, mortuos excitavit. Ille ardorē cupiditatis extinguet, exſtirpabit libidines, invidiam detrahet, iram mitigabit. Ille reddet veram & perpetuam ſanitatem. Appetenda eſt hæc omnibus medicina, quoniam majori periculo vexatur anima, quàm corpus, & quamprimùm latentibus morbis adhibenda curatio eſt. Lactantius lib. 6. de verò cultu cap. 24.

D. Bernhardus.

Nihil eſt tam efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, quàm Chriſti vulnerum meditatio crebra & ſedula.

Solent plerique in ſceleribus ſuis ex eo conſolationem petere, quod illa occulta eſſe, nec aliquem hominum ea noviſſe putant. Eſt autem hæc conſolatio vaniſſima, quando ad turbandum animum plusquàm ſatis eſt, ſi tu ea noveris, quæ adverſus Deum deſignaviſti. Nam, ut veteres dixêre, *conſcientia mille teſtium loco eſt.* Et tanta illius eſt, ut non ea modò nobis exprobret, quæ alioqui ob oculos noſtros verſantur, & diſſimulari nullo modo poſſunt, ſed profundiſſimos mentis receſſus ſcrutatur, & ea nobis in memoriam revocat, quorum ipſimet prius obliti eramus. Et quo minus id fiat, nulla arte aut conſilio prohibere, aut illius exprobrationes effugere poſſumus. Intra nos enim illa latet, & quocunque nos vertamus, comitem agit indivulſum, & invitis quoque obrepit, dum gaudia animo concipere volumus, & tam dormientes infeſtat, quàm vigilantes. Neque modò in mentem revocat, quæ præter officium à nobis facta ſunt, verùm etiam accuſat, immò ſceleris nos convincit, ut, quamvis natura ſimulato-

res

ros simus, & nobis ipsis turpiter blandiamur, tamen nos sceleratos esse & Dei iram atque pœnas horribiles meruisse, negare non possimus. Magna ergo hujus mali vis sit oportet, & ideò illud Poetæ per furias infernales adumbrarunt, quæ colubris armatæ miseros flagellent, & omnia illis infesta reddant. Hujus mali vim Cainus sensit, cùm clamaret: Major est iniquitas mea, quam ut remittatur. Eadem Judam coëgit, ut & scelus admissum cum publica infamia fateretur, & pecuniam, qua nihil carius habebat, redderet, & sibi ipsi laqueum aptaret, quo prævocatus vitam infelicem infelicius finivit. Et hodie multos à propria conscientia vinci, & in desperationis præcipitium abduci videmus, qui paulò antè neque DEI neque hominum metu tenebantur. Neque à conscientiæ stimulis immunes sunt pii, quos non minus propria mens accusat, & terroribus gravissimis exagitat, ut in Davidis, Petri, & similium exemplis videmus. Melior tamen illorum sors est, quia de gratia DEI bene sperant, & adoptionis spiritu confirmantur. Nobis autem doctrina ista ad hoc servire debet, ne impunitatis spe nos decipi patiamur: quin potiùs semper nobis ob oculos versetur, quod Johannes scribit: Si contemnet nos cor nostrum, potentior est Deus corde nostro, & novit omnia. 1. Jo. 3. *Rodolp. Gualth.* in Commentar. in 1. Epist. ad Corin. cap. 2. Homil. 10. pag 26.

Pythagoras.

Qui sibi malè conscius est, licet fuerit audacissimus, Conscientia tamen ipsum timidissimum facit.

Euripides.

O miser Oresta, quis morbus te perdit? Consicentia, quia conscius mihi sum, quod malaperpetrarim.

Isocrates.

Nunquam sperare debes si quid turpe feceris, te latiturum:

rum: quamvis enim alios lateas, tu tamen tibi conscius eris.

Nilus.

Conscientia tua pro lucerna utere in omnibus actionibus tuis.

Conscia mens scelerum pœnas in pectore gestat,
Et pavet, & trepidat, vanaq; multa timet.
Conscia mens scelerum pœnas sub pectore nutrit,
Et surdo cadit verbere corda pavor.

Juvenalis:

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi
Displicet authori: prima est hæc ultio, quod se
Judice, nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.

Idem.

Nocte diéq; suum gestant in pectore testem
Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis, interq; molares
Difficili crescente cibo.

Joh. Major.

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur
Conscia mens, flatusq; sacer.

Ovidius.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,
Est aliquid magnis crimen abesse malis.

Plautus in Mos. Act. 3. Scen. 1.

Nihil est miserius, quàm animus hominis conscius.

Apulejus.

Etsi à cæteris silentium est, tamen ipse sibi conscius est, posse se meritò increpari.

Pacatus.

Ipsa sibi carnifex conscientia est.

Ausonius.

Quanam summa boni? Mens, quæ sibi conscia recti.
Quis dives? qui nil cupiat. Quis pauper? avarus.
Conscia mens ut cuiq; sua est: ita concipit intra
Pectora pro meritis spem metúmq; suis.

Nunc

Nunc damnat, nunc excusat mens conscia facti.
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa
Hic murus aheneus esto.

Proverb. 15.

Cor bonum est juge convivium.

Adag.

Conscientia mille testes.
Heu quam difficile est crimen non prodere vultu!
Συνείδησις πλήττει τὴν ψυχήν: *Conscientia verberat animum.*

Juvenalis.

Et surdo verbere cædit.

Pacatus in Panegyrico.

Habet oculos conscientia carnifices, qui magis lancinant, & torquent vitalia, quàm cruces, quàm verbera, quàm tormenta.

Cicero pro Milone.

Magna vis est conscientia, et magna in utramque partē, ut neq; timeant, qui nihil cōmiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.

Cic. ad Attic. lib. 13.

In omni vita sua quemquam a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere.

Pindarus.

Conscientia est divinum testimonium, quod testatur de recte & secus facto, & admonet de pœnis & judicio Dei.

Plato.

Qui deprehendit in vita sua magnam injustitiam, is nō secus, atq; pueri, crebrò excitatus metuit, & vivit cum malâ spe. At illi, qui nullius injustitiæ sibi conscius est, semper dulcis spes adest, & bona senectutis nutrix.

DCLXIV. *De Tolliano quodam seu fure.*

TOllianus quidam seu fur cùm ad locum supplicii duceretur, paulò pòst suspendendus, incidit in mulierculam quandam, & lagenā & placentas ad convivium quoddam genethliacum deferentem.

Eam igitur rogat, ut portiunculam sibi aliquam placentæ largiatur. Illa ipsa igitur frustum decerpens carnifici tradit, misero isti in os ingerendum. Quod quidem dum carnifex iste præstare conatur, trium iste literarum homo averso vultu bolum sibi datum respuit, inquiens: Derade prius & defrica cultello tuo farinam. Memini n. me non patum quidem sæpè audire, farinã istam valetudini minimè conducere, sed valdè noxiam esse atq; exitiosam: **Ey Meyster schabt erst das mehl herunder / dann ich habe mein Lebenlang gehört / es solle sehr vngesund seyn.** Huic respondet Carnifex, si non ita vis vorare, ut tibi a me porrigitur, intermitte. Tunè demùm laboras nebulo de curanda servandaque valetudine tua? Si qua diuturna lucis hujus usura tibi cordi fuit, oportuit utique picatas istas te manus tuas a furtis abstinere atque rapinis: **Du Schelm wilt du es nit also fressen / so magstu es lassen / wiltu nun allererst nach Gesundheit leben. Da du begerest lang zu leben / solltestu dein maussen vnd stelen gelassen haben.**

Videas Pythagoricos quosdam, quibus usque adeò omnia videntur esse communia, ut, quicquid usquam incustoditum nacti fuerint, id velut hæreditate obvenerit, æquo animo tollant. *Erasmus in Moria.*

DCLXVII. *De alio quodam trium literarum homine.*

QUidam nobili genere natus homo, qui cõplures annos doloribus podagræ cruciabatur maximis, non procul à loco supplicii in furem quendã incidebat, jam jam in patibulum agendum. Hunc conspicatus admodum adhuc esse adolescentem, tũ robusto etiam vegetóque corpore præditum, tum verò pedum pernicitate valere: ita exclamavit: O ado-

adolescens, optarim equidem tuos mihi nunc pedes suppetere. Eo audito Tollianus respondet: Ego verò contra, generose domine, tuum mihi collum dari optarim. Quo quidem voto potiri mihi si liceret, patibulum equidem aut laqueum minimè reformidarem, sed pendendo certè tecum certare paratus forem: **Juncker hette ich denn ewren Halß/wolte ich mich vor dem Strick nit fürchten / sondern mit euch in die wette hangen.**

DCLXVIII. *De alio quodam nebulone furandi scientiam in artificiis manuariis numerante.*

JUvenis quidam vel puer potiùs, quippe qui nondum ex ephebis excesserat, nucésve reliquerat, ob insignia quædam furta in nundinis commissa, magistratui sistebatur. Eum prætor præsentibus aliquot senatoribus hanc in sententiam alloquebatur: O te infelicem adolescentulum, qui quidem artificium manuarium didiceris planè nullum, unde alere te possis vitámque tolerare. Ego verò, respondet ille, cum didici, tum calleo etiam artem nō solùm bonam, verùm lucrosam etiam quæstuosamq;, quæ non uni modo mihi, sed & vel decem aliis sustentandis sufficiat, si quidem mihi liceret ipsam illam per malevolos quosdā & adversarios meos exercere. Quinā sunt igitur adversarii illi tui, inquit Prętor, qui obstant prohibéntve, quo minus artem tu istam tuam tractes atque exerceas? Tu & tui similes, respondet furax adolescentulus. Ego, & mei similes, inquit Prætor: Quam igitur artem calles? Artem clependi respondet ille, qua quidem non est alia ulla compendiosior aut fructuosior. Hanc quippe mihi per te tuíque similes exercere si liceret, næ ego non me solùm, sed alios etiam complures nullo negocio & quam liberalissimè alerem. Malam verò pestem

nebuloni tibi, inquit Prætor. Non ego meique similes, sed ipse Deus lege Decalogi sui VIII. vetat, ut ne fureris Idem jubet, ut vescare pane tuo in sudore vultus tui. Mandat etiam Psaltes, ut labore manuum tuarum victites. Præcipit item Apostolus, ut à furtis te abstinens labores, operando manibus, quod bonum est, ut possis impartiri ei, qui opus habuerit. Idem vult cibum detrahi ignavis fucis, ac ociosis nebulonibus. An nunquam tibi auditum est illud vetustate contritum nostratum proverbium? **Zum Müssiggang gehören entweder grosse Zinse / oder hohe Galgen.** Hisque dictis nebulonem in vincula conjici, ac non ita multò pòst ob multiplicia ipsius grandiáque furta suspendi, è medioque tolli jubet.

Si quis de parvis vult plura absumere rebus,
Quærere quam vigili sedulitate potest.
Is mendicando victum petet ostia pulsans,
Aut feret huic tristem crux laqueusq; necem.

Germanici Rythmi matris Philippi.

Wer mehr will verzehren/
Denn sein Pflug kan erehren/
Der wirdt zu letzt verderben/
Vnd vielleicht am Galgen sterben.

Philippus in Epigrammat.

DCLXIX. *De alio quodam fure.*

MArpurgi olim fur quidam cùm ad suspendium educeretur, diu conquestus est multumque, injuria se communi hac luce privari, ex finibusque humanæ naturæ exterminari, quòd eo omninò sidere sit natus ac tempore, ut manus abstinere suas alienis à rebus nesciat, sed cogatur furtum subinde committere, vel, ut explicatius dicam, sit ad clependum a natura fictus factusque. Etsi verò pastor *D. D. Nicolaus Rodingus* nihil ad summam diligentiam reliqui faceret, is thanc ut illi opinionem ex animo evel-

evelleret, oleum tamen perdebat atque operam. Itaque ad extremum nonnihil excandescens, hæc in verba erupit: *Heus bone vir, si tu quidem, ut falsò somnias, ad furandum proseminatus es, natus es etiam ad subeundum suspendium*: **Mein Kerl bistu zum stelen geboren / so bist du auch zum hangen geboren.**

Qua quidem voce misero illi linguam ita interclusit, ut fatui istius fati sui nullam deinceps mentionē amplius faceret, sed D. Pastoris admonitionibus & consolationibus acquiescens, meritas pœnas æquo animo persolveret.

Sunt, qui causam mali hujus rejiciant in nescio quam constellationem, sub qua sint nati in hunc mūdum, cujus vi fatante ac necessitante, ut loquuntur, ad furandum sic impellantur, ut à furtis se cohibere nequeant. Et hanc impietatem debemus *Genethliacis*, qui stellis hoc tribuunt, quòd pro sua qualitate & natura reddant hominem sub ipsis natum, vel furem, vel scortatorem, vel latronem vel miserū & calamitosum. Hoc facit Venus inquiunt, hoc Saturnus, hoc Mercurius, hoc Mars, &c. quasi de cœlo sit inevitabilis causa peccandi: quod quid est aliud, quàm Deum cœli & omnium conditorem autorem constituere omnis generis malorum, adeoque & culpabilem: & interea hominem carnem & sanguinem, vermen ac putredinem, veluti per se insontem à culpa liberare? Sol, Luna, & Stellæ ad hoc sunt in firmamento cœlesti, ut sint in signa & tempora, dies & annos, Geneſis 1. cap. non ut ingeniis ac fortuniis nostris dominentur. Quæ mala admittimus, perversæ nostræ debemus naturæ, cujus malitia ex originali nostra corruptione in omnem carnem, inde à primo nostro parente Adamo propagatur: non astris, bonis Dei creaturis. Huc videlicet causas peccatorum nostrorum referamus, quas

noſtra ipſorum ſocordia alimus ac provehimus. Itaque coërcēdi ſunt illi, qui, ubi propter furta ſua corripiuntur, in haſce voces erumpunt: **Ich muß geſtolen haben/es iſt mir angeboren.** Si loquuntur de propenſione ad furandum, agnoſcendum quidem eſt, eſſe illam ex nativitate in cordibus noſtris, quemadmodum & alia vitia: verùm tantæ non eſt efficaciæ, ut nolentem & invitum ad furandum cogat, ſed coërceri poteſt, cum primis mediante gratia Dei: deinde diſciplina & caſtigatione competenti: hactenus ſaltem, ut manus cohibeantur, ne res alienas ſubripiant: deinde non eſt ex vi aſtrorum, ſed quemadmodum diximus, ex corrupta noſtra natura. *D. Muſculus in Loc. Commun.* pag. 107. & 108.

Lorsotus Jureconſultus cenſuit, ſtellas voluntate eſſe maleficas, & dixit, DEUM in extremo judicio ſtellas puniturum eſſe, præcipuè autem *Martem*, quod bella moviſſet.

DCLXX. *De Præcone quodam Evangelico.*

VErbi quidam divini præco ſacram cœnam ipſo nativitatis CHRISTI feſto celebraturus, vinum ad feneſtram hypocauſti ſui in urceo relinquebat. Quod enim incredibilis tum eſſet vis frigoris, veniebat illi in mentem ſubvereri, ne non illud cōtinuò in templum delatum congelaret. Cùm igitur ipſius & uxor & famulæ concioni intereſſent ſacram ſynaxin percepturæ, filii paſtoris quinque parvuli adhuc & rerum imperiti, ad amphorā iſtam converſi omne vinum exſorbent exhauriuntque. Quamobrem cùm paſtor finita concione ædituo mandaret, ut vinum domo afferret, invenit illius filios partim cantillantes, partim ſaltantes, partim verò vino ſomnóque ſepultos, urceum omni falerno epoto

poto exsiccasse. Quem ille vacuum & inanẽ in templum deferens sacerdoti rem omnem exponit. Is nõ aliter stupuit, quam qui Jovis ignibus ictus, vivit, & est vitæ nescius ipse suæ. Ad extremum tamen ad sese rediens, hanc in rationem verba facit ad populũ: Quanta nunc frigoris sit magnitudo, viri fratres, nemo profectò verum est, quin sentiat. Proinde mihi faciendum putavi, domi ut vinum celebrandæ cœnæ dominicæ tantum in hypocausto relinquerẽ: ne, si illud mecum ilico in templum deferrem, fortasse conglaciaret, suóque algore dentes vestros palatumque læderet. At verò dum vobis consulere studeo, me ipse, heu! eo perditum. Nam liberi mei, quorum & infantia & insipientia exploratè vobis cognita est, amphoram hanc ita exinaniverunt, ut ne guttula quidem vini, uti videtis, in eo resideat. Reliquum igitur est, ut aut cœnæ dominicæ celebrationem extraham ad crastinum usque diem, dum aliud vinum emam, aut sicera certè, quæ admodum mihi generosa est & præstans, in præsentia illam administrem. Proinde vestrũm fuerit, optimi amici, eligere, utrum cœnam in crastinum vino percipere malitis, an verò nũc sicera mea, quæ vino mehercule bonitate & suavitate sua nihil concedit. Rusticis porrò respondentibus uno ore omnibus, explicatum sibi esse, *Domino Hermanno* per bonam esse siceram, eamque velle ab ipso nunc adhiberi in cœnæ dominicæ administratione. Ille morem ipsis gerens, allata mox sicera mustóve piraceo, cœnam Domini, ita ut rusticis placebat, celebravit.

DCLXXI. *De Serapione.*

Serapion quidam erat apud nos fidelis senex, qui diu quidem inculpatè vixerat, in persecutionem verò ceciderat. Hic sæpenumero recipi petie-

rat, verùm nemo illi attenderat. Sacrificaverat enim. In morbo autem constitutus, totum triduum mutus, & sensuum facultate destitutus mansit. Pòst ubi quarto die nonnihil convaluisset, nepoti ex filia, ad se vocato dixit: Quousque, ô fili, detinetis me? Obsecro properate, & me velociter absolvite. Voca ad me aliquem ex Presbyteris. Quibus dictis iterum obmutuit. Cucurrit puer ad Presbyterum. Erat autem nox. Presbyter ægrotabat, ideoque ire cum puero non poterat. Quoniam verò mandaveram morituros, si petant, & maximè si etiam antea suppliciter petierunt, admitti debere, ut spe bona fulti migrent, parum eucharistiæ puero dedit, jussitque ut id infunderet, & in os senis instillaret. Puer redit afferens eucharistiam. Quum autem è vicino esset, antequam ingrederetur, rursus *Serapion:* Venis, inquit, fili? Presbyter quidem venire non potest, tu verò confestim facito, quod ille præcepit, meque dimitte. Infudit puer, ac simul ori senis instillavit. Qui quum parum gustasset, mox spiritum reddidit. *Eusebius lib. 6. cap. 44. Citat D. Musculus in Loc. Commun. pag. 370.*

DCLXXII. *De reliquiis quibusdam, utpote brachio D. Antonii, & cerebello D. Petri.*

IN hac civitate habebatur, ut ferebant, brachium *D. Antonii.* Cùm theca inclusum erat, omnes ipsum exosculabantur & adorabant: cùm productum est in medium, cervi pedem esse compertum est. Ad majus altare aliquid erat de cerebello *D. Petri.* Quandiu id inclusum fuit, nemo dubitabat: fuisset enim blasphemia titulo fidem non habere: sed cùm excussus est nidus & accuratius observatus, repertus est pumex. *Johannes Calvinus in admonitione de reliquiis.*

DCLXXIII. *De Tilemanno Heshusio.*

QUUM novitium, adhuc agerem Theologum, mihique cum Comite Palatino & Duce Bavariæ

riæ ad comitia eundum esset, equidem singularem ac propè incredibilem animo capiebam voluptatem, postcaquam intelligerem, primum publicarum literarum caput de religione agere, ut nimirum pernicioſa religionis dissidia controversiæque ad normam seu præscriptum verbi divini & ventilarentur & componerentur. In magnam namque continuò spem erigebar, futurum, ut Germaniæ proceres tandem aliquando ad meliorem sese frugem reciperent, ad sanitatemque redirent, atque adeo primùm omnium regnum cœlorum quærerent. Cæterùm cum in consilium jam iretur, ac deliberationes suscipierentur, una politica causa post aliam tractabatur. Hic enim Princeps hoc, ille aliud postulabat. Hujus urbis hæ, illius aliæ afferebantur querimoniæ. Quid multis? prora & puppis comitiorum istorum erat imperandæ & exigendæ pecuniæ. Ut primum hac de re inter Imperii proceres convenit, rumor percrebuit, singulos parare abitum, comitiaque esse soluta. Equidem animo mirum in modum suspenso atque anxio diu multumque exspectaveram, ecquando de religionis nostræ controversiis explicandis & componendis haberentur deliberationes, eaq; de re diligenter studioseque percontabar. Cæterum id ego responsi tuli, istud negotium rejectum esse ad proxima comitia, hoc est, Kalendas Græcas. Ita nimirum comparatum esse cernimus, ut regnum Dei non solùm post principia collocetur, sed perpetua propè oblivione sepeliatur. Quàm bene verò istuc nobis vertat, res ipsa clamat. Quandoquidem Deum ipsiusque regnum post fornacem facessere jubemus, atque ipsum pro nihilo putamus, suam quoq; benedictionem nobis subtrahit, sic quidem, ut actiones nostræ speratum finem non sortiantur, sed in nihilum ferè occidant.

Heshusius postill. su. pag. 340.

DCLXXIV. *De studioso quodam, qui ex lethali vulnere accepto, morbisque inde consecutis, omnium literarum memoriam amiserat.*

INTEGRA fide auditoribus narrantem audivimus *Guilielmum Rondeletium medicum* Monspelliensem de studioso juvene, qui illic noctu oberrans in sicarios casus incidit, & vulnere lethali accepto punctim alterutro oculorum quoque cæsus est. Multis itaque, ut par est, morbis conflictatus, ubi diligenti sollicitaque medicorum industria ad sanitatem reversus esset, qui antè in artibus, scientiis, imò medicina ipsa non vulgares fecerat progressus, tanta oblivione correptus est, ut omnia, quæ ante norat didicerat-que, memoria excidèrent, & tanquam letheo amne exhausto, omnia mentem effugerent, usque adeo, ut balbutientium instar infantium Lutetiam regredi, & prima pueris tradi solita elementa denuò discere coactus fuerit. Hoc uti rarum, ita verè admirationem parit. *Thomas Jordanus cap. 2. Tract. 3. de pest. phænom.*

DCLXXV. *De quodam providentiæ divinæ nimiùm tribuente.*

TUrpiter aliquando hac Christi Salvatoris nostri doctrina: *Ne sitis solliciti*: nebulo quidam abusus est, ita inquiens: magnificè verò presbyter noster Deum de sua erga mortales beneficentia prædicavit. Itaque ego nunc periculum faciam, utrum DEUS opiparo aliquo seu prandio seu cœna me refecturus sit. Quod si verò ille famelicum me hîc reliquerit, næ ego Sacerdotem nostrum & manifesti mendacii coarguerim, & ei itemque in posterum fidem planè omnem derogaverim. Nec mora, statim sub pyro recubat, ambrosiam nectarque exspectans. Cæterùm cùm neque prandium, neque merendam

accipe-

acciperet, omnis illi spes in cœna reposita erat. Appetit & hæc, sed sine omni omnino ciborum apparatu. Nihilominus tamen tantisper sibi istic durandum esse censuit, dum nox accederet. Qua quidem appetente, cum admodum jam esuriens, domum se recipere cogitaret, ecce tibi ventus satis vehemens exoritur. Unde spes illi injicitur, futurum utique, ut, quemadmodum Israelitæ in deserto, sic ipse etiam sub hac pyro perdicibus pasceretur. Proinde, quantum quidem potest, & suspicit, & sperat. Ecce autem tibi, cum ventus pyrum istam etiam atque etiam impelleret concuteretque, ac quidam è prætereuntibus aliquando pyrorum dejiciendorum causa lapidem satis ponderosum in eam conjecisset ramo incumbentem, is nunc delabitur, ac rectà in istius nebulonis os fertur, ita quidem, ut illi dentes aliquot partim excuteret, partim etiam labefaceret. Quo quidem facto exclamat ille: Vah alme Deus, quam durus tibi ac lapidosus est panis! Constat nimirum diu esse, cùm quidem pisueris: **O du lieber Gott/ wie hastu so hart Brot/ es muß leiden lange seyn/ daß du gebacken hast.**

DCLXXVI. *De Philippo Melanchthone.*

IN nuptiis *Domini Pauli Eberi*, *Domino Philippo* partes hospitibus gratias agendi demandabantur. Quas quidem hanc in rationem obivit. Novi equidem Tubingæ, inquit, Diaconum quendam, qui quidem hunc ad modum concionem auspicari suam solebat. Cum invitus ego audior, tum dolens etiam concionor. Studebo igitur brevitati quàm maximè potero, præpositurus mihi illum ipsum imitandum, hisque subdit: *Magnifice Domine Rector*, sponsus gratias vobis agit, cum comparuistis, rogatque, ut, quæ apposita sunt, æqui bonique facere, & ad cœnam huc redire non dedignemini. *D. Matthæsius concione 12. de Luthero habita pag. 139.*

De

DCLXXVII. *De Ætnæ incendio, facto Anno 1536. memorabilis & horrenda historia.*

ILlustrissime Domine: Superioribus diebus, dum hîc apud Catenam negocior, mercator quidam Siculus hinc Messanam XXI. Martii proficiscens, ejus diei vespere apud *Tauromenium* divertit. Inde mane diei sequentis iter suum pergens, non longè ab oppido obvios habuit circiter decem, ut illi tum videbatur, fabros cementarios cum suis ferramentis, qui rogati, quò tenderent, ajebant se *Ætnam* (vulgus *Mongibelium* vocat) petere: nec multò post in parem ejusdem generis numerum incidit: qui & ipsi interrogati responderunt, quod priores: se à mancipe suo in Ætnam ædificii cujusdam gratia missos: rogati, quem mancipem dicerent, ajunt, illum modico intervallo sequi, paulóque post offendit in itinere virum statura supra vulgarem modum procera, coma simul & barba perquam prolixa & quovis corvo nigriore. *Vulcanus* videri poterat, si claudus fuisset. Is nulla salutatione præmissa, rogat negociatorem, an per eam viam suas operas vidisset, respondit, vidisse quosdam, qui se in Ætnam ædificatum ire dicerent, verùm nescire cujúsnam essent operæ: quod si ipse architectus esset, cupere se cognoscere, quid ædificii animo destinasset, aut qua ratione id aggressurus esset, toto monte alta adhuc nive operto, ut vix ab expedito viatore permeari possit. Tum ignotus ille architectus ait, sibi & artem & vires superesse adhoc, atque etiam longè majus, si liberet perpetrandum: crediturum eum brevi suis oculis, qui nunc verbis ipsius parum fidei haberet: & cum dicto in auras evanuit. Quo facto hominem tantus derepentè horror invasit, ut minimum abfuerit, qui ibi in vestigio exspirarit: ægreque retro ad oppidum attonitus ac totus tremens reversus, rituque Christiano apud sacerdotem confessus, denarratoque viso, eadem die sub vesperam

Vesperam ex hac vita emigravit. Noctis, quæ secuta est, initio 23. Martii cum terræmotu & ingenti strepitu è vertice montis Ætnæ, quâ orientem spectat, ingens vis erupit, magnoque impetu versus ortum Solis ferebatur, ita ut Clerus ac populus *Catanensis* pavore consternatus, in ædem divæ Agathæ, ad opem divinam suppliciter implorandam, concurreret: unde mox supplicationis pompa cum magno fletu, cumque psalmodiis & precationibus, ac jugi inclamatione misericordiæ, campanis interim lugubre tinnientibus, ducta est usque ad ædem *Virginis annunciatæ* sacram. Mirum dictu, priusquam absolveretur supplicatio, cœpit incendium decrescere: brevique; pòst tempore videbatur omnino extingui. Mane sequentis diei nudipedales supplicationes sunt instauratæ: & urbs populariter pietatem complexa, in jejuniis ac precationibus perduravit usque in diem dominicam, in qua universa plebs ad eucharistiæ sacratum epulum concurrit: magnusque numerus virorum, qui acerbissimis simultantibus dissidebant, ultrò condonatis offensis in gratiam rediit, tanto affectu, ut capitales modò inimicos videres in mutuos amplexus & oscula ruere: idemque & in aliis ejus insulæ locis passim factitatum est. Nocte, quæ dominicam eam insecuta est, ineunte, rursus majore, quam antè, cum strepitu ac terræmotu ejusdem montis vertex, sed jam meridianam regionem versus, latè ignibus colluxit, adeo ut sex millia passuum continuum occuparet incendium, usq; ad Divi Leonis cœnobium in eodem monte situm, quod ad sextum decimum lapidem à Catana abest: videbaturque in ipsam urbem maximo cum impetu ferri, ut omnes certissimum jam exitium sibi impendere putarent. Rursus nudi pedum agmina cum fletu ac miserabili ululatu mille passus extra mœnia supplicabundi processerunt ad ædem Jesu matri sacram: creditumque clemen-

clementissimum Deum pietate ac precibus populi motum ignem prohibuisse: atque ita placata in præsens numine reliquum ejus noctis populus prostratus in faciem in pavimento ecclesiæ Divæ Agathæ orando transegit. Ubi verò dies illuxit, missi publicè, qui rem propius inspicerent, retulerunt, dictum D. Leonis monasterium cum adjectis hortis ita præterita nocte exustum, ut ne vestigium quidem ullum reliquum fuerit. Tum cognito, periculum desiisse, bona pars civitatis ad rem per se explorandam procurrit: & inter alios etiam ipse cognoscendi studio usque ad crateres Ætnæ penetravi. Hi sunt specus in montis vertice cum sonitu continuo ignem ejectantes, specie vitri in fornace liquentis: quæ materia mox frigefacta in saxum duratur, quibusdam locis etiam decem palmorum crassitudine, ita in superficie planum ac purum, ut spectantes ad superambulandũ invitet: sed sub eo latet rivus igneus, qui postquàm aliquam longè à crateribus uno alveo profluxit, sciissus deinde in duos ramos, altero versus Paternum, quod vocant, altero versus urbem fertur: qui hodie ad tredecimum ab oppido lapidem accessit, satisque lentè procedit. Observatum enim est diei & noctis spacio paulò plus trecentos passus promovere: & hodie quatuor mill. pass. ab agro Catanensi abest. Nihilominus civitas adhuc in jejuniis ac supplicationibus perstat, continuis votis divinam misericordiam sollicitando, ut tandem placatus minas avertat. Illud ausim affirmare, non esse hodie alium in orbe populum, qui plus pietatis præ se ferat, adeo ut, cum prius fugam adornare cœperim, nunc confirmatus ea pietate meliora sperem: mutatoq; animo, in omnem eventũ hîc perseverare decreverim. Vale.

Accessit opusculo, quod continet exemplum protestationis, qua Cæsarea Majestas apud Romanum Pontificem, Collegiumque Cardinalium, & legatos Regum

Regum ac Principum, atque alios complures viros tum ecclesiastica, tum seculari dignitate insignes usa est, & historiam de clade Turcarum *a Ioſi* accepta, & de Persarum præsenti imperio, quæ omnia ex Italico in latinum transscripta sunt.

DCLXXIIX. *De Johanne Rhodo.*

CUM *Rhodi* phrontisterium Pædagogéo Marpurgensi contiguum esset, pueri seu necessitudine nonnunquam adacti, seu petulantia atque nequitia instigati, alvum non parum quidem sæpe in eo exonerabant. Quod quidem Rhodo cùm stomachum faciebat, tum verò nauseam etiam inter loquendum movebat. Itaq; sæpenumero de hac ipsorum incivilitate vehementer apud Pædagogéi præfectos seu præceptores conquerebatur, obnixè eos rogans, ut istam illorum petulantiam coërcerent. Illi autem ei respondebant, se non posse promiscuè in quosvis suos discipulos eo nomine animadvertere, quòd si verò istius sceleris authorem sibi indicaret, operam se daturos, ut ne ille impune hoc ipsum auferat. Atq; hoc quidem responso sæpe illum protelabant. Ecce autem tibi, tandem aliquando puer quidam ibidem alvum exonerat. Cæterùm cum charta, cui nomen suum fortè fortuna inscripserat, podicem extersisset, Rhodus hanc cum avidè tollit, tùm etiam ocyus ad ludimagistros perfert: eosq; ita affatur: Deprehendi tandem aliquando nebulonem istum, qui meam mihi scholam permerdare consuevit: En enim vobis codicillos hosce illius, quos & manu sua subscribere, & suo sigillo (ita repurgamentum ani appellabat) obsignare non erubuit. **Sagte/da hab ich Brieff vnd Siegel.** Facite igitur, ut tale de ipso supplicium sumatis, quo cum ipse, tum alii etiam ab hoc tam impuro scelere deinceps abstineant. Hęc ipsius tam vehemens atque adeo demonstrativa querela & accusatio ludimagistris quidem risum, at

verò

verò misero isti lacrymas excussit, cum corium ei tam fieret maculosum, (ut Plautus in Bacchidibus *Actu 3. Scen. 3.* inquit) quam est nutricis pallium, eaque corporis parte pœnas penderet, qui toties peccaverat. Nihilo tamen secius Rhodus auditorium suum ab excrementis huiusmodi sartum tectum non retinuit: sed longè fœdius illud postea permerdabatur. Hoc tamen ad unum omnes callidè cavebant, ne quando ex anitergiis suis pateret, quod *Rhodi* officinam isto pacto stercorassent.

DCLXXIX. De *Dionysio Melandro.*

JAm à multis inde usq; annis gravis est inter *Theologos, Jurisconsultos, & Medicos* controversia, ecquis ipsorum alteri præstet: Hæc eadem quæstio Marpurgi olim in quodam cõvivio disceptata fuit, cui hi interfuisse perhibentur: *D. Sebastian. Nutzenus, D. Antonius Niger, & Johannes Draconites.* Hi enim diu multumq; περὶ τῆς facultatum istarum πλεονεξίας, & cuinam primæ inter illas deferendæ partes essent, inter sese digladiabantur. Cùm autem *Nutzenus* Juris scientiam summis ad cœlum usque laudibus extulisset, Niger verò rei medicæ primas deberi multis demonstrare studuisset, *Draconites* itemque Theologiæ studium suis laudibus & elogiis, quantum omnino poterat, ornasset, *Dionysius Melander* avus meus, qui eidem tum convivio interfuit, dissidium hoc ipsorum ceu Palæmon quispiam, joco admodum festivo composuit, hanc in rationem verba faciens: Non est, amici mei, quod tantopere quisque de artis suæ præstantia ac principatu pugnet. Etenim vix lacti lac tam simile est, quam hæ sunt inter se artes. Singuli namque circa purgationes sumus occupati. *Medici* nimirum ventres seu corpora hominum purgant, noxios inde pestiferosque humores educendo: *Jureconsulti* verò dant operam, ut eorum item locatos atque crumenas purgent & evacuent, suas autem quam

quàm turgidissimas efficiant. *Theologi* contrà eam incogitationem atque curam incumbunt, quemadmodum animas hominum perpurgent, hoc est, piis atq; justis correptionibus emendent, in viamque revocent. Quo illi audito cum contentionibus mox suis finem imposuerunt, tum verò risu plane syncrusio *hunc Dionysii* jocum sunt prosecuti.

DCLXXX. *De eodem.*

PErinde ut canes à vino, sic idem à cerevisia abhorrebat, ac, quod dictu mirum ac fortasse a vero alienum judicari queat, ad tres cerevisiæ guttas vix degustatas, utroque statim pede facto igni corripiebatur, ut hujus potus abstinentia naturæ magis eam respuenti quam delicato poculo videretur asscribenda. Evenit autem, ut, cùm *Mundæ D. Corvini* filiæ nuptiis interesset, solito tristior esset. Itaque & Sponsi & Sponsæ propinqui, & item alii, qui & assidebant, subinde monebant, ut frontem tandem aliquando exporrigeret. Ad horum monita cum nihil ferè respondisset, tandem eum accessit *Corvinus* ipse, orans, ut hilarem se præbeat. Tum *Dionysius*, talem si vis ut me præstem, fac ut mihi des lætitiæ materiam **gib mir Vrsach darzu**. Quo quidem potum suo stomacho palatoque convenientem, vinum nimirum, porrigendum sibi esse, innuebat. Cui mox morem gerens *Corvinus* & vinum affatim apposuit, & poculum capacissimum vino plenum *Dionysio* præbibit, & ea ipsa re effecit, ut singulari decentis lætitiæ jucunditatisve exemplo cæteris convivis præiës, perquàm sese hilarem exhiberet.

DCLXXXI. *De Philippo Melanchthone.*

ERat *D. Philippus*, id quod omnes non modò homines, sed & pecudes norunt, quovis oleo, quod est in proverbio, tranquillior. Is verò cum publico in examine quendam ad munus ecclesiasticum aspirantem interrogaret *quid peccatum esset veniale*, isq;

resonderet, *quod veniam meretur*, ita ira fuit accensus, ut huic continuò colaphum in os infregerit, ita quidem gravem, ut cum per os, tum etiam nares cruorem ejiceret: Cæterùm cum ira jam nonnihil deferbuisset, reliquos dominos examinatores sic est allocutus: Si hîc quoque peccatum aliquod meum fortè intervenerit, veniale id sit oportet, egoque veniam merebor, innuens jure hunc à se asinum percussum esse.

DCLXXXII. De quodam meticuloso.

WIttembergæ quidam, muneri propediem ecclesiastico præponendus, examinis aleam de more cum subiret, valdè se turpiter dedit; atque adeo omnibus ostendit, hoc ad munus se tam esse aptũ, quàm est asinus ad Gram. Itaque à Domino Philippo publicè rejectus tum fuit. Id noster hic admodum dolenter ferens, cœpit eum per omnia sacra obtestari, hac ut tam insigni contumelia ne afficeretur, se enim minimè tam esse rudem, quàm illis quidem videatur, præpediri autem pudore quodam subrustico, innatoq; quodam animi timore, quo minus ea, quæ optimè memoria scientiaq; complectatur, proferre queat, inquiens, *Domine Præceptor*, Profectò ego sum satis doctus, sed nimis sum timax. Tum *Philippus*: Nihil dicis asine. Es enim, quemadmodum audio, *non tam timax, quàm ignorax*. Atque his quidem fucum protelavit.

DCLXXXIII. De inepto quodam Cuntzionatore.

NIMIS sibi multum Concionatores quidam in explicandis sacris literis promittere videntur, cùm quosdam locos ita omnino, ut in buccam ipsis venerit, explicare audeant. Quod ut ne in obscuro lateat, vel hoc joco perspicuum fiet. Pastor quidam, depastor propemodum dixeram, ut alicujus sibi apud promiscuam multitudinem eruditionis opinionem

rem conciliaret, *Jonam* Prophetam explicandum suscepit. Vidit ergo sibi antè Prophetæ etymon excutiendum esse, quam ad hujus historiam enarrandam descenderet. Multum enim interest scire, quis sit, qui vocetur autor ille, unde sortitus nomen sit, quem interpretandum sumpseris. Itaq; sic quidem auditores suos est affatus: Multum quidem in indagando hujus vocis etymo studii atq; operę posui, ad extremum tamen consultis & Hebræis, & Græcis, & Latinis interpretibus invenio, *Jona* vocabulum Germanicum idq; compositum esse, atq; adeo originem habere ab eventu. Cùm enim præceps in mare sit actus, sic equidem illud explicaverim, Jo/ id est, perquam, & naß/ hoc est, madefactus. Quod perinde est, ac si dicas, perquam sanè madefactus, **Jonas/ das ist/ er war jo naß/es war kein trocken Faden an seinem Leibe.** Hoc igitur verum prophetæ hujus etymon esse, mihi Jovem lapidem juranti, credite. Id quod etiam imperitæ multitudini facilè persuasit.

DCLXXXIV. De Hermanno Buschio, & Francisco Lamberto.

QUOD de *Francisco Lamberto* in medium nunc profero, id equidem minimè omnium calumniandi studio à me fit. Tanti quippe hominem ob singularem eruditionem commemorabilemque pietatem facio, quanti haud scio an quem alium. Is autem cum universæ gallorum genti innato edacitatis morbo laborabat, tum etiam aliquanto ad rem erat attētior, tum deniq; nimis facilè iis, quæ vulgò spargerētur, fidem adhibebat, eaq; porrò magno conatu passimq; disseminabat. Idem quandiu *Marpurgi* quidem ætatem agebat, singulis ferè nūdinis *Francofurtum* proficiscebatur, eoq; ab *Hermanno Buschio tria M.* cognominatus per jocum fuit. Ajebat enim *Lambertus noster Francofurtū* nunc se confert, ut istic vel *mānducet*, h.e. gentilium suorum atq; pdivitum mercatorum

catorum mensas consectetur, vel *mendicet*, hoc est, typographos aliquo argento emungat, vel denique, ut *mentiatur*, hoc est, ut deinceps huc reversus passim ea mendacia hîc disseminet, quæ vel de Gallorum Rege, vel de Allobrogum Duce isthic à mercatoribus ejus exhilarandi causa conficta sunt, disseminet. At hoc quidem ipse *Buschius* illum haud dissimulavit, sed apertè in faciem, jocosè tamen, dixit, inquiens: Ego verò *Lamberte tetria M. appellare* consuevi, propterea quòd animadverterim, te quidem, quoties *Francofurtum* proficiscere, velle istic vel *manducare*, *vel mendicare*, *vel mentiri*, huc scilicet reversum.

DCLXXXV. *De Pfaffo quodam Latinæ linguæ ignaro.*

QUi linguam aliquam, qualis ea cunque sit, non exactè tenent, ii quidem, si me audient, patria popularíq; contenti, ab aliis cautè se abstinebunt. Si enim sermone parum sibi cognito exploratóque uti omnino voluerint, aliis quidem ludos pulcherrimos facient, at verò se ipsos totos deridendos exsibilandósque propinabunt. Id quod ex eo, quem subjiciemus, joco planum perspicuumque fiet. Novi indoctum quendam atque adeo inglorium Pfaffum, qui cum in publicis nuptiis, litteratis quibusdam hominibus aliquando assideret, teneri non potuit, vino præsertim nunc incalescens, quin latinè quippiam garriret, suamque (si diis immortalibus placet) in hoc doctrinæ genere scientiam ostenderet. Cæterùm cum diu multumque tacitus secum meditaretur, ecquid potissimum in medium proferret, ecce tibi divina percommodè virgula accidit, ut canes sub mensa mutuis morsibus digladiarentur. Itaque occasionem sibi datam ratus ostendendi, se quoque latinè nonnihil didicisse, mox infit, **Ey wie beissen sich die cani vnter dem Tische.** Ecce unica hac vocula, asinus

asinus iste putidissimam suam inscitiam fœdissimè, non sine aliorum immodico risu, in apertum protulit. Quidam enim ita illi respondebant. Habent nimirum canes hoc in more positum, ut, quoties canem aliquem in balneo esse, aut, ut planiùs apertiusque dicamus, Saulem quempiam inter Prophetas versari animadvertunt, toties infestissimis animis concurrant. Implacatissimè videlicet ferunt τὸν ἐν φαχῇ μύεσν. Alii autem hanc in rationem onagram istum alloquebantur: Molesta quidem nobis isthæc canum mordacitas est, at multò mehercule molestius, ita audire te asinum rudentem. Quantò igitur satius erat sese, juxta proverbium, intra suam cuticulam continere, quàm suo sese judicio tanquam soricem prodere: Rectè divinus Salomon: Stultus tacens. **Ein Narr wann er schwiege.**

DCLXXXVI. *De studioso quodam ad magistri gradum aspirante.*

USque adeo nonnullos τῆς φιλαυτίας morbus de sanitate menteque deturbat, iis ut honoribus ornari afficique gestiant, quibus quidem in omnes partes indigni sunt. Patet id quidem ex eo, quod nunc subjiciemus. Annis abhinc aliquot quidam *Lutetiæ Parisiorum à D. Petro Ramo* petiit, uti in collegium Doctorum, quos Magistros appellamus, cooptaretur. Annuit ille scilicet: verùm hac conditione, ut examinis aleam prius & subeat & sustineat. Accipit ille conditionem hanc. Itaque examini dies dicitur. Quo appetente, magistrandus præstò est. Interrogatus autem à Ramo, quot essent cœli? suspexit diu multumque, ad extremum autem sic respondit: *Domine ego credo, quod sit tantum unus.* Quo audito responso omnes propemodum examinatores risu emori, hominemq; hortari, disceret prius Grammatica, quàm ad tantos quidem honores aspiraret. Pro-

fecto magistrum esse non est de nihilo. Hoc autem nomine nemo dignus est, nisi qui tanti honoris nomen sustinere potest.

DCLXXXVII. De alio quodam.

FErunt *Wittembergæ* quoque ad hunc eundem honorem quendam contendisse olim. Cujus cùm major esset insciti atq; ruditas, quam ut admitti vel posset, vel deberet, à *Domino Philippo Melanchthone* rejectus repudiatusq; fuit. Id quidem noster hic admodum dolenter tulit, ideoq; ad pedes *Domini Philippi* provolutus, hanc in rationem ei supplicavit: Obsecro te per misericordiam DEI, ut me magistrum crees, semel atq; iterum, ac sæpius multis cum lacrymis hæc sua vota repetens. Itaque tandem aliquando *Philippum* exoravit, qui ita socium hunc Dei orexit. Agedum futurus igitur es magister misericordiæ. Id ille nomen deinceps obtinuit, ut vulgò *Magister misericordiæ* appellaretur.

DCLXXXIIX. De Michaële quodam caligas suas permingente, cum pro gradu Magisterii impetrando publicè disputaret.

PUdendum mediusfidius, ambitionem tantum in quibusdam valere, ut ad ea aspirare eos cogat, quibus quidem plane planeque impares sunt. Quod quidē *Hesso cuidam Michaeli* accidit. Tametsi enim hic asino, quod dici solet, esset indoctior; ita tamen ab ambitione noctes atq; dies stimulabatur, ut non conquiesceret tantisper, dum magister crearetur. Ecce autem tibi, cùm theses quasdam pro ejus scholæ consuetudine publicè defendendas, paucis ante publicum magisterii actum diebus, suscepisset, insciti am suam fœdissimè prodidit, sic quidem, ut vel inconvenientia responderet, vel prorsus obmutesceret, atque adeo asinus ad lyram esset. Quemadmodum verò eos plerunque acrius persequi solemus, qui turpem fugam accipiunt: ita hic quoq; *Michael*, quò se turpius

turpius dabat, eò plures atque adeo inclementiores adversarios sensit. Unde miser ille tantas in angustias conjiciebatur, ut caligas non tantùm permingeret, sed pulpitum etiam, in quo consistebat, ita madefaceret, ut lotium ipsam in scholam perflueret, atque adeo ad collegas ipsius derivaretur, qui miseruna hunc tantum non risa syncrusio enecarunt.

——— Pro dii, nunc nomina tantùm
Magnifica, & claros titulos sibi quilibet optat,
Arrogat, affectat, sequitur, rapit, ut meritò jam
Et se asinus pardum vocet, & formica leonem,
Quis non vult sapiens, generosus justus haberi,
Et probus & doctus contentus cortice solo,
Atq; umbris rerum, ut tali velamine mores
Occultat infandos? Ius est de nomine, non re.

Palingenius in Virgine, *pag. (mihi)* 127.

Tibullus lib. 1. Eleg. 4.

Parce puer quæso, ne turpis fabula fiam,
Cùm mea videbunt vana magisteria.

Jam diis proximos sese ducunt, quoties religiosè magistri nostri salutantur, in quo quidem nomine tale quiddam subesse putant, quale est apud Judæos τετραγράμματον. Itaque nefas ajunt esse MAGISTER NOSTER secus quam majusculis literis scribere. Quod si quis præposterè Noster Magister dixerit, is semel omnem Theologici nominis pervertit majestatem. *Erasmus in Moria.*

DCLXXXIX. De *Euricio Cordo.*

VENIT *Euricius Cordus* aliquando in molam quandam. Hîc cùm porcum admodum pinguẽ atq; obesum conspicaretur: Utinam, inqt, omnes mei pulices hujusmodi essent! Optabat nimirũ totidem tamq; obesos porcos, quot alioqui pulices suo in cubili alebat, sibi esse. Verùm hoc suũ votum mox cùm reprehendit, tum etiam correxit, inquiens. Vah stul-

tum votum, mihiq́ue haud dubiè peſtem exitiumq; allaturum, ſi eo quidem potiri me contingeret! Etenim ſi tales pulices haberem, me quidem miſeris modis, meo ipſius in lecto, & dilaniaturi, & pedibus protrituri ſunt. Cùm igitur ea non parum quidem ſæpe non optemus tantùm, ſed etiam à DEO petamus, quæ parum nobis conducant, ſatius mehercule eſt ea nobis denegari, quàm concedi. Id quod Plato quoque homo a noſtra religione alienus intellexit, inquiens: *Iuppiter Rex, optima nobis & volentibus & non volentibus tribue: mala autem poſcentibus quoque abeſſe jube.* Iſraelitis certè conducibilius fuerat non exaudiri à Domino quàm cum carnibus ejus indignationem vorare. Præclarè igitur Vives in introductione ad ſapientiam: Nos pueri (wir Narren) & meliorum rerum inſcii, quæ damnoſiſſima ſunt, deflemus non dari tanquam utiliſſima: quæ utiliſſima, horremus, ceu impensè damnoſa, ut nihil ſit nobis ſæpenumero peſtilentius, quàm fieri nos votorum noſtrorum compotes.

DCXC. *De eodem.*

SCiolus quidam orationem quandam, qua ſomni laudes decantabat, compoſuerat. Hæc quidem ita philauto huic placebat, ut penitus in animum induceret eam memoriæ poſteritatiq́; commendare. Ne verò docti alicujus viri calculo non approbaretur, *Euricium hunc Cordum* accedebat, magnopereq́; rogabat, uti ſuo quodam elogio orationem hanc ſuam & ornaret & item commendabiliorem efficeret. Dat fidem *Euricius* facturũ ſe id ipſum, hac lege, ut prius orationem perlegat. Quid multa? evolvit hanc, ad extremumq́; hanc ei hederam appendit:

Tam bona laudati ſunt hic encomia ſomni,
Ut dormiturus, qui ſemel iſta legit.

Quo quidẽ carmine tametſi *Euricius* falsè ſomniatorem iſtum rideret, ſe tamen mirificè commendari putavit:

putavit: ideóque rationem istam suam hoc cum elogio typis describendam curavit.

DCXCI. *De Johanne Rhodo, & Lamberto quodam.*

QUum Rhodus hic medicinã in Academia Marpurgensi profiteretur, in pædagogéo hypodidascalum agebat Lambertus quidam monachus exiticius, homo non tam doctus, quàm arrogãs atque supercilioſus. Is individuus fere Comes Rhodo adhærebat, haud quidem, ut rei medicæ cognitionem aliquam ab eo hauriret, ſed ut cum ipſo perpotaret, eumque argento emungeret. Hic quidem Lambertus, ſtatim ut Rhodi ædes ingrediebatur, omnes cãtharos, qui vel ad feneſtram, vel in menſa, vel etiam in ſcamno collocati erant, diligenter inſpiciebat, & ſi vini quippiam in his reſidebat, id omne elambebat. Tulit hoc ipſum indigniſſimè Rhodus. Itaque guloſi hominis ingluviem tandem aliquando compeſcendam eſſe cenſuit. Ne multis. Vinũ colocyntide idq; genus aliis vehementiſſimè purgantibus diluit. Quare claudicans hic equus (ſic enim vulgò iſte appellabatur) eodem die Rhodum reviſens, pro ſuo more iterum cantharum inſpicit, cúmque vino illum repletũ eſſe videt, elambit. Unde non ita multò pòſt, tanta ventris tormenta patitur, ut pronus humi, ſeſe proſterneret, unguibus tellurem ſcalperet, atque adeo ſibi moriendum eſſe omninò putaret. Hac potione Rhodus effecit, ut ſuum deinceps vinum retineret, neque Lambertus iſte illud, ita ut facere conſueverat, elamberet, elamberet autem? immò ne pitiſaret aut deguſtaret quidem.

DCXCII. *De Theologis quibusdam, ineptis diſputationibus, jocus ex Moria Eraſmi.*

IPſa (ſtultitiam loquentem introducit) nuper interfui diſſertationi Theologicæ. Nam id facio frequen-

quenter. Ibi cum quispiam exigeret, quæ tandem esset divinarum litterarum autoritas, quæ juberet, hæreticos incendio vinci magis, quàm disputatione revinci, Senex quidam severus, &, vel supercilio teste, Theologus magno stomacho respondit, hanc legem tulisse Paulum Apostolum, qui dixerit: Hæreticum hominem pòst unam & alteram correptionem devita, cumque eadem verba identidem intonaret, & plerique demirarentur, quid accidisset homini, tandem explanavit, de vita tollendum hæreticum. Risere quidam, nec deerant tamen, quibus hoc commentum planè theologicum videretur. Cæterùm reclamantibus etiam nonnullis, successit τενέδιος, quod ajunt, συνηγόρος, tenedius patronus & autor irrefragabilis. Accipite rem inquit: Scriptum est: Maleficum ne patiaris vivere. Omnis hæreticus maleficus. Ergò. Mirati, quotquot aderant, hominis ingenium, & in eā sententiam itum est pedibus & quidem peronatis. Neque cuiquam venit in mentem, legem eam ad sacrilegos, & incantatores & magos attinere, quod Hebræi sua lingua vocant *Menasthaphim* Alioqui fornicationem & ebrietatē capite puniri oportuit. Verùm hæc stultè persequor tam innumera, ut neq; Chrysippi, nec Didymi voluminibus omnia comprehendi possint. Illud duntaxat admonitos volebam, cùm hæc divinis illis magistris licuerint, mihi quoque planè συχίνη θεολόγῳ par est dare veniam, si minus omnia ad amussim citavero.

DCXCIII. De M. Jacobo Huttero Eschvvegensi.

DUcebat hic à repurgata Euangelii doctrina quandam in uxorem. Quæ quidem cùm mirum in modum esset mordax, illíque identidem oblatraret, atque adeò imperium sibi quoddam in illum

lum sumeret, miseris modis aliquoties vapulavit. Cùm autem *Jacobus* aliquando concioni interesset, ibidemque audiret, cuivis homini certam atque adeò peculiarem crucem divinitus destinatam esse, *Jacobus* a concione *Dominum Clericum* pastorem adiit, eique infit: Pedibus equidem tuam in sententiam discessionem facio, asseveranterque affirmo, hominem quemque certam aliquam crucem manere. Nam & ego meam domi habeo, quæ ita interdum mihi molesta est, ut penitus in eam commovear, atque adeò pedibus eam proteram, innuens, se uxoris mordacitatem & intemperiem calcibus nonnunquam retundere. Verum autem profectò est, eum demùm dura cruce premi, cui quidem morosa cerebrosaque uxor obvenit.

At crux (ajunt) ferenda est. Audio, sed non nostri arbitrii est, ut ipsi nobis crucem deligamus, sed à Deo nostris humeris impositam patienter ferre debemus. Neque in quærenda cruce multo studio opus erit, quando singuli in sua vocatione invenient, in quo fidem & patientiam suam exerceant. Habet ecclesiæ ministerium suas curas, labores, pericula, dolorem ex scandalis, & infinita alia adversa. Habet reipublicæ gubernatio onus suum, cui nullæ humanæ vires sufficerint, nisi gratia *Dei* in illa constitutos suffulciat. Vidit hoc olim Rex quidam, cujus nomen æterna certè memoria dignum temporum injuria intercidit, qui cum traditum sibi diadema diu considerasset, dixit: O nobilem magis, quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinib⁹ & periculis, & miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet. Insunt item conjugio suæ molestiæ, quas peccatum invexit. Habent divitiæ sua incommoda. Ita paupertas, servitus, nullũ denique vitæ genus est,

cui

BIBLIOTHEK
MUSEUM FÜR
VOLKSKUNDE, WIEN

cui non ſuam crucem DEUS conjunxerit. Quid ergo opus eſt ſuperſtitionib⁹ ſuper vacaneis novas cruces nobis accerſere? Quin potius officium ſuum ſinguli faciant,&,quæ huic conjuncta ſunt mala, patienter ferant,humilientur itē ſub potenti manu Dei, & carni laſcivienti libidinis fomenta ſubducāt. Hæc agendo plus proficient,quàm ſi frigidis geſticulationibus DEI iram placare conamur. *D. Rodolph. Gualther. in Micheam* pag.213.fac.1.

DCXCIV. *De Johanne Oldendorpio & Dionyſio* Melandro.

ILLuſtriſſimi Cattorum Principis Vicarius *Juſtus à Raun, Johanni Oldendorpio Jureconſulto* certi negocii cauſa Caſſellis tum quidem agenti,cœnam dabat. Hic cum fortè fortuna in baſiliſci mentionem incideret,eumque ex ovo galli gallinacei naſci plerique affirmarent,Vicarius tale ovum depromit. Id ſinguli etiam atque etiam contemplantur, & manibus excipiunt. Cæterùm cùm *Oldendorpio* quoque præberetur,ovum ille omnino reſpuit,naſitergio illud, quantum omnino potuit,à ſe removens atque devolvens: manu enim contrectare iſtud verebatur, quod diceret eſſe longè venenatiſſimum. Ecce tibi ſtatim pòſt naſitergio iſto,quo ovum hoc & attrectarat,& à ſe removerat,cum os,tum verò etiam nares abſtergit. Tum verò *Dionyſius Melander* Avus meus, qui eidem cœnæ intererat,converſus ad *Oldendorpiū* inſit: Apparet *Domine Doctor*,tuam prudentiam ſingularem atque adeo mirificam eſſe, cùm ovum iſtud manu attingere veritus,ſtrophiolo abs te removeas, quo tamen eodem nunc & os, & nares abſterſiſti. Hunc illius jocum incredibilis omnium eſt riſus conſecutus.

DCXCV. De *Magiſtro quodam.*

WIttembergæ Magiſter quidam, (quod ſuo ibi tempore accidiſſe retulit mihi parens meus) puel-

puellam quampiam miserè deperibat, sic quidem, ut nihil eorum quicquam prætermitteret, quæ ad illam sibi demerendam momentum aliquod afferre posse arbitraretur. Puella autem, tametsi argento egregiè illum emungeret, séque redamare ipsum pulcrè simularet, eum tamen tāquam ex sublimi despiciebat, atque adeo adunco naso suspendebat. Quare cùm ipsius ineptiarū, ambitus, circumcursationisque pertæsa tandem aliquando esset, famulæ suæ inquit: Ego verò cum nemine omnium, quos terra sustinet, juvenum minus copulari cupio, quàm cum isto asino. Quod si ergo tu ipsi nubere gestis, equidem efficiam, ut commodè hoc ipsum fiat. Ancilla annuit, seque gratam adversus puellam hanc fore pollicetur, istud quidem si perficiat, puella ergo sic famulam instruit. Redibit hac meridie lascivus ille taurus, tum ego illi spem mei hac nocte potiundæ injiciam. Fac igitur illum sub vesperam, mea persona assimulata, opperiare, advenientémque in thalamum mox tuum introducas. Tum ego parentes meos exsuscitabo, qui eum ad te in uxorem ducendam vel invitum cogant compellántque. Quid multis? placet consilium famulæ, quippe quæ Magistro huic, quàm cerdoni alicui nuptum dari mallet. Ipso meridie taurus petulcus redit. Jubetur sub vespertinum crepusculum adesse, si quidem amori dudum concupito indulgeve vellet. Adest. Hic ergo famula, quæ puellæ herilis vestibus pulcrè sese ornarat, eum mox silentióque in cubiculum suum introducit, ac vestibus ocyus abjectis in lectum se componit. Idem miser ille non minori celeritate peragit. Quamobrem cùm ambo se jam nudi complecterentur, puella patrem expergefacit, é somnóque excitat. Is vicinorum quorundam auxilio implorato, thalami fores effringit, lascivumque istum cogit, ut famulæ isti suæ fidem matrimonii daret: Ita miser hic, qui se cum filia concumbere puta-

putabat, cùm famula coibat, eámque non modò indotatã, verùm ẽt admodũ deformem, & quod caput est, parũ pudicã, in matrimonio retinere fuit coact⁹. Fuit is parenti meo familiariter notus: at verò nomẽ ejus cum ob eam amicitiã, q̃ cum patre ipsi meo intercessit, tum etiã q̃ in Poëtã postea non inelegantẽ atq; incelebrẽ evaserit, nomen illi⁹ silentio involvo. Discant hinc adolescentes puellarũ singularẽ astutiã atq; perfidiã, ac, cùm se ipsas decepturos esse putant, videant, ne ipsi ab illis circũveniantur. Huic quidem herclè Magistro barba egregiè circumtonsa fuit, ut vulgi prorsus fabula fieret. Atq;, cùm ꝓpetuò id daret operã, ut æqualibus suis antecelleret, ac per ora virũ volitaret, ideóq; hoc carmẽ symboli loco usurparet:

At pulcrum est digito monstrari, & dicier hic est.

voto isto suo tandem aliquando est potitus.

Ovid. 2. amor. eleg. 16.

Verba puellarum foliis leviora caducis,
Irrita que, ut visum est, ventus & aura ferunt.

DCXCVI. De Guilielmo Rittero.

PRæfuit is ꝓ multos annos, ut accepimus, non sinẽ laude Eschvvegianæ Ecclesiæ, uxorẽq; VVestphalã admodũ & morosam, & sordidã avaramq; habuit. Hanc ille paschatos tẽpore cõpellavit, ut & sibi placẽtas, quẽ admodũ aliæ mulieres suis viris, ꝓ diei festi more pinseret. Tũ *VVestphala*. Faceré id quidẽ lubẽs, mi vir, inquit: At verò cũ semel atq; iterũ te raucũ esse factũ senserim, quando placẽtas vicinorũ nostrorũ in conviviis mãducasti, satius videtur lacte te quã hujusmodi placẽtis vesci: sicq; bono huic viro ꝓsuasit, placentarũ ipsũ comestione raucedinẽ cõtrahere, neq; erubuit vel ipsis paschalib. feriis lacte ipsũ pascere. *DCXCVII. De ejusdem uxore.*

HAbebat eadem hortum cerasis usque cõsitum: Unde, si cerasa feliciter provenirent, viginti florenos eoque ampliùs redigere poterat. Statim verò ut hæc matureſcebant, noctes atque dies hoc in

horto latitabat, diligenter advigilans, ne quæ furto sibi interverterentur. Aliquando aũt arborem satis sublimem circa crepusculum vespertinum conscendit, seque intra frondes occultat, futurum sperans, ut si humi viridíve in gramine non conspiceretur, fures ipsam abesse putantes, facilius in hortum inscenderent. Quid multa? Cùm ad horas duas vel tres arbori ita insedisset, perquam attenta, num quis fur accederet, ecce tibi somnus illam occupat atque complectitur. Itaque de arbore delapsa crinibus ramo implicatur, sic quidem, ut neque pedibus humũ contingere, neque manibus explicare capillos valeret. Cœpit igitur deũm atque hominum fidem implorare. Quem miserabilem ejulatum opilio quispiam non ita procul ab horto circa oves in excubiis agẽs cùm audiret, è vestigio accurrit, necem cuipiam intentari ratus, sicque suspendiosam, divinitúsque ob inexplebilem avaritiam punitam, atq; adeo perituram, ni commodum istic loci ovile suum habuisset, & liberat, & servat. Hoc autem Diogenes Cynicus minimè omnium fuisset facturus. Is enim, cum vidisset ex arbore quapiam pendere fœminas aliquot. Utinam, inquit, hujusmodi fructum & cæteræ tulissent arbores. *Erasm. in Apopht. pag. 128.*

DCIIC. De conscelerato quodam boni parentis filio.

ESchvvegię non inamœno Hessorum oppido, novi lanificum quendam, hominẽ pium atq; honestu, filiorũq; octo patrẽ. In his unus degenerare cœpit (rarũ quippe est Dei Opt. M. beneficiũ, ut filii ex equo omnes parentũ dicto audientes, ipsorũ vestigiis insistant, atq; adeò cũ virtute vivant, neq; unus aliquis degeneret & exorbitet) sic quidem, ut neque literis operam dare, neq; artem lanificã, aut aliam aliquam honestam addiscere animum suum induceret, sed mox à puero ocio sese ignaviæq; dederet, neque verò erubesceret quodcunq; flagitiũ temerariò

ausu

ausu designare. Qua ex re parentes ipsius incredibilem animi molestiam ac mœrorem accipientes, nihil ad summam diligentiam prætermittebant, quo ipsũ verbis verberibusque subinde pro re nata correptum ad officium faciendum compellerent. At optimi parentes oleum, quod est in proverbio, operamq; perdebant. Quoties enim nebulo iste insigne aliquod nefariumque facinus perpetrasset, toties ædes paternas non ingrediebatur, sed ultro citroq; circumcursitabat. Cæterùm quid fit? Cum stellio sua ista contumacia parentes tantùm non ad insaniam adegisset, eosque miserandum in modum exercuisset & excarnificasset, ad extremum Vierram ingreditur, ut hic scilicet cum aliis quibusdam pueris & adolescentibus aquis frigidis de more lavaretur. Etsi autem natandi peritissimus esset, evenit tamen, ut loco minimè profundo suffocaretur, sic quidem, ut nemini nõ liqueret, impium puerum justa divini numinis vindicta ad dandas pœnas rapi, ne optimos parentes majorem in luctum atque squalorem conjiceret. Hi nãque noctes atque dies à Deo Opt. Màx. precati fuerant, ut is quidem filium hunc suum degenerem & immorigerum morte deleret.

DCIC. *De alio quodam ejusdem farinæ filio.*

QUI Cassiliæ æditui munere in templo summo olim fungebatur *Jacobus Placius*, is quidem filiũ unicum profligatæ omnino mentis puerum habebat. Eum quippe omnes paternas correptiones pro nihilo prorsus putare minimè omnium pudebat. Ac quò asperiores illæ a patre adhibebãtur, eò is præfractior & contumacior quotidie evadebat, sic quide, ut deliberatum ei esse diceres contra publicam honestatem agere, in quolibet scelerum genere volutari, nihilque eorum prætermittere, quæ parenti stomachum facere, aut dolorem aliquem inurere posse videren-

derétur. Quid? quod puer vixdum annorũ quatuordecim de patre vino somnóq; sepulto è medio tollendo cogitationem susceperit, sibique minimè obscurum esse præ se tulerit, quanam corporis parte cor tot hominis situm sit, sub mammæ nimirum sinistra. Hic aliquoties ob designata atrocia scelera in fugam sese conjecit. Veritus igitur pater, ne non exteris in locis furta faceret, eum reversum in compedes compegit. In quibus cum annum unum atque alterum sine omni prorsus conscelerati ssimæ vitæ emẽdatione confeciſſet, ad extremum ante fores scholæ epilepsia correptus, miserabiliter nobis inspectantibus animam exhalavit, quibuscunque liberis documentum relinquens, ut parentes suos in honore habeant, debitamque illis obedientiam exhibeant, ni simili aut alio aliquo tragico horrendóque mortis genere interire atque extingui velint.

DCC. *De alio quodam ejusdem monetæ filio.*

PAstor quidam Thuringus, amissa uxore priore, alteram in matrimonium accipit, quæ cum sui, utpote decursa jam ætate hominis, rationem haberet, tum rem etiam familiarem ipsi administraret. Pessimè id habuit cum omnes ipsius liberos, tum uni verò cuipiam singulari atque incredibili dolori præter cæteros fuit. Atque hic quidem non ita multò pòst Eschwegiam ad sororiũ quendam suum proficiscebatur, ut apud hunc scilicet ea de re conquereretur. Cæterùm cùm sororius in ipsius honorem convivium quoddam adornaret, pastoris filio omnis propè sermo de parentis sui connubio erat, atque is quidem contumeliæ probrique plenissimus. Id quod plerisque omnibus convivis stomachum faciebat. Dissimulabant tamen. Quum autem vitilitigator iste biduo post vino sese ad ambas usque aures ingurgitasset, ac patrem indignissimis

modis ſuggillaſſet, conſcenſo equo ad ſuos reditum parat. Is verò impium hominem, juſto haud dubiè Domini judicio, in foſſam aquis pluvialibus repletam abjicit, ſic quidem, ut in ea nebulo ſubmerſus, impurâ animâ exhalaret, finéque optimo & honeſtiſſimo patri inſultandi tandem aliquando faceret.

322

DCCI. De Quirino Humpfio.

HUjus mater, defuncto marito priori, famulo ſuo admodum juveni nubit, ex eoque monſtrũ hoc hominis ſuſcipit. Quamobrem cum matris quidem poſtremus, parentis autem primogenitus filius eſſet, tenerrimè ipſum diligebant, ſic quidem, ut neque verbis neque verberibus eum corriperent, quicquid tandem deſignaret, ſed permitterent ipſum facere, quæcunque ipſius animo adlubeſcerent. Unde evenit, ut delicatulus hic quotidie in pejus proficiens & divini verbi præcones pro nihilo putaret, & ipſis itemque parentibus ſuis medium digitum oſtenderet. Nondum autem ſatis conſtitui, ipſumne hîc filium flagitiorum omnium vitiorumque Principem, an verò hujus parentes ſua indulgentia ipsũ corrumpentes incuſem. Nam pater quidem ipſius ſic aliquando à parente meo correptus, quod filium ſuum ad Catecheſeos exercitium non mitteret, in faciem ei dicere non erubuit. Si filius meus in templum non commeat, neceſſe haud habet ut inde remeet, poſteáque non ipſe modò, verùm etiam filius patri meo inimicus factus, in caput ipſius conjuravit. Verùm quid fit? Non ita multò poſt filius ab *Angelo Fulicano Ricoſaxenſis* Eccleſiæ paſtore paternis in ædibus molli brachio objurgatus, quod conciones propè nullas audiret, blandisque verbis admonitus, ut pietatem deinceps coleret, & paſtorem ſuũ obſervaret & revereretur, ſtomacho iracundiáque exardeſcens, colaphum ei non ſine horrendis exſecrationibus impegit. Quod conſpicatus pater

eum,

cum, ne pastorem penitus pugnis contunderet, ex hypocausto extrudit. Is igitur lapidibus in fenestras conjectis eas prorsus perforabat, fustéque deinceps arrepto, patris ad ipsum compescendum egredientis caput non tuber modò facit, verùm etiam usque quaque consauciat, ita quidem, ut necem ei allaturus fuerit, ni qui ex vicinis accurrissent, quadrupedemque compescuissent. Parens ergo meus his intellectis non ita multò pòst patrem ita affatus est: Si filium tuum in nostram disciplinam tradidisses, poterat a nobis discere quintum Decalogi præceptum. At verò cum id ipsum facere prætermiseris, minimè mirandum, quod isto te pacto bearit. Quid autem fit porrò? Anno vix uno atque altero interjecto, in Misenum montem proficiscitur carbones fossiles hinc deportaturus. Quamobrem cùm in reditu in colle, cui Eltmanshusium subjacet, in aurigas vinum sublimatum vehentes incideret, eo ita sese ingurgitat, ut in pagi istius cauponam deportatus, exsecrabilem animam exhalans instar pecudis occideret, parumque abesset, ni uxoris & filiorum habendam esse rationem duxissent, quin eum in locum abjectus fuisset, qui cadaveribus excoriandis desponsus est destinatusque. Humatus igitur in cœmiterium quidem fuit, sed in angulo propè murum, ac prætermissis omninò omnibus ceremoniis iis, quæ adhiberi alioqui assolent, quoties homines è religione Christiani sepultura afficiuntur. Hunc horrendum vitæ exitum Alastor hic naturæque monstrum sortitus est, qui neque DEUM, neque hujus ministros, neque suos deniq; parentes est reveritus, suóque exemplo comprobavit, verum esse, quod Poëta canit:

Et turpem vitam gravis occupat exitus & mors.

Et quod Henricus Mollerus Hessus alicubi canit:

Exitus est placidus placidis, & acerbus acerbis,
Vitaq; qualis erat, mors quoque talis erit.

DCCII. *De fure quodam.*

LOcuples quædam mulier, cùm unicum filium nimis indulgenter educasset, fur factus filius & ad crucem ductus, vidit matrem, cum qua ubi secretum petiisset colloquium, os præbens matri, nares matris dentibus avulsit, atque in humum exspuens alta voce dixit : *Sit hoc cives pretium materna educationis.*

Pontanus cap. 9. de liberalitate, citante Nicolao Hemmingio in Commentar. 2. Epist. Johan. pag. 282.

DCCIII. *De Consule quodam.*

HIstoriam ego hanc, puer adhuc, à fide dignissimis accepi hominibus. Susceperat quidam in quadam Germaniæ civitate pascēdorum suum provinciam. Hujus uxor cum media ferè æstate puellum enixa esset, consulem ejus oppidi rogandum sibi esse censuit, ut pro filio isto suo ad sacrum fontē fidejuberet, idq; his præcipuè de causis. Principiò q; liberalius se munusculum accepturum speraret, si consuli honorem hunc haberet, quam si alii cuipiā ex fece vulgi eum deferret. Deinde verò quòd speraret, se hoc pacto consulem ita demereri posse, ut perpetuum sibi hoc pascendi illic sues munus atque officium foret, neque ab alio quopiam extruderetur. Cæterùm quid fit? Communicat cum conjuge consilium : Cui & ipsi apprimè hoc placet. Proficiscitur igitur subulcus tandem aliquando ad Consulem, eumque per omnia sacra obtestatur, ut postridie pro suo filio ad sacrum fontem fidejubere dignetur. Cōsul autem, qui totus superbia fastuque turgeret, ad suique contumeliam vergere somniaret, si homini isti hoc officii prestaret, sibi integrum non esse respōdit, ut ipsius guatum ex sacro fonte susciperet. Interim

serim tamen tibi demonstrabo, inquit, qui has suscipiendi filii tui partes animo lubentissimo sit & susceptturus & subiturus. Ac is quidem, dixit, est Princeps noster. Ad illum igitur proficiscere, eúmque roga. Quid multa? Subulcus utpote homo simplex Consulis dicto est audiens. Itaque Princeps olfaciens subulcum ab alio quopiam instigatum istud à se petere, statim quidem dat fidem, se hoc illi officii præstiturum, interim tamen diligentissimè ex eo percõtatur, suáne sponte an verò alterius instinctu hunc honorem sibi deferret. Tum subulcus: Ego verò, Princeps illustrissimè, idemque compater mellitissimè, mea sponte nunquam fuissem ausus hanc tibi molestiam suscipiendi filii mei exhibere. Cæterùm cum à Consule nostro hoc multis precibus contenderem, neque ullus meis precibus locus relinqueretur, sed recta ab illo ad te rejicerer, putavi mihi Cõsulis nostri utpote hominis prudentis consilium minimè aspernandum esse. Isto igitur Consule nostro autore atque impulsore ad te confugi. Tum Princeps: Bene est mi compater. Faciam equidem, ne meæ hîc partes desiderentur. Quid fit? Postridie Princeps subulci istius filium suscipit. Ex templo autem egressus & compatrem istum suum, & complures ex nobilitate secum in diversorium publicum, ubi lautum apparandum prandium curaverat, assumit, ac omnes strenuè bibere pergræcarique jubet. Postridiè verò Consuli ad se accersito ait: Ego, quòd tu ocioſus non esses, heri subulci tui filium ex sacrosancto baptismatis fonte suscepi, ac in isto hospitio prandium curavi adornandum, quod constat florenis triginta. Hos tu ad unum omnes hospiti numerabis. Cæterùm cùm nullo adhuc compatrem meum munusculo affecerim, volo, ut eidem numeres thaleros quinquaginta. Nec mora Consulem mox præcipitem per fornicem agit, eidemque mox & cõ-

sulatum abrogat, & senatu ipsum movet. Digna me-herculè pœna est, qua optimus Princeps istius inhumanitatem corripiendam esse putavit. Profectò si Consul iste, quo nihil vel fingi superbius vel insolentius poterat, pro divitis alicujus filio ad sacrum fidejubere fonte debuisset, omni idipsum haud dubiè animi promptitudine facturus erat: at verò cùm à misero hoc pauperculoque rogaretur, ipsum repulit, ac enormi quadam audacia atque impudentia ad Principem rejecit. Digni sanè erant nebulones isti, qui hoc officii aliis rogati denegant, ut ex honesta piorum hominum societate excluſi, ad Sauromatas & inhumanos usque Getas & Turcas relegarentur. Idque non rarò fieri perniciosissimo admodum exemplo, magnaque cum bonorum offensione, ipsa experientia locupletissimè testatum facit. Reperias etiam, qui quidem licet omninò non recusent, quo minus rogati ab aliis pro filiolis ipsorum ad sacrum baptisma fidejubeant, attamen certè inviti admodũ hanc in sese provinciam recipiant. Quos pariter, ne impune ferrent hoc scelus, pœna aliqua iis condigna irrogata, Magistratus officii admonere sui, & in viam reducere debebat.

DCCIV. *De puerpera quadam.*

MUlier quædam aliquot dies in tantis pariendi laboribus & difficultatibus versabatur, ut & obstetrix, & cæteræ itemque mulierculæ, quæ ipsi aderant, animis omninò concidentes puerperæ isti simul cum fœtu pereundum esse persuasissimum sibi haberent. Cæterùm quid fit? Eo ipso momento, cùm nulla propè salutis spes miseræ isti ostenderetur, virgula planè divina quidam Scholasticus pauperculus, ad ejus ostium eleemosynæ impetrandæ causa, psalmum centesimum trigesimum modulatur. Itaque puerpera summa cum attentione, incredibilique

que animi devotione, auscultat: Cùmque scholasticus ad istum psalmi versiculum ordine cantando deductus jam esset; Etiâsi duret ad noctem usq;, &c illa novas vires acquirens reviviscit planè, ideóque exultans in spiritu matronas sibi præsentes ad implorationem divini numinis & hortatur, & ipsa itêque ardentissimas ad DEUM OPT. MAX: preces effundit. Non multò pòst hæ & puerperæ & reliquarum muliercularum preces exaudiuntur, sic ut mater salva atq; superstes maritum suum pulcra incolumique sobole parentem faceret. Ubi enim desinit auxilium humanum, ibi incipit auxilium divinum, ut præclarè *Philo* posteritati scriptum reliquit, *Dominus Gigas* 1. part. Postill. Concione illa, quàm die D. Gregorio sacro habuit.

DCCV. De *Institore quodam.*

NOvimus propolam quendam, qui præter lardum, butyrum, caseos, haleces, salpas, & cætera omnis quoque generis adipem axungiasque divendebat. Hujus in tabernam canis quidam cùm clam sese insinuabat, tum incredibilem etiam olei vim avidissimè deglutiebat. Institor igitur commodùm superveniens & totus excandescit, & fustem illico arripit, sicque canem istum affatur: Cùm non parvam mihi noxiam feceris, equidem hoc te fuste tantisper dedolavero, dum damnum istud mihi præstiteris: Germaniee? **Sie laß sehen / das will ich dir redtlich abnehmen.** Quid autem fit? Canis periculum suum præsentiens per patulam quandam fenestellam subducere sese parabat. At verò cum hæc angustior esset, quàm ut elabi hac posset, miserè hic cũ hæret, tum etiam à capulo isto cæditur. Ecce autem tibi cũ hunc ad modũ aliquãtisper & pependisset, & graves voracitatis istiꝰ suæ pœnas persolvisset, omnẽ istam pinguedinem non ita pridem exhaustam, institoris

toris istius in faciem per posteriora exonerat. Itaque propola hic, cui & oculi, & os, & nares istiusmodi unguento jam obstructæ essent, canè missum facere cogebatur. Ac iniquum sanè fuisset miserum istum amplius verberare, cùm omnem istam adipem erjam cùm fœnore recuperasset. Sic igitur institor iste animum suum explevit, cum nihil tam in votis haberet, quàm ut canem isto oleo & pinguedine emungeret, **wolt dem Hund das geschlungen Saalfett mit gewalt widerumb abnehmen.**

DCCVI. De Petro Pagano, & Petro Nigidio.

EXorta fuit olim inter hos duos genio indulgentes suo disceptatio, uter ipsorum plures versus panxisset, **welcher vnter jhnen die meisten Verse gemacht hette.** Etsi verò *Nigidius Paganum* ætate longè antecedebat, convivæ tamen plerique omnes eum *Pagano* hac quidem in re postponebant: idque propterea maximè, quòd multa *Pagani* poëmata exstare exploratum haberent, cùm è contrario *Nigidii* vix unum & item alterum epigramma legissent. Quid mula? *Nigidius* constanter in hac sua sententia perstans, paratum se esse affirmat, & thalerum deponere, & testatum facere, quòd plures fecerit versus, quàm ipse *Paganus*. Non abnuit hanc conditionem *Paganus*. Deponitur dicta pecunia. Itaque *Nigidius*: Negare non potestis, inquit, nos vernaculo sermone hac in controversia usos esse. In quo quidem certè *Versus* vox est æquivoca, quæ partim carmen, partim etiam calcem pedum significat. Ajo igitur, *Petre*, me plures te versus, hoc est pedum calces effeciisse. Sunt enim mihi filiæ quatuor filiique tres, quorũ singuli duos seu versus seu pedũ calces habent. Hujusmodi ergo versum cum tu quidem adhuc nullum composueris, quin equidem vicerim negari non potest. Nec mora depositum mox tollit.

Quo

Quo illius joco & reliqui convivæ, & ipse item *Paganus*, non mediocriter exhilarati fuerunt.

DCCVII. *De Casparo Rodolphi.*

AGebatur olim Marpurgi Comœdia, cui *Casparus* hic una cùm reliquis professoribus spectator aderat. Cùm verò puellæ quædam impudentiùs accedentes humeris ipsius incumberent, totus exanduit, easque cum torvè aspexit, tum hoc etiam dicterio repulit: Si certum mihi foret saccos bajulare, molitori cuipiam meam operam locarem. **Wenn ich wolte Säcke tragen/wolte ich mich in eine Mühlen verdingen.** Quoniam autem mulieres apud Germanos contumeliosè sacci appellantur, impudentulæ istæ facilè olfecerunt, se notari atque perstringi, ideoque totæ rubore suffusæ, non sine incredibili universæ concionis risu, *Suevum* mox missum faciunt, domumque discedunt, indignissimè ferentes, istiusmodi se convicio publicè notatas percassasque esse. Verùm si domesticis se finibus tenuissent, istam ignominiæ maculam haud subiissent.

DCCIIX. *De eodem.*

PRæfecerat eum *Illustrissimus Hessorum Princeps* stipendiariis suis: sic autem vulgò appellantur studiosi illi, qui quidem Principis sumptibus istic literarum studiis dant operam. Dictu autem mehercule mirum, quantos sibi spiritus sumserit, quamque ferax evaserit, cùm in istas beluas imperium haberet: Omnem prorsus humanitatem exuebat, ita quidem, ut non hominis instar irascceretur, sed tanquam belua quædam planè fureret atque adeo sæviret. Vidisses illum aliquoties de lana caprina tantas turbas excitare, ac si cœlum terræ miscere vellet. Magna rabie in mancipia ista sua impetum faciebat, iis & barbas evellebat, & alapas infligebat, miseros cum in vincula conjiciebat, tum etiam ære multabat. Ac, ut paucis omnia dicam, ex insanis stultos faciebat.

Quod si quis de ejus ferocia ac intemperie apud ejus scholæ Rectorem conquereretur, eum deinceps *delicatum Martyrem* appellabat. Verum quidem est, eum severitate ista sua perfeciſſe, ut multi in egregios atque doctos viros evaserint. Interim tamen negari non potest, non pauciores miti ac liberali ingenio adolescentes severioris disciplinæ impatientes, litteris omnino nuncium remisiſſe, atq; adeo vel in militiam profugiſſe, vel certè aliud quoddam vitæ genus ingressos esse. Evenit autem, ut quidam ejus discipulorum ex militia aliquando reversus Marpurgum transiret. Hic cum fortefortuna publico ingressu in hunc Casparo Lonicero comitatum incideret, gladium medium exertum protulit cœpitque debacchari in Suevum, ac dicere: Heus Sueve, tu unus in causa es, cur desertis litterarum studiis in militiam profugerim. Tuas enim plagas, tuos colaphos diutiùs ferre non potui. Sodes igitur nunc manum mecum conſere. Ad hæc Casparus prorsus obmutuit, ac domum, quantum omninò potuit, properavit. Cum autem jam non procul ab ædibus suis abesſet, & non solùm sibi loco cavere, sed & mancipiorum suorum præsidio uti posſet, cœpit respectare, restitare, revirescere, atque magno clamore militem istum, qui nusquam jam apparebat, ad pugnam provocare. Tum Lonicerus: Facis meherculè, mi compater, proverbio isti fidem, Gallum in suo sterquilinio plurimum audere. Etenim cum hic procul adhuc abesſes, nihil erat te mitius, nihil magis trepidabat. Ad verò, qui huc nunc accesſisti, incipis cristas erigere, & pugnare velle. Tum Casparus: Tui equidem habendam esse mihi, mi compater, rationem existimavi, ne eodem mecum malo implicarêre, alioqui hercle brachium ei præcidiſſem: **Gevatter/ich hab ewer warlich geſchonet / ich wolte ſonſten dem Schelmen ein Flügel vom Leib gehawen haben.**

De

DCCIX. *De eodem.*

IDEM liberrimæ linguæ, atque adeo ad notandos homines admodum acidæ erat, ita quidem, ut iræ æstro percitus quidvis in quemvis dicere minimè sanè erubesceret. Evenit autem, ut leviculam ob rem publica in lectione maledicendissimis verbis in studiosum quendam invectus, diceret, ipsum patre quidem fure, matre autem prostibulo satum procreatumque esse. Id studiosus ægerrimè ferens, quippe cui summa injuria fieret, ac in quem nihil juris imperiive ille haberet, his verbis revellit. Mentiris Sueve. Ego enim honestissimis parentibus ortus sum. Dispeream igitur, ni te ad patinodiam adegero. Tum verò Suevus rubore suffusus planeque consternatus: Equidem, inquit, mi homo nihil quicquam de existimatione parentum tuorum detractum velim, **Ich meyne deine fromme Eltern nicht.** Quæ illius verba incredibile est, quanto cum risu sibiloq; excepta vulgo fuerint. Studiosus autem hisce minimè placatus, dicam illi scribit, ea re omni ad *Johannem Oldendorpium* ejus scholæ Reformatorem delata. Is Suevum acriter ob id increpatum semifatuum appellavit, atque adeo admonuit, ut temperaret sibi in posterum ab istiusmodi maledicentia, utpote Christianæ professionis litterarumque studiis ornato homine indigna. Etsi autem fidem ille dederit, imperata se facturum, ad ingenium tamen mox rediit, imò verò antiquum perpetuò retinuit. Itaque sæpe pasquilli loco valvis ipsius hæ sententiæ inscriptæ fuere: Lupus pilum non animum mutat, &item ὁ χοῖρος ἐπὶ σφ φύσις. Nihil enim cõmoto tam frequens in ore erat, quàm hoc convicium: Tu verò meretrici è podice es delapsus. Id in illustri quoq; atq; adeo nobili genere natos adolescentes ejaculabatur. Itaque ipsum DEO quàm simillimum esse per jocum dicebamus, quippe apud quem nullus esset personarum respectus.

DEO.

DCCX. *De Johanne Frisio Tygurino.*

NOn patiebatur JOHANNES FRISIUS æquo animo aliquem, qui harmonia secum caneret, voces istas musiculas crepantem, sed volebat omnino textum subjici. Itaque aliquando cuidam expressius voces hujusmodi pronuncianti dixit: Quin tu verba, nostrum exemplum secutus, subjicis? Tum ille: Id equidem præstare haud possum. Tum Frisius: Quid igitur hominis es, qui orationem dominicam ignores? Eam quippe cantionem tum quidem canebant.

DCCXI. De *eodem.*

COenabat idem aliquando cum rustico quodam concionatore. Is quòd olim usus præceptore illo esset, dubiam ipsi saliarémve in modum instructam cœnam dabat. Cum autem modum in apponendis ferculis excederet, inter aliaque embamma quoque condimentúmve apponeret. Tùm Frisius luxum illius perstringens: hæc, inquit, hercle conditio tua, mea longè est melior, innuens jusculum illud atque adeo condimentum, quo vescebatur. Nam alioqui certè quod salarii ipsius amplitudinem attinebat, multum sanè eo pastorem hunc antecedebat.

DCCXII. De *eodem.*

ERat idem musices perquàm amans atque studiosus. Quod cum Gallo cuidam, qui istic litterarum studiis operam dabat, innotuisset, Frisium aliquoties domi suæ quærebat, harmonia cum eo cantaturus, in quo quidem incredibile est, quantopere hicce sibi gallus placuerit. Quid quæris? Tandem aliquando *Frisium* domi offendit, eumque sic alloquitur: Sæpe equidem numero *Frisi* te domi quæsivi, gestiens harmonia tecum canere. Quanta autem molestia affectus sum, cùm te abesse sensi, tanta nunc lætitia perfundor, cum domi nunc sis tuæ. Quare, si placet musicabimur. Tum *Frisius*. Ergône canis. Hic

ille

ille. Etiam domine, & quidem artificiosissimè. Rursus *Frisius*: putavi equidem Gallum te esse, quod genus avium in delitiis haberi consuevi: At verò impurum animal cum sis, angulasq; findas, apagesis canis meis continuò ex ædibus cum tuo isto latratu, aut fuste ego hinc te exegero.

DCCXII. De opilione quodam.

OPilio quispiam ille quidem litterarum ignarus, sed tamen & emunctæ naris, & festivi admodum ingenii homo, compotatoribus quibusdam suis, hanc enodandam quæstionem proponebat, quænam musica reliquis omnibus præstaret. Cum autem hic triturationis, qua fruges excutiuntur, sonum omnium suavissimum esse, hic harmoniam musicam maximè excellere, & alius aliud responderent: Ego verò, inquit opilio, musicam illam, cum ranæ ῥητορεύουσι sive rhetoricantur, wann die Rälinge singen / omnium gratissimam suavissimamque esse arbitror. Hæc quippe, & hyemem nunc desiisse, & futurum posthac, ut oves gramina viridesque herbas in pratis tondeant deglubantque, atque inde pabulum sibi acquirant, & verissimum exhibet argumentum, & spem minimè dubiam injicit. Qua ratione audita, reliqui pedibus ipsius in sententiam discessionem fecerunt.

DCCXIII. De impio quodam molitore.

GRebendorphii Hessorum, molitor quidam ætatem egit nomine *Nicolaus* Wenig. Is quidem primis ætatis suæ annis Leberide, quod est in proverbio, nudior fuit, ut cognomentum hac quidem in parte fortunæ ipsius pulcrè per omnia que responderit. Tum quoque modestum eum, à pietateq; minimè alienum fuisse accepimus. Postea verò quum opibus augeri circumfluereque cœpit, spiritus illico sumsit cristasque erexit, atque adeo quovis ferè tempore quam

quam ex alto despexit: cumprimis verò verbi divini ministris multùm molestus fuit, implacabili eos quodam odio prosecutus. Neque verò suum istud adversus Christi servos odium planè Vatinianum dissimulavit, sed apertissimè tulit, quod clavam prægrandem ferro munitam & confirmatam circumferret, eaque se condocefacturum Pfaffos diceret, ut homines delitiari voluptuarii bacchanaliaq; vivere permitterent. Cum hic nebulo isto pacto insultaret, & nunquam non Æacidinas minas spiraret, justissimi vindicis judicio evenit, ut à rota molæ interiori, vino aliquando confectus, corriperetur. Ea quidem indomitum hunc taurum ita contudit, ut salutis ipsius spes propè nulla ostenderetur. Alterum enim crus ac costæ pleræque omnes perfractæ ipsi fuerant. Certè, qui hominem conspicati tum sunt, affirmant, multos se vidisse rotæ supplicio affici, quibus cum non multò mitius, quàm cum hoc homine, actum fuerit. Visum tamen est DEO Opt. Max. vitam ipsi prorogare, ut alii haud dubiè ex ipso exemplum caperent, desinerentque divinorum mysteriorum dispensatores vexare. Hic certè scurra omnes opes in mola corrasas medicis dare, molamque divendere, atq; adeo victum ad extremum ostiatim mendicando quærere fuit coactus. Ipse certè non parum quidem sæpè vidi eum miserè lumbos trahentem claudicantemque, & perquàm flebiliter panem propter Deum petentem. Quoties autem ipsum conspiciebam, toties mihi in mentem veniebat: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Utinam verò agnovisset, justas se impietatis suæ pœnas dedisse, ac proverbii loco usurpasset illud: *Sicut Leo contrivit ossa mea*, & item *Michææ* istud: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.*

E DCCXV. *De conscelerato quodam senatore.*

ERat in mercatoria quadam Germaniæ urbe concionator

cionator quidam, ut decursa jam ætate, ita etiam eximia eruditione atque adeo antiqua fide virtuteque homo. Is quidem cum in enormia quædam atrociaque frequentissimæ istius urbis peccata (quemadmodum enim in majoribus fluminibus pisces grandiores reperiuntur: ita etiam in populosioribus urbibus atrociora ferè flagitia quotidie designantur) liberè fortiterque insectaretur, accidit, ut quidam de Reip. istius primoribus, se telo Spiritus S. percussum sentiens, id implacatissimè ægerrimeque ferret. Quamobrem cum Ecclesiastes hyberno tempore ad lucernam concionari constituisset, iste pulcherrimam sibi ulciscendi occasionem datam ratus, suggestum ex insidiis pulvere tormentario conspergit, spem minimè dubiam concipiens, futurum, ut si pastor de more suo candelam emungeret, sibi ipsi malum creet, miserèque comburatur. Ac factum id quidem fuisset, ni ædituus divinitus haud dubiè in hanc mentem impulsus suggestum ante verticulo probè probeque repurgasset, tormentariumque pulverem cùm pulvisculo, quod est in proverbio sustulisset. D. *Gigas in postill.*

DCCXV. De pastore quodam indignissimis modis tractato à suo nobili. 330

EQuidem à fide dignis hominibus accepi, Nobilem quempiam, cujus nomen silentio obruam, pastorem suum aliquot annis summo in honore atque precio habuisse, eumque incredibili amore atq; benevolentia fuisse complexum, atq; adeo multa egregia beneficia in ipsum cõtulisse, ac pastorem contrà nobilem suum ita & amasse, & coluisse, & observasse, & suspexisse, ut supra haud potuerit: hosq; duos usque adeo fuisse inter se conjunctos, nihil ut ipsis conjunctius fieri potuerit, nemoq; omnium putaverit, futurum unquam, ut dissidium aliquod inter ipsos existeret, illique mutuas inimicitias susciperent

aut

âut exercerent. Cum *Nobilis* enim pastori crebro & prandium cœnamque præbebat, & ipsum in suorum compatrum numerum cooptatũ, & eum deniq; frequenter domi suæ invisebat, suo unà cum ipso genio indulgens: tum pastor etiam nobili hunc honorem deferebat, ut ipse suum quendam gnatum ex sacro baptismatis fonte lavaret, & ipsi omnia obsequiorum genera præstabat, atque adeo, quibuscunque modis poterat, ei gratificabatur. Dies certe vix aut ne vix quidem abibat, quin illi unà essent, suavissimos sermones mutuum conferentes, atque adeo poculis invicem certantes. Cæterùm pacis illeconcordiæque inimicus & interturbator *Satanas*, sibi tandem aliquando faciendum putavit, ut dissidium aliquod inter eos excitaret, ipsosque divelleret. Cujus quidem voti miser hoc pacto ad extremum compos evasit. Pastor à nobili invitatus, ut vini mensuram unam atque alteram secum hauriret, cœpit nobilem, vino jam incalescens, ad ravim usque de frigido lepusculo sibi apponendo, interpellare. Etsi verò nobilis leporem in promtu jam non esse sanctè conceptisque verbis affirmaret peteretque, ut ea, quæ apposita essent, æqui bonique faceret: ille tamen hoc ipsius responso minimè flexus, ut ab impudenti postulato hoc suo desisteret, nobilem subinde sollicitat urgetque, ut lepusculum apponendum curaret, dicitans: Nobilissime Domine compater lepusculus frigidus convivium hoc nostrum admodum sit ornaturus, ecquando is tandem apportabitur? Nobilis igitur toties tamque impudenter ab isto interpellatus, cœpit ira ad extremum stomachoque exardescere: ideoque titione ex igni arrepto (ad focum potabant, quòd autumnus præ foribus esset) Dasiphagum cædit contunditque, ita ut epilepsia ille continuò corriperetur. Inter verberandum autem has voces eructabat. Vescere pane & caseo, *Psaffe*, an ego tibi ea appo-

apponam, quæ mihi haud ſuppetunt ? An meam tu unquam benignitatem in te claudier ſenſiſti ? Paſtor ad necem uſque verberatus, à ſervulis non ita multò pòſt domum deportatur, ubi ita cum epilepſia conflictatur, ut vitæ ipſius ſpes propè nulla oſtenderetur. Itaque nobilis cum nihil eorum, quæ ad confirmandum ipſum momentum aliquod afferre videbantur, prætermittit, tum verò mox moxque in gratiam cum eo redit, incredibili facinoris hujus pœnitudine ductus, perinde ut *Alexander Clyto* inter ſcyphos contrucidato. Re ad Principem delata, Nobilis, quòd & hoſpiti, & compatri, & paſtori ſuo inter ſcyphos ſuisq; ipſius in ædibus manus attuliſſet, aureis centum mulctatur.

DCCXVII. De Nobili quodam Brunſuicenſi.

EX Nobilitate Brunſuicenſi quidam à paſtore ſuo ob incredibilem ſtuprandi petulantiam, immoderatam helluandi intemperantiam, aliaq; inſignia flagitia pro publica concione correptus, cœpit hunc animæ ſuæ curatorem Vatiniano quodam odio perſequi, atque adeo tota mente hanc cogitationem complecti, quemadmodum ipſum non tam loco deturbaret, quàm verberibus ad necem uſque mulctaret. Ne verò voto hoc ſuo non potiretur, eum ad prandium ſaliarem in modum inſtructum vocat, ſubinde illi & cibum delicatiorem apponens & præbibens, & eum denique, ut frontem explicaret, etiam atque etiam admonens, ita quidem, ut vir optimus ne minimo quidem ſuſpicionis odore ſentiret, nobilem infeſtum ſibi eſſe, ac malum aliquod creare, ſed perſuaſiſſimum omninò haberet, ſe in permagna gratia apud eum eſſe, ſingularique quodam ipſius amore diligi. Menſa verò remota Nobilis hydraulem quempiam (habebat hunc in opilionibus ſuis) accerſi, eumque modulos ad choreas ducendas fa-

cere jubet. Advolat huc universa ferè familia,& cùm nobilis ipse, tùm cæteri etiam convivæ saltant, uno pastore excepto. Quamobrem ne is solus ἀσύμβολος esset,nobilis famulam quandam suam,qua cùm stupri consuetudinem habere insimulabatur,producens,à pastore petit,ut cum ipsa illa saltitet. Hoc facere ille abnuit. Instat nobilis, ut morem sibi gerat. Itaque pastor uxoris suæ precibus expugnatus, dicto illi ad extremum est audiens, ac cum scortillo saltat. Nobilis sibi ansam excitandę alicujus tragœdiæ hoc pacto præcisam videns, aliam mox viam excogitat. Itaq; chirurgo accersito,cum suam barbam resecandam curat, tùm etiam jubet, ut singulorum barbæ resecentur. Annuunt ad unum omnes (erant enim de fece vulgi, aut de rusticorum ipsius grege) præter pastorem, qui idipsum omnibus modis abnuebat, nullum neq; conjugis suæ precibus, quæ malum inde aliquod oriturum prospiciebat,neque nobilis impudenti postulato locum relinquens. Proinde ille iracundia planè furens presbyterum ex ædibus suis facere jubet,dictitans:

Pastor vade foras, aut moribus utere nostris.

Interea verò dum ille parat abitum, *Nobilis* arrepto venabulo: Venit mihi nunc in mentem, Pfaffe, inquit, concionis cujusdam tuæ, qua me superioribus mensibus insectatus es. Dispeream ego,ni probè te nunc ego venabulo hoc dedolem. Nec mora, ita eum verberat, ut ille cum claudus, tum etiam epilepticus efficeretur, ac semimortuus domum deportaretur. Nunquam verò exinde pastor,quem loco insuper deturbabat, planè sese confirmavit, sed per totam fere vitam cum nonnihil distortum os salivaque identidem manans habuit, tum verò lumbos miserrimè traxit claudicavitq;. Nobilis tanquam re præclarè gesta, atq; adeo Samsone aliquo confecto, passim de eo gloriatus est. Cæterum justi judicis manus

minimè

minimè effugere potuit. Etenim triennio ferè pòst, cum paucis diebus antè pro sua insigni & commemorabili erga ministerium pietate, jus patronatus ecclesiæ istius cuidam porci castratori Duterstatensi vendidisset, apoplexia correptus, similiter atq; pastor ille, & distortum os, quod saliva identidem fluebat, habuit, & lumbos itemque fœdè trahendo turpiter claudicavit. Omnes autem ejus loci incolæ palam dictitabant, divinitus ipsum ita punitum esse, propterea quòd pastorem suum hominem non solùm eximię eruditionis, verùm etiam inculpatæ vitæ tam indignis modis accepisset.

Dissident, inquit Plinius, olores & aquilæ. Ita rarò bene convenit præconibus veritatis, & quibusdam potentibus in hoc mundo. Est enim (ut rectè *Augustinus* pronunciavit) *Veritas* dulcis & amara. Dulcis quidem iis de quibus dicitur, sed justificata est sapientia à filiis suis. Amara autem iis, qui formam pietatis habentes, vim ejus abnegant. *D. Johannes Jacobus Grynæus 2. part. Theorem. at. pag. 75.*

DCCXIIX. *De Christophoro Heroldo Molitore Pagano.*

ANnis abhinc quadraginta *Honæ Hessorum* verbi divini prœconem egit quidam *Christophorus Tilesius*, ille quidem non usque adeò doctus, sed qui & biblia, quæ legendo propè contriverat, quàm notissima haberet, & concionandi itemq; gratia multum valeret. Ei erat cognatus quidam *Christophorus Heroldus* (molitorem hunc cis pontinum vulgò appellabant) Dei & hominum irrisor, sic quidem, ut si quędam *μετεμψίχωσις* esset, ego *Lusitani* animam in eum trãsmigrasse omni mehercule asseveratione affirmaverim. Hic igitur *Momus* quoties vel interdiu, vel nocte concubia, vino cereviśiáve confectus, pastoris istius avunculi sui ædes præteriret, toties ipsum

petulanti ſua lingua impetebat, ludibriiſque cauſa hunc ad modum conſalutabat: *Salvus ſis recalvaſter Avuncule, quid rerum geris? Præcor tibi felicem noctem cognate Calve? In utramvisne aurem dormis.* Has & id genus alias voces evomebat, tantiſperque repetebat, dum ei à paſtore reſponderetur Qui quidem tametſi ipſum aliquoties & objurgaſſet & obſecraſſet, utne vino cereviſiáve madidus iſtiuſmodi moleſtis odioſisque acclamationibus ſe lectioni precibusque vacantem interturbaret, hoc ipſum tamen ab illo impetrare non potuit. Etenim quò majorem ea ex re Paſtorem moleſtiam capere animadvertit, eò ille petulantior factus, nunquam non paſtori quàm inſolentiſſimè inſultavit. Cæterùm quid tandem accidit? Ille ſacroſancti miniſterii tum author, tum conſervator etiam, protector atque defenſor, qui nihil tam implacatè fert, quàm ſervorum ſuorum contemtum & exagitationem, hancque omnibus ſeculis exquiſitiſſimis ſuppliciis ultus eſt, tandem in Epicuri hunc de grege porcum, exemplum aliquod ſtatuendum cenſuit. Quamobrem cùm is inter ſcyphos pecuniæ vim ſatis grandem ludendo jam perdidiſſet, ſæpeq; numero inter aleandum dixiſſet, neutiquam ſe deprecari, quò minùs à Diabolo auferretur, ni colluſorum dolis atque fraudibus circumventibus, tantam argenti jacturam feciſſet. Tandem a nūmis probè exhauſtus, atque adeò Liberide nudior, quod eſt in proverbio, intempeſta nocte domum remeat, ad ædesque paſtoris delatus, conſuetas conſalutationes, quas paſtori unguem, quod ajunt, in ulcere eſſe norat, repetit, Stentoris inſtar vociferans, *fauſtam tibi noctem Calve avuncule*. Paſtor igitur, quem vix dum ſomnus occuparat, hujus petulantia intemperieque expergefactus iraque inflammatus: Tibi verò peſtem peſſimam peſſime reſpondit. Ille hoc reſponſo accepto domum pergit. Ecce autem tibi, vixdum

ex

expago passibus aliquot factis excesserat, advolant noctuæ duæ, ex regno tenebrarum haud dubiè divinitus emissæ. Quæ quidem in hunc impium & conscleratum scurram impetum faciunt, eum prosternunt contunduntque, rostris ipsi ac unguibus, cum barbam quam satis promissam habebat, tum etiam capillitium, quod perquàm ei densum erat, radicitus evellentes, tum verò maximè faciem ei totumque caput ita discerpentes, ut cum felibus certasse ipsum sacramento contendisses. Furcifer istam noctem sub dio inter incredibiles bubonum infernalium exagitationes, atque adeo mirificos cum animi tum corporis sui cruciatus confecit. Albicante deinceps die manibus pedibusque, instar canis, cui dorsum confractum est, miserandum in modum reptando domum se recipit, ubi ita depexus, glaberque factus, atque adeo dilaniatus, neque ab uxore, neque à liberis suis agnoscitur, qui & in ædes eum suas intromissuri haud erant, ni voce perquàm lamentabili se ipsum illum esse declarasset. Domum reversus aliquot menses decubuit satis cum periculo, nullaque prorsus salutis spe affulgente. Etsi verò ad extremum se confirmarit, per omnem tamen reliquam vitam non mento genisq;, verùm capite etiam glaber permansit, ita quidem, ut pistillo calvior videretur, documentoque omnibus illustri perpetuoque esset, neminem quemque divini verbi ministris impunè aut medium digitum ostendere, aut oppedere vel insultare.

DCCXIIX. De inepto quodam Concionatore.

SUB initium repurgatæ divinitus per *Martinum Lutherum Theologum Optimum Maximum* religionis, multis in locis quamvis indifferenter muneribus ecclesiasticis præficiebantur, quòd incredibilis tum quidem hominum doctorum atque orthodoxorum esset inopia. Evenit igitur, ut cuidam Suevo,

qui aliquot annos militiam sectatus fuerat, Ecclesiæ cura demandaretur. Habebat is gentilem in ea provincia, quam fortè fortuna transibat, hominem cum eruditione singulari præditum, tum magnæ etiam apud Principem authoritatis, cum obvium sibi factum orabat, ut se militiæ pertæsum Principi de meliore nota commendaret efficeretque, ut Ecclesiæ cuipiam præponeretur. Pastor ergo, cui exploratum esset, hominem non pœnitentes in optimarum artium studiis progressus feciſſe, eo præterea ingenio præditum esse, ut, si mediocrem adhibere diligentiam porrò vellet, in pastorem minimè aspernandum evadere posset, Principi eum diligenter commendat, efficitque, ut confestim functionem Ecclesiasticam in oppidulo quopiam nanciscatur. Non multò pòst autem Princeps eo in oppido pernoctavit, ideoque faciendum sibi censuit, ut hominem tantopere sibi commendatum postridiè concionantem audiret. Pastor autem, qui pridiè strenuè potarat, minus aptus & idoneus ad concionandum erat, sed subinde cum excreabat, tum tussiebat, tum etiam admodum raucus erat. Quid multis? aqua ipsi subinde hærebat, ita ut nemo non intelligeret, eum pridie aliquando prolixius bibisse, ac parum instructum ad istam quidem habendam concionem accessisse. Ille tamen ad extremum culpam non in pocula, sed in veneficas potius conferebat, inquiens: Ut te dii deæque omnes perdant, crediderim equidem veneficam quandam gutturi meo pellem felinam infascinasse, quod nullum nunc quidem verbum faciam, quod cum voluptate aliqua exaudiri queat, cum alioquin, ut nostis, non sim indisertus. Germanice sic: Daß dich botz Marter schände/ich halte/ es hab mir ein alte Zäuberinne einen Katzenbalck in die Gurgel gezaubert/daß ich nicht reden kan/ich kan ja sonsten wie jr wisset/leiden wol schwatzen/ atq; his dictis concionem

nem dimittit. Itaq; princeps hominem ex templo ad se accersitum graviter objurgat, quod rem tantam tàm negligenter feciſſet, addita comminatione, loco eum deturbatum iri, ni majore diligentia & religione in tanto munere deinceps verſaretur.

DCCXX. *De alio quodam ſupino atque oſcitanti paſtore.*

INvenire eſt paſtores quosdam, qui quidem apud imperitam multitudinem temere pro concione effutiant aut deblaterant, quicquid in buccam ipſis venerit. Perſuaſum nimirum ſibi habent *religioſi patres*, homines idiotas aut plebejos minime omnium intelligere, bene ne atque ratione officium ſuum faciant, an verò minus. At ſcire eos oportebat, & ruſticos ſenſu communi præditos eſſe, in iisq; non inveniri nullos, qui aeternum in pectore habeant, probeq; intelligant, paratus, nec ne ſuggeſtum conſcendas. Qua de re lubet hanc hiſtoriam ſubjicere. In quodam Sueviæ pago ſacris præfuit Presbyter quidam, ille quidem minime doctus, ſed poculis plus æquo addictus. Is feliciter admodum docebat, quoties præmeditatus concionabatur. At verò quoties veſperi ad ambas usque aures vino ingurgitatus poſtridie concionaretur, funem plane ex arena nectebat ac ſcopas omnino diſſolutas proferebat. Quod quidem cùm fieret, nemo tam obeſæ naris erat, quin illud ipſum olfaceret. Finita certe concione ruſtici de paſtoris ſui temulentia mutuas querimonias habebant atque dictitabant, Morycho ſtultior ſit oportet, qui non animadvertit, paſtorem noſtrum heri ita vino fuiſſe confectum, ut diſcere, quæ hodie doceret, minime omnium potuerit. Quoties enim hac hora hæſitavit, quoties impegit, tuſſit, obſtitit, ab omni tuſſi nunc quidem immunis? Quoties excreavit? quoties frontem feriit, horologium deniq; commovit? Nullum tota hac hora ſcripturæ pronunciatum aut ex-

emplum in medium attulit, sed stridenti prorsus stipula miserum carmen disperdidit, **hat arme vnd betrübte Arbeit gemacht.** Id quidem cum omnes uno ore dicerent, tum verò nemo propè quisquam erat, qui pastorem suum eo nomine compellare auderet præter senecionem quendam, opibus & autoritate plerosque omnes rusticos antecedentem. Is confirmabat, se cum pastore suo acturum, ut cõciones deinceps ingenio atque industria elaboratas haberet. Quamobrem cum pastor non ita multò pòst cõcionem extemporaneam, ac parum sibi constantẽ cohærentemque haberet, senecio eum publicè docentem interpellans, subinde exclamavit, *acue, acue*. Quia verò Concionator, quorsum hoc Veteratoris istius dictum pertineret, minimè omnium assequebatur, confestim peroravit, posteáque ex senecione quæsivit, ecquid hic ipsius toties ingeminatus sermo sibi vellet? Tum senecio, quoties mihi juvenilibus meis annis vel pratum aliquod detondendum, vel fruges demetendæ erant, inquit, toties falcem equidem meam etiam atq; etiam exacuebam, ac sentiebam tum quidem eum mihi laborem pulcrè feliciterque succedere. Cæterùm si quando poculis vesperi obrutus, falce retusa, postridiè rus concedebã, magna equidem cum molestia atque difficultate istum defalcandarum frugum & graminis laborem exhauriebam, sic quidem, ut subinde mihi aqua hæreret, egóque (ne te quid celem) omnem operam luderem. Eadem prorsus ratione tecum quoque agitur Pastor. Etenim instructus ad concionandum cũ prodis, nobis ex æquo omnibus satisfacis. Tum nemo est quisquam, quin te singulari cum voluptate atque emolumento sermocinantem audiat. Ac ipse fateare oportet, tibi tum concionem ad voluntatem ex sententiáque fluere. Quod si verò vesperi aliquãtò prolixius bibisti, tibique per pocula non licuit discere

scere aut meditari ea, nos quæ doceas, DEUM immortalem, quàm turpiter tum quidem te das? quoties insistis? quoties obmutescis? quoties tibubas & hallucinaris? quoties extra oleas vagaris, ac ut paucis finiam, meras nugas agis? Quapropter si cordi tibi est doctam habere concionem, unde cùm voluptatem tùm utilitatem etiam aliquam percipiamus, da operam, ut ipse etiam atque etiam sacris litteris invigilans, hinc inde conquiras, quæ in nostrũ sinum effundas. Non enim usque adeo stupidi sumus, ut discernere nequeamus, quæ conciones tuæ lucernam oleant, quævé hesternam crapulam resipiant. His quidem dictis senecio iste effecit, ut vino sese haud ingurgitaret, cum postridiè concionem habere teneretur, sed genium suum defraudaret, ac sũmo studio diligentiáque adhibita ea condisceret, quæ traditurus suæ fidei concreditis esset. Utinam boni hi viri, quorum, proh dolor! nimis magnus est numerus, recta via secum reputarent, Christum æquè concionibus iis, quæ ruri in consessu imperitæ multitudinis habentur, interesse, easque quàm diligentissimè auscultare: quàm iis, quæ in celeberrimis urbibus in corona doctissimorum & sapientissimorum hominum haberi consueverunt, næ tantam rem tàm negligenter haud agerent. Verùm cum hæc querela non sit hujus loci, calamũ sistemus, ubi antè adscripserimus, quid *præstãtissimus quidã Theologus* de extemporaneis istis concionibus sentiat. Ita verò scriptum reliquit in prolegomenis Rhetoricarum suarum præceptionum. Concionatores aliqui gloriantur, se ex manica concionem excutere. His stultitia & ignavia fustibus excutienda erat. *Demosthenes* dixit, se si posset, non modò scripta, sed etiam sculpta dicturum esse. Nam impudentem & improbum nebulonem esse, qui prodire ad dicendum ausit, re non diu anteà multúmque excogitata. Cicero

etiam in se de Legibus scribit, se nunquam nisi paratum ad dicendum accessisse. *Augustus* Imperator scribitur nusquam unquam locutus, nisi meditata & cõposita oratione. *Lampridius* scribit, *Alexandrum Severum Imperatorem* Jurisconsultis dedisse spacium de propositis negociis ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus.

DCCXXI. *De Sanseverino Principe.*

HÆC mihi commemoranti venit in mentẽ historia de *Sanseverino Principe* in regno Neapolitano. Is cùm ad montem Sinai proficisci vellet, incidit in *Idumæa* in equitatum *Arabum* latrunculorum, cumque nullum auxilium aut consilium nosset, descẽdens de equo, mox jussit apparari mensam, promi vasa, cibum & potum, & assidere reliquos ad mensam. Equitibus propius accedentibus per interpretem indicari jussit, videri illos sibi homines militares, se quoque esse militem, eaque de causa suscepisse hanc profectionem, ut, qualénam genus militiæ in terris illis esset, cognoscere posset: rogat prẽterea, ut de equis descendant, & secum prandeant. Equites isti admiratione humanitatis & virtutis capti morem gerunt *Sanseverino*, prandent, colloquũtur de rebus militaribus & formis stratagematum & bellorum. A prandio jubet *Princeps* promi munera, bombardas, gladios, & pocula, quæ inter eos distribuit, atque ita incolumis discedit. *Arabes* illi cũ majori turba revertuntur, & *Sanseverinum* captivum cũ suis abducunt, & in arce quadam honorificè & liberaliter excipiunt & tractant, ac post aliquot dies salvum & incolumẽ cum toto comitatu deducũt, præbentq; se defensores & monstratores viæ. Adeo verũ est illud Pindaricũ. *Virtus etiã apud hostes & barbaros in admiratione est. Selneccerus in* 32. *cap. Gen. pag.* 661.

DCCXXI. *De conscelerato quodam viduo.*

ANno 1582. evenit, ut N. N. *Vvanfrida* uxorem pesti-

pestilentiæ lue extinctam amitteret. Mensis autem vix aut ne vix quidem exierat, ecce tibi pius iste viduus, de alia quadam in uxorem ducenda cogitationem suscepit. Ac ambiit etiam ex opulentioribus unam & item alteram: Quibus quidem cum religio esset homini ei nubere, cujus ex animo omnis prioris conjugis memoria tam celeriter per oblivionem effluxisset, cujusque ædes pestilentia adhuc imbutæ viderentur, animum ad meretriculas appulit. Itaque de quadam præter cæteras eximiæ formæ Mulhusii sibi dispicit, cum qua quidem ut eò liberius stupri consuetudinem habere posset, virili eam habitu indutam domum suam deducit, vicinisque persuadet, esse eum avunculum suum, cujus fideli opera in curandis equis excolendóque agro uti consuevisset. Quoties verò viduus iste convivium aliquod inibat, toties meretricula illa, quæ se pro ipsius avunculo atque servulo gerebat, eum sequebatur. Neque verò idem ille rus concedebat, aut prata agrosq; obibat, quin comitem illum ipsum sibi adjungeret. Ipsa meretricula puellas reliquas linum tundentes aut frãgentes identidem consalutabat, ac se quandam earum deperire assimulabat, hanc munusculis sibi demerebatur, sic quidem, ut nemini cuiquam fucus suboleret, plerisque omnibus credentibus, adolescẽtulum eum viduique avunculum esse, maximè cùm reliquis etiam juvenibus sese immisceret, cum iisque pergræcaretur & luderet, atque adeò quàm familiarissimè conversaretur. Cæterùm non ita multò pòst cœpit illi uterus intumescere. Adolescentes, quibus familiariter utebatur, mirabantur, hominẽ tã subitò pinguescere, idq; illi invidebãt & exprobrabant etiã. Is verò respõdet: q habitiori corpore sum, patrueli equidem meo secundum Deum Opt. Max. acceptum refero, cui in medullis planè ac visceribus hæreo, cum eo delicatissimis exquisitissimisq; quibus-

busque cibis vescor, ac generosissima quæque vina ad satietatem haurio. Verum quid fit ad extremum? Cùm ipsi quotidiè magis magisque uterus intumesceret, viduus meretriculam alio amandat, ut apud suos infantem enitatur. Quo quidem in lucem susceptо atque edito, ea muliebri habitu assumpto, *VVanfridam* revertitur, exhibitura viduo filium ex ipso proseminatum. Quum autem circa vesperam *VVanfridam* ingrederetur, & puellæ & adolescentuli diligentius in eam oculos conjicientes dicebant, annon hæc adolescentulus iste est, qui non ita pridem tumido obesóque corpore in patruelis sui ædibus versabatur? Quæ hæc igitur nova metamorphosis, quòd in mulierem iste nunc abierit? Quid multis? cœpit res ea percrebescere, atque omnium sermone atque jocis jactari, enixum nimirum esse adolescentulum sobolem. Itaque viduus corio suo metuens, meretricula assumta in fugam se dat, militatumque abit. Dignus alioqui, qui cum prostibulo suo etiam atque etiam scopis emendatus, alióve quopiam exquisito supplicio affectus fuisset.

DCCXXIII. *De impia quadam atq; consceleratа matre, quæ pertæsa molestiarum in educandis liberis devorandarum, duos infantes, statim ut lucem hanc aspexerunt, clàm marito & omnibus aliis interfecit VVanfridæ Hassorum Anno 1582. & 1583.*

MElchior Piscatorius *VVanfridensis* quandam in matrimonio habuit, quę initio quidem & maritum suum colebat, & filiolos ex eo susceptos liberaliter educabat, & rem denique familiarem præclarè rationéque administrabat, sic quidem, ut à plerisque omnibus vicinis suis tum diligeretur, tũ in precio etiam honoréque haberetur. At verò postquam quin-

quinque filiorum mater jam facta esset, laborem fugere, ac ocio sese ignaviæque dedere cœpit, immò ferè gulæ prorsus mancipium evasit, opesque à marito acquisitas turpiter nefariéq; dilapidavit. Interea enim dum maritus agrum excoleret, idque genus aliis laboribus sese frangeret, illa frugum manipulos tribulo nonnihil quassabat, frumentúmq; inde excussum unà cum paleis nuce, quod ajunt, cassa, terræ quibusdam filiis divendebat. Quo nomine ipsa pœnas graves non parum quidem sæpè marito suo dedit. Is verò quò gravius in illam animadverteret, eò studiosius illa ventri atq; abdomini suo inservivit, genióque indulsit. Quid multis? usque adeo in pejus quotidiè profecit, nullam ut deinceps molestiam in educanda sobole subire aut devorare cogitaret. Gravida igitur facta animum suum induxit, appetente hora pariendi, fœtum clanculum abjicere, morteque delere. Neque verò ab hac conscelerati ssima mētis impietate atque malitia discessit, sed infantem remotis omnibus in lucem jam jamq; editum interemit, sub prunóque tumulavit, maritóque postea persuasit, neutiquam se gravidam fuisse, sed ex menstrui retentione ita intumuisse uterum, quod cum magna vi fluere jam cœperit, gracilem se nunc factam, ac imbecillam admodum & afflicta valetudine esse. Maritus ipsius verbis fidem habuit, maximè cùm illa nullum signum cujusquam odii adversus reliquos filios unquam dedisset, ideóque nihil eorum prętermisit, quę ad curandam ipsius valetudinem pertinere videbantur. Illa cuticula bene curata iterum fit gravida, ac quia priorem infantem omnibus insciis, ut ipsa arbitrabatur, è medio sustulerat, de altero quoque isto, statim ut hanc lucem aspiceret, extinguendo cogitationes suscipit, consiliumque init. Quamobrem instante jam pariendi hora in stabulum sese proripit, ibique sola infantulum

lum enititur, quem mox moxque ſtrangulatum in pabulum abjicit. Juſtiſsimus autem Deus, qui nullum ſcelus impunitum ſinit, cõſceleratiſsimam hãc matrem, quæ marito ſuo jam iterum verba dederat, ſuasque manus jam ſecundo parricidio commaculaverat, ex rerum natura aufert, ac, cum parricidia hæc ſua & maritum ſuum & omnes homines celaverit, neque unquam ejus pœnitudine ducta fuerit, dœmonibus eam nunquam finiendis haud dubiè ſuppliciis mactandam tradit. Ipſa nihilominus piè religioſéque ſepultura afficitur, quod plerisque omnibus perſuaſum eſſet, nimio menſtrui fluxu eam exhauſtam fractamque, Deo naturæque conceſsiſſe. Tametſi non deerant, qui id, quod res erat, ſuſpicarentur. Non ita multò pòſt mariti cognata quædam, quæ ipſi rem familiarem adminiſtrabat, infantulum à Medea iſta enectum fortè fortuna in pabulo reperit. Qui quidem, cum oris forma reliquos Athilæ iſtius filios ad unguem repreſentaret ac referret, compertum fuit, à matre hunc fuiſſe interfectum. Itaque is quidem in matris tumulo conditus: illa vero inde exempta, deque Magiſtratus juſſu maritíque voluntate ſub patibulo à Carnifice dehumata fuit.

DCCXXIV. *De D. Johanne Eccio.*

QUum Lipſiæ *Eccius* in conſeſſu *Ducis Georgii* diſputaret, ſuámque cauſſam putidis rancidisq; ſtrophiſtueretur, *D. Lutherus Theol.* Opt. Max. hanc in rationem eum perſtrinxit: *Noſter D. Eccius* attigit hodie ſcripturam, *ut tipula aquam.* D. Gigas concione undecima catechetica.

DCCXXV. De nobili quodam.

EQuidem utilem vobis Hiſtoriam in præſentia recitabo. Nobilitatis germanicæ viduus quidam, ſummis liberorum ſuorum precibus expugnatus, omnia ſua bona utenda fruenda iis permittebat

hac

hac tamen lege atque cõditione, ut per omnem reliquam vitam & piè ipsum sanctéque obſervarent, & liberaliter, item quæcunque neceſſaria ſuppeditarent. Filii non hoc modo diligenter ſe facturos recipiunt, ſed & alia plura eaque ampliſsima promiſſa parenti faciunt. Verùm quid fit? menſe uno apud filiam cibum capit, alteros apud filium. Quum vero non tam cito, quam ii quidem exoptabant, è medio abiret, ſed aliquanto diutius in vita commoraretur, omnes ipſius tædium ſatietasque jam capit: ideoque parcius eum ſordidiusque tractare atque alere inſtituunt. Idipſum quidem decrepito præclaréque de liberis ſuis merito patri incredibilem dolorem induit, idcircóq; hujuſmodi ſtratagema excogitat. Retinuerat ſibi ciſtam ferream, hanc quidem ſaxis replet, hisque clavam ſchedulamque addit, in qua ſcriptum erat: Quicunque parentes filiis ſuis, ſuperſtites bonorum ſuorum copiam poteſtatemque faciunt, eaque utenda fruenda ipſis tradunt, ii quidem his lapidibus petuntor, atque hac clave cæduntor. Cæterùm cum filii ipſius animadverterent, ciſtam iſtam prægrandem ponderoſamque eſſe, ſpemque certam alerent, parentem in ea peculiarem quendam theſaurum reconditum habere, prolixius eum nunc accipere, ſaliaremque in modum paſcere incipiunt. Ita namque cum animis ſuis cogitant, ſi minus laute opiparéque ipſum acceperimus, næ iſto nos theſauro defraudabit. Quid multis? Patre defuncto filii omnibus lætitiis incedentes, ad ciſtam ponderoſam properant, eamque recludunt, ſpe certa fulti, magnas ſe iſtic opes reperturos. At corvi deluduntur hiantes, cùm pro theſauro carbones, q; eſt in proverbio, inveniebant, nihilq; in iſta reconditũ cõtinebatur, prẽter lapides, clavam, & ſchedulam, in qua ſcriptum erat: Quotquot parentes, quamdiu in vita cõmorantur, filiis

ſuis

ſuis facultates ſuas permittunt, ii mehercule digni ſunt in quos hi lapides conjiciantur, quiq; hac clava percutiantur & verberentur. *Idem* Concione 6. Catechetica. 6

DCCXXV. *De Georgio Detringo.*

IN *Hona* ſuperiore, quæ Cattorũ eſt pagus in diœceſi Beilſteiniana ſitus, *Johannes Detringus* decurſa jam ætate homo, *Georgio* filio ſuo, quem unicũ habebat, & omnes agros ſuos, quorum ei non contemnendus numerus erat, & prata, & ædes denique ſuas permittebat, hac tamen lege atque conditione, ut ſibi jam viduo reiq; familiari adminiſtrandæ per ætatem minus idoneo, cibum, quoad viveret, præberet. Filius læto hanc animo conditionem accipit, parentiq; dat fidem prolixè ſe ipſum liberalitérq; accepturum. Neque verò prioribus annis duobus promiſſa fallit, ſed patrẽ ſuum largè his tractat, iisdem planè cibis, quibus ipſe veſcebatur, paſcens, ita quidem ut pater, quod de gnato ſuo conquereretur, hac certè in parte haberet nihil. Cæterùm quũ hoc ferè temporis ſpacio elapſo, patrem adhuc affatim cibum capere, atque adeo aquilæ ſenecta (quod eſt in proverbio) prædítum eſſe, animadverteret, veritus ne non diutiùs ille, ac ſperaverat, viveret, eum nõ jam, ut antehac in oculis fert atque obſervat, ſed multum quotidie de ſua erga illum fide atque pietate remittit. Quod tamen ipſum, quantum poteſt, diſſimulat, ſuo ſeſe interim indicio tanquam ſorex interdum prodens, dum cibum quidem ſeni detrahit, parciùsque quotidie ſubminiſtrat. Ad extremum tamen diu occultatum erga patrem odium tegere diutiùs non valens (nihil quippe ſimulatum & diuturnum) eum poſt fornacem in ſcamno cubantem, vino ad ambas uſque aures ingurgitatus pede calcat feritq; his verborum contumeliis additis: Heus fur decrepite, quid tu hîc poſt fornacem ſtertens hypocau-

pocaustum hoc meum ventris tuis crepitibus pedoribúsque reples? Quin tu te cubitum recipis occupato lecto eo, qui tibi desponsus destinatúsque est? Facesse hinc, vetule nebulo, in nomine omniũ Diabolorum. Is igitur filii pede calcatus & percussus verborúmque contumeliis gravibus affectus, incœnatus latrantíque stomacho cubitum secedit, hanc ferè in sententiam cum filio de injuria sibi illata expostulans, suamque miseriam deplorans: Heu me miserum derelictum & calamitosum patrem, qui te quidem proseminaverim, ut ne mihi deesset, qui me alterum pedem in cymba Charontis habentem & calce feriret, & omni conviciorum genere laceraret! O me stolidum & delirum senem, cum eum facultatibus meis locupletaverim & auxerim, quem minimè omnium pudet fame me miserum enecare! Verùm enimverò ô impie & degener fili, non tu me fame necabis, quin prius te ego oculis hisce meis hodiernæ impietatis tuæ, & aliarum injuriarum mihi abs te impositarum justas gravesque pœnas Deo justo judici dedisse cernam. Neque verò miserum patrem stipulaceumque senem hæc opinio sua fefellit. Vix enim mensis exierat, ecce tibi consceleratus filius illo ipso pede, quo patrem læserat, ægrotare, incredibilesque cruciatus sustinere & perpeti cœpit. Neque verò medicorum quisquam morbi genus agnoscere, eivé medicinam aliquam invenire atque facere potuit. Quamobrem cùm ingentem pecuniæ suę vim in medicos & quidem frustra jam erogasset, loripes factus eo pede, quo progenitori suo insultaret, per omnem vitam cùm graviter claudicavit, tũ verò acutissimos dolores sensit. Neque verò hoc prætereundem silentióve involvendum statuo, quòd ipse sobole destitutus pagi istius pueros habuerit, qui ei in publicũ prodeúnti quam petulantissimè insultarent, eiq; scelus & flagitiũ in progenitorem suũ

editum, mira verborū amarulentia exprobrarent atque objicerent? immò verò ipso inspectante gressū ipsius claudicationēq; exprimerent, atq; adeo sic illi; claudicandum alteróq; pede nutandum dicerent, qui parentibus manus afferre, eosq; pulsare non erubescerent. Quid multis? Quoties certè hic nebulo in publicūm progressus est, toties puerorum grex tantus ad exagitandū deridendúmq; eum cōfluxit, quātus avicularum grex noctua aliqua apparente advolare consuevit, ut liquidè constaret, divinitus rem geri, Deúmque pœnas impietatis ipsius ab illo repetere. Ad ultimum *Iro* ferè pauperior factus in summa rerum omniū inopia impiam animā exhalavit.

DCCXXVI. *De M. Christophoro Irenæo, & duobus rusticis.*

EQuidem annis abhinc aliquot in quodam pago non ita procul à *Coburgo* dissito hospitabar. Ubi inter rusticos quosdam Francos strenuè perpotantes & pergræcantes præter meam voluntatē cōmorandū mihi aliquādiu fuit. His aūt auribus meis audivi alterū alteri hunc ad modū præbibere: Heus, mi propater, ut te Deus averruncet maleq; perdat, eqdē hūc tibi haustū prębibo, & alterū sic huic reddere: Ejami cōmpater, elābe & exsicca poculū, ut te Diabol' arripiat. Quorū quidem ex barbaris & centaurāis cōpotationibus quantā animo molestiam horrorēque traxerim, equidem haud facilè dixerim. *D. Christophorus Iraneus in Postilla sua de festis* pag. 143.

DCCXXVII. *De rustico quodam.*

INclytus quidā Germaniæ ac laudatissimus *Princeps* suorum non tantū civium, verùm ēt rusticorū agebat delectū, ex iis certos aliquos segregabat, quos quidem armis tractandis bellisq; gerendis assuefaciceret & prępararet. Quamobrē cùm rustico jam cuidā togula sclopetaria injiceretur, ratus miser ille sibi è vestigio in militiam proficiscendū, cùm hostéque dimi-

dimicandum esse, expalluit penitus totóque corpore contremiscens hanc in rationē exclamavit: Heu me miserum, nunc quidem sanè vestior ego atq; accingor ad mortem oppetendam: Ach ich armer Mann/da zieh ich mein Todtenkleyd an. Quo quidem Capitaneus audito, exordium hunc imbellémque nebulonē amiculo isto extēplò denudat, ac fuste probè probéque dedolatum exauctorat ad stivāque relegat, alio quodam animosiore & ad militiā magis idoneo in fungi fuciq; hujus effœminati desperabundique locum suffecto.

DCCXXVIII. *De alio quodam.*

ALius quispiam eodem tempore armaturā quā indueretur, incredibile est quantopere hoc habitu sibi placuerit. Quid quæris? Cum sinistrum brachium lateri suo inserebat, tum aulicorū nobiliúmque incessum exprimebat, tum verò identidē sese pavonis instar contemplabatur. Ne multa: semideus quispiam sibi videbatur. Neque tu verò rusticum eū agnovisses, sed nobilem aliquē aut militē diu multūque exercitatū: militē aūt? immò verò ipsum Achillem dixisses. Cæterùm cum jam coram unam atque alteram armaturā istam gestasset, & in gyrū aliquoties ultrò citróque esset ductus, cœpit cristas paulatim, armatura ipsum nonnihil vexante, demittere, lumbos trahere, & ad ingeniū rusticum redire, sic quidē, ut stivę regēdæ natū illum esse facilè appareret. Quocirca cùm milites suo quisq; loco subsistere juberentur, ille ordine stationeq; sua mox relicta accurrit ad *Principem*, eūq; hanc ad rationē alloquitur: Clemētissime *Princeps* ego hāc rē non possū portare (armaturā innuens.) Etenim nimis est ponderosa, & incredibili me molestia afficit. Quapropter oro ut vestē sclopetaria induar: Gnediger Herr/ich kan dz Ding nit tragen/(Also nante d Eselskopf den Harnisch) es ist mir zu schwer/vñ gneipt mich d Teuffel.

Laſt mich einen Schützenrock tragen. Huic Princeps respondet: Quid *tu ignave asine* de armaturæ istius mole & onere quæris? Est tibi corpus robustum, sunt bona latera, sunt & lacerti firmi, sic quidem, ut si quisquam alius ferendæ illi par sit & idoneus, tu unus certè cum primis à natura fictus factúsque ad ferendam sustinendámq; illam videare. Neq; verò affirmare dubitaverim, te vel frumenti modiũ nullo negotio citraque pulverem gestaturum. Faceſſat igitur isthæc mollities animi. Hoc responso Princeps effecit, ut rusticus statim acquiesceret, maximè cùm Princeps fidem illi faceret, futurum utique, ut armatura ista, si illi assuesceret, progressu temporis vel pluma levior evaderet, ac ne minima quidem molestia eum afficeret.

DCCXXX. *De Vetula quadam rustica.*

NOvi ego *Honæ Hessorum*, quæ patria mihi est, anum quandam, quæ tametsi annos jam octoginta nata, & viribus usquequaque exhausta erat, & macie rugisque tota squalebat, & animi identidẽ deliquium patiebatur, & vix hærebat ossibus, & repere magis cochleæ instar, quàm incedere videbatur, & cadaver meherculè magis, quàm hominem aliquem representabat, & ex cujus denique oculis (ita uno verbo dicam) mors ipsa jam elucebat: ita tamen mortem horrebat & reformidabat, ut vel ad levissimam illius mentionem toto corpore contremisceret. Quid quæris? Quoties mortis mentio aliqua seu in publico sacróve cœtu, seu in conviviis, seu domi, seu foris fiebat, toties misera ista ceu fulmine percussa obstupescebat, fugámque continuò arripiebat. Ea quum anno 1598. pestis passim per Germaniã maserandum horrendúmque in modum sæviret & grassaretur, & quotidiè aliquot millia hominum trucidaret è medióque tolleret, DEO OPT. MAX. singulis propè horis supplicabat, ut ne pestilentiæ lue sese

extin-

extingueret hac quidē precatione, ſicuti ex ipſi⁹ liberis accepimus, uſa: Omnipotens & æterne Deus pater *Domini noſtri Jeſu Chriſti*, quot ſimus in hac domo, te quidem minimè omnium fugit: quinque nimirum numero nos eſſe, utpote me: & meum maritum ſtipulaceum ſenem, & duos meos filios, & unicam denique gnatam meam. Quia verò peſtis circumquaque nos cinxit, & quotidiè longius ſerpit, & propius nobis ſeſe inſinuat, oro te per JESUM CHRISTUM filium tuum dilectum, ne me peſte vel corripi vel deleri patiaris, ſed hanc luem quàm longiſſimè à me propellas. Quod ſi verò tibi omnino placet quempiam ex domo hac mea peſtis interventu ad te evocare, equidem haud deprecor, quo minus vel virum meum nonagenarium, vel meam gnatam, vel utrumlibet denique filium meum ad te transferas. En Deus Opt. Max. datur tibi à me inter hos quatuor optio. Proinde mihi, mi pater, parce, ac me clementer paternéque in hac vita reſerva, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Haſce preces incredibile eſt, quoties die uno ad Deum Opt. Max. effuderit, quoties item noctu uſurpaverit & repetierit. Eadem toto illo tempore, cum peſtis hîc gliſcebat, nunquam in publicum provolavit, ſed domeſticis finibus ita ſe tenuit, ut ne de feneſtra quidem proſpiceret, verita utique ſemper, ne peſte afflaretur aut imbueretur. Quid? quod domi etiam ſuæ quotidie odores partim ex abſynthio, partim ex frondibus quernis, partim ex granis juniperorum, partim denique ex thure quàm ſæpiſſimè incenderit, ne peſtem ſuis ab ędibus non arceret atque fugaret. Quæ etiam illas haud invaſit. Veruntamen peſte circumquaq; eas adhuc circumſtrepente evenit, ut vir ipſius ſtruem lignorum minimè ſublimem aut altam conſcenderet, ut hinc quidem materiam fovendo foco idoneam auferret. Quum igitur trun-

cum jam unum atque alterum in culinam deferendam sustulisset, ecce tibi prolabitur infelix senex de strue ista, ac cervicem ilico perfringit, & exanimis mortuusque in domum a trituratoribus suis deportatur. Etsi verò hæc anicula miserabilem mariti sui casum atque interitum quam dolentissimè implacatissimèque ferebat, quippe quo cum annos sexaginta eoque amplius in matrimonio concorditer vixerat & confecerat, eò tamen neque à filiis suis neque à quoquam omnium adduci potuit, ut unà in funus prodiret illudvé deduceret, propterea quòd sepulcra peste extinctorum sibi prætereunda & aspicienda, & concionem de morte audiendam esse diceret. O miseram anum, quæ minimè delira, sed sana adhuc mente mortem usque adeo extimuerit, cũ tamen alterum jam tum pedem in cymba Charontis haberet.

731 DCCXXX. *De temulenta quadam muliere.*

NOvi ego *Marpurgi* dulciarii cujusdam conjugem, mulierem mirũ in modum bibulã, quippe quæ quàm celerrimè incredibilẽ vini vim exsorberet, ac nihilominus rem postea familiarem dextrè administraret. Hæc laudi sibi vinolentiam hanc bibacitatemque ducens, (seriõne an verò joco, nullo equidem in discrimine posuerim) dicere solebat: sæpè me numero vir meus profusionis nescio cujus insimulat, cũ ab eo sim crimine tàm aliena, quàm quæ alieniſſima, ac non vivat hodie ulla me mulier frugalior. Etenim cum alii cuipiã mulierculæ opus sit candela aliqua integra, ad exhauriendam vini mensuram duntaxat unam, mihi meherculè candelę portiuncula digiti articulo non longior, elambendisq; mensuris tribus aut quatuor, sufficit. Itaque mihi a viro meo injuria fit, dum quidem prodigalitatis me alligat, reamque agit: Mein Mann ſchilt mich ohn

walt vnd Vnrecht/dann ich je also hänßlich vnd berahten bin/daß ich bey einem Stümmelchen Liechts eins Glieds lang / drey oder vier Maß Weins herausser ziehen/vnd vberteuffeln kan/da sonst ein ander Weib ein gantz gezogen Liecht haben muß/ehe sie ein Maß Weins herausser lippert. Wann ich eine solche Seuffensiedern were/möchte mich mein Mann vnhäußlich schelten.

DCCXXXI. De *Voracæ quodam muliere*. 732

ERat me puero Cassilię mulier quædam vasto obesóque corpore. Hæc febricula quadam tentata, gallinam sibi elixandam curabat, atque cum hãc ipsam, tum offam etiam ex jusculo illius factam devorabat. Cæterùm quum vicinæ illam intervisentes quærerent, nunquid cibi caperet: respondit; Equidẽ rodere nonnihil jam incipio. Hodiè quippè gallinã cum offula manducavi: Jch habe wider an zu nüsseln / ich habe Heut ein Hünersüpplein vnd ein Hünlein gessen: perparcè se pransam rata, quòd gallinam tantum devorasset, cum, integra alioqui valetudine, multo se cibo refarcire consuevisset.

DCCXXXII. De *edaci quodam ædituo*. 733

NOvi æditvum quendam patris mei, illum quidem officiosum, sed mirè edacem. Hunc cum morbo aliquo conflictantem olim invisi, & admonui, ut carnibus bubulis coemptis elixatisq; jusculum earum seu offam zingibere conditam, abliguriret. Ille se auscultaturum mihi confirmavit. Quaobrẽ cum postero ad ipsum die redirem, scisciterque, nunquid cibi sumsisset, monstravit mihi extento digito catinum quendam satis capacem, respondítque: Hunc ego catinum offa repletum exhausi: Cumque ego risum vix tenens (erat quippe magnus valdè) porrò quærerem, nunquid

carnium addidisset, dextera in pugnum contracta respondit, per quàm quidem parum degustavi carnium, frustum earum pugni magnitudine manducavi. Cæterùm tantum ille cibi ægrotus tùm consumpserat, quantum ego sano corpore vix aut ne vix quidem toto biduo: **Hatte einen grossen Rumpff mit Suppen/ vnd ein Stück Rindfleisch darzu/ als eines groben Bawren faust gefressen/ vnd daucht jn noch wenig seyn.**

734 DCCXXXIII. *De duobus studiosis VVittebergensibus.*

Johannes Drymeldius hunc mihi jocum subsequentem aliquando retulit: Usus sum, inquiebat olim *VVittenbergæ* convictore quodam *Adamo ab Altenstek Austriaco*, adolescente tum honesto apud suos loco nato, tùm egregiè docto, tum suavissimis moribus prædito, tum verò valdè diligente, laborioso, atque impigro. Is inter scyphos aliquando, cerevisia nonnihil cõfectus, de cibis quibusdam minimè vulgaribus à se hinc inde comestis, diu multúmque gloriabatur, utpote de muribus alpinis, de damis, de uris, de ursis, de bubulis, de balneis, de carũtiis, de marinis & vitulis, & canibus, & leporibus & araneis, & sexcentis itemque id genus aliis. Hæc illo igitur narrante, quum hospes noster *Magister Albertus Calerus Trojanus* & omnes itemq; hospites ipsius admirabundi atque adeo arrectis auribus hiantiq; ore auscultarent, equidem teneri non potui, quin una eadémque opera tum ipsum narratorem nostrum nõnihil exagitarem, tum convictoribus etiã meis risum cõmoverem. Id quod hoc quidẽ pacto effectũ dedi, consecutusq; sum: Ego verò inquam, *Domine Adame*, varia jam ciborum genera eaq; rara admodũ atq; exotica cõmemorantem te audivi, quibus quidem tibi ultrò citróq; peregrinanti vescẽdũ fuit. At venit mihi unius cujuspiam cibi nunc in mentẽ, quem

quem ausim omni asseveratione affirmare nondum tibi nec visum nec degustatum esse. Quid quæris? Vix effatus hæc eram, ecce tibi subridens ille mox interpellat quæritque, ecquisnam is est cibus, quem tu me neque vidisse neque edisse autumas? Cedo quæso Drymeldi? (minimè futurum ratus, ut ego edulium aliquod nominarem aut proferrem, quod ipse quidem conspicatus non esset aut adedisset) ego illi respondi: Mihi verò *Domine Adame* haud fit verisimile, te crepitum aliquem ventris in nola tintinnabulóve quopiam frixum tostúmve cõspexisse unquam, nedum degustâsse. Tùm ille, heu, veris, mediusfidius vincor, inquit, ô Drymeldi noster. Tu pol antiquum obtines hoc tuum, nobis ut illudas, hunc enim ego cibum, quem dicis, vidi in omni mea vita nunquam, tum verò degustare aliquando haud equidem cupio cæterisque in risum syncrusium effusis, ipse quoque una non mediocriter utique cachinnabatur.

DCCXXXV. *De alio quodam.*

IDEM & hunc nobis jocum aliquando exposuit: Prætet nobilem istum Austriacum, inquiebat, cujus facta jam est mentio, & alius quidam VVestphalus nostra tùm mensa vivebat, ille quidem haud illiteratus, sed moribus ita agrestibus præditus, his ut nobilitatem suam omnem, pudendum in modum pollueret. Ut enim cæteras illius innumerabiles propè fœditates tacitus præteream, nulla certè assatura vitulina apponebatur nobis, quin ad eam omnium primùm conversus, renes inde cultello eximeret, eosque sibi uni reservans solus devoraret. Hoc cùm ipse hospes noster *Magister Calerus*, tùm nos etiam omnes indignissimè ferebamus. Interim tamen nemo erat omnium nostrûm, qui quidem ipsum ea re vel molli brachio objurgaret, subverente utique unoquolibet nostro, ne non VVestphalicos ejus in se crabrones irritaret. Etenim fœnum in cornu ha-

bebat. At extremum tamen placitum est nobis, idq; me potissimum authore, ut homini ex ordine præbiberemus omnes, si idem facinus repetens, assaturam eum ad modum castrare pergeret. Quid fit autem? interposito vix triduo, apponitur iterum assatura vitulina. Quamobrem ille antiquum obtinens, renem cum exscindit, tum etiam avidè impudenterque devorat solus. Itaque sic ego asinum alloquor: Non ignoras, D*omine Gunthere* cupedias utiq; vel cibum aliquem aliquātò delicatiorem prolixo aliquo haustu, probè proluendum esse. Ne igitur nos ab inveterata ista cōsuetudine desciscamus, ecce tibi præbibo poculum hoc meum. Quid quæris? Vix equidem hoc dixeram, ecce tibi propinant illi cæteri ad unum omnes, ita quidem, ut cereviſiæ illi canthari novem exhauriendi venirent. Atque hoc quidem toties à nobis fiebat, quoties illum ad ingenium redire postea, factumq; istud illiberale iterare non puderet. Itaque homo ad ultimum nonnihil stomachari, ac hospitem nostrum, nobis digressis, hanc in rationem affari cœpit: Per quàm verò admirandum mihi accidit, hospes, quid sit, cur convictores mei non solum diebus dominicis, verùm etiam diebus Jovis (tum enim semper assis carnibus vescebamur) mihi ad unum omnes præbibant. Næ videntur illi me poculis istis suis de mensa deturbare tua velle, vel uti vulpes fumo aliquo ex cavernis propelluntur suis. Quod si explicatum mihi foret, convictum illis nostrum minùs gratum accidere, moriar equidem, ni vel ipsa hac hora, tua me mensa, quæsita ac inventa alia aliqua mihi accommodata, abdicaturus sim. Proinde magno abs te opere peto, quæso, atque contendo, ut ne causam, quamobrem hoc ipsum ab illis fiat, nos celes. Huic hospes de causa nihil se certi dicere respondet, non tamen dubitare, quin illud singulari quodam suo erga ipsum amore benevolentiaq; factitent,

quòd

quòd eos in universum omnes studere ipsi ex animo exploratissimè cognitum habeat. Hunc ipsorum sermonem hospitis socrus exaudiens interpellat, precataque veniam, *nobilem Westphalum* hunc ad modum alloquitur: Ego verò *Generose Domine Gunthere*, hujus ipsorum instituti causam & teneo, & significabo, si quidem fidem dederis, idipsum mihi fraudi haud futurum. Illo igitur confirmante, se in partem meliorem idipsum accepturum, anicula inquit: Renunculi enimverò *Domine Gunthere*, ne nescias, in delitiis hîc habentur, ita sanè, ut nemo cordatus sibi uni eos reservet devoréve, sed cum aliis liberaliter communicet. Quod si verò quis contra faciat, ei protinus isthæc cantilena occinitur, bonus bolus requirit bonum hàustum, ac simul ab omnibus ei præbibitur: **Auff einen guten Bissen gehört ein guter Trunck.** Quocirca si exspectare illud in posterum ab ipsis renuis, fac, amabo te, renib. sic vescare, ut oportet. Eo *Westphalus* audito, gratiis aniculæ de ista cõmonitione actis, inquit: de eo verò parentes me mei nunquam admonuerunt, quòd mihi quidem apud ipsos utpote filio unico atque adeo dextello licuerit, quod quidem libuit. Enimverò dabo quidem omni tempore operã, ne tale quid simile in reliquum tempus usu mihi veniat. Cæterùm quum assatura nobis postea vitulina apponeretur, tantum abfuit, ut renes inde ille auferret, ut hos potiº sibi ab aliis appositos, rubore quodam suffusus, rejiceret respueretq;. Quòd vero hospitis filiolus trimulus, instinctu nescio cujus, ipsum **Juncker Nierenfresser** subinde appellaret, ille acerbissimè hoc ipsum ferens, nostra mẽsa repudiata atq; valere jussa, aliam q̃sivit. Ubi quidem cùm ex ossibus bubulis grandiorib. medullam omnẽ sic exsorberet, ut ova mollia sorbiliáve exhaurire consuevimus, hîc quoq; isthac insulsitate sua cum hospitẽ tũ convictores ẽt suos totos à se alienavit, ita quidem,

ut toti in cogitationem hanc incumberent, quemadmodum isthanc *Apitii* hujus liguritionem compescerent. Communicatis denique consiliis, quique suam sententiã profert. Placuit ergo ossi alicui grandiusculo carne bubula vestito, portiunculam de candela sebacia tũ inserere, quum mẽsæ carnes jam jam importandæ essent. Hæ igitur vix apponebatur, ecce tibi philoxenus ille noster os istud grande omni carne nudatum, ori admovet, candelamque illam nondum liquefactam, ac intra fauces subsistentem pro medulla exsorbet, ac se deceptum animadvertens, cùm ringitur, tùm verò vomit. Ac ea mox hora & hospiti valedicit, & postero itemque die *Rostochium* se confert, quòd *Wittembergæ* quidem ab omnibus **der Nieren** vel **der Marckfresser** vulgò appellaretur, atque hic quidem hospitem aliquem vix aut ne vix quidem unquam inventurus videretur. Ut porrò *Rostochii* & *Grypswaldii* pisces esitaverit, amicorum quorundam literis planum facerem. Sed quid multa? Ille ab ingenio isto suo discessit nunquam. Adeò verum est Horatianum illud:

Naturam expellas furca, tamen usq; recurrit.

DCCXXXVI. *De Casparo Rodolphi.*

HIc disputaturus aliquando, cùm auditorium haberet minùs frequens, excanduit totus, in vocesque has erupit; mihi verò disputandum nunc est, uno atque altero (aderant autem circiter quinquaginta eoque amplius) studioso præsenti: conversusq; ad Academiæ servulum, exclamavit. Nomenclator lege Elenchum. Hic igitur dum imperata facit, ecce tibi primus statim catalogi istius studiosus, VVetzflaria oriundus, Cornicula cognomento, incommodè abest. Unde cœpit *Casparus* iracundia atque stomacho magis magisque exardescere, atque ita debacchari: Duo duntaxat anni sunt dies, quibus quidem nebuloni huic optimarum artium studia sordent,

dent, ac curæ cordique haud sunt, iique sunt cùm æstas, tùm hyems: **Es sind nur zween Tag im Jahr/ auff welche dieser Schelm nicht gern studiert/ das ist der Winter vnd der Sommer.** Nec mora clepsydram mox arripit, in pavimentumque projectam confringit, posteaque insit: Egóne disputem, cui studiosus vix unus & alter suppetit. Haud faciam equidem. Quod si verò fecero, minimè equidem omnium recuso aut deprecor, quò minus capite diminutus in nebulonum numero locóque ducar. **Ach ich sol disputieren / vnd hab kaum einen Handschuch voll Studenten/ ich wills nicht thun/ thu ichs / so sey ich ein Schelm:** hisque dictis eo sic die disputatione supersedit, eaque re magnam à studiosis gratiam iniit, quòd & frigus tum esset maximum, & minimè ipsi ignorarent, sese aut fructus nihil, aut perpol parum ex disputatiuncula ista ipsius frigida & jejuna reportaturos.

DCCXXXVI. *De VVestphalo quodam Nobili.* 737

ERat in aula *Philippi Landgravii Hassiæ Principis laudatissimi* quidam olim homo *VVestphalus*, ille quidem cum bono & honesto loco natus tum copiis etiam divitiisque affluens, sed mirum mehercule in modum sordidus atque avarus. Hic à nemine omnium ullo pacto adduci potuit, ut matrimonii jugo susceptо uxorem duceret. Etsi enim cum ipse *Princeps*, tum hujus consiliarii, tum verò maximè aulici aurem illi subinde vellicarent ac autores essent, ut vitam cœlibem pertæsus, de vitæ aliqua socia sibi adjungenda ac in matrimonium ducenda seriam tandem aliquando cogitationem susciperet, hæ tamen ipsorum cohortationes omnes in nihilum prorsus occidebant, quòd eas ille ab una aure ad alteram transmittens, pro nihiloq; putans, ita respondere ipsis ac dicere consueviſſet. Vos verò Æthyopem

pem prius dealbabitis, quàm ut mihi persuadeatis, vobis ut ego morem gerens libertate vendita, uxorem ducam. Etenim virgines ego vidi, vidi inquam & novi virgines, quibus quidem nihil blandius, nihil tranquillius, nihil deniq; amabilius fingi fierive potuit, quamdiu innuptæ erant: At verò hæ ipsæ nuptæ jam, ac adolescentibus nobilibus in matrimonium collocatæ, maritæque, ac uxores factæ, ita immutabantur, ut non easdem cognosceres, sed alias prorsus diceres. Quid quæris? Cùm morum suavitate ante nihil vel ipsis angelis concederent, postea ipsos etjam diabolos ingenii sui malitia ac morositate non solùm representabat, sed & antecedebat Etenim imperium sibi quoddam in maritos usurpabant, & genium ipsos defraudare suum cogebāt, & vino deniq; confectis admodum ferociter insultabāt. Quamobrem non est quòd putetis, futurum unquam, ut ipse vobis auscultans uxorem ducam. Mori me malim:

Quippe me vestigia terrent,
Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Hanc ille quidem prætendebat causam, cur à decenda uxore abhorreret, cùm tamen nihil ipsum à matrimonio revocaret, præter unam avaritiam, cujus pudendum ille erat mancipium.

DCCXXXIIX. *De eodem.*

IDem cùm fortè fortuna offas aulicas, non audita campana ea, qua quidem & prandii & cœnæ tempus indicatur, negligeret (quod tamen perquam rarò committebat) dici non potest, quàm ægrè hoc ipsum acerbeque tulerit, & quàm parcè, quam tenuiter, & quàm sordidè deniq; vixerit. Quid quæris? ipse cum servulo ultra album Hasdiacum non insumebat. Huic enim numerabat album, hoc est, obolos duodecim, jubebatq; emi obolis tribus ova quatuor, obolis totidem panes similiagineos tres, & obolis sex cerevisiæ mensuram unam. His allatis devorabat ipse

ova

ova tria, ac panes similagineos duos, pane & ovo uno servulo dato. Cerevisiam ipse sibi soli reservabat omnem. Famulo erat aut aqua hauriēda, aut si eā fortè respueret, cerevisia tenuis emendicāda ab hospite.

DCCXXXIX. De *eodem*.

IDEM vocatus seu alici seu civis cujuspiam ad nuptias, minimè omnium comparebat, ne quo scilicet munusculo ornare Neogamos, atque augere cogeretur. Id cùm nemini non explicatum esset, à paucis paucis autem? imò verò nemine omnium invitabatur, neque verò deerant, qui exagitandi hominis causa invitatū eum, jam ad hujus, jam illius nuptiale convivium dicerent, atque hoc quidem ipsum etiam januæ hospitii illius asscriberent. Ille igitur hoc vel audiens, vel legens, iracundè stomachoseque in hæc verba erumpebat. Si cordi ipsis est matrimoniū exercere, age fiat idipsum sine mearum facultatum detrimento, neu mihi id sit fraudi.

DCCXL. *De Dionysio Melandro Ecclesiaste Francofurtensi.*

QUo tempore hic quidem divinorum mysteriorum dispensatorem *Francofurti* agebat, eum non semel pro concione publica dixisse accepimus, tria isthic Judæorum esse genera, quorum primum *rasum* sit, sacrificos innuens, qui quotidie Christum missificando crucifigant. Alterum *annulatum*, mercatores quosdam perstringens, quòd hi majorē propè, quàm ipsi *Apellæ*, usuram exerceant. Tertium atq; postremum *togatum*, Judæos denotans, quod hi flavū quendam annulum seu circulum toga præferunt, à Christianis ut internosci possint. Hi Christi Jesu inquiebat, proditores & occisores omnes sūt suo signo insigniti. Primi signum *Capite* præferunt, alteri *manu* seu *digito*, hi manibus pedibusque obnixè omnia faciūt, ne Euangelio hîc locus detur. Postremi *toga*, Hi holosericam atque undulatam vestem, atq; alia hujusmodi

jusmodi, sodalibus suis objiciunt, ut suam sibi operam navent.

DCCXLI. *De eodem.*

Dionysius Melander Ecclesiæ Cassiliensis antistes à cerevisia totus cùm abhorrebat tùm etiam abstinebat, quòd eam vel potissimùm utroque mox crure sacro corripereturigni. Quamobrem cum ad aures illius perveniisset, esse *Hallendorphum* pastorem quendam *Jacobum Thomæ*, qui singulis propè concionibus pro felici lupuli proventu DEO Opt. Max. supplicationes fieri juberet, impatienter rem eam tulit, hominemque aliquando ad se venientem hanc in rationem corripuit: Quis te malus genius eam in mentem impulit, nullam ut concionem habeas, quin simul auditoribus tuis aurem vellices, quò cœleste numen pro felici fœtidi istius lupuli copiosoq; proventu implorent? Si DEUM Opt. Max. tuis precibus de una aliqua re toties obtundere libitum est, habes certè longè nobiliorem magisque necessariam materiam graveolenti isto lupulo, *vinum* nimirum, quod & Deum lætificat & homines. De eo igitur fac Deo supplices. Pastor ergo, ne Dionysium non placaret, nihil se hîc temerè præterque rationem feciisse affirmavit, ideoq; minimè omnium dubitare, quin re benè intellecta suum illud factum, quod nunc reprehendat, in laude sit positurus, Dionysiumque rogat, ut benignè hujus sui consilii rationem cognoscat, eoque impetrato dixit: Ne Dionysi nobis vinum non liberaliter affatimque suppeteret, putavi equidem faciendum mihi esse, ut Deum implorarem pro lupuli felici proventu. Etenim nisi hic uberrimè proveniret, futurum tanquam ex specula prospiciebam, ut quilibet de fece vulgò ad vinum concurreret, ac magno illud numero quotidiè hauriret. Unde quid aliud cedò quæso exspectandum nobis foret, quam vini tandem aliquando penuria

nuria, vel hujus certè incredibilis caritas. Quamobrem ut nobis noster hic potus sartus tectus permaneret, neq; à promiscua ignobilique turba præriperetur, existimavi promiscuam imperitamque multitudinem commonefaciendam esse, ut de lupuli felici proventu DEUM sedulò invocarent. Quo audito *Dionysius* homini non modò reconciliatus est, sed & hortator exstitit, ut in instituto suo isto perseveraret. Erat enim generosi vini non tàm imperitus arbiter, quàm præco eximius, quippe qui de præstanti aliquo vino dicere soleret, esse hoc unicum vinculum, quo quidem corpus atque anima hominis astringerentur, **Es were der rechte Nessel / der Leib vnd Seel zusammen binde.** Hoc quoque per jocum dictitabat, si vinum sibi amplius non arrideret, minimè se omnium recusaturum esse, quò minùs vivus dehumaretur. Interim tamen nobili hoc Dei dono ità utebatur, ut neque officium suum negligeret, neque cuiquam offensam ullam præberet.

DCCXLII. *De Principe quodam, & viduâ quapiam rustica.*

PRinceps quidam vicino cuipiam suo, à quo graviter læsus violatusque fuerat, bellum facturus, exactionem extraordinariam universo populo suo (sunt enim pecuniæ nervi belli) indicebat. Etsi verò quæstoribus conceptis verbis mandaret, ut viduarum & extremâ egestate laborantium ratione habita, vel planè nihil vel per quàm sanè parùm ab ipsis pro re nata extorquerent, nonnulli tamen Quæstores, ut ne sibi ipsi deessent, sed sua quoque marsupia turgida efficerent, nullius neque viduæ neque pauperculi miserti, omnes ex æquo indifferenterque argento emungebant. Quamobrem & vidua quædam liberorum sex mater, coacta fuit unicam vaccam suam in urbem ducere eamque divendere. Quum autem pedem è vico jam suo vix detulisset, ecce tibi

Princeps in illam per quàm miserabiliter ejulantem incidit, ex eaque quærit, quid sit, cur tantoperè ploret? Ipsa Principem minimè agnoscens, sed nobilem quendam esse rata, respondet: Ah mihi generose Domine, an non lacrymis lamentisque me dem? Machinatur Princeps noster bellum nescio quod, cui quidem gerendo & administrando, ut par sit atque idoneus, cogor ego miserrima vidua & egentissima, liberorum sex mater, unicam hanc vaccam, quæ liberis meis & lac, & caseos, & butyrum suggerit, divendere, indeque pecunias conficere, ut Quæstori exactionem dinumerem. Ea *Princeps* audita cum commiseratione quadam, Verane sunt, inquit, mulier, quæ narras, te & viduam, & liberorum sex matrem esse, & nihil præter hanc vaccam habere? Verissima sunt, inquit illa, mi nobilis, quæ dixi, nisi quòd præter vaccam istam, unicum meum in alenda sobole mea perfugium, habeo & ruinosam istam domunculam, quam manu demonstrabat. Itaque Princeps: Si Quæstori tuam paupertatem in sinum effunderes atque detegeres, non dubito, quin istam tibi exactionem sit remissurus. Nihil profectò minùs, respondet illa. Etenim isto homine nihil durius, nihil immanius, nihil ferocius, nihil rapacius denique fingi fierive potest. Vix hæc prolocuta fuerat, ecce tibi largitur illi *Princeps* thalerum, jubetque, ut pedem referens, vaccam in bovile reducat, ne ipsi desit, unde sobolem alat. Ea igitur incredibili gaudio perfusa, inquit: Eja, mi nobilissime *Domine*, ingentes tibi ago gratias. *Dominus Jesus* hoc tibi beneficium afflictissimæ & egentissimæ mihi viduæ præstitum, quàm cumulatissimè rependat & recompenset. Ac aliquò usque progressa, thalerumque etiam atque etiam contemplata, infit: Nunc quidem optarim, thalerum hunc ignitum candentemque effectum ipsius Principis cordi incumbere: Nun wolte ich/ daß der

Thaler

Thaler glůendt heiß were/vnd brennete dem Fürsten lichtes Lohes auff dem Hertzen. Quo quidem audito, tantum abest, ut Princeps offensus commotúsve fuerit, ut in risum potiùs effuse solutus exclamaverit: Audite quæso, annon beneficium istud meum præclarè posui? Hört doch / hört doch / hab ich mein Thaler nicht wol angelegt?

DCCXLIII. *De Doctore Staupicio*

Staupicius solitus est gravissimè conqueri, se plus millies vovisse deo & pollicitum esse emendationem, sed semper deteriora secutum esse, ideo se vidisse & intellexisse, sibi dei misericordia opus esse. *Simon Pauli in Euang. Purificat. Mar.*

DCCXLIV. De *D. Martino Luthero.*

Georgio Amico Quæstori olim Eschuegensi integerrimo, viro & literato, & pio, & prudenti, ac planè optimo, summa cum *Luthero Theologorum Coryphæo*, quo tempore *Erphordiæ* simul optimarum artium studiis operam navaverant, intercessit familiaritas, ita quidem, ut fraterne inter se amaverint, ac ut nihil fieri ipsis conjunctius posse videretur. Eum de *Luthero* commemorare accepimus, consuevisse illum dicere, quoties quidem ablueret manus, sive matutino, sive prandii, sive cœnæ tempore. Quò diutiùs nos lavamus, eò magis magisque sordidamur & coinquinamur. Je länger wir vns waschen/je vnreyner wir werden.

DCCXLV. De *Georgio adituo Marpurgensi.*

AGebat olim æditui *Marpurgi Georgius* quidam homo cùm insigniter arrogans, tùm fastuosus, tùm ipso etiam seu Philoxeno seu Apitio gulosior. Is quidem persuasissimum habebat, ad comparandam sibi autoritatē nonnullam, non parùm momenti afferre, si opulentiores & honoratiores quosque, identidem convivio exciperet. Dici autem non potest,

quantopere sibi placeret, quoties hujusmodi convivia ageret, tum quidem herclè deorum immortalium vitam sibi adeptus videbatur. Hanc istius stoliditatem studiosi plerique omnes deridebant. Præter cæteros autem admodum salsè eam vir Clarissimus *Dominus Doctor Johannes Oldendorpius*, quem honoris causa nomino, aliquando perstrinxit. Cùm enim hunc eundem invitaret, hanc in rationem ei respondit: Cùm te equidem, *Campanista*, nunquam convivio acceperim, venit mihi in mentem admirari, quid sit, cur mihi nunc cœnam dare gestias. Profectò si civilitatis habere rationem velles, homines re & opibus, & virtute, & eruditione, & authoritate denique antecedentes, non prior ad tua prandia vocare debebas, sed exspectare, dum ab ipsis invitarere. Quo illius responso noster cupedinarius planè pudefactus *Oldēdorpium* missum facit, ejusque loco *VValderum quendam Geilium* invitabat, quo cum noctes atque dies pergræcabatur. Decebat autem ambitiosulos illos recta secum via *D. Matthæi* dictum hoc reputare: **Es schickt sich nicht wol/ wehret auch nicht lange/ weñ arme Gesellen mit grossen Löffeln essen wollen.**

DCCXLVI. *De A. H. ædituo Marpurgensi.*

QUi æditui nunc munere *Marpurgi* fungitur librorum compactor, is quidem vino aliquando conjectus tum inconditè jubilat, tum ingentes etjam clamores per plateas intempesta nocte, domum remeaturus sustollit editque. Id exaudientes studiosi quidam, qui quidem in cœmiterio ultrò citroque inambulabant, hominem accedunt, & molli brachio objurgatum tranquillè ac tacitè domum facessere jubent, hac expressa comminatione addita, si contra faceret, futurum utique, ut probè probeq; verberibus mulctaretur. Etsi verò obtemperaturū se ipsis confirmabat: hoc tamen ipsum minimè præstitit, sed ad ingenium rediit, ut primùm dorsum ipsis obvertit, in-

genti

genti jubilo clamoreque sublato. Itaque studiosi illum è vestigio insequuntur, rati ludibrio se ipsi atque despectui esse, hominemque comprehensum pugnis etiam atque etiam dedolant mulctantque. Qui quidem, ut studiosos placaret, voce quanta potuit maxima exclamavit: *Parcite parcite, ego membrium hujus sum scholis.* Illi contrà colaphos illi itentidem plena manu impingentes dixerunt: Tu verò insulse asine non es *membrium* sed *embryo* potiùs & stercus hujus Academiæ, asinumque hunc probè probeque quatefactum missum fecerunt, atque hoc pacto effecerunt, ut magis nunc mutus quàm piscis ac veluti ovis quædam placida, atque adeò caput sine lingua, domum sese reciperet, & ne gry quidem ultra adderet æderétve.

DCCXLVII. *De eodem.*

IDEM aliquando in nundinas autumnales Francofurtenses proficiscebatur. Magna tunc erat caloris vehementia, sic ut pallii sese sui (quod satis longum & grave gestabat) onere aliquandiu levari posse non parum quidem sæpè exoptaret. *Frideberga* nunc ante portam, qua *Francofurtum* versus itur, aliquò usque delatus, in *Judæum* quendam *Fridebergensem* ad easdem nundinas iter facturum, fortè fortuna incidit. Cum eo verba ultrò citroque commutat, & cùm miliaris quadrantem fortè unam excurrissent, tandem *Judæum* hunc ad modum alloquitur? Cùm in mercatu hoc Francofurtensi à studiosis nonnullis, qui in ære meo sunt, pecunias sim accepturus, & nunc quidem ab omni planè argento destituar, sic magno abs te opere, *Judæe*, peto quæsoque, ut thalerum mihi mutuò dare ne gravere. Ut verò cautum sit, pignoris loco pallium tibi meum trado, quod si hoc ipso die pecunia tibi tua restituta, non luam, perpetuò tibi reservabis. Annuit *Judæus*, & dat thalerum, accepto pallio, ædituo mutuò. Cùm autem

jam ad portas *Francofurti* deveniſſent, ædituus hic egregius noſter thalerum ex marſupio depromptum *Judæo* reſtituit, & pallium ab eodem ſuum repetitum ad ſe recipit, eique gratias amanter agit, quod ſuum ſibi pallium in hoc intenſiſſimo caloris æſtu eò uſq; deportâſſet. *Judæus* verò ſpe lucri deceptus, totus in fermento jacet, quòd verba ſibi tam turpiter data eſſent, atq; res ſecus, ac putarat, cecidiſſet.

DCCXLIIX. De eodem.

Philippus Matthæus Academiæ Marpurgenſis Jureconſultus præſtantiſſimus, promotor meus tertio die poſt, quam me, competitoresque meos Juris Doctores Anno *1595.* creaſſet, convivium in honorem noſtrum admodum lautum magnificumq; inſtruebat. In eo cùm hujus etiam hominis mentio fieret, quòd Stentoris more in ſacra æde cantans clamaret, & os ſuum ad ambas uſque aures diſtenderet, ac *Hermannus Vultejus* ejusdem Academię Jureconſultus primarius & incomparabilis, ad lætitiam me exſuſcitaret. Equidem dicebam, cùm in æditui hujus mentionem delapſi nunc ſitis, atque is quidem os ſuum tantopere diducat diſtorqueatque, planè mihi perſuaſum habeo, *Dominus conſiliarius*, qui è regione ipſius conſiſtunt, proclive eſſe, caſeum & panem in ventriculum illius ingeſtum introſpicere: **Ich glaub die Herrn Räthe ſolten jhm ſehen / daß Käß vnd Brodt im Leibe liegen.** Quo quidem dicto ad unum omnes, quotquot aderant, riſu tantum non emoriebantur.

DCCXLIX. De *Caſparo Cratone* Marpurgenſi.

Annis abhinc, niſi fallor, decem *Caſparus Crato* quidam *Marpurgenſis*, quem, quòd *Marcolphi* aliquando perſonam in Comœdia *Salomonis* magno cùm applauſu & approbatione omnium ab Herman-

no

no Kirchnero Poëta *Cæsareo* & J. U. D. Clarissimo amico meo summo magnificè admodum & festivè lusa actaq; tum facie, tùm moribus, tùm gestibus, idq; asino vectus, ad vivum expressisset, *Marcolphum* vulgò appellabant, *Magister* creari à Professoribus ejus Academiæ anxiè postulabat. Sistitur privato Marcolphus examini. Nunquam autem verbis expressèrim, quantoperè in eo Domini Professores hoc sese hominis somnio oblectaverint. Nam M. *Heddericus Lonicerus* ludibrii causa insigni ipsius eruditione in omni doctrinarum genere vehementer collaudata, ipsum non tantum studiis egregios habere progressus, sed & sacrarum literarum cognitione ita imbutum esse asseveravit, ut vel ex tempore, si res cogat, habere concionem aliquam possit, hisq; addidit: Sed audio, *Domino* nõ ita pridem, cùm in leprosario concionaretur, adversi quid accidisse. Nam cùm ipse statura brevior sit, quàm ut de rostris prospicere queat, pedibus suis scabellum quoddam suppositit, id carie confectum corruens, *dominum* de suggesto deturbavit. Huic respondit *Crato*: Ego verò, *Clarissime Domine Magister*, non labebar, sed truncus. Cæterùm risu, qui hinc cooriebatur, vehementissimus, sedato, *Lonicerus* examinare illum occipit, quæritque, ubinam prima fiat concoctio, explicatum sibi esse asserens, ipsum in medicorum quoq; scholis non mediocriter profecisse, respondet CRATO: *Inter dentes*. Egregiè verò respondes, inquit *Lonicerus*, ac dispeream equidẽ, si toto hoc die quis datus mihi sit, qui tam dextrè appositeque responderit. Sed studeo porrò ex te audire, ubi secunda fiat concoctio: *in ventriculo*, respondit CRATO. Cui *Lonicerus*, scitè respondisti, inquit: Perge igitur mihi explicare, ubi fiat tertia, *in epate* respõdit CRATO. Tùm *Lonicerus*, rem, ita me Deus bene amet, acu tetigisti, inquit. Itaq; hoc unum tantum ubi ex te q̃siero examinandi dein finem sum facturus. Cedo q̃-

so ergo, ubi fit concoctio quarta? *Cratoni* autem ad hanc quæstionem obmutescenti, & sollicitè responsionem meditanti, *Goclenius* cui dubium non erat, illum, quodcunque tandem ei insusurraret, creditu-rum, pro certoque asseveraturum, submissa voce subjiciebat, *in intestinis*. Quòd verò CRATO *Goclenium* non satis assequeretur, voce continuo maxima bonisque lateribus clamavit: *In testibus*. Ibi verò *Domini Professores* risu tantum non corruerunt, & hominem amanter dimittentes, in promotione XXVI. Magistrorum penultimum ei locum assignarunt.

FINIS.

ELEN-

ELENCHUS JOCORUM ATQUE SERIORUM HUJUS LIBRI.

1. DE Polono quodam & Gallo.
2. De Germano quodam & Hispano.
3. De Italo quodã & Germano.
4. De Judæo quodam & Christiano.
5. De quodam Gigante.
6. De Johãne àSchwartzburgk.
7. De alio quodam magni & ingentis roboris homine.
8. De Scoto quodam.
9. De Christiano quodam, & recutito.
10. De Francisco Philelpho Italo, & Timotheo Græco.
11. De Legatis quibusdam partim Venetis partim Florentinis.
12. De Viatoribus duobus Germanis.
13. De Memnone milite.
14. De puero quodam rustico ejusq; sorore.
15. De Milite quodam.
16. De Moniali quadam.
17. De quibusdam Monachis.
18. De Canonico quodam.
19. De quodam Monacho.
20. De Medico Monacho.
21. De Innocentio VIII.
22. De Monacho quodam.
23. De Pontifice Romano.
24. De Julio III. Pontifice.
25. De eodem.
26. De Julio II. Pontif. Max.
27. De Pontifice Romano regnorum mundi Domino.
28. De Cardinale Lotharingio ab adolescente Lucensi deluso.
29. De cive quodam Argentoratensi, cui ejusdem loci pictor fucum fecit.
30. De Pastore quodam.
31. De ambitioso & curioso quodam hyperbolo.
32. De Ulrico Duce VVitebergensi.
33. De puellis quibusdam Lunabergensibus à nobili quodam circumscriptis.
34. De Marcello Regis Gal-

liarum Franciſci Cancellario à Rege ſuo circumvento.
35. De Mœcha quadã marito ſuo comam mirificè circumtondente.
36. De quodam patre filiũ adulterinum & ſuppoſititium, plus quam germanos & à ſe proſeminatos amante.
37. De Macco quodam impoſtore.
38. De alio quodam plano.
39. De ſacrifico quodam à ruſtico deluſo.
40. De Heſſo quodã feſtivi ingenii homine.
41. de Sacrifico quodã Gallo, à milite Heſſo egregiè deluſo.
42. De ſutore quodam atq; ſacrifico.
43. De quodã ſuffraganeo.
44. De Johanne Tezelio à quodã equiſone circũvẽto.
45. De alio quodam ejusdem farina homine.
46. de Sacrificulo impoſtore.
47. De Abbate quodam.
48. De Sacerdote quodam percuſſore.
49. De uſurario quodã & Concionatore Cane muto.
50. De Vicario Ludovici XI. Galliarum Regis Conſiliario primario.
51. De Villequierio & Lignerollio Gallis, hoſtibus capitalibus memorabilis & horrẽda hiſtoria.
52. De ruſtico quodam.
53. De fure Britanno.
54. De Aſtrologo quodam.
55. De inconſulto quodam Conſiliario.
56. De Thalete Aſtrologo, & anu quadã ruſtica.
57. De quodam incontinẽtioris linguæ homine.
58. De alio quodam blaterone.
59. De ruſtico quodam.
60. De quodam Saxone.
61. De Jacobo Henrichmanno, & inſulſo quodam ruſtico.
62. De inepta quadam mulierecula.
63. De Sarctore quodam.
64. De Aſtrologo quodam & aratore.
65. De ruſtico quodam & nauta.
66. De Johanne Friderico Duce & Electore Saxoniæ & Centauro quodã.
67. De ſacrificulo quodam.
68. De Franciſcano quodam & ruſtico.
69. De quodam Cauſidico &

et item alij rustico.
70. De Veneto quodam.
71. De Bruscheto Henrici II. Regis Galliarũ Morione.
72. De Leopoldo Ducis Austriæ nomine.
73. De fatuo quodã Anglo.
74. De fatuo quodam Germano.
75. De fatuis quibusdam.
76. De Morione quodam.
77. De quodam Maximiliani ejus nominis I. Imperatoris Coquo semifatuo.
78. De Cuntzen von der Rosen ejusdem Imperatoris fatuo.
79. De excordi quodam Coquo.
80. De quodam Cordato Coquo.
81. Alecta de Asinis, quod horum sors & conditio plerunque melior sit, quam eruditorum & præstantium hominum.
82. De fatuo quodam.
83. De Crispo quodam.
84. De Judæo quodam.
85. De Apella quodam.
86. De Verpo quodam.
87. De Anu quadam Christiana, & Judæis.
88. De quodam recutito.
89. De quibusdam Judæis.
90. De Sabbathariis quibusdam.
91. De simplici quadã muliercula.
92. De quadam puella consitente.
93. De sacrifico quodam Franco.
94. De muliercula quadã Bruxellensi.
95. De Eremita quodam Macario.
96. De aliis quibusdam ejusdem farinæ fatuis.
97. De simplici quodam deprecatore.
98. De insulso quodã Presbytero.
99. De stulto mulieris cujusdam Voto.
100. De Antonio Urceo Codro.
101. De quodam Principe.
102. De Comite quodam.
103. De Nobili quodam.
104. De Milite quodam.
105. De quodam equisone.
106. De Consule quodam.
107. De Senatu quodam.
108. De Nobili quodam.
109. De quodam, qui in puteum ceciderat.
110. De ægroto quodam.
111. Amuletũ cõtra febrim.
112. De pulicum calliditate.

113. De pulicũ calliditate.
114. De quodam mendaci.
115. De Nugone quodam.
116. De duobus Halopãtis.
117. De Cardinalibũ quatuor virtutibus Cardinalibus.
118. De Erasmo Roterodamo.
119. De eodem.
120. De eodem.
121. De eodem.
122. De Cranvellano.
123. De D. Maximiliani filia Margarita.
124. De Jacobo Latomo.
125. De Casparo Contarreno.
126. De Hieronymo Emsero.
127. De Doctore Turco.
128. De Canonicis Misnensibus.
129. De Thoma Moro.
130. de Monacho, cui Scrofa cognomen.
131. De Enyalio Canonico Moguntino.
132. De Vacca Cunctionatore.
133. De Mulomarito Vormatia submerso.
134. De Petro Bembo.
135. De Angelo Politiano.
136. De Billiccio.
137. De Prafecto quodam Lugdunensi.
138. De Jacobo Gretsero Doctore Pontificio.
139. De eodem.
140. De Leone X. P. M. & Petro Bembo.
141. De eodem.
142. De Antonio Urceo Codro.
143. De Bertholdo Scheffero Cive Eschvvecensi.
144. De pœnitẽtiario quodam Constantinopolitano.
145. De quodam Monacho.
146. De Monacho quodam ruri mendicante.
147. De VVolffenschissio quodam Austria Principis ministro ob insidias alienæ pudicitiæ intentatas in solio, in quo lavabatur, trucidato.
148. De quodam Anabaptista.
149. De nonnullis Catabaptistis.
150. De Theodorico Sartore Anabaptista seu Enthusiasta.
151. De Thoma & Leonhardo Schikeo Enthusiastis.
152. De homicida quodam sui ipsius tum accusatore

retum condemnatores.
153. De Nobili quodam Silesio.
154. De quibusdam Nobilibus.
155. De aliis qnibusdam Nobilibus.
156. De novitio quodam Nobili.
157. In Hectorem, qui nobilitatem emit.
158. De duobus fratribus nobilitate generis præstantibus, qui in lacu quodam, ubi natando sese exercebant, inspectante suo patre miserabiliter perierunt.
159. De duobus Italis hominibus tum nobilibus, tum literatis.
160. De Othomaro Luscinio.
161. De rusticis quibusdam Saxonicis.
162. De pectatore quodam pœnitere nescio.
163. De Hugone Latimero Episcopo Vigemiensi.
164. De Johanne Keisersbergio.
165. De Georgio Episcopo Bremensi.
166. De David Episcopo Trajectensi.
167. De liberali quodam superintendente.
168. De rustico quodam.
169. De Consule quodam.
170. In Epitaphium illiteratum.
171. De indocto quodam sacrificulo.
172. De alio quodam indocto præfractóque sacrificulo.
173. De sponso quodam.
174. De alio quodã sponso.
175. De fure quodam.
176. De triginta notis elegantia mulierum.
177. De puella quadam et juvene.
178. Cur fœmina citiùs crescant viris.
179. Cur Silesia parùm vini producat.
180. De quadam puella.
181. De rustica quadam puella.
182. Monacho cõspecto quid faciendum, ejusdem descriptio, atq; studia.
183. De Monachis Erãciscis.
184. De sacrificulo quodam ebrio.
185. De alio quodam tomulento sacrificio.
186. De Legato quodam.
187. De Legatis quibusdã.
188. De Legato quodam, ubi etiam vidé collectanea

nea quædam, de Legatorum mandato sive Instructione, ut vocant, utilissima.
189. De Johanne Eccio.
190. De eodem.
191. De Castellano & Bigotio.
192. De moribus aulicorum seu instructio aulica.
193. De egregio quodam aulico.
194. De Sacerdote quodam.
195. De Theobaldo Thammero.
196. De eodem.
197. De eodem
198. De eodem.
199. Catalogus quorundam pseudoprophetarum nostri temporis à Joann. G. Arythmis ex tempore concinnatus.
200. De Johanne Fabro Episcopo Viennensi.
201. De insulso quodam suffraganeo.
202. De Doctore quodam.
203. In Doctorem quendam bullatum.
204. De indocto quodam Magistro.
205. De Nicodemo Frischlino, & literarum quodam studioso sabaudo.
206. De D. Johanne Lonicero & M. Johanne Molitore.
207. De quodam Magistello.
208. De Nicodemo Frischlino & quodam Poetastro Studioso Marpurgensi.
209. De Andrea Colbio & Petro Pagano.
210. De VVicelio Episcopi Moguntini fatuo.
211. De indocto quodam Magistro.
212. De quodam Philauto.
213. In Magistros nostros.
214. De inepto quodam Flaciano.
215. De alio quodam ejus farina homine.
216. De duobus Cardinalibus.
217. De Cucullatis.
218. De iisdem.
219. De impostura apud Muretum facta.
220. De Diabolo & quodam metallico.
221. De puero quodam.
222. Rabinorum quædam fabula.
223. Alia fabella.
224. Fabula Judaica tempore Messiæ.

225. De divite sacrificio moriente.
226. de Johanne Tezelio indulgentiarum nundinatore.
227. de pube habita pro capillis Catharinæ.
228. de superstitiosis quibusdam mulierculis.
229. de sartore quodã sacrificida.
230. de rustico quodam atque Sacerdote.
231. de indulgentiis Julii P. M.
232. de Nobili quodam juvene.
233. de Henrico Angliæ Rege ejus nominis VIII.
234. de Henrico Imperatore ejus nominis VII.
235. de Maximiliano ejus nominis I.
236. de eodem.
237. de eodem.
238. de eodem.
239. de D. Stabio Maximiliano Imperatore Mathematico.
240. de Johanne Manardo.
241. de Camillo Querno Archipoeta.
242. De Clemente Marotto.
243. de Paparum creandorum ritu immutato.
244. de Johanne Rodolpho Lavatero Consule Tigurino.
245. de eodem.
246. de Henrico Reuchlino Quæstore Tigurino D. Ludovici Lavateri materno.
247. de quodam Anglo.
248. de puerpera quadam.
249. de duobus rusticis.
250. de inepto quodã Cuntzsonatore.
251. de Eremita.
252. Historia de puella quadam Francofurtensi.
253. Historia Spectri Spirensis.
254. de quodam Monacho.
255. de adultera quadam Bohemica.
256. Historia de tribus fratribus contẽdentibus de hereditate patrima.
257. Historia de pœnis triũ testium contra NARCICSSUM Episcopum Hierosolymitanum.
258. de Henrico Glareano.
259. de

259. De *Arcadibus & Athenienſibus.*
260. De *Henrico Loritо Glareano.*
261. De *eodem.*
262. De *eodem.*
263. De *eodem.*
264. De *Hermanno Buſchio, ubi & Collectanea de Veſtitu.*
265. De *laſciuo Nobilis cujusdam ſcriba.*
266. De *inſano Pamphili cujusdam amore, &c.*
267. *Jocus ad Georgium Spalatinum.*
268. *Jocus M. Ludouici Milichii.*
269. De *villico quodam & ruſtica.*
270. De *mariti cujusdam commemorabili amore inſignique fide erga uxorem.*
271. De *Epiſcopo quodam Magdeburgenſi.*
272. De *percuſſore quodã.*
273. De *cerebroſa quadam muliere.*
274. De *edentula quadã ſemper latrante.*
275. De *quodam Franco.*
276. De *unoculo quodam.*
277. De *viro quodam uxorem ſubmerſam querente.*
278. De *quodam ruſtico.*
279. De *malo malã et cerviçoſa conjuge.*
280. De *perjuro quodam.*
281. De *quibusdam blaſphemis militibus.*
282. De *perjuro quodã alio.*
283. De *parente quodam, qui filium diris deuotes, optabat eum à Diabolo abripi.*
284. De D. *Simone Simonio.*
285. De *Georgio ab Haſelen, & Henrico Stiel.*
286. De *Salinario quodam & puella Marpurgenſi.*
287. De *Presbytero quodã Erphurdienſi Domino Stutzero.*
288. De *ruſtico quodam Heſſo.*
289. De *Juſto Schützeii Studioſo Jenenſi.*
290. De *inepto quodam paſtore.*
291. De *ruſtico quodam.*
292. De *Petro N. N. ſtudioſo bibace.*
293. De *quodam Epiſcopo guloſo.*
294. De *Oenophilo potore egregio mortuo.*
295. De *Helio Eobano Heſſo Poetarum Rege.*
296. De *Johanne Alio.*
297. De *Alexdro potore.*

298. De Potiliano potore.
299. De Gallonio luxurioso.
300. De Pamphago quodã cum nonnullis collectaneis contra bibacitatem & edacitatem.
301. De Henrico Lusitano vinaria ãgina extincto.
302. de quodam patrem suum per ebrietatem interficiente.
303. de Hansone Fitzlero fatuo Cammerforstensi.
304. de opilione quodam et pharmacopola.
305. de alio quodam opilione.
306. de Maximiliano Imperatore ejus nominis II. & opilione quodam.
307. de Cive quodam Cygneo.
308. de Johanne Diazio Hispano ejusq; fratre Alphonso.
309. de Alphonso Diazio fratricida.
310. de Eberhardo VVittembergensium Duce.
311. de Landgravio Hassiæ Henrico.
312. de Philippo Comite Cattimelibocorum.
313. de Anna Comitis hujus Philippi filia.
314. de Arnoldo Geldriæ Duce.
315. de Arnoldo Geldriæ Duce primo.
316. de N. N.
317. de Carolo V. Imperatore.
318. de eodem.
319. de eodem.
320. de eodem.
321. de eodem.
322. de eodem.
323. de eodem.
324. de eodem.
325. de eodem.
326. de Solymo Turcico Imperatore.
327. de Antonio Bassiano, qui & Caracalla dictus est.
328. de Landgravio Ludovico ferreo cognominato.
329. de Dionysio Syracusanorum Tyranno.
330. de Nicolao Petri, rustico Honensi.
331. de eodem.
332. de Martino ab Hanstein equite Eusfeldiaco, & milite quodam circumforaneo.
333. de alio quodam impio impudente milite impostore.
334. de alio quodam impio & consecelerato milite.

335. De Michaële Furſten-
Gualdio fatuo Caſſel-
lano.
336. de eodem.
337. De Balthazare Mo-
rione futuro muſico.
338. De ruſtico quodam.
339. De Hermanno à Let-
ta.
340 De Guido Ubaldo &
Eliſabetha Genyagia
Urbini Ducibus.
341. De nobili, qui ſuas-
pſius famula ſtuprum
volebat inferre.
342. De anu quadam ma-
ritum ſuum in adulte-
rio deprehenſum ca-
ſtrante.
343. De anu quadam libi-
dinoſa & adultera.
344. De Conrado Schaffio
opilione Depferano.
345. De equiſone Spiræ re-
nes vituli devorante.
346 De quodam modeſto
religioso vé ſaltatore.
347. De Friderico III. E-
lectore Palatino.
348. De Carolo Magno.
349. De Alphonſo Hiſpaniæ
& Neapolis Rege.
350. De Philippo Principe
Palatino Electore.
351. De Ludovico Comite
Palatino Rheni S. Rom.
Imper. Electore, Duce
Bavariæ.
352. De Ferdinando Impe-
ratore.
353. De Chriſtiano Rege
Daniæ.
354, De Solymanno Impe-
ratore Turcico.
355. De Philippo Melan-
chthone.
356. De levi quodam Ne-
bulone.
357. De Mercatoris cujus-
dam conjuge.
358. De nobili quadam fæ-
mina, ejusq; paſtore.
359. De nobili & verbi di-
vini miniſtro.
360. De homine quodam
militari, & Theobalde
Thamero.
361. De Concionatore quo-
dam.
362. De Citharistria Bo-
nonienſi.
263. De Philippo Burgun-
dia Principe.
364. De Epiſcopo Hiſpano.
365. De Diabolo horrenda
hiſtoria.
366. De puella in equum
verſa.
367. De quodam Lycaone
ruſtico.
368. De Comite quodam
Gleichen. 369. De

69. De D. Martino Luthero.
370. De somnio militis cujusdam.
371. De Johanne Clajo.
372. De eodem.
373. De Friderico et Johanne Saxoniæ Ducibus.
374. De Theodori Gazæ illico spectro vexato propter effossam urnam.
375. De Philosophis Græcis spectro admonitis.
376. De quodam Comite ejusq; subditis.
377. De Papa Romano collectanea quadam.
378. De Standicio Franciscano & quodã servita.
379. De Moniali quadam.
380. De Hispanis quibusdã.
381. De adolescente Salzungensi.
382. De Petro Pagano.
383. De eodem.
384. De Simone Bingio & Johanne Rhodo D. Med.
385. De eodem Rhodo.
386. De eodem.
387. De eodem.
388. De Vindiciano Medico.
389. Εἰς ὑφαίνην.
390. Jocosa astrologorum et medicorum irrisio.
391. De Medico quodam.
392. De D. Nicol. Asclepio.
393. De Goslaria, quæ Euricio Cordo pro oblato carmine tres bohemos dedit.
394. De Carolo V. Imperatore.
395. De Cassaro Rodolphi.
396. De Johanne Garnerio.
397. De Victorino Schonfeldio.
398. De Roberto Licinienſi.
399. De eodem.
400. De Antenio.
401. De quadam Concionatore.
402. De quodam alio.
403. De Thoma Moro.
404. De quodam Prætore & rustico.
405. De Roberto Lucensi concione sua lacrymas licus exuentiente.
406. De sacerdote quodam ejusq; famulo.
407. De puero condiscipulum suum accusante.
408. De C. Pisone.
409. De Athenodoro Philosopho.
410. De Antiocho sophista.
411. De quodam Pistore ex indiciis urgentibus extra culpam occiso.

412. de Palamede Ulyssis inimici fraude extincto.
413. de Baldo Jurisconsultorum Principe.
414. de Carolo Navarra Rege.
415. de quodam à felis sua morsu occiso.
416. de Lucia M. Hurelii Imperatoris sorore.
417. de Petro Leonino Spoletano Medico.
418. de Pisano Archiepiscopo.
419. de Adolpho Guilielmo à Dorinberg.
420. de milite devorante capum.
421. de Concionatore quodam Helvetio.
422. de sacrificio quodam VVestphalo.
423. de eodem.
424. de Concionatore Hesso.
425. de alio quodam pastore pagano.
426. de Pastore quodam ebrioso, cum collectaneis in ebriosos pastores.
427. de Bonifacio Dornemanno Sacrificio Hallendorphensi.
428. de eodem.
429 de Ernesto indocto & insulso pastore.
430. de eodem.
431. de alio quodam indocto Pastore.
432. de eodem.
433. de quodam indocto Presbytero Bavaro cum collectaneis contra indoctos doctores.
434. de Nicolao Volemanno.
435. de D. Augustino & quodam impio Afro.
436. de Protarcho Philosopho.
437. de Claudio Episcopo Taurino.
438. de D. Petro Martyre.
439. Supplicatio collegii sacrorum scortorum Romanorum ad summum Pōtificem pro Cardinale Carapha exule.
440. de Papa Julio, eius nominis III.
441. de avicula Monocodiata.
442. de quodam Cane homicidam prodente.
443. de quodam Cane furem prodente.
444. de quodam Cane adulterum prodente.
445. de alio quodam Cane.
446. de Guilielmo Corsio Gallo.

447. de

447. De Spiridionis filia.
448. De spectro Atheniensi.
449. De duobus spectris aliis.
450. De alio quodam spectro.
451. De alio quodam spectro.
452. De Ludovico Alodisio ejusq; patre.
453. De Damonibus metallicis.
454. De spiritu vel Damone quodam montano.
455. De felici malleolo.
456. De quodam Judæo nomine Sedechia Mago.
457. De alio quodam Mago.
458. De alio quodam spectro.
459. De Melancholico quodam viro illustri.
460. De alio quodam Melancholico.
461. de alio Melancholico.
462. De alio quodam.
463. De alio quodam.
464. De alio quodam.
465. De alio quodam.
466. De alio quodam.
467. De Muliere quadam Melancholica.
468. De alia quadam.
469. De alia quadam.
470. De alio quodam Melancholico.
471. De gemellis fratribus
472. De aliis gemellis fratribus.
473. De Ludovico Rege Gallorum.
474. De Aristide.
475. De Jurisconsulto Neapolitano, cum collectaneis.
476. De Ptolomæo & Alexandro Magno.
477. De Antonio Pio.
478. De Xerxe Duce Medorum, cum collectaneis.
479. De Metello.
480. De Mauritio Duce & Electore Saxoniæ.
481. Lepida quadam narratio collocutionis inter Christum, Adamiq; filios Abelem & Cainum habita.
482. De quodam plagioso & semiinsano præceptore, cum collectaneis contra plagiosos præceptores
483. De aliquo invito ad juris studium abrepto.
484. De Acarnete adolescente.
485. De novem mulierum pellibus.
486. De septem mulierum

proprietatibus.
487. Uxor tribus modis ducitur.
488. De Viro uxorem verberibus multante.
489. Thorus tranquillus.
490. In puellam jocus.
491. De duobus captivis, quorum alter insons per errorem supplicio affectus est.
492. De capitali instituto judicio mirabiliter dissoluto.
493. De Pecchio Cisalpino, qui novendecim annis in vinculis, posteáq; mirabiliter, salvus adhuc & incolumis liberatus est.
494. De Carolo V. Imperatore.
495. De quodam Scurra, quem vocamus den Vlenspiegel.
496. De superattendente quodã Vulturio Thuringo cum collectaneis.
497. De Senectione quodã.
498. Fœmina sunt irritabiles.
499. Uxores non sunt irritãda, cũ collectaneis.
500. De Reinhardo Hadamario.
501. De Eobano Hesso.
502. De Jano Cornario Medico olim Marpurgi professore.
503. De Johanne Dryandro Medicina Doctore, & Professore Marpurgensi, ac insulso quodam rustico.
504. De aurifice Montipessulano.
505. De Theotimo quopiã.
506. De Nobili quodam, et Doctore.
507. De Pina nobili.
508. De quodam verbi divini præcone.
509. De Canonico quodam Erphordensi.
511. De Johanne Hotzelio.
512. De Ferdinando Imperatore Romano.
513. De Milite quodam.
514. De rustico quodam temerario.
515. De Nicolao Harmsio aurifabro & Senatore Cassellano.
516. De quodam Franciscano.
517. De quodam Dominicano & virgine Moniali.
518. De quodã Bursore Regij Daniæ ad cadaverminis à sese interfecti adducto.
519. De

519. De Latrone quodam, cum collectaneis de fluxu sanguinis ex cadavere.
520. De muliere quadam Venetica.
521. de quodam homicida.
522. de Conrado Clubero rustico quodam.
523. de Ecclesiæ cujusdam ministri conjuge.
524. de Johanne Stigelio et Johanne Majore.
525. de Johanne Lonicero & Senatoribus Marpurgensibus.
526. de D. Andrea Hyperio.
527. de eodem.
528. de N. N. nobili.
529. de Philippo Landgravio Hassiæ, & Sebastiano Schertelio.
530. de D. Justo Didamaro, & Heuset Wormsen.
531. de studioso quodam Hamburgensi.
532. de D. Erasmo Alberto.
533. de quodam pastore, & Villico ipsius insulso rustico.
534. de Casparo Rodolphi, & D. Iohanne Pistorio.
535. de M. Sebastiano Frosschelio, & Doctore quodam juris.
536. de adolescente quodam nobili.
537. de quodam Mercatore cum collectaneis.
538. de studioso quodam Ungaro.
539. de Martino Luthero atque Philippo Melanchthone.
540. de Philippo Melanchthone, & Rodolpho Gualthero.
541. de Philippo Melanchthone et Dionysio Melãdro cum collectaneis contra Astrologiam judiciariam.
542. de Leonhardo Thurneussero, & Conrado Stangio Coss. Esch.
543. de Georgio Majore.
544. de Philippo Melanchthone, & D. Paulo Ebero.
545. de Dionysio Melãdro.
546. de Bertholdo Campensi, & Iudæo quodã.
547. de eodem Bertholdo Campensi.
548. de Suffrido Breuero Cive Marpurgensi.
549. de Rodol. Gualthero, et Dionysio Melãdro cum col-

Caneis quibusdam contra Jureconsultos causas plus æquo extrahentes.
550. *De Erasmo Roterodamo Germano, & Guilielmo Budeo Gallo, & Johanne Ludovico Vive Hispano.*
551. *De Sejano Senatore.*
552. *De Ruffino.*
553. *De Petro Martyre Vermilio Florētino Theologo, cum collectaneis.*
554. *De Elephanti amore erga hominem.*
555. *De Monacho quodam, & bufone.*
356. *De puero quodam & Simio, atq; testudine.*
557. *De Maximiliano Imperatore ejus nominis I.*
558. *De eodem.*
559. *De Medico quodam.*
560. *De Theophrasto Philosopho.*
561. *De Joachimo Vadiano Medico.*
562. *De Medico quodam impostore.*
563. *De Nicodemo Frischlino.*
564. *De Doctore quodam Juris.*
565. *De D. Antonio.*
566. *De Alladio.*
567. *De Cive Megalopolita.*
568. *De Conrado Ledderhosio Reip. olim Cassilensi Senatore.*
569. *De quodam rustico et nonnullis Scholasticis.*
570. *De nobili quodam insipiente, & scabino sua opinione perquam sapiente.*
571. *De quodam rustico.*
572. *De alio quodam rustico.*
573. *De alio quodā rustico.*
574. *De aliis quibusdam rusticis.*
575. *De alio quodam rustico.*
576. *De quodam Diacono, & rustico.*
577. *De superstitiosa quadam rustica.*
578. *De rustico quodam.*
579. *De Balthazare Cossa Pontif. Roman.*
580 *De Channio Chan Imperatore Tartarorum.*
581. *De Consule quedam Jenensi.*
582. *De Diocletiano Imper.*
583. *de materiato quodā fabro, Leone, Leana & ursa.*
584. *De Androdo et Leone.*
585. *De Abbate Gerasimo, & Leone.*
586. *De Augusto Cæsare et Corvo.*

587. De agricola quodam & aquila.
588. De Ciconia.
589. De quodam Principe & rustico.
590. De suffraganeo quodam.
591. De quodam Verbi divini praecone.
592. De Bertholdo Scheffero, cum Collectaneis.
593. An sit uxor ducenda.
594. Formosa mulier vitanda.
595. De quatuor mulierum generibus.
596. De Martino Coquo Coss. Esch.
597. De quodam Metallico.
598. De Gabriele Lupichio adituo Honensi.
599. De Lobano Stangio Cive Esch.
600. De Henrico Comite à Schwartzburgk.
601. Muliebris de admirabili isto adorando q. SS. Trinitatis mysterio disceptatio.
602. De Sponsa quadam honesta, cum collectaneis nonnullis.
603. De mendaci quodam adituo.
604. De eodem Halopanta.
605. De eodem, cum collectaneis nonnullis.
606. De Nobili quodam N.N.
607. De nobili quodam VVestphalo.
608. De D. Johanne Megabacho.
609. De Johanne & Anastasio Schimmelpfengiis.
610. De philauto quodam seu sciolo.
611. De Johanne Schimmelpfengio, & Caspare Rennero.
612. De Matthia Dornemanno & opilionibus duobus.
613. De M. Georgio Amico & Coss. Esch.
614. De Hermanno Sminio Chirurgo Cassellano, & Medico quodam.
615. De eodem Chirurgo, & rustico quodam Orphterodamo Hesso.
616. De rustico quodam Hesso.
617. De Sartore quodam Francofurtensi cognominato Dürrhensel.
618. De Pharmacopola quodam Gottingensi.
619. De Conrado Gesnero & Johanne Frisio.
620. De Jacobo Ammiano Profess. Logico Tigurino.

621. De Othone VVertmullero, & Rodolpho Gualthero Theologis Tigurinis.
622. De Johanne Rhenano.
623. De Johanne Leningo, & Cive Melosungensi quodam, atq; Opilione.
624. De Georgio Mencio Diacono Cassellano, & rustico quodam.
625. De inepto quodã puellarum amatore.
626. De eodem.
627. De Medico quodam Viennensi.
628. De D. Theophilo Gualthero Bidencapio.
629. De quodam Germaniæ Principe, & superintendente.
630. De Johanne Schœrtero Latomo Helvetio.
631. De Martino Luthero.
632. De Friderico Saxoniæ Electore.
633 De Philippo Macedonum Rege.
634. De Lanio quodam.
635. De rustico quodam & Satana.
636. De quodam Pharmacopola.
637. De eodem.
638. De Theophilo Gualth.
639. De Martino Rhenano Medicinæ Licentiato.
640. De pastore quodam pagano.
641. De alio quodam Ecclesiaste.
642. De Johanne Keudelio, & Casparo Rodolphi.
643. De inepta & fatua quadam famula.
644. De eadem.
645. De Johanne Ficino.
646. De psittaco quodam.
647. De alio quodam psittaco.
648. De luscinijs.
649. De Monomachia sive certamine Lucii & Ranæ memorabilis historia.
650. De Ciconiarum castitate.
651. De quarundam Ciconiarum erga matrem suam impietate.
652. De Casparo Rodolphi & Johanne Lonicero Professoribus olim Marpurgensibus.
653. De studioso VVittenbergensi.
654. De D. Johanne VValthero.
655. De M. Petro Vincentio Profess. VVitebergensi.
656. De D. Petro Martyre.

657. De Cappelleto & Monacho quodam.
658. De Johanne Brentio, & Johanne Cochlæo.
659. Declinatio adverbii Interim.
660. De eodem Interim.
661. De Francisco.
662. De Jacobo Marchione Badensi.
663. De Augustano quodam juvene, cum Collectaneis de conscientia.
664. De Tolliano quodam seu fure.
667. De alio quodam trium literarum homine.
668. De alio quodam nebulone furandi scientiam in artificiis manuariis numerante cum collectaneis.
669. De alio quodam fure, cum collectaneis.
670. De præcone quodam Euangelico.
671. De Serapione.
672. De reliquis quibusdã.
673. De Tilemanno Heshusio.
674. De studioso quodam.
675. De quodam providentia divina nimium tribuente.
676. De Philippo Melanchthone.
677. De Ætna incendio facto anno M.D. XVI. memorabilis & horrenda historia.
678. De Johanne Rhodo.
679. De Dionysio Melãdro.
580. De eodem.
681. De Phil. Melãchthone.
682. De quodã meticuloso.
683 De inepto quodã Cunctionatore.
684. De Hermanno Buschio & Francisciano Lãberto.
685. de Pfasso quodam latinæ linguæ ignaro.
686. De studioso quodam ad Magisterii gradum aspirante.
687. De alio quodam.
688. De Michaële quodam caligas suas permingẽte.
589. De Enricio Cordo.
690. De eodem.
691. De Johanne Rhodo & Lamberto quodam.
692. De Theologis quibusdam ineptis.
993. De M. Iacobo Huttero.
694. De Iohãne Oldẽdorpio, & Dionysio Melandro.
695. De Magistro quodam.
696. De Guilielmo Rittero.
697. De ejusdem uxore.
698. De conscelerato quodã boni parentis filio.

699. De

699. De alio quodam ejusdem farina filio.
700. De alio quodam ejusdem moneta filio.
701. De Quirino Humpfio.
702. De fure quodam.
703. De Consule quodam.
704. De puerpera quadam.
705. De Institore quodam.
706. De Petro Pagano, & Nigidio.
707. De Casparo Rodolphi.
708. De eodem.
709. De eodem.
710. De Johanne Frisio Tigurino.
711. De eodem.
712. De eodem.
713. De opilione quodam.
714. De impio quodam molitore.
715. De conscelerato quodam Senatore.
716. De Pastore quodam indignissimis modis tractato à suo nobili.
717. De nobili quodam Brunsuicensi.
718. De Christophoro Herolde Molitore pagano.
719. De inepto quodam Concionatore.
720. De alio quodam supino atque oscitanti pastore.
721. De Sanseverino Principe.
922. De conscelerato quodam viduo.
723. De impia quadam atque conscelerata matre.
724. De D. Johanne Eccio.
725. De Nobili quodam.
726. De Georgio Deingio.
727. De M. Christophoro Frenao, & duobus rusticis.
728. De rustico quodam.
729. De alio quodam.
730. De Vetula quadam rustica.
731. De temulenta quadam muliere.
732. De Verate quadam mulsere.
733. De edace quodam adituo.
734. De duobus studiosis VVittebergensibus.
735. De alio quodam.
736. De Casparo Rodolphi.
737. De VVestphalo quodam nobili.
738. De eodem.
739. De eodem.
740. De Dionysio Melandro Ecclesiaste Francofurtensi.

De

741. De eodem.
742. De Principe quodam, & Vidua quapiam rustica.
743. De Doctore Staupicio.
744. De D. Martino Luthero.
745. De Georgio adituo Marpurgensi.
746. De A.H. adituo librorumq; compactore Marpurgensi.
747. De eodem.
748. De eodem.
749. De Casparo Cratone Marpurgensi.

FINIS.

JOCORUM ATQUE SERIORUM

OTHONIS MELANDRI, JURISCONSULTI LIB. SECUNDUS,

lectu non solum jucundus, sed & utilis,

Studio atque opera JOANNIS DRYMELDII nunc primùm in lucem & apertum prolatus.

LICHÆ,

Ex Officina Typographica Guolgangi Kezelii.

M. DC. IV.

JOANNES DRYMELDIUS
CANDIDO LECTORI
salutem.



LIBERALE equidem esse statuo atque indecorum, Typographum alterum alteri, lege naturæ posthabita, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, commodum suum intervertere, ad seq; transferre. Quod quidem cum in primi sit libri editione magno Kezelii detrimento factum, chalcographos quoscunq; rogatos volo, ut ne honestum utili postponentes, idem in Secundo hoc libro attentent, sed recta secum via illud Ciceronis reputent. Boni nullo emolumento impellũtur in fraudem: Improbi sæpe parvo. Quantum ad nos

pertinet, unam Kezelianam editionem pro germana & genuina, hoc est, nostra agnoscemus, alias omnes si quæ fortassis (quod nolim) subsequentur, adulterinis atque suppositititiis numeraturi. De quo te benevole lector admonendum duximus. Vale ac labore hoc nostro candide utere fruere, & à nobis propediem plura ejusdem argumenti ex officina chalographica D. Guolphgangi Kezelii, viri integerrimi, & præstantissimi expecta.

NE

NE PAGELLÆ HIC ALIQUOT ESSENT VACUÆ, PLACUIT eas implere hoc sequenti Hymno à rasorum agmine quondam cantato, cum ejus antithesi: benevolus lector boni consulat, legat, feliciterque vivat.

1. *MArtini Lutheri fraudes*
Damnarunt Christiani
2. *Lupus voravit oves. Calvinusq; pestilens*
Technis dementavit peccatores.
3. *Hic & Luther duello*
Conflixere mirando:
Sed Rex Catholicus
Regnat vivus.
4. *Dic nobis Papista,*
Quid firmat te in via?
Viventis Christi doctrina
Per sponsam ejus ad nos traducta.
5. *Dic nobis Papista,*
Quid firmat te in via?

6. *Rectores concordes riteque ſuccedentes.*

Dic nobis Papiſta
Quid firmat te in via?
Miſſus Dux Alba ſpes noſtra
Præcedens in fide Catholica.

7. *Credendum eſt magis ſponſæ*
Chriſti veraci
Quam factioſæ
Turbe fallaci,

Scimus Chriſtum ſe promiſiſſe ſemper affore noſtræ cum Spiritu Eccleſiæ.

Alleluia.

Iſtius Hymni Antitheſis.

1. BESTIAE *Papalis fraudes*
Immolent Chriſtiani
Error peremit oves
Pontifex nocens, ater
Reconciliavit regnatores

2. *Celta & Iber duello*
Deſtituere paterno
Ne Chriſtus mortuus
Regnet vivus.

3. Die nobis mens pia
Quid vidisti in via?
Simulacra Christi viventis
Manusq; pios crucifigentis.
4. Babylonicos testes
Carnifices & restes,
Respexit Christus spes mea
Ne prosit eis post metanoea.
5. Credendum est magis solè
Scripturæ veraci
Quam Cynædorum
Turbæ fallaci.
6. Scimus Papas exiisse
Ab inferis vere
Tu mundi Christe
Rex miserere.

I.

De D. Justo Vultejo, Pædagogiarcha olim & professore Theologiæ in inclyta schola Marpurgensi celeberrimo, & Lamberto N. ipsius in pædagogio collega.

LAMBERTUS hic in numerum præceptorum pędagogii cooptari olim cum averet, mirifice apud *D. Justum Vultejum* pædagogiarcham, virum in omni disciplinarum genere doctissimum, quem honoris caussa nomino, gloriatus est, se non modo in Musicis excellere, sed & habere insuper (utor ipsius verbis) *Vocem admodum amicabilem.* Hæc audiens *Vultejus*, risu propemodum corruit, conversusq; ad collegas suos exclamat. **O du armer fallbell.** *O te misellum asellum.* Non enim tam offendebatur thrasonica isthac illius miseri hominis ac profugi monachi gloriatione, quàm illo isto sermonis genere, quo utebatur. Quod enim *Ciceronem Vultejus* non solum legendo contrivisset, sed & in suum sanguinem convertisset & succum, commoveri nonnihil solebat, ac interdum etiam subringi, si quando quispiam verbum aliquod à *M. Tullio* nostro non usurpatum, ac insolens proferret, aut minus latine pureq; loqueretur. Quantum porro ad vocem *Lamberti* istius pertinebat, quam *amicabilem* sibi DEI OPT. MAX. munere atq; concessu obtigisse jactabat, erat ea (ut accepi) inclinata.

II 1

BIBLIOTHEK
MUSEUM FÜR
VOLKSKUNDE, WIEN

ſubrauca, inſuavis, ruſtica, rancida, agreſtis, abſona & ut paucis omnia cõplectar, plane aſinina, ita quidem, ut rudere potius *inamicabiliter*, quam jucunde ſuaviterq; canere videretur.

D. Pecelius parte 4. Poſtill. phil. Mel. pag. 741.

Ἑκάστῳ βδῆμα αὐτῷ γλυκίον μήλου. Unicuilibet ſuũ ſtercus dulcius eſt pomo aureo, **Wie eine Schone liebliche Pomerantze.** Suum cuique pulchrum **Einem jeden Narren gefelt ſeine Kolbe wohl Einem jeden Fantaſten reucht ſein Dreck beſſer / dann eine Pomerantze.** Scitis eſſe gratiſſimum odorem & Saporem pomi aurei.

Suus cuiq; crepitus bene olet.

Ein jeden gefelt ſein weiſe Wohl/
Drumb iſt die Welt der Narren voll.

COLLECTANEA.

De vitanda ſui ipſius laudatione,

Solomo proverb. 27. v. 2.

Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua,

Paulus 1. Corinth. 4. v. 7.

Quid habes quod non acceperis, quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris, ut qui non acceperis?

Cyprianus.

In nullo gloriãdum eſt, quia nihil eſt noſtrum.

Auguſtinus in Pſal. 144.

Ecce inventum eſt quomodo te laudes, & arrogans non ſis. DEUM in te lauda, non te, non quia tu es talis, ſed quia fecit te talem, non quia tu aliquid potes, ſed quia poteſt ille in te, & per te.

Idem.

Qui ſibi placet STULTO placet.

Cyril.

Cyrillus lib. XI. *in Joannem cap.* 38.

Quæ forti & magno animo gesta sunt, non lingua nostra, sed aliorum prædicari debent. Turpissimum enim est non aliorum voce, sed ore nostro laudari.

Aristoteles.

Semet ipsum laudare vani, vituperare stulti est.

Cicero lib 1. *officiorum.*

Deforme est de se ipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.

Plautus in pœnulo Act. 5. *Scen.* 4.

Malim istuc aliis videatur, quam uti te soror collaudet.

Cato lib. 2.

Nec te collandes, nec te culpaveris ipse.
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Proverbia.

Propria laus sordet.
Qui se ipse laudat, malos habet Vicinos.
Lobe dich selbst/ die Nachtbarn Sinds Müde.

II. *De Sacrificulo quodam, cui stidem Vox fuit Amicabilis.*

CAntabat clamans asinina voce Sacerdos.
Missam, se credens psallere dulce melos.
Astitit illachrymans mulier, vocemq; sacerdos.
Altius attollit, vociferatq; magis.
Namq; suo expressas lachrymas erumpere cantu
Credit, devota & commaduisse genas.

Missam ubi finivit credit se voce boante,
Angelicum Domino concinuisse melos.
Accedit, quærit, tantum cur fleverit illa,
Missa cum caneret verba verenda DEO.
Perditus est, inquit, mihi nuper carus asellus,
Plurima qui misera commoda grata tulit.
Hujus me vocem credebam audire rudentis,
Sic Asinus fecit me lachrymare meus.
Sic Asinum magnum probat hic se voce Sacerdos,
Qui putant angelicum se cecinisse melos.

D. Lucas Lossius in Epigram. pag. 230.

III. *De Chasp. Rodolphi profess. olim in inclyta schola Marpurg. Dialectico, & N. N. pastore pagano, ut hujus quidem insitam illo carpserit.*

QUidam de rure *pastor* faciendum sibi aliquando putabat, ut ad *Chasparum Rodolphi* commearet, ex eoque percunctaretur, ecquos filius suus in optimarum artium studiis progressus faceret, ac num ii sumptus, qui in ipsum fierent, bene ponerentur. Ut igitur *Marpurgum* pervenit, *Chasparum* dicta salute sic est allocutus: **Hochgelarter Herr** *Magister*, **nach dem jhr meinen Sohn nun in dz zweitte Jhar in ewer** institutz **vñ** disciplin **habt/hab ichs nicht vnderlassen können/ noch sollen/euch zu besuchen/vnd zu fragen/ ob ehr auch fleissig studirt. Lieber wie helt er sich? Ist auch der vncost an jhme bewant. Verhaltet mir nichts.** Doctissime D. Magister, cum gnatus noster annũ nunc alterum te præceptore utatur, teneri equidẽ haud potui, quin ad te profectus explorarem, num diligenter in studiis humanitatis ac literarũ versetur. Frugine ergo ille cedo quæso scholastici facit officiũ? Dic amabo te mihi nũ impẽsæ, quas in ipsum

ipsum facio ac cõfero, præclare collocentur? Cave me quid cæles? Postea vero quã *Chasparus* respondisset, filiũ ipsius in pietate, & bonis literis egregie proficere, futurũq;, ut mense uno atq; altero exacto prima philosophiæ laurea redimeretur, *Pastor* gaudio exiliens illico exclamat, **Ey dz hör ich gern mein** *Joannnes* **hat ein** *felicẽ ingeniũ*. Magnã enimvero isthoc tuo ex sermone voluptatem percipio. Summa semper ingenii vis in filio nostro *Joanne* fuit. *Chasparus* igitur isto illius solœcismo audito, ita mox infit, **Ja ewer** *Joannes* **hat ein** *felix ingeniũ*, **Ir aber habt ein** *infelicem ingenium*, simulq; partim latine, partim vero germanice, voce quanta potest maxima exclamat. O illiteratũ *pecus campi*, recipe te confessim ad quadratos rusticos, truncosque tuos & apud illos rude, **O du vngelehrter Dorffpfaff heb dich dannen zu deinen vierschrötigen bawren vnd Rültzen/vnd gacke daselbsten.** *Pastor* ergo pudore confusus, ac *Caspari* vulticulo, stentoreaq; voce plane exterritus examinatusq;, domũ se acturum non sine lachrymis refert, neq; *Chasparum*, quem antehac nõ viderat, videre autẽ mirum in modũ gestiebat, in posterũ unquã visit compellatve. Ipsum porro in pedes sese conjicientem, ac abeuntem *Chasparus* hisce dicteriis prosequitur, **So muß man auch** *Pecora Campi* **mit dem** *Donato* **vor den Arsch Schlagen** Sic sic vos mystæ vicani docendi estis Grammaticen. Cæterum pastores paganos (ut hoc quoq; addã) contemptim ille appellare solebat, *pecora campi*, **Stigelhupffen/ Dorffschützen.**

IV. *De N.N. Verbi divini præcone in Cattis.*

EQuidem admodum adhuc puer *Honæ* sum olim in bonis literis Magistro usus N.N. homine &

ne & literato, & docendi dexteritate pollente, & industrio diligenteq;, & minime plagioso, & ob id deniq; ipsum parēti meo multum caro, qui & illū etiamnum in oculis fert, ac facit sane plurimi. Is aliquot annis post interjectis factus ecclesiæ N. pastor, incredibile est, quantā animo voluptatē ceperit, ut primū cognovit, magisterii me esse insignibus redimitū, ut subsistere jā in patria, propediem inde remeaturum *Marpurgū*. Ne longū faciam. Nihil mehercule sibi prius faciendū duxit, quam ut meum tum patrē, tum hujus etiā *Achatē* individuum *D. Eucharium Hugonem* ecclesiæ Nidivicenhusianæ antistitem vigilantissimū, virum plane optimū, ac mihi longe omniū carissimum, cū me vero ad se vocaret, ac prandiū nobis saliarem in modum instructum præberet. Ad quod quidem ut accessimus, sic est adventui nostro, magna ille cōtinuo voce, bonisq; laterib gratulatus:

Quis novus hic nostris successit finibus hospes,
Ingenio juvenis, summaq; laude pius.
Qui mihi discipulus quondam carissimus fuit,
*Salvus sit advent*us Oto Melander *tuus.*

Hoc unum nimirū deerat ei, homini cæteroqui bene docto, & perbono, & bonis itēq; omnib. probato, quod in hoc literaturæ genere minus esset versatus. Verū enimvero, *nō omnia possumus omnes. Nec cuivis homini contingit adire Corinthum.* &, *Si desint vires, tamen est laudanda voluntas.* &, *In magnis etiam voluisse sat est.* Vide Adagia Erasmi Chil. 3. Cent. 4 proverb. 84. *Pro eleganti medico, malus poëta.*

V. *In Mabilium.*

Innumerabiles tibi sunt Mabili in carmine menda,
Atq; ubi sint quaris? per mare quaris aquam.
Angelus Politianus Tom. 3. pag. 292.

VI. *De*

VI. *De N. N. Magistello minus erudito.*

Magistellus quippiã faciẽdu sibi omnino olim Marpurgi existimavit, ut *M. Balthasarũ Susenbethũ*, non ita pridẽ magisterii insignibus redimitũ ligaret, ubi jam dies *D. Balthasaro* sacer illuxisset. Ut vero hoc ipsum executus sit, paucis accipito. Ipse quidem ad illum haud adiit, ut ei corã vincula injiceret, sed per epistolam, in hæc verba exaratam, effectum id ipsum dedit. *Ecce doctissime Domine Magister, quid sibi vult filius iste aureus? Vale & te expedi. Tuissimus P. D. M* Hanc ipse epistolam & perpulchre pinxerat, & accurate obsignaret, & maternæ famulæ perferendã ad ipsum dederat. Qua aperta & lecta, incredibile est, quãtopere *Susenbethus* riserit: simulac se tamen collegit, hanc est in rationem ancillam allocutus. Tu vero puella dices *D. Magistro* herili filio, per mihi gratum accidisse hoc ipsius officium humanitatis ac benevolentiæ plenum, ideoque rogare, ut hora pomeridiana secunda me conveniat, tum enim constitui vini mensuris aliquot me solvere. Hæc igitur domum reversa, multis illi verbis prædicat, quantam ipse gratiam isthoc officii genere à *Susenbetho* iniisset. Quocirca nihil ei longius erat, quam ut hora convivio isti celebrando dicta appeteret. Ea appetente alacer mox atque lætus ad *Susenbethum* se confert, spe certa fultus futurum ut probe guttur nũc suum proluat. Quæ & ipsum spes minime est frustrata, quod *Susenbethus* tantum vini adferendum curaret, quantũ ille bibere cum cæteris poterat. Lagena porro vini aliqua exhausta, famulus *Susenbethi* conversus ad *Magistelli* istius epistolam, ante fenestram de industria collocatam, filum inde aureum eximit, ipsumque cum *Susenbetho* ostendit,

tum vero dictitat? *Ecce doctissime D. Magister quid sibi vult filius iste aureus?* Qui illius sermo cum risu esset incredibili exceptus, respõdit *Susenbeth⁹* hoc vero sibi vult filius iste aureus, ut marsupium meũ probe exenteret castretq;. Hæc tametsi non semel atq; iterum, sed vel decies bono isti *Magistello* occinerẽtur, minime tamẽ odoratus est, notari hoc pacto atq; perstringi suam insignem & pudendã ruditatem, sed ridentibus cæteris ipse quoq; effuse ridebat. Ad extremum tamen cũ famulus Vino jam confectus, non solũ diceret, *ecce doctissime D. Magister, quid sibi vult filius iste aureus?* sed & adderet, *Filia sub tilia mea net subtilia fila*, cœpit illi subolere, se ipsis oblectamẽto esse: agnitoq; errore risum tenuit cachinnantibus cæteris. Ac cum hactenus admodũ sese exhibuisset hilarem, nemo jam erat illo mæstior. Tandẽ tamen ad se rediens, in hęc verba prorupit: ego vobis ludibrio nũc sum atq; despectui, propterea quod nonnihil offenderim atq; incurrerim. At vero meminisse vos oportebat, me esse *medicum* quod quidem hominũ genus *Priscianum* vestrum tanquam ex sublimi despicere, & non verbis, sed herbis curare consuevit. Cui famulus, nisi tu quidem *D. Magister* respondet, herbarum cognitionem habueris meliorem, quam verborum habes, nunquam mihi persuaseris, me ut tibi curandum credam.

VII. *De eodem.*

ERat eidẽ soror unica, exquisitissimæ formæ puella, & quod caput est, cũ pudica, tũ elegantissimis etiã moribus perpolita. Hanc adamabat *M. Leonhardus Buchius*, ac ducere etiam in matrimoniũ gestiebat. Quamobrem vero in matrimoniũ collocata illi non sit, in causa fuit venalitius quidam prædives, qui ipsam illi præripuit, vel ut expli-

explicatius loquar, quem ipsa huic, licet tum viduum, tum senectute confectum, præferre non dubitavit, ac pecuniæ, ita ut fit, quàm viro nubere maluit. Ne non igitur *Buchius* ipsius suavissimo colloquio oblectare sese posset, adjuncto sibi *M. Petro Kindio*, & meo itemque parente, ipsum *Magistellum* convenit, cum eoque aliquot vini mensuras bibit. Ingruente vero jam nocte cum domum sese illi recipere vellent, *Magistellus* manibus & pedibus obstabat, ut ne idipsum facerent, dictitans, *Vos vero hic pernoctabitis, habet enim mater mea multa & bona lecta.* Cui *Kindius*, una cum cæteris miros cachinnos edens, inquit, *Parce D. Magister, parce inquam Prisciano nostro*, non sunt parenti tuæ multa lecta, sed lecti complures iiq; commodi. Ille vero cachinnationem hanc ipsorum non multum moratus, respondit, Sæpe vobis ego dixi *nos medicos* non verbis, sed herbis consuesse mederi. Proinde vestras istas elegantias susque deque facio, ac ne titivillitio quidem emerim. Minutiæ sunt & quisquiliæ, valeant.

Dat Galenus *opes*, *fulgum dat* Bartolus *aurum*,
Pontificat Moyses *cum sacco per civitatem.*

COLLECTANEA.

De Grammaticis accurate discendis.

Lactantius lib. 3. de fals. Sap. cap. 25.

Grammaticis non parum operæ dandum est, ut rectam loquendi rationem scias.

D. Rodolphus Goclenius.

Grammaticen bene disce puer, qui negligit illam,
Huic est a tergo virga parata comes.

D. Philippus Melanchthon in præfatione Linacro præfixa.

Omnino danda est opera, ut tamdiu in ipsa arte detineantur adolescentes, donec perfecti Grammatici, donec architecti sermonis, & absoluti artifices evaserint.

Ringelbergius de ratione studii.

Grammatice aditum præbet ad alias artes, quo si careamus, cæci per omnes disciplinas oberrabimus, nullam unquam optimarum pulcerrimarumq; rerum cognitionem consecuturi.

Cælius Secundus Curio in oratione funebri in Nicolaum Inviti atum Alexandrinum nobilem Grammaticum Papiæ habita.

Per unam *Grammaticen* ad omne disciplinarum genus gradum fieri necesse est. Nam ut in ædificiis videmus, nisi solida firmaque constiterint fundamenta, labefactari omnia, divulsaq; ruinam trahere, sic in disciplinarum profectu, nisi quis puri dilucidique sermonis doctrinam solide substruxerit, frustra cæteris insudabit.

Georgius Hamaxurgus.

Non Orator, nec Dialecticus quisquam facilè evadet, nisi *Grammaticam* probe fideliterq; perceperit. Hæc enim ars est cæterarum omnium veluti fons & origo, cujus fundamenta (ut *Fabius* inquit) nisi quis fideliter jecerit, quicquid superstruxerit, corruet.

VIII. De Joanne Fulgrabio rustico Honensi.

NOvi ego Honæ Hessorum *Joannem* quendam *Fulgrabium* hominem cum divitem, tum honestum, sed in quo hoc unum desiderare-

mus

mus, quod iratus cuipiam, hocce maledictum in illum vibraret & ejacularetur, **daß dich das Wetter verborne**. Ut autem *Deus* justus judex eo nomine in ipsum animadverterit, paucis amabo te accipe. Ipso die nativitati *Mariæ Deiparæ* sacro, hora octava nocturna derepente tempestas sæva exsistit, ita quidem, ut tum horrenda audirentur tonitrua, tum flammæ etiam inter nubes identidem corruscantes conspicerentur. Hæc tempestas cum horam durasset unam, ecce tibi magna vis ignis de cœlo in *Fulgrabii* horreum cujusquemodi frumentis, & fœno, & cordo usquequaque refertum delabitur, atq; illud cum incendit, tum etiam cum pulvisculo exurit. Eo horrendum in modum ardente, flamma quoque non solum granarium, verum bovile etiam corripit incenditque, atq; hæc quidem ipsa cum omni non modo frumento, sed & armento funditus concremat. Acerbum hoc luctuosumque incendium ad breve admodum exiguumque tempus duravit. Etsi vero incredibilis scintillarum vis in vicina tecta, eaque straminea spargebatur, nulla tamen cujusquam neque domus, neq; horreum, neque stabulum præterea incensum fuit, ita prorsus, *Deo* ut deliberatum esse constaret, hunc unum castigare, ac cæteris parcere velle. *Fulgrabius* porro hunc ad modum castigatus condocefactusque, cum penitus ab ista se imprecatione deinceps abstinuit, tum alios etiam diras in quempiam effundentes acriter corripuit, atque repressit.

IX. De Martino Textore, agricola Eigershus.

QUoties *Martino* huic *Textori*, rustico opulento & copioso stomachum quis faceret, toties ei imprecabatur, ut de cœlo tactus, summo cum

cruciatu fœdeque periret. Verum quid fit? tempore messis rus concedit, ut messoribus adsit eosque officium studiosè diligenterque facere cogat. Hic cum unum & itemque tum restitare, tum respectare animadverteret, stomacho atque iracundia exardescens, has in execrationes erupit. Quid ita restitatis nebulones, exantlate labores, ut fulmine icti, vita expellamini, **Wie stehet jhr faulen Schelmen/ sehet euch vmb/ vnd lauset den Storchen/ Arbeitet/ daß euch der Donner erschlage.** Quid quæris? non ita multo post sudo serenoque cœlo cum auditur repente ac præter opinionem omnium tonitru, tum vero *Martinus* fulmine feritur, & prosternitur, ita tamen, ut perterreretur magis, quam percelleretur, aut læderetur. Quæ enim & in interula, & in thorace, & in fœmorali, & in tibialibus, & in calceamentis denique ipsius erant suturæ, eæ omnes fulmine solvebantur & dissuebantur, non secus profecto, ac si sartor quispiam diligentia adhibita singulari, eas interscidisset ac diremisset. Itaque miser iste sine omni omnino & veste, & sensu, & motu, & voce nudus, ac quidem satis turpiter coram messoribus ipsorumq; conjugibus & filiabus jacet torpetque, ita quidem, ut plerique omnes arbitrarentur fulmine ipsum extinctum, luceq; communi privatum esse. Tandem vero ubi ad se rediit, famulum domum ablegavit, qui & vestem sibi afferret, & curru itemque domum reportaret. Fulgur porro (quod prope præterieram) tum petasum illi, tum omne capillitium barbamque penitus combussit, atque dempsit, perinde mehercule, ac si tonsor aliquis adhibita novacula ea abrassisset. Quid multa? nihil ne fieri quidem posse glabrius *Martino* hoc nostro videbatur. Sed & hic ipse isthanc imprecationem

tionem non usurpabat postea amplius, sed penitus sese ab ea per omnem reliquam vitam abstinebat.

X. De tribus adolescentibus Helvetiis.

IN *Helvetia* fœnisecio aliquando maxime fervente, adolescentes tres gramina ad æstum solis siccabant. Hic Jupiter subitò cum & tonaret, & fulguraret, unus eorum cæteris magis pius toto corpore cohorruit, & protectioni se mox divinæ commendavit, & hujuscemodi ad *Deum Opt. Max.* sublatis manibus effudit preces. **O mein lieber Herr Jesu sey vns gnedig vnd barmhertzig.** O mi Domine JESU, miserere quæso nostri. Id exaudiens alter ab omni pietate prorsus alienus atque remotus, increpuit ipsum, his quidē dicteriis usus, **Ey du verzagter dieb/ fürchst dir ab dem Donner? mir ist nüts drum. Weist nit von wañen er komts? Ich wil dirs sagen? S. Peter hat einen Scheiß gelassen/ so lauffendt jhm Christus/ vnd die Mutter Gottes nahin/ vnd wollendt jhnen hublen. Dannenher entsteht ein semlichs bochslen/ prasseln/ vnd knaschplen in Wolckchen.** Heus imbellis ignaveque nebulo, tunc tonitrua extimescis. Isthæc ego quidem sane prorsus contemno pro nihiloq; puto. An te præterit, eccunde existat iste nubium conflictus & strepitus? Equidem idipsum tibi explanabo. *Divus Petrus*, ne nescias, emisit crepitum ventris. Proinde cum *D. Jesus*, tum hujus etiam mater *Maria Nazarethana*, ipsum non sine stomacho insequuntur animadversuri in illum ea re graviter, ac probè eum probeq; vellicaturi. Hinc nimirum ille strepitus, clamor tonitruum. Cæterum vix aut ne vix quidem isthæc efflatus erat nebulo,

bulo, ecce tibi fulmine percutitur, ita quidem, ut protinus corruat concidatq; , è numero vivorum exturbatus. Is porro qui voluptatem animo non parvam ex hoc scurrili istius & impio sermone ceperat, ac miros risus ediderat, ita fulgure cœlestive igni amburitur, ut à tertio illo, nulla corporis sui parte violato aut læso, semianimus domum deduceretur.

XI. De Doctore quodam Pontificio, blasphemo in filium DEI.

Hæc ubi cantaret gratante Ecclesia voce,
Cunctorum Domino carmina grata DEO.
Ein feste Burg ist vnser Gott.

IMpius hic Doctor *clamat furibundus in ade,*
Non oculos claudam mortuus ante meos.
Hanc ego quam turrim victrici excidero dextra,
Deq; illa victor lata trophæa feram.
Impius hic moritur blasphema voce repente,
Phœbus ubi astrifero fulsit ab orbe novus.
Sic pereat Christi *quisquis venerabile regnum,*
Infestis armis attenuare studet.
Pontificis nuper Latii sic pastor in ade,
Blasphemans gnati dogmata sancta Dei:
Hanc solvit pœnam, legere ut quæcunq; valeret
Ad sacra sed tantum Biblia *cæcus erat.*
Nunc & damna blasphemus dogmata Christi,
Optas consimili qui perisse modo.

D. Luças Lossius in Epigram. pag. 256.

XII. De Laurentio Muldenero Consulis Cassellani filio.

QUi Stercontii Cattorum magna sui cum laude aliquot annis consulatum gessit *Henricus Muldene-*

Muldenerus, vir eximia virtute, prudentia, fide, atque integritate præditus, is quidem filios ita condocefecerat suos, ut quod uni horũ alicui mandarat, id ille continuo effectum daret, neq; alteri ex fratribus exequendum delegaret, id quod non parum quidem sæpe fieri alioqui inter fratres videmus, dum quæ alter curare jubetur, ea mox à se rejicit devolvitq; ad alterum. Evenit autem ut senatorii quidam homines officii causa aliquando ad *Muldenerum Consulem* adirent, qui adventu ipsorum plurimum lætatus, jubet eos sibi assidere, posteaque filio suo *Hieronymo* mandat, ut vinum depromat, *Laurentio* vero, ut tum mensam sternat, tum panes etiam caseumq; apponat. Quod autem *Laurentius* natura à caseo abhorreret, eoq; minime vesceretur (quo de patri in mentem jam nunc haud venerat) batillum mox arripit, eoque caseum ex penuario depromens, aversis naribus in mensa collocat, evestigioque pedem referens, diu multumque cum nauseat, tum vero vomit. Unde pater quidem suum errorem agnoscit, cæteri vero consulares homines collaudata hac ipsius tam severa egregiaq; disciplina domestica, istuc pueri facinus risu non modico prosequebantur.

MANTUANUS.

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

XIII. *De Nobili quodam, & rustico eruente ipsius in prandio capiti vitulino oculos, eosq; canibus objiciente.*

ERAT nobili cuidam *villicus*, vir & locuples, & bonus, & innocens, & bonis deniq; viris semper probatus. Hunc ille cæsus aliquando pendentem, in

in prandium adhibebat ſuum. In quo quidem cum ferculo uno atque altero abſumpto, caput etiam vitulinum apponeretur, ruſticus conſpicatus oculos ei adhuc ineſſe, converſus mox ad illud cum oculum eruit utrumq;, tum canibus eos devorandos objicit, tum ira etiam incitatus hujuſcemodi verba loquitur: Malam vero peſtem tibi inſulſiſſime coce, qui quidem nobili tuo apponas caput vitulinum priusquam illi oculos effoderis. **Daß dich Sawkoch der Hertzfeibel anſtoſſe/tregſt du dem Junckern einen Kalbskopff vor / vnd läſſeſt die Augen drin?** Putabat nimirum vir bonus, quod & porcinis, & anſerinis, & id genus aliis capitibus eximantur oculi, huic quoque exculpi eos exturbarique oportere. Atqui toto errabat cœlo, quod hi quidem certe habeantur in delitiis. Id quod & nobilis filium, puerum annorum circiter octo minime fugiebat, qui ipſum hanc in rationem increpabat. Male vero tibi ſit *Juſte* homo omnium quos ſol unquam viderit imperitiſſime, qui hiſce nos prives cupediis, iisque canes paſcas. Nam cum parens meus, tum mea mater, tum verò ipſe ego habere oculos vitulinos in delitiis conſuevimus, iisque plurimum ſane delectamur. Ac quantum ad me quidem pertinet, prætulerim eos ego vel univerſo capiti vitulino. Itaque malam tu à nobis, ut ſis ſciens, iniiſti gratiam *Mopſe*, cum cibo tam delicato nos orbaveris. Ruſticus igitur plane & obſtupefactus, & pudefactus, ut non placaret puerum, totum in fermento jam nunc jacentem, ultro illi atque liberaliter pollicetur ſe poſtridie vitulum mulctæ loco integrum miſſurum, ac promiſſa etiam bona inde exſolvit.

* * *

De

XIV. De adolescente quodam, qui quidem cum in nuptiis structoris partes inter Virgines sibi sumeret, admodum se turpiter dedit.

NUPER erat juvenis peregre convivia vocatus,
(Nupserat egregio pulchra puella viro)
Induit ergo pedes laxis peronibus, illis
Sordibus immundi (quid nocet illud?) erant.
Aptat idem plantæ tinctum ferrugine calcar,
Quo citius tardum currere cogat equum.
Et tamen hospitii serus defertur ad ædes,
Nam sonipes uno poplite claudus erat.
Ut venit, ecce dapes cunctas videt esse paratas,
Conservamq; suo quenq; sedere loco.
Festinans igitur calcaria demere plantis
Et pedibus pelles, immemor ille fuit.
Cumq; suis ocreis ad mensam accurrit, & ecce
Virgo assessuro cedit honesta locum.
Ad latus ingenuæ sic proximus ille puellæ
Considet, haud talem dignus habere locum.
Protinus affertur pinguis gallina sedenti,
Quam juvenis docta dissecet ille manu.
Non bene erat certa versatus in arte secandi,
Nec quid agat certum, nec quid omittat, habet.
Audet, & acceptæ geminas cum cruribus alas
Desecat, à quadra ne revolare queat
Præpositurus erat truncum tibi candida Virgo,
Hei mihi, sub mensam trunca cadebat avis.
Ille rubens ignominia, se incurvat ut illam
Quærat, & è dura tollere possit humo.
Tum miser ingentem crepitum perterritus edit:
Ut nimium toto corpore curvus erat.
Oraq; non parvo confusus honesta pudore,
Posthabitis epulis aufugiturus erat.

Ferrea ſed menſæ prendunt calcaria mappam,
Atq; illam ſecum qua fugit ille trahunt.
Pocula nonne putas illum evertiſſe dapesq;?
Quasq; dabant menſæ lumina clara faces?
Menſa etiam juveni fugienti obſtabat ibidem
Multa tenens vario vitra parata mero.
Hanc quoq; præcipiti dum concitus impete fertur,
Vertit, & ad terram pocula fracta cadunt.
Obvius in mediis foribus tum forte miniſter,
Qui feret in menſam fercula grata, venit.
Ut ruit hic curſu furioſo, impingit in illum,
Et facit effundi quas tulit ille dapes.
Hoc auctus claudum conſcendit honore caballum,
Et repetit patria limina nota ſua.

D. Frid. Dedek. de morum ſimp. li. 3. c. 5.

XV. De VVeſtphalo quodam literarum ſtudioſo, peſſime morato.

HAbebat *Andreas Hyperius*, Theologus ille magnus, ſi non maximus, in convictoribus olim *Marpurgi* ſuis, adoleſcentem quendam *VVeſtphalum*, illum quidem literis egregie excultum, ſed moribus non juxta. Hic quidem cum cibum perquam capiebat indecore, tum hujus etiam vim bene magnam, ſeu prandens, ſeu cænans, conſumebat. Tulit hanc illius edacitatem præter cæteros graviter admodum & moleſte *Patritius* quidam *Francofurtenſis*, diſſimulavit tamen, ne *D. Hyperii* hoſpitis ſui animum offenderet, cui *Pamphagum* hunc in oculis eſſe, propter ſingularem ejus eruditionem, non erat neſcius. Quodam vero tempore, cum minutis veſcerentur piſciculis, & *VVeſtphalus* buccea panis grandiuſcula, non parvum eorum numerum identidem è paropſide tolleret, & perinde eos in latrantem ſtomachum præcipitaret, ac ſi olus aliquod ſibi devorandum eſſet appoſitum, dici non poteſt, quam indigne idipſum

Patritius

Patritius tulerit. Noli quærere,& frontẽ feriebat, &excandescebat totus,ita quidem,ut parum abesset,quin colaphum illi infringeret.Fregit se tamen ipse atq; repressit, & cochleari illi aliquo dato,tacite innuit, inter tãtam panis particulã, quantam ipse eximẽdis è catino piscibus adhiberet,& cochleare aliquod perq̃ parum interesse , imo vero eo pisciculos tot capi vix aut ne vix quidẽ posse,quot ille portiũcula istiusmodi panis identidem ex patina exhauriret, in implacabilemq; stomachũ impudenter satis ingereret. Quod vero *VVestphalus* tectam illius hanc involutamq; correptionẽ, tum susq; deq; faceret,tum suo ẽt more dentes exerceret strenue,ac pudore plane omni exhausto tuburcinari impigre ꝓgeret,*Patritius* ira magis magisq; accenditur atq; exęstuat.Proinde cum bolum jam eum bene magnũ in os inserturum conspicaretur, arrepto mox illius dextero brachio, exclamat, hẽ bone vir, hic quidã *Plato* jubet quiescere,cum dicto q; bolum de cultello ipsius excutit,ita quidem, ut pisciculi in mensam cadentes, numerari nullo negotio possent.Quos quidem cũ numerando inspectantib. cæteris percensuisset, sexdecim esse reperit.Itaq; in hanc erumpit vocem,ohe *VVestphale* nefas ne est atq; piaculum bolo pisciculos uno tot ligurire?Malam vero pestem tibi gulose nebulo,libitinarium te esse oportuit.Nã dicto citius tu quidem certe tumulum erueris atq; excitaveris : conversusq; ad convictores cęteros inquit,quid vobis videtur?anne impune hoc ipsum auferet ? Minime gentium vero. Quod si me audietis, aureo ipsum mulctabimus. Hujus in sententiam ubi pedib. esset à reliquis omnib. facta discessio , numerare aureũ in vinumq; impendere extemplo cogitur. Ecquis vero hic non putasset futurum utique,ut in posterum cibum tum parcius , tum modestius caperet ?

At vero hanc quoque animadversionem vili *Westphalus* pendit, pro nihiloque putavit, ac fidem isti vetustate contrito proverbio fecit, *podex lotionem semper sitit.*

Nam cum non ita multo post carpiones esset exquisitissimos ex sententiaque nactus *Hyperius*, eosque scite admodum perbelleq; mitigatos curasset apponendos, ecce tibi ille ova eorum mox devorat unus omnia, iisque in inexplebilem stomachum suum conjectis, ad ipsos continuo pisces convertitur, eorumque festivam sane copiam devorat.

Quapropter *Patritius* stomacho exardescens atque iracundia, hanc in rationem cum ipso expostulat.

Te quidem non *Paulum*, sed *Pamphagum* nominari oportuit, quippe qui cibi non paululum, sed plurimum sane in ventriculum istum tuum pertusum fundoque carentem atque adeo insaturabilem inferre consueveris.

Devoraſti enim tu unus, omnia carpionum istorum nunc ova, ac nihil de his quicquam, neque *D. Doctori*, neque hujus conjugi, neque nostrum denique cuipiam decerpsisti, aut reservasti. Quæ (malum) isthæc est impudentia atque voracitas? Quid? tibine scombrorum aut helicularum ova esse visa sunt ista?

Quantum præterea piscium numerum comederis, istę mehercule & spinę, & branchię, & squamæ, circa quadram tuam sparsæ, satis clamitant superque, & est idipsum expositum omnium nostrum oculis. Vetus est verbum quod tu non ignoras *Paule*, *Piscator ictus sapit*. At vero id in te quidem minime omnium animadverti potest aut perspici.

Etenim

Etenim quantumvis non ita pridem aureo te emunxerimus, tu tamen hanc mulctam flocci faciens, nihilo es factus aut cautior, aut temperantior, sed antiquum obtinens, te nunc quoq; consueta ista illaudataque edacitate tua perquam sane dedisti turpiter. Quamobrem iterum tu nobis aureum vino consumendum (rumparis licet) nunc numerabis. Qua quidem *Patritii* sententia a cæteris omnibus una voce & una mente comprobata, cogitur ille mulctam dictam pendere. Quando autem *Westphalus* incultos hosce mores nec emendabat, nec exuebat, sed subinde ad ingenium redibat, ad eundemque impingebat lapidem, nec spes emendationis ipsius ostendebatur ulla, non solum *Patritius* ille, sed & cæteri convictores *Hyperio* authores sunt, ut ipsum de mensa removeat, jubeatque facessere, futurum alioqui ut ipsi alium hospitem quærant, ad quod quidem perinviti sint descensuri. *Hyperius* ergo ipsis auscultans moremq; gerens, postero mox die *Westphalum* abdicat atque repudiat.

XVI. De viro quodam minus civili, ac fœmina prorsus inurbana.

Contigit hinc alio quoq; tempore, ut hospes amicis
Symposium charis fortè celebre daret.
Hic quoq; convivis digestis ordine, sedit
Nobilis urbano fœmina juncta viro.
Ille caput pisci, Carpam dixere Cupedes,
Matrona digna tum gravitate dedit.
Illa datum retinet quasi sit dignissima partem,
Et decerpta ab ea quæ placuere vorat.
Scrutari totum caput, & discerpere frustim
Negligit, id forsan non ita docta fuit.

Et nimius labor est ex arte resolvere cuncta,
Et pretium tanti vile laboris habet.
Ergo sub mensam totum caput abjicit illa
Ut rapidi carpant interiora canes.
Ille suæ tantam vicinæ simplicitatem
Conspiciens, æquo pectore ferre nequit.
Sed caput abjectum de terra tollit, & inde
Ad dominam verbis acribus usus ait:
Non pudet ô mulier facinus committere tantum?
Non ita simplicibus moribus esse pudet?
Hoc caput appositum magni tibi nomine honoris,
Non ut sub mensam projiceretur, erat.
Si tibi non libuit frustim discerpere, nobis
Reddendum nostra pro pietate fuit.
Reddidit illa nihil, tantum confusa pudore,
Condidit in tacito lumen utrunq; suo.
Dic uter urbanus fuerit magis, eq; duobus
Utrum laude vehas, vituperesve, refer.

Frider Dedek. lib. 3. de simp. morum cap. 5.

XVII. De sordido quodam atq; impuro viri nobilis coco.

CULINARIUS quidam cum fama accepisset atq; auditione, nobili cuidam suo cum coco non optime convenire, adit ad eum, & cum operam illi suam defert, tum de insigni etiam sua in arte magirica scientia multis verbis & perquam thrasonice gloriatur. Quod igitur Nobilis & hujus verbis haberet fidem, & ab altero isto animo plane aversissimo esset, hunc continuo missum facit, ac illum rei culinariæ præficit, conceptisque verbis mandat, ut omnem spurcitiem sordesq; devitans, munditiæ in parandis cibis omni ratione studeat. Dat ille fidem imperata se facturum. Verum quid sit? Diem vix unum & itemq; alterum in ædibus nobilis confecerat, ecce tibi catella matronæ

tronæ nobilis in culinam se insinuat, patinasque nondum repurgatas aut reterſas lambit. Id conſpicatus cocus, arrepto mox cochleari quo diſpumabat carnes, catelli iſtius caput ſic ferit, ut illud plane comminuens, canem ſimul interimat. Eo occiſo exclamat, **Jch wil meine Küchen reyn halten.** Ego vero coquinam meam ab omnibus ſordibus ſartam tectam conſervabo: nec mora cochleare mox iſtud, quo quidem canem vita expulerat, quodq; nõ modo pilis catellæ, ſed & ſanguine ejus cerebroq; conſperſum erat atq; fædatum, ei mox ollæ inſerit, qua quidem carnes ferinæ cum jure nigro elixabantur. Quamobrẽ famula hoc ipſum conſpiciens, ad heram illico ſuam ſe confert, eiq; rem omnem exponens, inquit: Vide domina mea num Cocum frugi atq; adeo ex ſententia nacti ſimus? Quum catella tua catinum quendam nondum abs me lotũ forte fortuna lingeret, ille cochleari ferreo ſuo deſpumatorio ad eam converſus, ipſi nõ ſolum cranium perfregit, verum necem etjã interitumq; attulit, poſteaq; ipſum illud cochleare partim pilis, partim vero cruore cerebroque canino imbutum, juri nigro immiſit, atq; hoc quidem cochleari juſculum etiam atq; etiam circumagitavit, inquiens, **Jch wil meine Küchen reyn halten.** Equidem volo ut omnis immunditia ſqualorque faceſſat & procul abſit ab iſthac officina mea. **Heiſt das nicht die Küchen reyn gehalten / da er mit dem Schaumlöffel an deme n och deß erſchlagenen Hundes Haar / Blut vnnd Hirn klebete / in den Pfeffer ſtickte / vnnd denſelbigen weidtlich hiermit hierumb rürete?** Quid vero eſt cedo quæſo præſtare ſe cocum frugi & mundum, hoc quidem ſi non eſt? Quid quæris? eo ipſo ille cochleari jus nigrum aromaticeque huc

& illuc versavit, cui occisi canis & pili, & sanguis & cerebrum adhuc adhærebant. His paterfamilias auditis, stomacho atque iracundia effervescit, arreptoque mox venabulo, dictitat, **Nun wolan ich wil meine Küchen auch reyn halten.** Dispeream equidem ni & ipse meam sim culinam mundaturus & repurgaturus, nec mora, venabulo impurum istum & sordidum nebulonem ac canicidam ita diverberat, perparum ut abesset, quin vitam ei eriperet, posteaque probe probeque dedolatum, & lumbos perquam miserabiliter trahentem, non modo coquinam, sed & domum purgare jubet. O lixam minime dignum, qui quidem nobilibus, nobilibus autem? imo vero ne rusticis quidem, sed porcis cibos paret. At vero nihil est tam valde vulgare, quam sordide coquere. Et cum omnia ferè mutentur, sæpe mihi numero in mentem venit mirari, quid sit cur hoc unum non mutetur atque aboleatur: **Alle Ding verändern sich/auß genommen/ vnflätig kochen/ das wehret vnd bleibet für vnd für.**

XLIX. De alio quodam ejusdem fecis nebulone.

ALius quidam lixa istius nebulonis haud absimilis, cum in castris artem magiricam exerceret, equum suum sub vesperam a pascuis reductum, ad palum ubi popinam suam erexerat, alligat. Ubi quidem cum aliquandiu constitisset, ecce tibi in ahenum carnibus repletum cacat. Id coci filius conspicatus exclamat, heu mi pater, hæ quidē carnes periere nobis funditus, has canibus devorandas objicere cogemur. Eo audito respondet pater, minime gentium vero fili, arreptoque mox cochleari quodam, cùm excrementa equina comminuit,

minuit, tum vero dictitat: Cras bene mane milites quidã de vino languentes nos accedent, ac postulabunt ad jentaculum carnes petroselino conditas: his equidem venditurus sum eas. Neque vero dubium mihi est, quin ipsorũ sint palato responsuræ **Sie werden die finger darnach Lecken**. Vide quam viride pomis istis equinis effectum sit juscu-lum. Vel ipse tu (sat scio) si nescires eccunde colorem istum contraxisset, jovem jurares lapidem, petroselinum illi inesse. Scilicet graminibus caballus hic noster est pastus, atq; hinc quidem venustus hic color existit. Erat & hic nebulo fustuario bene largo dignissimus: nisi fortasse digna dignis evenerit, & similes habuerint labra lactucas. **Mann nennet die Köche in Feldlegern Sudeler ist das nicht ein Sudeler gewesen / so weiß ich nit was ein Sudeler / Hudeler / Vnflat Suppenwust / Garstjamell vnd Sawschelm ist.** Enimvero conveniunt satis nomina sæpe suis.

XIX. *De honorato quodam opulentoque Cive, principi suo prandium prabente.*

Magnifica illustris quandoque ad prandia Princeps,
Nominis à clari Cive vocatus erat.
Vadit & excipitur veniens regalibus escis,
Omnia ceu magni Principis aula nitent.
Carnibus appositis, pisces quoque Lixa marinos,
Adjicit, & varii fercula multa cibi.
Hic Domino Civis gratum facturus, utraq;
Epatitis piscem corripit ipse manu.
Hunc positurus erat generosi in Principis orbe,
Sed prius infausti excidit è digitis.

Excipit

Excipit è digitis mox crepida nigra cadentem
Crepida quæ Cœis texerat alta pedem.
Protinus hinc tollens, in Principis *orbe reponit,*
Verbaq; peccato subjicit ista suo:
Sume tamen Princeps, *quid enim cecidisse noceret?*
Nil mea cœnosa crepida labis habet.
Quid dubitas? famulus purgavit ab omnibus illam
Sordibus, & pedibus subdidit inde meis.
Sic ait, & Dominum *verbis instantibus urget,*
Latus ut appositas carpat edatq; dapes.

Fridericus Dedekindus lib. 3. de simplic. morum cap. 5.

XX. *De Viro quodam Principe, adhibente suam ad mensam magni nominis hominem quendam, & ut hic quidem istic sese gesserit.*

Forte Vir eximia magno cum Principe *fama,*
Sedit ad instructas hospes in arce dapes.
Huic non exiguum Princeps *habiturus honorem,*
Paucula de lauta frustula carne dabat.
Nec mora porrectam digitis vult prendere carnes,
Protinus in Vino pocula plena cadunt.
At miser ut rapto parat hinc educere cultro,
Est manus officio non satis apta suo,
Sed tremit, & cyathum plenum jam carne meroq;
Vertit, ut in mensa Vina caroq; fluant.
Purpureoque Viri mala rubuere colore,
Illa Verecundi signa pudoris erant.
Ille quidem superis magis adVersantibus usus,
Quam stupida ductus simplicitate fuit.
Tu tamen hinc morum sumes exempla bonorum,
Quæ referens simplex esse rudisque queas
Quæq; miser fecit fortuna falsus iniqua,
Hæc abs te fieri semper & arte Velim.

Hoc

Hoc tua major erit, quam tu arte merebere laudem
Quæ veniunt casu laude vacare solent.

Idem ibidem.

XXI. *De Conrado Gartnero Sartore Cassellano.*

UTebatur olim Cassiliæ *Dionysius Melander* avus meus paternus, cum in suis ipsius, tum familiæ etiam suæ vestibus conficiendis sartore *Conrado Hortulano* quodam, homine & artificioso, & sedulo, & honesto, & multum denique pio. Hic cœnam illi aliquando laute opipareq; pro re nata instructam dabat. Præterquam enim quod & gallinas elixas duas, & carnes vervecinas, & pisces offerret, superaddidit his quoque cum anserem, tum vero leporem assatum. Ac quantum ad leporem quidem pertinet, excoriarat hunc & eviscerarat recte, sed cutem ipsi interiorem haud dẽserat, quę adimenda illi omnino fuerat. Anseri autem contra cutem prope omnem detraxerat, qua nudari ipsum minime omnium oportuit. His igitur avus meus animadversis, hac est in *Sartorem* istum cavillatione usus. M. Conrad mich gemanet ewer wie Pfaff Sommers/der seicht in die Kammer/vnd warff das Dopffen zum fenster hinauß vnd sagte darnach Er wer jrr in der *Materi* worden/ hette ihe wohl gewust/ das eines hinauß gehort hette. Also seyt jhr auch in der *Materi* jrr worden da jhr den Hasen Schelen sollen/ habt jhr der Gansß einen *Syllogismum* in *Felapton* gemacht/vñ hiermit So wohl die Gansß/als den Hasen verderbet. h.e. Per tu es similis *M. Conrade* presbyteri istius *sõmerii*, qui quidẽ levaturus aliquãdo vesicam,

veſicam, in cubiculū minxit, ac matulā foras projecit, poſteaq; agnito errore exclamavit; Vah quid ago? memineram equidem, alterutrum foras projiciendum eſſe: ſed erravi circa materiam. Exturbavi enim matulam, cum lotium debuerim. Sic & te quidem minime fugit, alterutri cuticulam demendam eſſe. At vero lapſus es in materia. Avelliſti quippe anſeri cutem, quæ illi in omnes erat partes relinquenda, Contra vero lepori cuticulā interiorem reliquiſti, quā auferre te illi & abſtrahere decuit. Atq; hac quidem ratione perfeciſti, ut cum anſer, tum lepus etiam convivarum tuorum palato minus ſit gratus.

XXII. *De immunda quadam ſordidaque ruſtica.*

EQuidem admodum adhuc puer, quotidie fere in vicini cujuspiam noſtri ædes commeabam ut de ſtudiis nonnihil languens, cum ipſius me filiis, coævis & æqualibus meis, & colloquendo, & luſitando reficerem atq; recrearem. Evenit autem quodam tempore, ut forte fortuna ipſius in culinam ingreſſus, lac coagulatum linteo alicui panno, quo quidem gramina rure domum deportantur, infuſum cernerem, ac pannum iſtum, & atrū admodum, & cæноſum, & excrementis itemque vaccinis usquequaq; coinquinatum eſſe animadverterem. Quocirca mihi imperare haud potui, quin pedem mox referens, domi noſtræ inſpectāte meo patre, tum nauſearem, tum vomerem etiā plurimum. Sciſcitanti porro parenti meo nauſeæ iſtius ac vomitionis cauſſam, rem omnem expoſui. Proinde & ipſe meus parens, non parvam illico nauſeæ moleſtiam ſuſcipiens, adduci nullo poſtea

postea pacto potuit, ut vel caseum, vel butyrum, ab ista quidem scropha confectum, manducaret. Cæterum quantum ad lac istud coagulatum pertinet, solet illud panno alicui linteo, puro & mundo indi, & lapide aliquo gravari, omne ut hinc serum exprimatur. Postea illud etiam atque etiam depsitur, & probe subactum, aut camino, aut thymo, aut menta crispa, aut hysopo aut satureia, aut amaraco, aut libanotide, aut id denique genus aliis odoriferis herbis frustillatim minutimq; consciss, conditur. Atque hinc quidem in patria mea casei haud insuaves fiunt, si quidem recte atq; ratione conficiantur.

XXIII. *De alia quadam lutulenta sue, rustica istius sorore germana.*

ERat eidem *Obernbonæ* soror juxta immunda atq; ipsa erat. Hæc quidem coctura aliquando olus, cujusquemodi herbas minutim conscindit, & in ollam conjicit, & ad ignem apponit. Evenit autem ut oleti aquam superinfundens ranunculum quoque incuria atque negligentia quadam sua simul affunderet, cum eoque olus per coqueret. Quod quidem cum in prandio esset appositum, ac magna sui parte jam comestum, ecce tibi prominet ranunculi cauda nonnihil curvata. Itaque maritus ex conjuge quærit, ecquid hoc rei esset? Hæc cultro suo diligentius scrutans, ranunculum esse reperit, quam ex lance mox rejiciens inquit, **Was solts sein / es ist ein Kölingk / der ist Mir wie ich auß dem brunnen Wasser gelangt / in den Eimer gehupfft.** Quid sit scire laboras? est vero ranunculus, qui mihi haurienti ex puteo aquam, in antliam insiliit

liit. Etsi vero & maritus, & liberi, & famulus, & ancilla de mensa extemplo surgerent, quippe qui nulla amplius cibi alicujus capiendi aviditate tenerentur, ipsa tamen reliquum olus omne cum pulviſculo devorat, nulla prorsus inde nauseæ cujuspiam molestia susceptа, quod cum eo esset ranunculus coctus, quem & ipsa suis conspexerat oculis, & suo ipsius cultello ex paropside removerat. Quid *Vero* tibi de isthac muliere videtur? nonne *Regis* eam alicujus esse cocum oportuit? Quid quæris? est hominibus nostris in proverbio **Wer da Eckell ist / der muß manches guten bissens entrathen** / hoc est, qui nimis est fastidiosus, is quidem multis iisque delicatis cibis abstineat, oportet. Huic quidem hercle proverbio isthæc *amica luto sus* fidem fecit. **Wen sie Eckell gewesen / het sie den Khol nicht vollents außgefressen / Sondern hatt sich eines solchen guten bissens enthalten.** Quod si stomachi aliquo laboraſſet fastidio, istud profecto plus minime omnium fuisset cum ramento devoratura, sed porcis illud devorandum objecisset.

XXIV. *De homine quodam male morato.*

Vidi alium, cujus culter cum scinderet assam,
Noluit officium promptus obire suum.
Protinus ille sua veritus ne parte careret,
Hac ratione, diu præmeditatus, agit.
Arripit è medio, partem quæ maxima, disco,
Quamq; putat ventri posse placere suo.
Subq; suo raptam carnem, sine more, lacerto,
Firmius ut posset continuisse, locat.

Inde

Inde manu frustum robusta grande revellit,
Et lacerat digitis viscera tosta suis.
Namq; suum cultro non efficiente laborem,
Mox obit illius dextera prompta fidem.
Inde tamen reliquam patinæ non reddere partem
Negligit, agrestis ne videatur homo.
Imo alius etiam carnes proponit easdem,
Suaviter ut reliqui, quæ laceravit, edant.
Nec tamen hoc temere factum me fingere credas,
Pramia sunt nugis nulla parata meis.
Nec tu posse putes tam barbara scribere quenquam,
Quin faciant scriptis facta pudenda fidem.
„ *Turpia lurcones inter quia plura geruntur*
„ *Quam recitet numeris Pieris ulla suis.*

XXV. *De insulso quodam famulo.*

CUm Domino Servus mensa residebat eadem,
Hospes in ignota factus uterque domo.
Et simul eximii capiebant fercula Cives,
Qui caput & Domini totius urbis erant.
Dumque diu mensas attingere quisque moratur,
Et renuit primus carpere quisque dapes.
Quisque suos vultus vicini ad lumina torquent,
Quod reliquis nemo dignior esse velit.
Iamdudum stomachus servum *esuriesque lacessunt,*
Fercula quo rapidas mittat in ipsa manus.
Fas mihi jejuni ventris placare latratus,
Quos fero jam longo tempore inanis, ait:
Dicit, & è patina quæ pars est optima tollit,
Inque sua raptam, se locat ante, quadra.
Erubuit Dominus *peccantis nomine* Servi,
Quod rudis, & tanta simplicitate foret.
Signaque dat tacito nequicquam plurima nutu,
Addit & obscuro paucula verba sono.

Scilicet

Scilicet ut disco raptas modo redderet escas,
Atque aliis primum cederet ante locum.
Servus ubi Domini notantia lumina vidit,
Ambiguus nutu quid velit ille sedet.
Iamq; bolum pleno magnum volvebat in ore,
Os simul ingestum vix capiebat onus.
Evomit assumptas igitur male territus escas,
Hanc Domini mentem credidit esse sui.
At Domino vultu nutus repetente minaci,
Ambiguo sensu prorsus, ut ante, sedet.
Tum reliquas carnes quas sumpserat ante, sub ipsam
Corripiens mensam dejicit illa manu.
Quippe videns Dominũ nutu sibi multa loquentem
Et reliquos positis abstinuisse cibis.
Fercula letali putat esse infecta veneno,
Quæ fuerint subitam sumpta datura necem.

Dedekindus lib. 3. de Simp. mor. cap. 5.

XXVI. *De coco quodam pestifero.*

ROkensüsüræ probe Ebelebum *Ludovicus* quidam *Maccerodus* anno 1571. nuptias celebravit. Hic cum cocus præter fercula consueta cætera, jus quoque nigrum esset appositurus, illud non Zingibere, non Cariophilis, non pipere denique, ita ut fieri assolet, sed pulvere, quo cujusquemodi mures extinguuntur, haud quidem consilio, sed casu fortuitoque arrepto, condivit. Quotquot igitur jus hocce nigrum & avidius, & uberius comederunt, ii quidem ad unum paucos intra dies occiderunt, extremumque vitæ spiritum ediderunt. Qui vero partius illud degustarunt, ii adhibitis statim, ut venenum sibi datum senserunt, theriacis, supera-

peratunt, ex orcique faucibus emerſerunt incolumes. Quid tibi vero amice lector de hoc temerario inconſideratoque coco videtur? annon mecum exclamabis, *tantamne rem tuam negligenter agere*? anne nebulo dignus erat, qui quidem extremo ſupplicio afficeretur? Annon veriſimile eſt quoſdam ipſorum deguſtato jure iſthoc ſuaviſſimo exclamaſſe cum ELISÆI diſcipulis, *mors eſt in olla? Non cibus, hic cibus eſt, ſed triſtis amaror & error.* Verumenimvero licet & *cocis*, & imperitis medicis impune occidere. Et quot ſunt hodie cedo quæſo per DEUM immortalem tum Marpurgi, tum Jhenæ, tum Lipſiæ, tum Wittembergæ, tum in aliis denique Germaniæ academiis, ſeu *Præpoſiti*, ſeu *Oeconomi*, qui numerum ſtudioſorum quotannis non bene magnum, ad orcum mittunt? præbent hi quidem *principum* ſuorum liberalitate atque munificentia ſcholaſticis egentioribus vili cibum pretio, ſed hunc ipſum aut magna ſui parte adhuc crudum, aut bis coctum, aut immunde ſane coctum ac ſordide. Mitto jam dicere quod planis iſtis religio non eſt, & a civibus, & a ruſticis, tum vaccas vetulas, tum vitulos dierum vix decem, tum morbidos boves, tum grandinoſos denique porcos viliſſimo pretio, atque adeo caſſa, quod dici ſolet, nuce emere. Quibus quidem omnibus miſeri iſti famelicique literarum ſtudioſi veſci, latrantemque ſtomachum compeſcere coguntur Quid vero de offis, de leguminibus, de oleribus, ac de pulmentis deniq; verba facere attinet? Hæc quidem ita parantur, & devoranda ipſis objiciuntur, ut vel porcus aliquis deguſtare illa ac ligurire recuſet ac reſpuat. Proinde minime mirandum eſt complures quotannis in academiis

Convivio-rium.

miis publicis literarum ſtudioſos, cum ægrotare, tum etiam ex hac vita excedere. Quid multa? non parum mehercule multi Scholaſtici ea in *communitatibus* (uti vocant) comedunt, quæ & in patriam ſecum deferunt, & concoquere digerereque per omnem vitam vix aut ne vix quidem poſſunt. Itaque cum miſerabilem apud ſuos poſtea vitam, ad nullã prope functionem idonei vivunt, tum lentis etiam diuturnisq; morbis confecti ad extremum animam exhalant. Atq; hæc quidem tam ſunt vera, quam quæ veriſſima. Nec minus profecto verum eſt, idem fieri & in neſocomiis. Ubi præfecti ipſorum ſuæ fidei concreditos ſic accipiunt ac paſcunt, ut ipſis ſit præpropere è medio abeundum, atque hic Vergilii verſus cantandus, *Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.* Enimvero nominare poſſem quendam, qui quidem ſimiliter atque *lixa iſte nuptialis*, jure quodam nigro utriusque ſexus homines non paucos ogdoade una è medio ſuſtulit. Appellantur vulgo eccleſiarum doctores minus literati atque idonei, **Kirchenlerer**, quod ineptis ſuis concionibus efficiant, ut templa ipſorum ab omni fere populo ſint vacua. Annon & illi merentur appellari **Spitals lerer**, cum tantam iſtic ſtragem edant, ac norint optime ut ex Xenodochiis exhaurienda ſint *inutilia iſta terræ pondera.* Sed eſt hæc quærela alius loci. Itaque hæc quidem hactenus.

XXVII. *De ſponſa quadam artis magiricæ perquam gnara atque perita.*

HAbebat ſponſa quædam gallinas adhuc aliquot à nuptiis ſuis in chorte reſiduas. Quod igitur

igitur à sponso esset suo nocte superiore prolixe accepta ac liberaliter, sibi utique faciendum duxit, ut par pari referens, ipsi invicem benigne faceret, & cibo aliquo delicatiore recrearet. Proinde ad chortem accedens, gallinam inde eximit, obtruncatumque deplumat, ac glabrum factum minime eviscerat, sed ollæ integram indit, & cum foco admovet, tum diligenter etiam studioseque lixat despumatque. Cæterum cum gallinam percoctam jam esse autumaret, eam & aromate condit, & marito suo apponit, in spe habens, magnam se ab ipso gratiam inituram. At vero vix aut ne vix quidem gallinam apposuerat, ecce tibi exclamat maritus, papæ mea lux, quantus jam fœtor nares nostras ferit? Cui illa respondet, au mi vir an tibi aromata nostra sordent? tune in fœteribus ea numeras? Dii vero meliora. Næ hoc tu si facis, *inquinis & capitis quæ sint discrimina nescis*, **Ihr wisset nicht was wohl reucht**. Maritus ergo oculis in gallinam diligentius conjectis, animadvertit intestina illi exempta haud esse. Quapropter ad sponsam conversus, non tua quidem aromata accuso *mea vita*, inquit, sed tuam in re culinaria administranda inscitiam, qua factum est, ut gallinam hanc non eviscaveris. Atque hinc quidem tam suaves nobis afflantur odores. Apage te cum opimo isto ferculo tuo, ac cave per amorem nostri tuum, tale quod posthac admittas, alioqui futurum est, ut nostros tu pugnos deguste. Ne multa. Sponsa cum culpam agnoscit, tum deprecatur, tum ad hunc vero lapidem inposterum haud impingit.

Præclare quidē pronunciat Romanæ eloquētię

parens CICERO: nihil esse tam valde vulgare quam nihil sapere. At vero perperam & sordide coquere (si quid ego intelligo) non minus mehercule vulgare est, **Mann findet Manchen Vnfletigen Schelmen vnnd Garstkamel.**

XXVIII. *De insulso quodam gulosoq; Rustico.*

Rusticus urbanum convenit amicus amicum,
Cui prope cognato sanguine junctus erat.
Hospitis adventu civis latatus, opimas
Sollicite docta praparat arte dapes.
Vicinosq; vocat, pariter quos sumere cœnam,
Atq; animos vinis exhilarare jubet.
Convenunt, capiuntq; locum se quisq; decentem
Occupat extremum Rusticus *ille locum.*
Nec mora, de corio cultellum promit acutum
Ille, sed hesterno pane refertus erat.
Vidit, & admovit labris sputoq; rigavit,
Hac sordes gladii mollit arte, sui.
Mollit, abstersit mappa, solitumq; nitorem
Reddidit, ad quadram deposuitq; suam.
Hospes honoratas multis proponere partes
Incipit, atq; cibos carpere quenq; jubet.
Protinus in patina tectos pinguedine renes
Rusticus *esurie jam stimulante videt.*
Arripit, arreptos coram se collocat, & mox
Totos adjuncto pane vorare parat.
Aspicit hunc hospes, tacitoq; pudore rubescens,
Leniter in risum voce solutus ait:
Redde precor disco raptam modo patrue partem,
Redde, nec ad stomachum congruit illa tuum.
Hancq; tibi melius qua convenit accipe carnem,
Si bene consultum me tibi velle putas.

Rusti-

Rusticus *hæc contra: Vanas modo ponito curas,*
Non soleo hos illis præposuisse cibos.
Quas mihi cunq; dapes sors prima objecerit, illas
Objicio duræ pharmaca certa fami.
His quoq; nil melius poni mihi partibus optem,
Et bona ventriculo est qualibet esca meo.
Sic ait, & renes cunctis ridentibus, ore
Devorat, & patitur nil tamen inde mali.

XXIX. *De alio quodam ineptoruricola.*

CVm dominis alius mensa consederat hospes
Non satis hoc visus dignus honore sibi.
Unus erat gnarus carnes in frusta secandi,
(Crede mihi non est illud inertis opus.)
Ille rapit reliquo vulsos à corpore renes,
Et dat honorato (res decet illa) viro.
Hic tamen hoc tanto se non dignatur honore,
Donaq; vicino porrigit ista suo.
Atq; ita jam multis sibi proposuere vicissim,
Qui renes vellet mandere nullus erat.
Hospitis ad quadram tandem venere, sed ille
Non putat hæc aliquo dona carere dolo
Et mihi cur placeat, si displicet omnibus? inquit;
Cur ego, qua cuncti damna timetis, amem?
Dixit, & stratus medias projecit in ædes,
Ut canibus rapidis præda petita foret.

Dedekindus de Simp. mor. lib. 3. cap. 5.

XXX. *De hæreico aliquo aulici cujuspiam facto.*

WEnn man einem Armen Priester in aula, ein Malther Koren oder [illegible] gülten gibt/ putat

quod beaverint ipsum. Interea dantur *Ephestioni* alicui multa millia, sicut ego memini uni datos esse mille aureos, quod tanta ejus virtus esset, ut auderet cacare in medio convivio in mēsam. Erat heroicū facinus, So gehets in mundo. *D. Pezelius. Postil. Phil. Mel par. 3 pag. 457.*

Idem facinus Carmine expressum.

Acta cano, Veniā da turpiter acta canēti,
Fas mihi sit crasso crassa referre modo.
Vir generosus erat, claraq; propagine natus,
Consilio nomen judicioq; premo.
Ille suis meruit comicumq; ducumq; favorem,
Moribus, & gestu ridiculisq; jocis.
Ingenium propter ludi ad genus omne paratum,
Principibus gratus cœperat esse Viris.
Cuncta igitur quando sua seq; placere videbat,
Omnia quæ risum promereantur agit
Deniq; jam mediam jussus conscendere mensam,
In medio posita mox stetit ille mora.
Sollicite spectant omnes quos edere ludos,
Quæ joca, quo risu spargere digna velit.
Ille diu tacitus, cunctis spectantibus, astat,
Quod erat orsurus præmeditatus opus.
Detectis natibus tandem positoq; pudore,
Egerit impuri stercora Ventris onus.
Exoritur plausus manuum, risusq; videntum,
Non alio poterat gratior esse modo.
Mille igitur meritus retulit pro munere numos,
Posthabiti merces illa pudoris erat.
Nunc, & vita nimium studiosus honesta,
Præmia barbaries moribus esse nega.

Dedekindus de Simp. mor. lib. 3. cap. 5.

XXXI. De

XXXI. *De Medico quodam imperito & inexercitato.*

ERat pastori cuidam pagano, homini non solum eruditione & vitæ innocentia, verum auctoritate etiam facundiaque præstanti, amico nostro, filius, natus jam annos, uti mea est memoria, tredecim. Is ex pedibus laborare cœpit, ita quidem, ut crus illi sinistrum inflammaretur, & genu mirum in modum intumesceret, & exulceraretur. Quamobrem urina illius excipitur, & ad N. N. medicum perfertur, & hujus auxilium imploratur. Is eam diu multumque contemplatus, ad extremum oculos in pastoris conjugem conjicit, & hujuscemodi verba facit. *Deus bone quid ego conspicor?* Hæc quidem juvencula uterum fert, ac nihil est propius, quam ut pariat maritumque suum pulchra prole parentem faciat. Huic hercle medicina adhibenda haud est, sed tempus expectandum partus. Tum quidem res ipsius futuræ sunt salvæ. Hæc pastoris uxor, lectissima matrona audiens hominem vanitatis arguit, respondetque, nihil dicis *Domine*. Nam hæc quidem urina non à fœmina aliqua, sed à nostro filio natu maximo *Christophoro*, ne nescias, reddita est: cui non uterus, sed genu sinistrum intumuit. Itaque tum ille pariet, cum mula pepererit, hoc est ad Kalendas Græcas. Eo audito medicus plane obstupescit, reversusque ad lotium aliquanto diligentius illud jam inspicit, posteaque sic sermocinatur. Enimvero non toto cœlo, quod ajunt, erravi, sed vidi utique ac divinavi hominem hunc intumuisse, sive mas ille sit, sive fœmina, sive tumor insit in utere sive genibus insideat. Posteaque multa garrire

incipit & deblaterare, quæ medicamenta illi adhibenda sint, ut convalescat, ac sese confirmet. At pastoris uxor istum illius sermonem ab una aure transmittens ad alteram, pro nihiloque putans, pretium illi pro inspectione urinæ annumerat, actutumque discedit, nolens utiq; gnatum suum tam perito exercitatoq; medico curandum sanandumq; credere.

XXXII. *De Medico quodam temerario.*

DUx JOANNES filius GEORGII Ducis Saxoniæ habebat Medicum, qui, cum illi adhibenda essent cauteria, hoc sermone utebatur ad principem, **Herr wir müssen euch den Narren stechen** Oportet nos minuere fatuitatem vestram Princeps ægre ferens, respondit **Stecht euch selbst den Narren / Ihr seit ein grosser Narr dann ich**. Tu ipse plus habes fatuitatis, minue tu tuam, quam habes fatuitatem. Reliqui qui aderant, increpabant Medicum, verebantur ne pater *Dux Georgius* rescisceret.

D. Pez. Post. Phil. Mel par. 2 pag. 681.

XXXIII. *De Medico quodam minus exercitato.*

MEmini Medico cuidam, homini multum adhuc juveni, ac non ita pridem ex Italia in patriam reverso lotium vituli cujuspiam jam jam mactati inspiciendum olim exhiberi. Qui perdiu illud contemplatus, tandem dixit. Næ gravissime hic homo ægrotat, & est perdita omnino valetudine. Huic quidem ad rectum res rediit. Quod si nostrum auxilium implo-

imploraſſet ſaltem nudiusquartus, poteramus illum priſtinæ valetudini reſtituere. At nunc conclamatum eſt Hui quantas lienis obſtructiones patitur? Ey wie hart iſt jhme die Miltzen verſtopfſet? Quod vero de quibuscunque fere ægrotis pronunciare ſoleret, laborare eos ex ſplenis obſtipatione, Sie hetten die Verſtopffung der Miltzen/ vulgo poſtea ab aulicis die Verſtopffung der Miltzen appellatus fuit.

XXXIV. *De Medico quodam indocto.*

ÆGROTI Medicus cupiens cognoſcere morbum,
Inſpectat lotium ſole micante diu.
Currus in oppoſito ſani ſtat forte locatus,
In vitro, cujus lucet imago levis.
Quam Medicus cernens, habet hic, exclamat, in alvo
Cum curru clauſos quattuor eger equos.
Mentibus heu noſtris quantum caliginis obſtat,
A vero ut raro cernere falſa queant.

D. Loſſius in Epigr. pag. 253.

D. Matthæſius in explicatione Syracidis, pag. 168.

A medico indocto,
A cibo bis cocto,
Ab amicitia reconciliata,
A mala muliere.
Libera nos Domine.

Vor eim Artzt ſo da iſt vngelart/
Vor zwey mahl gekochtem Fleiſch/ ſo noch iſt hart/

Vor Freundschafft/ so Feindschafft gwesen ist/
Vnd vor ein Weibe arger List/
Behüt vnd erlöse mich O Jesu Christ.

XXXV. De Tonsore quodam.

QUum in tonstrina sermo verteretur de tollenda *Dionysii* tyrannide, quam quidam dicebant adamantinam esse & insuperabilem, tonsorque intempestivo joco ridens, quinam inquit insuperabilem, cum ego subinde admoveam novaculam illius gulæ? Delatum est hoc dictum ad *Dionysium*, & in crucem est actus tonsor.

Erasmus de Lingua.

XXXVI. De alio quodam Tonsore.

CLADEM quam Athenienses in Sicilia maximam acceperant, tonsor quidam à servo cujusdam ex clade ea elapsi cognoverat: mox relicta tonstrina, veluti timens ne quis primi nuncii gloriam præriperet, quantum potuit, ad urbem accurrit, totamque civitatem rumore complevit. Orta perturbatione, collectoque populo, primum author hujus rumoris inquirebatur. Protrahitur tonsor: jubetur rumoris authorem edere, cujus ille ne nomen quidem tenebat. Illico rotæ alligatur miser torquendus, ut tristissimi rumoris confictor. Interea venere qui certum acceptæ cladis nuncium afferrent, jamque ad suas quisque calamitates deplorandas domum abiit, relicto, ut erat alligatus, tonsore. Tandem cum solveretur sub noctem à carnifice, etiam tum percontabatur ecquid accepisset de *Nicia*, & quomodo esset interfectus, nam is Dux erat exercitus. Tanta morbi vis

bi vis erat, ut eo quoque tempore prius maluerit de malis alienis audire, quam suum deplorare malum, aut cavere, ne quid in posterum tale quid accideret. *Idem ibidem.*

COLLECTANEA

De frenanda lingua.

Sol. proverb. 10. v. 8. 10.

Qui sapiens est corde præcepta recipiet: Stultus labiis impinget, vel vapulabit.

Cap. 12. v. 18.

Et qui temere profert veluti confossiones gladii, At lingua sapientum sanitas est, vel medicina.

Cap. 13. v. 3.

Custodiens os suum, custodit animam suam. Qui distendit labia, terror vel contritio illi.

Cap. 16. v. 26.

Dat pœnas stultiloquentiæ os futile.

Syr. 5. v. 15.

Loqui adfert honorem, loqui item adfert ignominiam.
Et hominem sæpe sua ipsius lingua evertit.

Euripides.

Ἀχαλίνων στομάτων τὸ τέλος δυσυχία. Linguæ effrenis finis est calamitas.

Idem.

Idem.

Ἀκόλαστον γλῶσσα αἰσχίστη νόσος. Petulans lingua, turpissimus morbus est.

Plutarchus.

Sapientis est tempestive tacere, idq; omni oratione melius est.

Erasmus.

Soloni ad Crœsum Regem Lydorum eunti *Æsopus* subjecit, cum regibus ἢ ἥκιστα ἢ ἥδιστα, aut quam pauciſſima aut gratiſſima loquenda esse. Ita Calliſtheni in aulam Alexandri proficiscenti *Aristoteles* præcipit, ut linguam prudenter frenet. Quia vitæ & necis potestatem in cuspide linguæ portet.

Matthæsius.

Osse caret glosla, per quam franguntur & ossa.

Horatius.

Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

Ἀσήλγ.

Quicunq; linguam temperans,
Gubernat arte garrulam,
Illi beato serior
Continget ætas, & bonis
Senectus aucta plurimis.

HARTMANNUS SCHOPPERUS.

Ingens lingua bonum, sed damnum grandius, omne
Arbitrium vitæ, jus habet omne necis.

Hart

Hanc qui temporibus frenо conſtrinxerit aptis
Accipiet labiis præmia digna ſuis.

XXXVII. De Petro Pagano.

PETRUS PAGANUS, Poeſeos olim hiſtoriarumq; in inclyta ſchola Marpurgenſi Profeſſor celeberrimus, quem honoris cauſa nomino, tantum duntaxat cereviſiæ bibebat, quantum ſiti ſedandæ reſtinguendæque ſufficeret. Neque vero ſibi a quoquam perſuaderi patiebatur, ut ad præſcriptum alicui reſponderet. Quod ſi quiſpiam forte hujus conſuetudinis ipſius ignarus, æquum ſibi fieri poſtulabat, illico de menſa non ſine ſtomacho ſurgens, ſe ſubducebat, & dicebat, toties ſe diabolica ſomnia facere, quoties quidem cereviſiam ſupra quam natura poſtulat, biberet. **Sagte jhm träumbte vom Teuffel/ wenn er einen vberigen Trunck Biers thete.** Cæterum iis conviviis magna voluntate, ſummaque animi hilaritate lætitiaque intererat, in quibus quidem VINUM affatim ſuppetebat. Hic nemini non bono cum ſtrenue præbibebat, tum vero ſibi præbibentibus reſpondebat maſcule ac fortiter, minime omnium committens, ut aut primus vino confectus, aut è convivio cæteris adhuc ſobriis, diſceſſiſſe videretur. Verſus porro inter ſcyphos vino jam incaleſcens ſic ille ex tempore fundebat feliciter, prompte, & expedite, ut torrentis inſtar fluerent, incredibilique omnium cum voluptate exciperentur.

COLLECTANEA.

De Cereviſia.

Plinius

Plinius Naturalis historiæ, lib. 23. Cap. 22.

Heu mira vitiorum solertia, inventum est, quemadmodum *aqua* quoq; inebriaret.

Dionysius cerevisiæ coctionem invenit, Anno 3766. Seb. Schef.

HorDeo aqUa LUpULo CoqUItur CereVIsIa; noMen
StrUCtUM hoC, VIs CererIs qUoD saCra sUbsIt aqUa.

EOBANUS HESSUS.

Qui docuit crasso Cererem confundere succo,
Huic tratus erat Bacchus, *& ipsa* Ceres.
Nam Pelusiaci qui laudat munera zythi,
Illi nec cerebrum, nec caput esse potest.
Renibus & nervis, cerebroq; hic noxius humor,
Sæpe etiam lepræ, semina fœda jacit.

Petrus Paganus P. L.

Cervisiam zytopæi coquens potusq; ἀοίνητος,
Quem raro læta fronte Poeta *bibit.*
Abjicias lupulum ladentem claustra cerebri,
Agresti linquas hordea cocta grege.
Undas anseribus: docta tua dona phalanges
Bacche *bibant: posthac fac zytopæ merum.*

Hartmannus Schopperus.

Sint procul à doctis zythi maledicta Poetis
Pocula: nutritur quodlibet inde scelus.
Non salis in toto gerit unquam corpore micam,
Qui vehit hunc potum laudibus astra super.

Qui

Qui Cereri succos odiosos addere primus,
Et violare merum dulcius ausus erat:
Huic irata Ceres *fuit, huic iratus* Iacchus:
Humor enim cerebro pernitiosus obest,
Debilitatq; pedes, jacit horrida semina lepræ,
Omnibus extremi zythus origo mali.

Janus Douza Nortuicus.

Unde suum, quæris, ducat Cerevisia *nomen?*
Quod cerebrum visat crebro Sabelle *tuum.*

XXXIIX. De Joanne VVernero Coss. Eschwicensi, & Thuringiacæ nobilitatis quibusdam viro.

QUI *Eschwegæ Hessorum* annos non parum quidem multos consulatum bene & ratione, atque adeo non tam summa sui cum laude, quam Reipubl. istius incremento singulari gessit *Joannes VVernerus* amitimus meus, vir & eruditione, & sapientia, & rerum denique usu præstans, de nobisque immortaliter sane meritus, is quidem legationem aliquando obibat, missus à patribus Reipublicę Eschwicensis conscriptis in vicinam Thuringiam ad Nobiles ab N. N. certi negotii cujuspiam causa expediendi. Hic cum *Nobiles* casu nescio quo istum in sermonem delaberentur, ut eam quisq; cerevisiã laudaret, quæ quidem suo respondebat palato, & hic quidem zythum Erphordianum, ille vero Stettensem, hic Naumburgensem, ille Torgensem, hic Servestanam, ille Wurcensem in cœlum laudibus efferret: & alius contra diceret deberi primas jure quodam suo, Hamburgensi, alius Regiomontanam isti anteponendam esse contenderet, alius denique cerevisiam

omnium

omnium optimam esse Rostochianam affirmaret, alius Gardilegiensem illi præferret, *VVernerus* hanc controversiam disceptationemque cerevisiariam dirempturus inquit: Perquam enimvero bonas cerevisias istas vestras, quas modo enumerastis, esse, haud equidem negaverim. At mihi nota est cerevisia quædam, quæ vestris istis omnibus. rum colore, tum odore, tum sapore, tum vi denique efficaciaq; sua in omnes partes præstat, eamq; multis parasangis post se a tergo reliquit. Ecquæ vero ista est cerevisia inquit unus eorum, hanc quidem degustare, per ego cuperem. Audies igitur ex nobis respondet *VVernerus*, quænam illa sit, atque adeo degustabis etiam, si placet, ac cordi est. Est utique *VVormatiensis*: hæc quidem hercle una, cerevisias in universum omnes, quotquot sunt, & quotquot fuerunt, & quotquot sunt futuræ, cum bonitate, tum etiam efficacitate longe longeque antecedit. Numne igitur & istic coquitur cerevisia? inquit quidam ipsorum, qui quidem My, quod est in proverbio, sortitus erat. Coquitur utique inquit *VVernerus*. Cæteri autem Nobiles, qui habebant acetum in pectore, ac emunctioris erant naris VINUM innuere ipsum intelligentes, rem vero acu tangis *VVernere Consul* inquiunt, ac nos quidem cum pedibus tuam in sententiam discessionem facimus, tum cerevisiis etiam istis valere jussis, *zythum VVormatiensem* depromendum curabimus. Affertur igitur extemplo VINUM Rhenanum præstantissimum, & affluenter, frontem exporrigentibus ad unum omnibus, hauritur.

COLLE-

COLLECTANEA
De Vino.

Ἀδήλου.

Vinum rhenense decus est & gloria mensæ.

CHRISTOPHORUS AULÆUS.

VInceret Nyctilii quod credas munera zythum,
Approbo judicium tempus in omne tuum.
Dulcia *concutiant rubicundos* vina *colores,*
Et stomachum modice sumpta calore juvant.
Vina *fugant tristes mœrenti pectore curas,*
Vina *parant animos, excutiuntq; metus.*
Vina *levant ægros, morbisq; medentur acerbis,*
Corporis & vires, ingeniq; ferunt.
Mutus & omnino dicendi muneris expers,
Dulcia *si biberit* vina, *disertus erit.*

Camerarius lib. 1. epist. pag. 79.

Lagenam accepi, & hoc etiam de munere perspexi tuam prudentiam, qui intellexeris in dolore nos esse corroborandos. Magnopere enim *Vinum* auget vires, ut ait *Herodotus.*

Idem lib. 4. epist. pag. 355.

Inter medicamenta non postremum esse existimo χρηστὸν οἶνον.

Pontanus lib. 1. Amorum pag. 65.

Vino pelluntur tristes de pectore curæ
Hic liquor ingrato corda dolore levat.

XXXIX. *De Musico quodam* CAROLI QUINTI IMPERATORIS *Belga.*

EA ad comitia quæ quidem anno M. D. XL. Ratisbonæ celebrata fuerunt CAROLUS QUINTUS ille post hominum memoriam IMPERATOR Potentissimus, atque adeo OPT. MAX. Musicum quendam hominem Belgam secum adduxit, cui non solum vastum erat procerumque corpus, sed & vox mirum mehercule in modum grandis atque horrisona. Id cum increbuisset ac emanasset in vulgus, incredibile est, quantus fuerit hominum concursus ad audiendum ipsum factus. In quibus & *Cattorum Principis*, tum Jureconsulti, tum Medici, tum Theologi etiam fuerunt. Quod vero frigus tum impenderet haud parvum, Theologi Hessiaci plerique omnes *Missæ* sine minime exspectato, mature discedebant domum. Unus tamen *Megobacchus* Medicus, & *Dionysius* itemque *Principis* ecclesiastes, isthanc vim frigoris susq; deque facientes, tantisper in templo durabant, dum concio dimitteretur. Erat enim uterque ipsorum Musices, si quisquam alius, studiosissimus. Sacris porro jam omnibus peractis, cum quisque in hospitium suum sese reciperet *Megobacchus* ad *Melandrum* conversus inquit, quin adimus ad hominem, & in ipsius nos familiaritatem insinuantes sciscitamur, naturalisne isthæc ipsius sit vox, an vero arte aliqua, aut medicamine quopiam acquisita? placet *Dionysio* consilium. Itaque ipsum conveniunt, dictaque salute, familiares cum ipso sermones ultro citroque conferunt. Ubi autem aliquousq; progressi cum ipso jam essent, ecce tibi *Musicus* in glacie labitur, eoq; casu

casu crepitum ventris incredibiliter rugientem ac sclopettum propemodum quendam repręsentantem, emittit. Proinde *Megobacchus* & *Dionysius* humi jacentem mox sublevant, qui quidem in pedes erectus ridenti ore infit,

Non est peccatum, per culum mittere flatum.

At vero *Dionysius* illi contra evestigio respondet:

Non est urbanus, cui retro sibilat anus.

Ex eo tempore sæpe sunt postea multumq; cum eo congressi, ac conviviis etiam ipsum suis crebro adhibuerunt. Postea vero quam domum rediissent, percontantur ex *Draconite*, & *Corvino*, & *Pistorio*, & *Rodolpho* itemque *Gualthero* Theologo illo magno si non maximo, quid ipsis de *Bassista* isto uti vocant videretur? quomodo placuisset ipsis stentorea illius immanisque vox? Iis respondentibus, verisimile sibi non videri, humana ipsum voce sonare, sed habere quodammodo persuasum cacodæmona quempiam infernalemque spiritum, ex ipso rugire, inquit *Dionysius*, ludus profecto jocusque est vos quod audivistis, præ ut postea vobis digressis boarit, **Wir haben viel mehr gehört als jr / wir haben jhnen auch den *Subbassum* hören singen: Ich meyn da brummet er.** Næ *Subbassum* ipsius audire vos si contigisset, magis jam magisq; admiraremini, & tonitru profecto quodpiam vos exaudivisse diceretis. Quum igitur mutuum se accusarent, ac non mediocriter dolerent, quod non essent ad finem usque in templo commorati, quo & ipsis SUBBASSUM illius audire licuisset, MEGOBACCHUS iis rem omnem exponit, **Daß er auff dem Eiß gefallen / vnd**

einem solchen grewlichen Scheiß gelassen / der mit seiner Stimm nicht allein vbereingestimmet / sondern dieselbige auch vbertroffen / vnd weidlich gedonet vnd gedonnert hatte: Also / daß er deßgleichen die Tage seines Lebens nicht gehört/oder hinfüro auch wol hören würde / concidisse ipsum in glacie, ex eaque prolapsione crepitum ventris edidisse, qui quidem voci ipsius grandi non modo respondent, sed & antecesserit, atq; adeo bombardæ alicujus sonitum scloppumque retulerit, sic quidem ut ipse in omni vita non audierit similem, neque vero secundum auditurus videatur. Itaque risu inter ipsos multo maximo coorto, *Draconites* in has ad extremum voces erupit, hic quidem hercle non fuit *Subbassus*, sed *Saubassus*.

XL. De Dionysio Melandro.

QUUM *Dionysius Melander* avus meus paternus ab amplissimo prudentissimoque *Senatu Francofurtensi* ad docendum Euangelium Anno M. D. XXV. vocaretur, isque XV. Maji die primam istic concionem Euangelicam habuisset, assignarunt ei habitationem *Patritii* cujusdam ædibus propinquam, qui, quod religioni papisticæ esset adhuc addictissimus, illi supra quam dici potest inimicus erat atque infestus. Quod porro *Patritius* iste coturnicem quandam domi suæ aleret noctes atq; dies cantillantem, *Dionysius* ipsi contra ægre facturus, fovebat cuculum qui & ipsum incondito suo cantu coccysmove tantum non obtundebat. Etsi vero *Dionysium* minime fugiebat cuculum hunc suum *Patritio* isti unguem quod ajunt in ulcere esse, eum tamen, admonitus etiam ab amicis, haud removit, sed dixit, meus mihi mehercule

hercule cuculus tam est carus, quam illi sua potest esse coturnicula. Quod si ejus cantum ferre non potest, nihil equidem impedio, quo minus aures suas obturet. Quodam etiam tempore *Patritium* istum forte fortuna sibi obvium hanc est in rationem allocutus: Optarium equidem *generose Domine*, perinde inter nos convenire, ut inter aviculas quidem nostras convenit. Quoties enim tua illa canit, **Buck den Rück / bück den Rück** / toties mea illi extemplo morem gerens respondet **guck / guck mir in Arß**. Etsi vero *Patritius* tam obesæ naris haud erat, quin olfaceret medium digitum sibi ostendi, dissimulavit tamen, ac responsum illi dedit nullum, sed tacitus viam suam abiit. Idem paucis interjectis annis religione papistica repudiata, sacrosanctam Euangelii doctrinam amplexus est, ac avum meum, quem hactenus angue pejus & cane oderat, non solum amavit, sed & multis beneficiis ornatum auctumque magno in honore pretioque habuit. Cæterum de isthoc avi mei cuculo hoc ego carmen inter ipsius schedas authoris manu scriptum, reperi, quod non possum non hoc loco subjicere.

CUCULUS DOMINO SUO.

SUM fateor cunctis avibus deformior, atq;
Cantando est vocis gratia nulla mea.
Quando novis herbis vestitur gramine campus
Tunc solito ructu tempora grata fero.
Flumina quando gelu nimirum cuncta stetere,
Nunc vegetas calido corpora nostra foco.
Latratus imitor pro carmine, multa vorando
Digerimus, stomacho non patiente famem.
Nec forma, nec plura queo præstare canendo,
Hoc tibi cum placeam, pergo placere, modo.

Perge Dei verbo, *sed tu prodesse* Melander
Ac omnes mundi temnere velle minas.
Qui te cum doctis aliis sprevere deabus,
His Cuculi *pennas mittere perge tui.*

Theodorus Reysman, P. L.

XLI. Missæ in Wirtembergensi Ducatu languentis conquestio, ad Dionysium Melandrum, Ecclesiasten Francofurtensem.

Missa *fui magno quondam celebrata favore,*
Cantarunt laudes terra, fretumq; meas.
Longo Reginam *coluerunt tempore* versus,
In cineres mecum decidit omnis honor.
Exilio miseram damnarunt Saxones, *inde*
Hessiacas *liqui, Martia regna, plagas.*
Helveticis *exosa viris, contempta per urbes*
Imperii multas, plena dolore fui.
Wirtembergensem *semper bene culta per oram,*
Spera Vi ventos, prospera vela, bonos.
Divini verbi jaculis repetita jacent nunc
Semanimis tristi languida membra thoro.
Si moriar, tumulo veteres *superaddite* Mystæ
Clauso, fortunata talia verba mea.
Missa *puella fui,* Regina *& honoribus aucta*
Tempora ab innumeris longa petita procis
Hic, ubi nil potuit validos, quia fœmina, in hostes,
Divino verbo saucia, puret annus.

Theodorus Reysman, P. L.

XLII. De Hieronymo Emsero.

TOtus in fermento jacebat *Hieronymus Emserus*, ac tantum non ex potestate exibat, posteaquam

eaquam *Helvetios* quoq; alios quotidie post alios papistica idolomania repudiata atque valere jussa, *Christo* nunc nomen dare, ac puram putam Euangelii doctrinam amplecti accepit. Ne non igitur ipsis contra ægre faceret, ac aliqua saltem ex parte noceret, hocce sibi illos insulso carmine perstringendos, notandosque esse censuit.

Suice *inimice* Dei, *fidei hostis*, Suice *tyranne*,
Lactiphagus nequam, vah boum mulctor iners.
Dii nequeunt ultra tadus & ferre rapinas
Quas sylvis genitus, mare latronis amas.
Tempus adest, quo tu, dum speras aurea dona,
Liligeri fugies ferrea tela ducis.

Quos quidem pulchros, si diis placet, Versus in Vernaculum sic vertit sermonem, D. Sebastianus Hofmeisterus Scaphusianę tum temporis Ecclesiæ antistes, Theologus Orthodoxus.

Die Schwitzer sömlich Menschen sindt/
Gottshasser/ vnd deß Gloubens Fiendt.
Groß Milchbengel/ vnd Tyrannen/
Küemelcker/ Ach ouch vnverstanden.
Die Götter mögendt nicht mehr schouwen/
Ihre Mordt/ Diebstal/ vnd Roubens/
Daß sie in jhrer Gwonheit handt/
Nach Art jhres gebirgten Landt.
Als morden pflegendt auff der Erden/
So im Wildtnüssen geboren werden.
Es wirt kommen ein kurtze Zyt/
Daß die Gilg so jetzt viel Cronen gyt/
Dich mit Spiessen/ Waaffen/ Ysen
Wirdt jagen/ schlagen/ vnd zerryssen.

D. Seb. Hofmeist. in Apol. sua adverſ. Eccium.

Philippus Melanchthon.
Emserus caper est, *Fabrum* constantia mittit,
Ille suis fumis uritur, hic scabie.

XLIII. De Antonio Corvino, & Dionysio Melandro.

VENIT olim *Munda Antonius Corvinus* ad *Dionysium Melandrum* ecclesiæ Cassilienſis antistitem avum meum, cum aliorum negotiorum causa tractandorum, tum maxime ut sui cujuspiam gaudii participem faceret. Atque hujus quidem rei perficiendæ tanto desiderio æstuabat, ut *Cassellas* vixdum ingressus ad ipsum confestim properaret, & hunc ad modum eum alloqueretur. Tu vero *Dionysi* frater adduci potuisti nunquam, ut crederes constanter in agnita Euangelii veritate perseveraturum, sed omni semper asseveratione affirmare ausus es, prospicere te tanquam ex specula, eum prima quaqua occasione oblata defecturum esse ad papismum. At vero multum te fallit hæc tua opinio. Etenim cum heri multus mihi cum ipso de hac religione nostra reformata sermo esset, ita se eam & amare, & amplecti protestatus est, ut vel ea, quæ thoraci suo inclusa habeat, pro ea, si res cogat, profundere minime recuset aut vereatur. **Ihre F. G. wolten bey dem Euangelio auffsetzen / was sie in dem Wammes stecken hette.** *Id optimus & doctissimus Corvinus*, de VITA DUCIS intelligebat, quod hanc quidem ille pro religione profundere paratus esset.

AT DIONYSIUS aliter, & quidem rectius interpretabatur, CORVINOq; respondebat. Ah mi CORVINE ne exulta amabo te tantopere, *tuum* enim ille DUX nasitergium fortasse quodpiam thorace

thorace conditum habuit, id vero religionis nostræ conservandæ causa in discrimen adducere non dubitat. Ach mein *Corvine* ruhmet nicht so sehr/vielleicht hat der gut Herr ein rotzdüchlein im Wammes gehabt/das will er bey dem *Euangelio* auff setzen. Neque vero *Dionysius* conjectura aberravit. Paucis enim annis interjectis *Dux* ille repudiata Euangelii doctrina ad papatum defecit.

XLIV. *Jocus Nasonis in importunum januæ pulsatorem.*

Forte domi solus quondam cum Naso *sederet,*
Intentus studiis carminibusque suis.
Pelignus gelido veniens à rure colonus,
Ardua divini limina vatis adit.
Utque erat agrestis, strepitu ferit ostia magno,
Et tacito properans increpat ore moras:
Nescio quid talem vatem sit & inter asellum,
Respondet breviter Naso Poëta *fores.*

XLV. *Jocus Poëta epota.*

Heus tu si bonus esse vis Poëta,
Epota: *proprium boni* Poëtæ,
Est clausis oculis repente magnos
Exhaurire ter & quater cullullos.
Si nescis? Anagrammatismus hæc vox
Epota: *sonat alterum* Poeta.
Epota bibere exigit poetas
Ut non ore queant loqui Poetæ.
Ut non ire queant boni poetæ.
Non audire queant boni Poetæ.
Non videre queant boni poetæ.
Non videre queant boni poetæ.

Singulare tamen queant recenter.
Sternutare tamen queant frequenter.
Tractare dein queant decenter.
Tandem reddere pota continenter.
Et quis improbet ut bibant poetæ?
Seu quis improbet, ut vomant poetæ?
Si non vertice forte laureari,
Larvari facie sua merentur.

D. Melchior Hause poeta seculi hujus nostri politissimus & præstantissimus.

XLVI. *Jocus ad Galeottum Principem Faventium.*

CUr promissa tibi tuus poeta
Nondum præstiterit rogas? poeta est.

Angelus politianus Tom. 3. pag. 302.

XLVII. *Jocus in Ioannem Manardum.*

PAucos discipulos pascens ubi vidit asella,
Dum vacua legeres docte Manarde schola.
Quam pretiosa cadat, sine fructu lecto, dixit
Doctrina auditrix sim prius ipsa tua.

Euritius Cordus lib. 4. Epig.

XLVIII. *Jocus ad Paulum Eberum.*

MIssa Hamburgiaci tibi dicitur amphora zythi
Quod celans solus Paule *bibisse cupis*
Invites socios, vel quod Philoxenus optat
Opto tibi collum ceu solet esse gruis.

Phil. Mel. lib. 4. Epigrammat.

XLIX. *De*

XLIX. *De pandochæo quodam in adulterio ab honestissima uxore sua deprehenso, qua tamen dignis ipsum modis raro admodum exemplo ea re minime accepit.*

NOvi ergo *Pandochæum* quendam, illum quidem opulentum, & perhumanum, & hospites denique tolerabili symbolo large liberaliterq; accipientem, sed indomitæ effrenatæque libidinis hominem, & qui conjuge altera lectissima fœmina minime contentus, cum quibuscunque aliis scraptiis & putidis recellicluoiis, tum ruri, tum in saltibus etiam volutaretur, & multis insuper ingenuis puellis ancillis suis stuprum domi suæ identidem inferret. Quocirca & conjux illius, omnibus cum corporis, tum animi dotibus perornata matrona, coacta fuit, famulam conducere aut prorsus nullam, aut admodum certe deformem. Quodam porro tempore cum esset illi ancilla, neque formosa, & partim macie, partim vero rugis senioque squalida, ideoque nihil minus suspicaretur aut vereretur, quam ut cum ista quidem aliquando consuesceret, ecce tibi *libidinosus nebulo* ab hospitibus aliquandiu jam poculis post prandium indulgentibus se subducit, in bovileque sese conferens istam deformem & nigram, & macram, & luscam scropham subagitat, futuitque. Sciscitantibus igitur hospitibus, ecquonam vir ipsius se proripuisset, incidit mulieri suspectio, ipsum in stabulo cum formosa ista, si diis placet, nympha sua sese oblectare. Neq; vero ipsam fefellit isthæc sua opinio. Etenim simulatque bovile aperit ingrediturque virum suũ bestiæ isti incumbere, & strenue strenueque

covere

cevere conſpicatur. Tantum vero abeſt ut furca aliqua fuſteve arrepto, ipſum verberaverit, ut ne molli quidem objurgaverit brachio, ſed ad unam ſervulam ſuam converſa, illam hunc ad modum fuerit allocuta: **So recht/ ſo recht liebe Magdt/ brauch du jhnen des tages/ So will ich jhnen des Nachts brauchen / was ſols gelten / wir wollens den Schalck Müde machen.** Eia vero mea famule, hoc age ita perge, ſic itur ad aſtra. Ita nunc partiemur nos vices & tempora, ut tu quidem ipſo interdiu utare fruare, ego vero noctu illum uſurpem poſſideamque. Diſpeream equidem ni iſthoc pacto ſimus laſtauri iſtius inexhauſtam laſciviam & petulantiam tandem aliquando expugnaturæ, retuſuræ, & protrituræ: hisq; dictis è ſtabulo mox moxque provolans, conjugem id ſuum pertexere ſinit, quod quidem exorſus fuerat. Interim tamen rem exemplo hoſpitibus omnem, minime aut illachrymans, aut ſtomachans exponit. Qui mirati ratam hanc matronæ commemorabilemque patientiam, *Pandochæum* poſtea mirifice exagitant corripiuntque, quod poſthabita uxore ſucci plena, & ſpecioſa, & honeſta, & cordata denique, cum deformi iſta, & putida ſtrigoſaque ſimia, cujus vel aſpectus reſtinguere ipſi omnem continuo libidinem exercendæque veneris ardorem ac ſitim poterat, congredi haud dubitaſſet. Ac matronæ præterea authores ſunt, ut propudium iſtud ea ipſa mox hora ex ædibus ſuis, fuſto prius probe probeque dedolatum exigat exturbetque. Quibus quidem & ipſa auſcultat moremque gerit. Quam vero diſſimilis, ô dii, hæc eſt matrona *Wildungenſis iſtius beluæ*, cujus eſt primo libro facta à nobis mentio, quę in virum ſuum tantopere ſæviit caſtrando ipſum & evirando, novo plane

plane & in audito exemplo? jurene an vero injuria, haud equidem jam disputaverim.

D. Lavaterus Homil. XV. in librum Ruthæ pag. 58. b.

SUnt qui nullum non lapidem movent, ut pudicitiæ matronarum & virginum insidientur: sed & illi tandem dabunt pœnas suæ impuritatis. Nam liberi eorum, item uxores sæpe ab aliis quoque justo DEI judicio constuprantur: aut illi zelo accenduntur erga uxores, atque ita misere cruciantur dies noctesque.

Fœditas & turpitudo vagarum libidinum illicitique coitus.

ἀδήλου.

URit in affectu Venus anxia, sordet in actu
Inficit & fœtet, quando patratur opus.
Post factum fecisse pudet, cito præterit illud
Quod juvat, æternum quod cruciabit erit.

Incerti Authoris.

In coitu sex damna luo, quia denarium do,
Humorem bonum, proprio de corpore fundo.
Abbrevio vitam: studium cum nomine perdo,
Offendoque DEUM: *triplici sic sorde redundo.*

Adulterorum pœnæ ἀδήλου.

His quinque pœnis affligitur omnis adulter:
Aut hic pauper erit: aut tristi morte peribit.

Aut

Aut infamis ferit vel carcere clauditur atro.
Aut aliquem membris, casu, vel vulnere perdit.

Dionysius Melander pater meus.

Den Ehbruch straffet Gott der Herr/
Ahn Leib/ahn Seel/ahn Gut/ahn Ehr.

Plato Νόμων ἡ

Μηδένα τολμᾶν μηδενὸς ἅπτεσθαι πλὴν γαμετῆς ἑαυτῷ γυναικός. Nemo audeat ullam attingere præter legitimam suam uxorem.

L. *De Nicolao Reuttero fidicine Willebecensi, cui nunquam fere, nisi semel duntaxat per omnem vitam cum uxore sua convenerat, licet multos ipsam annos habuisset in matrimonio.*

Willembeci, qui pagus est *Episcopi atque electoris Moguntini*, situs in provincia *Eichsfeldiana*, paucis abhinc annis ætatem egit *Nicolaus* quidem *Reutterus*. Hunc crebro rustici certatimque sua in convivia adhibebant, sive ea genethliaca, sive sponsalia, sive nuptialia, sive quæcunque alia denique celebrarent. Præterquã enim quod fidibus aut testudine pro re nata scienter caneret, mirum etiam in modum erat facetus. Proinde nemo fere erat quisquam, quin ejus præsentiam expeteret, ipsiusque consuetudine atque colloquio plurimum oblectaretur. Accidit autẽ ut incendio aliquando illius in domo coorto, tũ ipse ille tum ejus etiam uxor conjunctissimo animo procurrerent, unoq; exclamarent

ore

ore. Feurio/feurio/vff / vff liebe Nachtbarn vnnd leſchet/ incendium, incendium adeſte quęſo populares ad reſtinguēdum iſtud. Eo compreſſo atq; reſtincto cum ſodalibus quibusdam ſuis in tabernam cereviſiariam proficiſcitur, ac ſtrenue pergręcatur, zythoque confectus ac probe uvidus inquit. Hodie demum mihi cum conjuge mea recte convenit, cum hucusq; ſemper, ut ſcitis, inter nos diſcordaverimus, ac perpetuas ſimultates mutuū exercuerimus, meone an vero ipſius vitio, equidē haud magno in diſcrimine pono. Simulatq; enim ardere ædes noſtras ſenſimus, unanimes mox concordesque inde provolavimus, ac uno vos ore ſumus obteſtati, ut illico accurrentes, præſto nobis eſſetis, incendiumque illud reſtingueretis. Ich vnnd Mein Weib ſind die gantze zeit / So wier bey einander geweſen / nicht einigk / ſondern wie jhr wiſſet / allezeit zweyſpaltig geweſen / vnnd mag eines den wurff / das ander den eintragk gethan haben. Heut aber wie ein Feuwr in vnſerm Hauſe auffgieng / waren wir vnſerer Sachen fein eins / begerten zu gleich der thüren / vnnd lieffen mit einander herauß / rieffen einmütiglichen/ Feurio / Feurio / leſchet / leſchet. Idem non ita multo poſt cum pecuniam omnem perdidiſſet alea, lectulum quoque ſuum cum deponit, tum etiam deperdit. Unde cum inter colluſores ipſius riſus exiſteret multo maximus, hujuſcemodi eſt verba locutus. Ja es iſt ein feiner Lecherlicher handell / denen die es nicht ahngehet. Enimvero res eſt riſu proſequenda, ſed iis duntaxat qui nullum inde ſentiunt incommodum, neque damni quid inde contrahunt. Innuens ſe quidem cui ea res fraudi eſſet, ridere non poſſe, ſed dolere potius ac angi animo, quod poſthac

cubare

cubare in ſtramine, & uxoris inſuper cerebroſæ maledicta atque convitia devorare cogeretur.

LI. *De mariti cujuſpiam cerebroſi efferata ferocia atque ſævitia, quam in uxorem ſuam, frugi & innocentem fœminam, nullo ipſius merito ſubinde exercebat: & quemadmodum hunc quidem ipſius famula ſuis ad* DEUM *precibus extinguere è medioque tollere fruſtra annixa fuerit.*

EQuidem ſæpe me numero de *Joanne Schimmelpfengio* Avo meo materno audire memini, fuiſſe olim *Eſchwegiæ* ſe puero fœminam quandam honeſtam, & religioſam, & rei familiaris adminiſtrandæ gnaram, & ſedulam denique atque impigram, quæ virum in matrimonio habuerit, mirum in modum irritabilem, atque adeo *echino* quod ajunt, *intractabiliorem*. Etſi vero matrona iſta manibus pedibusque obnixe faciebat omnia, ſuo ut marito iſti & placere, & quoquo modo gratificari, & ſuam denique tum fidem, tum induſtriam, tum ſedulitatem etiam probare poſſet, oleum tamen atque operam, quod eſt in proverbio, perdebat. Nihil enim ab ipſa tam recte atque ordine fieri curarique poterat, quod illius reprehenſionem non incurreret. Quid multa? occaſionem expoſtulandi cum ipſa, ac cædendi eam non parum quidem ſæpe undecunque aucupebatur, ac litem illi de lana caprina inferebat. Si quãdo veſtes inevitabili neceſſitate coacta elueret, domo mox moxque ſua excedebat, profectusque ad ſodales quosdam ſuos biduum cum ipſis triduumve pergræcabatur, poſteaque domum reverſus non verbis ſolum, ſed & verberibus interdum, indigniſ-

dignissimis eam modis, quo jure quaque injuria accipiebat. Quod si cibum paulo calidiorem, aut minus salsum ei apponeret, dii boni quantopere tum quidem stomachabatur? Quid quæris? perinde mehercule bacchabatur, sæviebat ac tumultuabatur, ac si omnia sursũ deorsum esset voluturus, atq; adeo cœlum mixturus terræ. Hæc tamen omnia optima atq; lectissima matrona patienter, placide, sedateq; ferebat, morosoq; importuno marito suo minime obstrepens, aut ignẽ gladio fodiens, sed omni cogitatione curaq; incũbens in id unum, quemadmodum verbis ipsum blandissimis mellitissimisq; expugnaret, frangeret, mitigaret, placaret. Quodam porro tempore evenit, ut in gravem morbum ipsa incideret Itaq; noctes ac dies procreatorem illum mundi DEUM rogabat, ut si emendationis viri sui spes esset nulla, minime convalesceret, sed morbo isto confecta vitam cum morte commutaret. DEUS autem qui suos hic vult exerceri cruce, & per multas tribulationes regnum cælorum ingredi, ipsam non ita multo post sanavit, in pristinumq; valetudinis statum restituit. Quam quidem cum ipsa jam recuperasset, ac meliuscule se haberet, ecce tibi vir ipsius *cerebrosus* ne dicam an *cerberosus*, eodẽ morbo opprimitur, & ita graviter eo decumbit atque laborat, salutis ut ipsius spes perexigua ostenderetur. Itaq; DEO illa rerum omnium machinatori etiam atq; etiam supplicat, ut hic quidẽ ipsum isthoc morbo ita aut corrigat emendetq;, ut alius evadat ac fuerit, hoc est minus sit deinceps & iracũdus, & asper, & ferox, sed fiat mansuetus, humanus, facilis, placidus, tractabilis, aut ipsum certe si resipiscere renuat, eo nunc morbo conficiat extinguatq;. Ne non vero matrona voto hoc suo potiretur,

riretur, famulam quoque suam præmiolo quodam proposito cohortatur, ut preces suas cum ipsius conjungens, idem à cæleſti ista vi divinoque numine contendat. Quod vero maritus ne hoc quidem morbo, quantumvis vehementissimo cõdocefieret aut compescereturut ad frugem meliorẽ sese reciperet, sed pergeret honestissimæ uxori suæ lecto etiam affixus, ac tãtum non animã agens identidem insultare, maledicere, convitia facere, ac colaphos etiam infringere, ipsa conversa ad famulam inquit. Næ apparet *Dorothea*, te dicto nobis minus audientem, preces aut plane nullas, aut admodum certe frigidas ad communem omnium patrem DEUM de conjuge isto meo aut convertendo, aut evertendo effundere. Is quippe neque resipiscens ad sanitatem redit, neque vitalia lumina linquens è medio abit emoriturve. Huic ancilla sese purgans, in hæc verba respondet. **Ach liebe Frauw solt ich nicht beten? Ich betete wohl alle Meine Zene auß dem Kopff / vnnd Mein Herr stürbe doch nicht / oder wurde doch nicht frommer.** Vah mea hera annon orarem? Equidem isthoc precandi invocandique DOMINUM labore meo vel omnes meos dentes perderem atque amitterem, & ipse tamen vir tuus, herus meus, neque à malitia ista sua discederet, neque obiret mortem.

D. Pezelius Postill. Phil. Mel parte prima pag. 556.

IN poetis multa sunt convitia mulierum. Sed non minus infirmitatis est in viris. Recitatur apud *Stobæum* hæc sententia. *Viri bilis est fel. Collata vero ad mulierem est mel.* Hoc non est verum

verum. Etsi fœminæ aliæ sunt mitiores, aliæ acerbiores, tamen multi viri reperiuntur, qui sunt iracundiores uxoribus. Multi viri sunt sæviores bestiis, propter tyrannidem & crudelitatem, quam exercent in suis ædibus. De quibus recte usurpari potest versus ille quo describitur ἀσοφγία: *Nescio quid sit amor, nec amo, nec amor, nec amavi.*

Simonides discernit gradus mulierum. Dicit aliam esse similem *equæ*, id est, ferocem & superbam: aliam *Sui*, propter sordes: aliam api propter frugalitatem.

„ Habet tamen etiam apis aculeum.

Aristoteles in Oeconomico citat *Pythagoræ* præceptum. *Ne maritus sit crudelis adversus conjugem: sed parcat illius infirmitati quia supplex illi tradatur ad aram.* Hic possem multa præcepta γάμικα addere, qualia collegit *Plutarchus*, Sed adolescentes privato studio ista legant, & observent in scriptoribus.

LII. *De Diacono quodam, & inepta eius inertique conjuge, quæ non verberibus, sed verbis, iisq; bonis ac blandis ab ipso corripi voluit, & ut hoc voto suo potita fuerit.*

ERat *Diacono* cuidam uxor, cum admodum adhuc adolescentula, tum valde ignava, tum vero rei familiaris administrandæ prorsus imperita. Itaque faciendum sibi putabat, ut & ist-hanc illi inertiam fuste aliquo adhibito excuteret, & ad rem sibi domesticam procurandam peritiorem ipsam alacrioremque efficeret. Ipsa igitur cum semel atque iterum ac sæpius vapulasset largiter, virum suum hanc est in rationem ad extremum allocuta. Novit scrutator ille cor-

dium DEUS, mi vir, compacto me atque de industria haud delinquere, sed imprudentem eo, quo minime volo, revolvi. Quæ ergo (malum) væcordia est toties me tam aspere crudeliterque verberibus mulctare? Quod si blande mecum comiterque ageres, ac verbis me bonis regeres, næ habiturus tu me sis multo & ad quævis obsequia tibi præstanda promptiorem, & ad quoscunque labores exantlandos attentiorem ac paratiorem. Quid autem fit? Biduum vix abit, ecce tibi insulsa ista mulier, appositura marito suo offam, jus omne in mensam effundit. Quocirca stomacho ille atque iracundia efferveſcens, *Bibliorum* mox *codicem* arripit, eoque ipsam etiam atque etiam pulsans, subinde dictitat. Tu vero verbis te bonis in ordinem à nobis redigi gubernarique postulas, ne igitur voto hoc tuo non potiare ecce BIBLIA tibi impono inculcoque, quibus quidem verba omnium optima saluberrimaque continentur. Quod si hac ego nunc castigatione tui mea nihil profecero, quin oleum atque operam in te emendanda perdam, dubitari mehercule haud potest.

Erasmus in Institutione matrimonii.

Arbitror corporis mortem levius esse malum *infelici connubio*. Vivi enim patiuntur suos manes & ad æternos præludunt ejulatus.

Idem de pueris ratim ac liberaliter instituendis.

SUnt quidam tam inamænis moribus, ut *nec ab uxoribus* amari queant, torvo vultu, tetriso convictu: Irati videntur etiam tum, cum sunt pro-

propitii, nihil possunt blande dicere, vix etiam arridere ridentibus, dicas plane gratiis iratis nato.

Idem ibidem.

Quasdam occidas citius, quam verberibus emendes. At easdem benevolentia blandisq; monitis ducas quocunque velis.

Gerson Ser. 24. de Cast.

Benignitas & fidelitas facit virū placere uxorī.

Robertus Holrotus.

Regenda est uxor mansuete, non tyrannica austeritate. Verbis, non verberibus. Amore, non timore. Dulcedine, non amaritudine.

Syracides cap. 4. v. 35.

Ne sis sicut LEO in domo tua, neq; tyrannice tracta familiam tuam.

Phryx quidē plagis, ut est in proverbio, emendatur. At vero mala & refractaria mulier non item. Tantum enim abest, ut hęc quidem verberibus reddatur melior, ut prior potius deteriorq; evadat, juxta hos versus:

Si feriendo abiges novem eacodæmona multis
Verberibus: reddes mutesq; decem.

LIIII. *De perverso quodam atque inglorio Cive, rusticam quandam deformem, sed opulentam, in matrimonium ducento, eamq; duriter postea inhumani-*

humaniter q3 tractante & cujusmodi illa butyrum conflarit, quod quidem palato ipsius arriſit.

FRugi cujuſdam honoratique civis nequam & improbus filius, matrimonii jugum ſubiturus puellam quandam ruſticam vitæ ſibi ſociam adjungebat, quod ſpem haberet plane nullam, futurum ut ſuis ex civibus ſibi quæpiam in matrimonium collocaretur. Norat enim illud TERENTII, *uxorem his moribus dabit nemo.* Neque vero illum fugiebat iſtud vetuſtate contritum proverbium, *tollat te qui non novit.* Erat autem ruſticana iſta nympha, tum unica parentum ſuorum filia, tum locuples etiam atque copioſa, ſed deformis, & fuſca, & admodum adhuc adoleſcentula, & aliquanto denique ſeu ſimplicior, ſeu inſulſior. Quod ille tamen ſusque deque faciens, ipſam nō modo uxorem ducebat, ſed & aliquandiu efflictim amabat, & in oculis ferebat, & in honore deniq; habebat atque pretio, ex animone an vero ſimulate, equidem haud habeo dicere. At vero cum annum jam unum atque alterum cum ipſa ætatem egiſſet, cœpit multū de priore iſto erga illam amore ſuo remittere, immo vero eam deſpicatui ducere, & odio habere, & vix intuitu nedū concubitu cōplexuq; ſuo dignā putare? contra autē animū ad formoſas quasdā meretriculas adjicere, cum iisque conſueſcere. Quod quidē tametſi uxori obſcurum haud eſſet, pulchre tamen diſſimulabat, & rem illi familiarē nihilo ſecius quàm dexterrime adminiſtrabat, & domū à ſcortis aut comptatoribus ſuis redeuntē ſumma ſemper benevolentia, ac omnibus humanitatis officiis proſequebatur. Ipſe econtrario domum cū rediret,

rediret, vino lustrisq; confectus incredibili illam præter omne suũ meritũ molestia injuriaque afficiebat. Quid quæris? Quãobrẽ inimicitias cũ ipsa susciperet, facile mehercule inveniebat caussam, ac per sæpe etiã de sepe (quod nostris est hominib'. in proverbio) eã decerpebat. Causabatur enim interdum hypocaustum aut nimis, aut minus calefactũ, aut pavimentũ scopis non esse versũ, aut mensæ atq; scamnorũ nõ esse absterssas sordes, aut suo quæque loco non esse apte disposita atq; collocata, sed cõfuse hinc inde dispersa jacere, aut in parietibus aranearũ fila hærere ac telas, aut id genus deniq; sexcenta alia. Quippe vetus est verbum *ut canẽ ædas facile est invenire baculũ.* Capturo porro cibũ, latissimus extẽplo contendendi, & rixandi, & expostulandi cũ ipsa aperiebatur cãpus, quod quidẽ diceret, carnes vel nõ esse percoctas, vel passas adustionẽ, vel min⁹ nimisve esse sallitas, vel apponi illas nimis adhuc fervẽtes, vel tale deniq; quippiã. Quod vero butyro mirifice oblectaretur, ac illud seu pandens, seu cænans mãducaret, facile hic quidẽ reperiebat, quod crimẽ vocaret, denteq; maledico carperet, prætexens atq; criminãs sordide illud paratũ esse, ac villis usquequaq; scatere. Itaq; ipsam & deformẽ simiam, & lutulentã scrofam, & ineptam imperitamq; rusticam vocitabat, & butyrum illi simul in faciem conjiciebat. Atque hæc quidem non parũ sæpe vel prandii, vel cœnæ erat catastrophe. Etsi vero optima & honestissima matrona nihil ad summam diligentiam prætermittebat, quo cibum sic pararet, ut ipsius palato non posset non respondere, gratiam tamen inire ab ipso aliquam, aut illi satisfacere nullo modo poterat, quod nodum semper in scyrpo quærens, quam sagacissime venaretur quippiam, quod quidem reprehenderet, in cul-

paque poneret. Potissima tamen *nebulonis* querimonia super butyro ipsius erat, quod id quidem minus efficeret mundè, cum alibi (apud recelliclunias nimirum suas) eo & mundissimo,& optimo, & dulcissimo vesceretur. Quamobrem uxor tota mente eam in curam ad extremum incumbit,ut omnem ipsi ansam, ea re, secum in posterum expostulandi præcidat & istiusmodi ei butyrum apponat, quod quidem ipsi usquequaq; arrideat. Ne vero non hoc ipsum perficiat atq; consequatur, lac aliquando densatura in butyrum, secedit sola in hypocaustum inferius,depositaque veste plane omni, (ne inde scilicet villus aliquis aut pulviſculus in trullam decideret) ei se rei totã dedit. Quid multa? quẽadmodũ nuda butyrũ summa adhibita cura &diligẽtia,&munditia pararat, ita vestis etiã omnis omnino expers, lympha illud etiã atq;etiã tum perluit,tũ perpolit,posteaq;affabre conglobat,& in patinã conditũ juxta se in pavimento collocat. Quod vero tabulatum ea aqua, qua quidem butyrum laverat, non solum maderet totum,sed & perquam lubricum esset effectũ, ecce tibi misera illa subuculam jam redindutura corruit,podiceq; suo recta in butyrũ labitur. Proinde partim ejulans,partim vero stomachans manũ mox utramq; culo suo inserit,& butyrum inde eximit,&in has itemq; voces erumpit. Non est,ita me Deus bene amet, maritus meus ea diligentia dignus,quã quidẽ ad butyrũ hoc conficiendũ nũc contuli. Cum enim nihil à me præstari potest, quod ei,quam rectissime etiam factum, arrideat atque probetur, tum vero ipse cum putidissimis scortis volutatur, ac me cane pejus odit & angue, licet de meo curet cuticulum, & voluptuetur, & bacchanalia vivat. Quocirca non faciam, ut de integro illud lavem purgemve,quod certum sciam,

sciam, me ipsius reprehensionem effugere non posse, ut maxime illud iterum atque iterum atque adeo vel millies perluam, & quam mundissime factum ei apponam. His dictis butyrum ex ano, imave excrementorum suorum via extractum, iterum coagmentat, dictitans: **Wilt du Hurenhengst sie nicht also fressen / so magst du es in aller Teuffel Namen lassen: Ich kan dir doch nichts zu danck machen / wie ichs auch angreiffe.** Quod si butyrum perinde ut conflatum à nobis nunc est, comedere renuis *insignite lastaure*, minime equidē omnium impediverim, quo minus idipsum in nomine omnium Diabolorum intermittas. Equidem inire abs te gratiam aliquam non possum, quoquo etiam pacto vitam meam instituam, aut quem denique cunq; in modum res componam meas. Cæterum quid fit? Appetente jam vespera redit conscleratus adulter, ac perquam liberaliter ab uxore acceptus, prolixeque cœnatus, recens etiam butyrum poscit. Quod quidem tale ipsi conjunx promit atque apponit, quale paucis ante horis confectum ab ipsa esse demonstravimus. Hoc ille non solum avidissime devorat, sed & summopere collaudat, obscure haud ferens aut dissimulans, multo se tempore butyrum melius non comedisse, ac verbis illi insuper conceptis confirmans, si eam curam porro quoque in paraudis cibis, imprimisque conficiendo butyro ponat, futurum utique, ut non alienas sectetur in posterum mensas, ita ut facere hactenus consueviſſet, sed domesticis sese finibus tenens, ipsi uxori suæ carissimæ indivulse adhæreat, *scraptiis* istis rancidissimis, quarum nunc incredibili affectus sit satietate atq; fastidio, ex animo suo prorsus deletis atque valere jussis.

Homerus.

Est nihil in toto melius vel dulcius orbe
Unanimes quam cum studiis concordibus una,
Fœmina virq; domo vivunt, mala maxima lites.
Gaudia sed rursum Concordia *maxima præstat.*

LIV. De uxoribus Minyarum liberantibus maritos à carcere, commutatis vestibus.

Tyndaridum clara Minya qui ab origine Lemnæ
Annos per multos incoluere solum.
Sedibus hos patriis quondam ejecere Pelasgi,
„ *Omnia sic tandem regna superba ruunt.*
Sparta urbis Minyæ petierunt arma, fidemque,
Sparta viros magna pro bonitate juvat.
Jura simul donant Spartanæ mœnia & urbis
Et sociis præstant commoda multa suis.
Deficiunt Minyæ, Spartarum regna petentes,
„ Debita sic meritis gratia nulla venit.
Infidos Minyas Spartani carcere claudunt,
„ Non ullus felix seditiosus abit.
Quo Minyæ capti, Spartano more vetusto,
Plectendi ob meritum tempore noctis erant.
Uxores captis signum flagrantis amoris
Ostendunt, veram conjugiiq; fidem.
Carceris illustres aditum petiere, maritis
Dicere ceu vellent ultima verba suis.
Admissæ vestes sibi sumunt inde virorum,
Atq; suas reddunt fraude doloq; viris.
Carcere se condunt ipsæ, vultuq; maritos
Velato, ut mœstos, carcere abire jubent.
Spartani uxorum moti pietate jugali,
Illis dilectos restituere viros.

Fœmi-

„ Fœminea est celebris virtus pietasq; jugalis,
„ Mortem pro caris velle subire viris.

D. Lossius in Epigr. pag. 277.

NICOSTRATUS.

Non est appellanda uxor, nisi amica & benevola fuerit, & te plurimum exhilaraverit, non meretur nomen, si talis non sit.

Palingenius in Zodiaco Vitæ.

Si te debilitat morbus, vel grandior ætas,
Fatur, & hortatur, solatur, & auxiliatur:
Subvenit, assistit, vigilat, vigilando ministrat.

Georgius Fabritius.

In tristibus solatium,
In prosperisq; gaudium,
Adversa fert constantia,
Ornet secunda gratia.

LV. De adolescente quodam, qui contractis tibiis cum esset, uxorem oculis captam duxit, cum eaque concorditer ætatem agens, XI. est liberorum parens factus.

NOvi apud *Britannos* Sacerdotem procero sanoque corpore, virum probum, qui mihi narrabat, sibi undecim esse fratres, quorum nemo corpus haberet infelicius, quam haberet ipse. Patrem fuisse tibiis contractis, ut sella vehendus esset, si locum mutare vellet, tum re tenui. Duxit uxorem cæcam, & facti causam dixit.

Sic

Sic melius inquit inter nos constabit amicitia, feremus nos invicem pares calamitate, neutri futurum est quod exprobret alteri. Nec fefellit hominem suum judicium. Nullus unquam inter illos sermo fuit non amicus & blandus. Pietati Deus successum addidit. Tranquillus & innocens erat convictus, felix fœcunditas.

Erasmus in Christiani matrimonii institutione.

LVI. De fœminis Weinsburgicis efferentibus ex Patria urbe obsessos maritos, in humeris.

Moenia Conradus *cinxit VVeinsburgica* Cęsar,
In quibus obsessus VVelphius *hostis erat.*
Conrado VVelphus *longa obsidione fameq;*
Pressus, victori seq; suosq; dedit.
Carceris in sedem VVelphus *detrusus opacam,*
Urbs est militibus diripienda data.
Matribus & teneris belli de jure puellis
Exitus, & pueris liber ab urbe datur.
Matres hic σοργῆ dulci motaq; periclo,
Fraudes mox capiunt consiliumq; novum.
Supplice victorem clementem voce rogabant,
Ut sibi qua possent corpore ferre daret.
Matribus hac victor, muliebri ductus honore,
Germanus facilis qua petiere dedit.
Numq; sibi vestes, aurum, gemmasq; nitentes,
Laturas secum corpore velle putat.
Uxores humeris tollunt portantq; maritos,
Amplexu pueros, lacteoloq; sinu.
Pondere quo matres mirando ut vidit onustas
Est Cæsar σοργῆς ductus amore pius.

Excipit

Vxores.

Excipit hinc latos epulis matresq; virosq;
Et culpam donat quam meruere gravem.
Victoris *placide fecit clementia multis,*
Vincisse victis utile sæpe fuit.

D. Lossius in Epigr. pag. 278.

VINCENTIUS OBSOPÆUS.

Fidior est socius, fratre est fidelior uxor,
Et matris vincit candida nupta fidem.
Hujus in audebis fundere quaq; sinum.

Hos Versus D. Michael Saxo, Wechmariensis Ecclesiæ Pastor fidelissimus, Theologus magnus, affinis noster percarus & honorandus perquam scite, sic quidem rythmis germanicis in suo concionum nuptialium volumine expressit.

Gesellen Trew selten besteht/
Ehweibs Trew vber alles geht.
Brüder vnd Mütter lieben sehr/
Aber ein Ehweib noch viel mehr.
Der darffst vertrawen sicherlich/
Mit Leib/Leben/Ehrn/vnd Gut dich.
Den sie liebet von Hertzen dich.

Solamen marito est uxor blanda.

Vincentius Obsopæus.

Sollicitis tecum consumitur anxia curis
Sustinet hac totam sedulitate domum.

I.

Possessio bona est viro uxor benevola.

De

LVII. De Brasilla Dyrrachina castissima Virgine.

BRASILLA DYRRACHII Nobilibus parentibus nata, (ut à certis auctoribus traditur) hostium excursione capta, pene violata est. Hæc profecto vultu pulcherrimo, in summo periculo, ingenio, virtute, magnitudine animi, pudicitiam pie incorrupteque tutata est: multis enim verbis impetum *Cerici Victoris* placavit, furorem cohibuit: si castam se servarit, mercedis instar, ut nullis militaribus armis cædi possit unguento quodam magico facturam se recepit. Ingenuæ ac modestæ mulieris oratio, & magiæ ditissimus locus fidem vendicavit, collocatis ab eo custodibus dum aliquot radices *generosa Virgo* colligeret, exitum rei anxius exspectat. Tum ea magno animo militem convenit, se non verbis, sed herbis periculum facturam pollicetur. Dehinc ubi cervicem succo perunxit, jugulum præbet. *Cericus* vero quasi tuto temerarius futurus, ense caput eximit, & pudicissimæ mentis testimonium admiratur.

Franciscus Barbarus, Patritius Venetus de re uxoria lib. 2. cap. 6.

LIIX. De BASSA muliere sumptuosa, ac veste splendidiore mirum in modum sibi placente.

TE quoties offers cultam mihi Bassa videndam,
Ostentas mundi quicquid ubiq; tui.
Bracteolas, zonam, strophium, crinale, mitellam,
In collo torquem, sardonycha in digito.
Praterea in tumidum demissa monilia pectus,
Quaq; tegunt amplum gallica pepla caput.

Has

Hæc ubi me cernis tenui contemnere risu,
Has tua respondes non habet uxor opes.
Hoc equidem verum concedo, sed ista misella,
Unum habet, huic uni vultq; placere, virum.

Cordus lib. 1. Epigr. pag. 104.

Tertullianus de cultu fœminarum.

Vestite vos serico probitatis, byssino Sanctitatis, & purpura pudicitiæ.

LIX. De fatuo quodam Helvetio, qui in agone mortis constitutus, sapere demum, ac ratione uti cæpit.

QUidam in *Helvetia* fatuus, homo mire facetus, cum exacta jam esset decursaque ætate, morbo quodam afficitur. Cum quo quidem ubi dies esset aliquot graviter conflictatus, mortem sibi appropinquare præsentiens manibus ad cœlum sublatis exclamavit, **Ach mein lieber GOtt fordere ja nicht mehr von mir/als du mir verliehen hast.** O bone DEUS noli quæso plura a me reposcere, quam mihi concesseris. Agnoscebat miser ille se non parum quidem multa per amentiam commisisse delicta, à quibus cæteroqui abstinere se poterat, si quidem rationis fuisset particeps. Proinde ad DEI OPT. MAX. misericordiam, veluti ad sacram anchoram confugiens, eorum sibi erratorum veniam impunitatemque concedi postulabat, quę quidem rationis expers contraxisset. Hæc verba cum semel atq; iterum ac sæpius perq̃ auguste sancteque repetisset, ac perinde profecto pro-

pronuntiasset, ac si pulchre jam saperet, ac desipuisset antehac plane nunquam, extremum vitæ Spiritum edidit.

Augustinus lib. Confess. 10. cap. 33.

Væ hominum vitæ quantumvis laudabili, si remota misericordia *Dei* judicetur.

Ἀδήλως.

Per miserere mei, tollitur ira *Dei*.

D. Matth. Wes.

Quæ mea sunt, mala sunt, quæ sunt tua, sunt bona Christe,
Protege quæ tua sunt, corrige quæ mea sunt.

LX. De quodam Hessi nobilis morione.

ERat Hassiacæ nobilitatis viro cuidam egregio fatuus, ita libidinosus, salax, ac stupri plenus, ut ne à brutis quidem se abstinens, cum suibus, cum vitulis, cum asinabus, cum capris, ac cum ovibus denique volutaretur. Etsi vero *Nobilis* hoc ipsum indignissime ferens, nebulonem non solum virgis cædendum, sed & fustibus venabulisq; probe probeque dedolandum curabat, oleum tamen atque operam in corrigendo emendandoq; ipso perdebat, quod is quidem ad ingenium rediret, quoties rei perficiendæ occasionem adipisceretur. Proinde aliud sibi remedium adhibendum putavit, quo lastauri hujus indomitam lasciviam retunderet.

tunderet. Ne multa, accersito ad se *M. Reinhardo Armbrustero* chyrurgo Eschwicensi mandat, ut ipsum constringat castretque. Ad quod quidem faciendum dum ipse aggreditur, ac novaculam stulti testiculis exsecandis jam admovet, implorato divino numine infit, **Das walt Gott!** *Deus* bene vertat, vel *Deus* fortunet. Eo audito *morio* voce quanta potest maxima exclamat, **Das walt tausendt Teuffel.** Mille vero cacodæmones male isthuc vertant: posteaque demi sibi coleos æquo animo patienterque tulit, ne minima quidem cujusquam doloris, quem sentiret, significatione data. Neque vero ex hac castratione unquam decubuit aut ægrotavit, sed paucos intra dies admirantibus omnibus, pulchre consanuit. Cæterum cum barba illi saris promissa esset ac densa, hæc à castratione mox moxque defluxit. Vox præterea quæ antea erat grandis, & mascula, stentoreaque, ita immutata fuit, ut verba facturus postmodum, puellæ cujuspiam mulierisque instar pipiret, ita prorsus, ut non agnoscceres eundem esse.

LXI. De alio quodam fatuo.

HAbebat nobilis N. N. fatuum quendam, hominem plane excordem & hebetem atq; dementem. Qui quidem eo erat imbutus errore, ut putaret, ac penitus etiam sibi persuaderet, se non esse marem, sed fœminam, quantumvis neque esset imberbis, & egregie insuper mutoniatus. Itaq; habitum virilem plane omnem & repudiabat, & abjiciebat, muliebri assumpto. A virorum præterea ac adolescentulorum congressu se penitus abstinens, puellis indivulse adhærebat, quas item tum voce, tum incessu, tum gestibus, tum omnibus de-

nique actionibus & officiis muliebribus, non modo exprimere, sed superare etiam annitebatur. Quid quæris? famulas mehercule heri sui pleraſque omnes, sive essent gramina defalcanda domumq; deferenda, sive pascenda curandaq; pecus, sive eluendæ vestes, sive fovendus foculus, sive bajulanda aqua, sive verrendum pavimentum, sive suppellectilia purganda, sive trahenda colus, sive alius deniq; quicunq; labor exantlandus, diligentia & fide multum antecedebat. In conviviis adhæc partim genethliacis, partim sponsalibus, partim nuptialibus, partim encęnialibus, puellis semper ipse virgo personata assidebat, eratq; his ipsis permistus quoties diebus dominicis choreæ ducebantur. Quod si puella quępiam exagitandi hominis gratia ab ipso petebat, ut secum saltitaret, renuebat idipsum atq; detrectabat, inconveniens esse dictitans atq; indecorum, ut puellę cum puellis saltitarent, oportere ipsas cum adolescentulis choreas ducere. Quoties etiam puellas se mutuũ cõplecti, & una saltitare conspicabatur, toties stomacho atq; iracundia exardescẽs, protinus accurrebat, ac ipsas illas divellebat. Fiebat autem hoc ipsum non parũ quidem sæpe à nymphis, ut homini stomachum facerent. Totus quippe in fermẽto jacebat, ac tantum nõ exibat ex potestate, quoties tale quid fieri cerneret. Adolescẽtes porro qui cæteris aut formæ gratia, aut proceritate corporis præstabant & anteibant, efflictim deperibat, atque hos quidem ipsos in matrimonium sibi collocari à nobili suo enixe summoq; petebat opere. Etsi vero à puellis, ut supra est à nobis dictum, nullo divelli pacto potuit, nunquam tamen fuit animadversum, exire ex ore ipsius verbum aliquod ad puellas spurcum obscænumve, aut insidias illum ipsa-

ipsarum pudicitiæ expugnandæ struere. Veri igitur est simile atque consentaneum, frigidioris ipsum fuisse naturæ hominem, ita quidem, ut nullos libidinis æstus senserit, fueritque ad exercendam venerem minus idoneus ac constitutus.

LXII. De Morione quodam Parhisiense.

Parhisiis quondam Doctores atq; Sophistæ,
Rebus de variis disseruere diu.
Ad quos ingressus rixantes morio *dixit,*
Ostendens stultos vaniloquosq; viros:
Num melius facere est hominem, quod novit, an illud
Discere quod nescit, dicite quæso mihi.
Hic orta est inter rixantes pugna Sophistas,
Quæstio & est multos exagitata dies.
Post ubi concludunt, melius facere esse, Sophistæ,
Morio *sic ludens dicta faceta dedit.*
Cur igitur factis non vos quæ scitis & ipsi
Expletis Domini dogmata vera mei.

D. Lossius in Epigr. pag. 223.

LXIII. De duobus cognatis de re dividenda altercantibus.

PARUM conveniebat inter duos quosdam cognatos, de re dividenda. Cumque neuter alteri vellet concedere, res eo spectabat, ut iretur in jus, & judicum sententiis controversia finiretur. Adibantur advocati, parabantur dicę, res erat cum *Jureconsultis*. Aditi judices, contestata lis, cœpit agi causa, hoc est bellum susceptum est. Ibi alter mature resipiscens, adversarium privatim accersitum his verbis alloquitur.

1. Principio parum decorum est, ut quos natura copulavit, pecunia dissociet.

2. Deinde incertus est litis eventus, haud minus quam belli. Suscipere nobis in manu est, finire non est. De centum aureis tota lis est. Ejus summæ duplum in *Notarios*, in promotores, in advocatos, in jureconsultos, in judices, in judicum amicos expendetur, si legibus experiamur. His erit inserviendum, adulandum, dandum, interim taceo curas ambiendi, cursitandiq; labores.

3. Denique ut maxime vincam, plus tamen est incommodi, quam commodi. Quin potius ipsi nobis sapimus, quam istis prædonibus: & in hos male collocandam pecuniam, inter nos partimur? Concede dimidium de tuo, ego tantundem de meo concedam. Ita & amicitiam nostram, alioqui perituram lucrifaciemus, & tantam molestiam effugiemus.

Quod si recusas quicquam concedere, ego vel universum negotium, tuo permitto judicio. Malo penes amicum sit hæc pecunia, quam penes insatiabiles illos prædones. Abunde magnum fecero lucrum, si & famæ pepercero, & amicum servavero, & tantum effugero molestiarum. Movit adversarium tum rei veritas, tum cognati festivitas. Rem inter se transegerunt, iratis advocatis & judicibus, quos corvos deluserant hiantes.

Erasm. Chil. 4. Cent. 1. Proverb. 1. Dulce bellum inexpertis, mihi pag. 698.

II 32

LXIV. De Latrone quodam.

ANnis abhinc paucis grassator quidam *Mundæ* extremo fuit supplicio mactatus. Qui qui-

quidem cum eculeo subjectus, in dolore jam fuisset atque tormentis, effuse mox ridere cœpit. Admirante vero prætore atque quærente ecquidnam cachinnatio ista ac risus solutior sibi vellet? respondit. Mihi vero in mentem nunc veniebat *Rustici* cujuspiam nostratis, qui quidem cum *Brühania* ad ambas usque aures sese *Hannoverâ* repleſſet, in nos prope piscinam quandam incidit, nobisque conspectis, utrumque mox brachium sustulit, ac voce quantum potuit contendit atque clamavit, **Wicket/wicket/ dann ick bin alle dun/ick bin alle dun**. Apage, apage te a me. Nam ego quidem probe nunc potus, mihi haud consto, sed tœnum in cornu habeo. Cui ego, nos vero tibi haudquaquam cedemus caudex respondi, sed tu cedes nobis, arreptumq; nebulonem in ipsam piscinam projeci. Ubi cum aliquandiu ultro citroque minus scienter natasset, ad extremum deficiens concidensque animam exhalavit Qua quidem ex re non modo tunc mirificam cepi animo voluptatem, sed nunc etiam ejus memoria atque recordatio mirum est mihi in modum jucunda, ita prorsus, ut risum in præsentia, de ea cogitans, tenere haud sane potuerim. Est quidem nostris hominibus, id quod minime me fugit, in proverbio, homini alicui vino cereviſiave confecto, in multis esse connivendum, ac condonandum plurimum, **Man solte einem truncken Mann auch mit einem fuder Hewes auß dem Wege fahren**. Ast ego nullam mihi ejus habendam esse rationem, tum quidem existimavi.

LXV. De latronis cujusdam extrema precatione.

LATRO quidam rotæ supplicio jam jam mactandus cum esset, jubetur à carnifice, ut tum in genua procidat, tum à DEO etiam OPT. MAX. peccatorum suorum veniam postulet. Quamobrem hac est miser ille precatione usus, quam seu pransuri, seu cœnaturi usurpare & recitare ad mensam solemus. Domine DEUS Pater cœlestis, benedic nobis & his donis, quæ de tua largitate sumus sumpturi, per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, AMEN. Hac precatiuncula sua, quod non in loco adhiberetur, plerisque risum movebat, dicentibus, ô te miserum habes tu in conspecto jam tuo, & præsepe illud quod tibi mordendum erit, & rotam itemque quæ te hac vita privabit, interim tamen vota facis hic ut tibi cibus bene feliciterque eveniat. Isthuc vero inimicis fiet. Hi quidem hercle cibi palato tuo admodum futuri sunt insuaves. Nam mors est in olla. Non cibus hic cibus est, sed tristis amaror & error. **Die Gaabe so du jetzunder wirst zu dir nehmen/ wirdt dir warlich nicht wol bekommen/ sondern wirst hieran den Todt fressen/** pransurus es lethum, non lætum. Ast homo miserrimus sic erat profecto perturbatus, attonitus, & exanimatus, ut sibi plane non constaret, neque sciret quid ageret, quidve diceret. Itaque hunc dabat sine mente sonum, ac plerisque omnibus risum, non sine tamen commiseratione aliqua, movebat.

De

LXVI. *De fure quodam Halæ Saxonum ex finibus humanæ naturæ exterminato.*

ANni sunt non ita multi, cum *Halæ Saxonum* fur quidam insignite rapax, in vincula fuit conjectus. Hunc enormium suorum atque multiplicium furtorum satis convictum superque, judex partim cibo, partim potu etiam prolixe accipit, anteaquam lata sententia pronunciaret, laqueo ipsi gulam frangendam esse. Nam & carnes illi tum elixatas tum tostas, & non solum cerevisiam optimam, verum etiam vinum præstantissimum apponendum præbẽdumq; curabat. Hic igitur cum cibo se jã ac potu probe refersisset & refecisset, cõversus ad ipsum tortorem sibi assidentem inquit. Ego vero magister bone, hanc carnis assatę portiunculam & hunc itemque panem similagineum recondam in hanc thecam capsulamve meam (erat hæc in sinistra thoracis manica) incertus quippe atq; ignarus, quo usurus sim vespera hospite, commodone, an vero minus. **Lieber Meister / ich wil diß stück Bratens / vnnd diesen Semmel in meine Reippen stecken / dann ich nicht wissen kan / wie wol auff den Abendt der Wirt gerahten möchte /** simulq; cum dicto edulia ista in loculos suos recondit. Hunc ita sermocinantem carnifex non sine stomacho increpans inquit, tune igitur furcifer putas futurum hac ut vespera cœnes? næ ego faxo priusquam hora effluat una, ne tibi vel fames, vel litis sit posthac molesta, neu tu inposterum aut jentes, aut prandeas, aut cœnes, aut ullum denique cibum potumque capias, **Meynst du Diebshals dann / daß du auff den Abendt fressen wollest? Es soll keine Stundt dahin gehen / so will ich dirs verbieten.**

Hic risu omnium incredibili sublato, cœpit miser ille errorem suum agnoscere: vultum tamen minime mutavit, neque vero assaturam ablatam in catinum reposuit, sed in thoracis sui capsula reliquit, veritus utique, ut nostra est opinio, ne non novus circumfusæ multitudinis risus existeret, si quidem eam ex manica depromens, in patinam reponeret. Vixdum autem isthæc inter sese verba commutarant, ecce tibi judex illi furta ordine recitanda curat, quæ cum ad unum omnia facta abs se esse confiteretur, omnium calculo ad restim condemnatur, productusq; in locum supplicii suspenditur. In crucem porro nunc acto, & morte deleto aufert carnifex ex theca assaturam & panem similagineum, atq; hæc quidem populo ostentans ita sermocinari ac verba facere occipit. Isthęc quidem hic furcifer in thoracis sui loculos recondiderat, ut his hac vespera vesceretur, quod sibi non explicatum esse diceret, quali usurus esset hospite. At ego profecto perfeci, ut cibum posthac capturus sit plane nullum. Quod si igitur quispiam hic forte est vestrûm qui edere isthæc expetit, accedat, & accipiat. Etsi vero non pauci pauperes & mendici adessent, nemo tamen ita esuriit, his ut latrantem stomachum compescere voluerit. Proinde carnifex sibi illa reservare, ac domum referre coactus fuit.

LXVII. De homicida quodam, & itemque fure milite.

BUbulci me puero duo ipso Pentecostes die de pascuis inter se digladiabantur. Quod vero à verbis ad verbera, ita ut fit, veniretur, evenit ut alter alterum punctim cultello feriens, intereme-rit, communique hac luce privarit.

Quam-

Quamobrem reus comprehenditur, in urbemque ductus prætori traditus. Is jubet eum in custodiam dari, eumque condi in carcerem, in quo quidem fur quispiam homo militaris, propediem suspendendus, asservabatur. Eo audito miser ille prætorem per omnia sacra orare, obsecrare, ac obtestari uti principem suis verbis roget, quo is quidem hujus peccati veniam sibi impunitatemque daret: se contra futurum ipsius fatuum atque morionem, ac oblectaturum ipsum perpetuo salibus suis atque facetiis, quum tamen revera esset fungus, & insulsissimus nebulo, à quo vix aut ne vix quidem lepores proficisci ulli aut expectari posse viderentur. Prætor igitur consolatus hominem, causam se ipsius diligenter apud principem studioseque acturum recipit, profectusque postridie ad illius celsitudinem, omnem miseri istius sermonem illi exponit. Qui risu eum syncrusio prosequutus, respõdet, hiccine noctuas Athenas? mihi mehercule stultorum est satis. Itaque illius fatuitate nihil nobis est opus. Abeat in malam rem nebulo, cum isthac stultitia sua. Quod si legem DEI OPT. MAX. quintam neque a parentibus, neque pastore suo discere voluit, age docebitur nunc illam à M. Petro tortore carnificeque nostro. Paucis igitur post diebus homicida hic una cum milite furace è carcere educitur: atque hic quidem ad laqueum, ille vero ad gladium condemnatur. Cæterum cum rapaci militi res suæ gestæ ac furta hinc inde commissa jam prælegerentur, ac scriba publicus inter cætera hoc quoq; adderet, ille hic quidem equos magni pretii duos istic vero vaccas præstantes quattuor est furatus, Tollianus scribam redarguens inquit, minime vero gentiũ jumẽta ista clepsi aut furto interverti,

sed tis inter spoliandum potitus sum, **Nicht eine Miet gestolen / Ick heff sie nicht gestolen / Sondern opp der bûte grippen.** Atqui scriba hanc illius tedargutionem nihil moratus quicquam, pergit reliqua ejus facinora recitare, quibus quidem perlectis pendendum ipsi fuit, ut maxime diceret se non elependo, sed militariter prædando isthæc consequutum esse. **Er hett Sie opp dem Bûte grippen.** Nihil vidi porro milite isto, qui thrasonice admodum de præliis nescio quot & quantis à se factis gloriabatur unquam timidius. Cum contra alter ille latam in se sententiam æquo animo ferret ac toleranter. Quid quæris? *Thraso* iste toto itinere illo quod ex urbe ad locum supplicii emetiendum ipsi erat aliud agebat nihil, nisi quod lachrymis sese lamentisque perquam muliebriter dederet. Quem ea etiam gratia, tum pastor, tum homicida, tum vero carnifex graviter objurgabãt: Sed frustra. Ubi etiam scala illi jam esset ascendenda, dici non potest quantam lachrymarũ vim profuderit, & quoties dixerit, ah mi *M. Petre* noli amabo te committere, ut tibi excidam. **Ach min lieve Meister Peter lat mick jo nit fallen.** Quem consolatus carnifex dixit, de eo non est quod labores quicquam *Sebastiane* fili, nunquam tu enim ex manibus hisce nostris elabere **Sorge Nur nicht lieber Sohn Bast / du solt mir nicht entfallen.** Hunc subsecutus homicida dixit, quid tibi vult *Sebastiane*, isthæc animi tui mollities, fac præsenti sis animo ac forti, fac in mentem tibi veniant strages istæ tuæ ac pugnæ, quas passim edidisti, quibusque tu me in carcere obtudisti, ac mortem masculè oppete, hem me respice, mihi mehercule cor est pilei magnitudine. **Ich hab ein Hertz im Leibe**

Leibe wie ein filtz Hut Qui ipsius sermo incredibili omnium risu fuit exceptus, pauloque post cum ille pependit, tum hic capite plexus fuit.

LXVIII. *Exemplum dicti per quæ quis peccat, per eadem punitur.* Sap. 11. v. 17.

ABbatis quondam petiit sibi frater honores,
Invidus & fervens ambitione gravi.
Hos quia nanciscì vivente Abbate nequibat,
Tollere qui possit cogitat ille patrem.
Est puer Abbatis petulans, quem cædere virgis
Consuevit crebro mente animoq; patris.
Pulvere huic plenum lethali pixida tradit
Ignaro, frater quid malus ille gerat.
Pulvere, ait, patinam hoc consperge Abbatis edentis
Dumq; bibit, poclis injice sæpe puer.
Abbas sic semper te complectetur amore,
Suevit ut & crebro verbera nulla dabit.
Verbera ut evitet Domini, & mereatur amorem
Quid puer est jussu, simplicitate facit.
Inspergit medium partem, mediamq; reservat
Postea, qua dominum conciliare queat.
Abbas post moritur, succedit frater honore
Defuncti, stygia fraude dolisq; patris.
Ipse quoque hinc crebro puerum castigat eundem
Durior & multo quam fecit alter erat.
Pulvere post reliquo patinam conspergit edentis,
Ut plagas minuat sit meliorq; pater.
Pulvere sic moritur lethalis pulveris author
Pulvere quo Abbatem sustulit ante suum.
» *Justum est, ut pereat quo quis peccavit eodem,*
» *Quaq; alit intentant vulnera quisq; ferat.*

D. Lossius in Epigram. pag. 235.

LXIX. *De*

LXIX. *De sutore quodam atque Venalitio Marpurgensibus.*

MARPURGI olim sutor quidam calceorum vendendorum causa ad nundinas *Dreisenses* proficiscebatur Interea autem dum *Dreisæ* negotiatur, fur quidam *Marpurgi* in crucem agitur. Quod quidem cum calciarium fugeret, nocte cōcubia reversurus domum, ac nonnihil de via languens, prope patibulum considet, & paululum respirans, quiete utitur. Brevi spatio interjecto, redit & *Venalitius* quidam *Marpurgensis* è mercatu eodem, ac furem nudius tertius cruci suffixum hanc in rationem alloquitur. Quod si tu mecum urbem ingredi aves, fac actutum accedas, mora interposita plane nulla. Id audiens *calcearius*, quē *mercator* tenebris obstantibus haud viderat, ac se quidem peti arbitratus, respondet, ego vero commeaturus sum tecum, præstolare mihi paulisper, & cum dicto longurium humeris calcearium imponit in viamque se dat. *Venalitius* non solum hominis voce, sed & strepitu calceorum ex conto pendentium audito, furem & respondisse, & subsequi autumat, ideoque in pedes sese quantum quidem potest conjicit, ac præceps esse fugæ mādat. Id animadvertens *Sutor*, summa hominem contentione insequitur, identidem clamitans, heus bone vir, heus operire, heus inquam expecta me, gradumq; siste. At vero quo magis hic post illum & clamabat, & currebat, & is se minus è cursu revocari aut retardari patiebatur, persuasissimum habens, ipsum furem ita vociferari, & tanto cum strepitu accurrere. Curritur ita utrinq; stadium acerrima contentione, ac incredibili *mercatoris* velocitate, qui & inter currendum identidem conci-

concidens, se à fure isto transversum rapi, præcipitemque agi arbitrabatur. Ne multa. Venitur ad extremum ad civitatis portas, easque clausas. Quamobrem *Venalitio* nolenti volenti *Sutoris* expectandus est accessus. Quod igitur luna splendere jam inciperet, cursu ac lassitudine examinatus, totoque corpore cum sudans, tam trepidans *calceartium* cominus ex incessu motuque corporis agnoscit. Quam quidem *Sutor* molli brachio objurgans, his verbis alloquitur. Malam vero pestem tibi *compater*, qui quidem me comitem tibi accersiveris, ac postea iter ingressum fuga importunissima repudiaveris. Vide ut toto ego corpore æstuem, sudemque. Huic *mercator* respondens ait, tune igitur ad patibulum fuisti, in quod nudius tertius fur quidam famosissimus actus fuit? Quæ hæc (malum) insania est? Te equidem neq; conspicatus sum, neque affatus: sed ad locum supplicii veniens, ad furem verba feci, ex ipsoque per jocum quæsivi, num mecum in urbem proficisci vellet. Quod igitur tu & responderes, & post me subinde clamares, & me insequerere, existimavi equidem, id omne aut a fure ipso, aut manibus certe illius fieri. Eaq; re in tanta fui trepidatione, quantam nunquam ego verbis tibi exposuerim. Quid quæris? equidem cursum conficiens, ita sum sæpe, itaque graviter lapsus, & medium me a spectro aliquo abripi, in terramque abjici atque prosterni putaverim. Placuit postea ipsis, vino sese mutuum reficere, ac omnem cursus molestiam, æstum, atque sudorem poculis per totam noctem exhaustis abstergere. Quod autem res tota emanaret in vulgus, incredibile est, quantopere *Venalitius*, qui vir fortis & animosus haberi gestiebat, exagitatus passim fuerit.

LXX. *De*

LXX. *De Consule quodam atque Duce.*

Missus erat patriæ communis nomine Consul.
Pauperè ad eximium nuper ab urbe Ducē.
Paucula qui Domino *donaret vina, nec ille*
Immemor innatæ simplicitatis erat.
Principis *ut vultum coram conspexit & ora,*
Membra viri gelido dirigere metu.
Astitit & verbum profari nescius hæsit,
Qualiter ad visum contremit agna lupum.
Tum Dominus (*trepidare virum quia sensit*) *amico*
Alloquio, forti es pectore Consul, *ait.*
Protinus erectus Consul, *sua pilea demit*
Crinibus, & digitis illa, diuq; rotat.
Et tandem vices ausus jactare per aulam,
Talia deposito verba timore refert.
O patriæ princeps *hujus pulcherrime salve*
Et mea non duro pectore verba cape.
Fama diu nostra constans auditur in urbe,
Quam tibi sit nimiu copia grata meri.
Quodq; bonos inter socios noctesq; diesq;
Pocula de Bacchi plena liquore bibas.
Nos igitur gratum munus præstare volentes,
Mittimus hæc nostro dulcia vina Duci.
Talia quottidie nos cum meliora negantur
Vina per arentem cogimus ire gulam.
Credo quod illorum hic vobis sit rarior usus,
Pocula non quivis talia habere potest.
Sic ait, & profert vinum quod veste latebat
Ante oculos Domini *constituitque sui.*
Plenaque forte videt lapsas in pocula sordes.
Nescio quas, penna vel leve stramen erat,
Dumq; diu secum qubus artibus eximat hæret,
In varias flectis lumen utrumque vias.
Nec mora, quo tollunt ustum de lumine lychnum,
Organon in mensa forte jacere videt.

Aspicis,

Aspicit, & tales adhiberi credit ad usus,
Credit, & ex templo tollit utraq; manu.
Tollit utraque manu, mittitq; in pocula Vini,
Mittit, & hoc sordes eximit inde suas.
Protinus hinc Domino *non parvum præbibit hausti*ũ
Et repetit patriæ mœnia parva suæ.

Dedekindus lib. 3. de Simp mor. cap. 6.

LXXI. *De Christophoro Jungenhansio rustico Honensi, & fure quodam pendente ex patibulo.*

NOvi ego Honæ *Hessorum Christophorum* quendam *Jungenhansium*, pandochæum & colonum pro re nata satis copiosum atque locupletem. Huic fur quispiam equum surripuerat. Proinde furem ultro citroq; atque adeo omnibus quod ajunt vestigiis investigat, & diu multumque quæsitum ad extremum invenit, & in custodiam dandum suspendendumque curat. Tertio porro post die, quam ὁ ὑποκλέπτης suspensus erat, pandochæus una cum aliis quibusdam vicanis suis in sylvam proficiscitur, isthinc quidem ut ligna domum deportaret. Quod vero illi esset nõ procul à patibulo iter faciendum, pensilem istum intentis emissitisque oculis (ut cum Plauto loquar) intuetur, eumque non sine stomacho atque sarcasmo hanc in rationem affatur & increpat, **Da hengt Nuhn du Schelmischer Dieb/ da henckt vnd fütere die Raben / daß heist Stil Geule.** Istic vero pendendum tibi nunc est fur conscleratissime istic pendeas mehercule pascasq; corvos oportet, i nunc & furare caballos. Hæc nimirum merces tribuitur iis, quibus quidē religio non est, equos aliorum furto intercipere. Verum quid fit? Vix aut ne vix quidem isthæc ad furem verba fecerat, ecce tibi desilit is (vel diabolus potius, illius forma assumpta) in pandochæi currum,

& ipsum

& ipsum huic insidentem pugnis & calcibus probe contundit probeque, ita quidem, ut Deorum fidem atque hominum imploraret. Cęterum cum verberibus illum satis jam superque multasset, cũ venti quodam strepitu evanescens, rursus ex patibulo pendere, seseque nonnihil movere conspicitur. Vivunt adhuc *Honæ* viri fide digni, qui isthæc coram oculis suis viderunt. De hoc porro facto quid aliis videatur, cognoscere utique cuperem. Equidem ea sum in sententia ut existimem iis haud quaquam insultandum esse, qui quidem extremo supplicio affecti, ex omnibusq; humanæ naturæ exterminati, justitiæ satis jam fecerunt.

LXXII. *De pastore quodam pagano atque adultera.*

PAstor quidam paganus cum convivio alicui genethliaco olim interesset, evenit, ut inter cœnam partim sacræ scripturæ pronunciatis, partim vero exemplis in medium prolatis ostenderet planumque faceret, quam graviter uxores illæ enormiterque peccarent, quæ quidem maritis suis minime contentæ, cum aliis consuescere stuprique consuetudinem habere minime dubitarent. Id audiens muliercula ea, quæ commatris tum personam sustinebat, seseque isthoc concionatoris sui sermoni peti ac percuti suspicabatur, in hãc continuo vocem erupit. Ego vero Reverende D. pastor optarim, meretriculis ad unam omnibus cornu quoddam ex fronte enasci, quo quidem internosci illæ discernique a cæteris honestis matronis possent, **Ehrwürdiger Herr / ich mochte wünschen / daß keine Hure wehr / es wuchse jnen ein Horn zur Stirnen herauß / darmit Mann sie kennen /**

kennen/vnd von andern Redtlichen Weibern vnterscheiden konte. Cæterum vix aut ne vix quidē isthæc verba fecerat, ecce tibi signaculo mox sacrosanctæ crucis cum frontem, tum omnem eriā faciem pectusq; & insignit, & hac itemq; deprecatione utitur. **Aber Gott behüte mich.** At vero istuc non mihi eveniat, sed inimicis nostris fiet: suo sese indicio veluti sorex prodens, qualisnam esset, lupa nimirum atq; mœcha turpissima, cum quidem deprecaretur, ut ne, sibi cornu aliquod è fronte pullularet, quo stupra sua adulteriaq; in apertum proferrentur, atque adeo ante omnium ponerentur oculos.

Christophorus Aulæus P.L.

Vive pie semper, frustra peccata teguntur,
Nullus in his terris est sine teste locus.
Notitiam fugiunt humani criminis visus,
Omne videt toto quod fit in orbe Deus.

Augustinus.

In quolibet angulo, sis memor tui Angeli.

Idem.

Si conscientia criminis mordet, laus mundi parum prodest.

Idem in Psal. 50.

Conscientia est codex, in quo quotidiana peccata conscribuntur. Sed meminerimus etiam recte facta in eodem codice annotari.

Isidorus.

Nihil jucundius, nihil securius, bona conscientia.

Nazianzenus.

Nihil tam exhilarat nos, quam conscientiæ pura, & spes bona.

LXXIII. *De incestuoso quodam sui ipsius accusatore.*

NOvi quendam, qui post incestum, ad necem Magistratui sese obtulit. Idem quum ad supplicium duceretur, ad concionatorem qui consolationem dicebat, inquit: *Mi Domine* quanti arbitraris me vitam meam redimere velle, si mihi facultas daretur? cum se nescire diceret concionator, subjicit, ego vero ne obolo quidem unico, meam vitam, si possem, redimerem. Toto pectore DEO gratias ago, me rapi ad mortem, quam meritus sum meo scelere, *ut liberer ab intolerabilibus & immensis* CONSCIENTIÆ *cruciatibus*. Credo enim DEUM æternas pœnas mihi remissurum esse propter filium suum, qui pro me mortuus est.

D. Simon Pauli in explicatione historiæ supplicii D. N. I. C. pag. 391.

Ambrosius.

Pœna nulla gravior, quam interioris vulnus conscientiæ.

Bernhar-

Bernhardus.

CONSCIENTIA est sicut animæ lectus, in quo habet homo vel quietem, vel cruciatum. Nam videmus quod homo sanus in lecto habet quietem, sed homo æger in lecto habet cruciatum. Sic homo bonus in sua conscientia bona dulciter in DEO quiescit: Sed malus homo in conscientia ægritudinis torquetur. Nam nulla pœna major & gravior mala conscientia, quæ semper remordebit perpetuo.

Basilius.

CONSCIENTIA est quoddam naturale judicatorium, aliquid faciendi, vel non faciendi.

Georgius super Ezech. Hom. 9.

In omni quod dicitur semper tacite recurrere debemus ad mentem, & interiorem testem requirere. Quid enim proderit, si omnes laudent, & CONSCIENTIA accuset? aut poterit obesse, si omnes derogent, & sola CONSCIENTIA defendat.

LXXIV. *De prædone quodam.*

IN quodam Germaniæ diversorio cum prædo quispiam cæteris hospitibus assideret permistus, de ipsiusque facinoribus nihil neque pandochæo, neq; hospitibus constaret quicquam, evenit ut inter cœnam candela sebacea vitium

faceret, filo ellychnii quodam dependente, ac sevum depascente. Id conspicatus pandochæus, protinus exilamavit, **Ein Reuber / ein reuber / greiffet zu!** en prædo, prædo, coercete, compescite: hisce quidem verbis hospites admonens, ut filum istud pernitiosum revellerent extinguerentque, ne penitus eo candelam consumi contingeret. Verum quid fit? prædator, eo audito, agnitum sese ac proditum suspicatur, ideoque conscientiæ furus sic exagitatur, ut de mensa confestim surgens, fugam arriperet, in pedesque sese quantum quidem posset, conjiceret.

D. Gregorius Strigenitius. Homil. de Conscientia 10 pag. 76. unde hæc transtulimus.

Lucanus.

Heu quantum misero pœnæ, mens conscia donat?

Hartmannus Schopperus.

Conscia mens scel-ris, minimis impellitur euris,
Pace vel in media, vir timet arma malus.

ἀδήλῳ.

Qui sibi nil conscit, secura mente quiescit.

Ausonius.

Turpe quid ausurus te sine teste time.

ἀδήλῳ.

ἀδήλω.

Cur tibi tam levis est, cur tam jucunda senectus?
Libera quod vitus tota juventa fuit.

Cato.

Ne cures si quis tacito sermone loquatur,
Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.

ἀδήλω.

Cor non nugatur, licet os mendacia fatur.

Cicero pro Cluentio.

Maximi æstimare quenq; CONSCIENTIAM mentis suæ decet, quam ab diis immortalibus accepimus, quæ à nobis dividi non potest. Quæ si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis erit, sine ullo metu, & summa cum honestate vivemus.

Idem in Catone Majore.

CONSCIENTIA bene actæ vitæ multorumque benefactorum recordatio, longe est jucundissima.

ἀδήλω.

Noli peccare; DEUS videt: Angeli tristantur: Mors minatur: Diabolus accusat: Conscientia mordet: Infernus cruciat.

LXXV. *De mœcho quodam.*

QUIDAM verbi divini præco, cum sæpe esset multumque in adulterum quendam profligatissimæ mentis hominem, verbis quam ardentissimis pro publica concione invectus; neque ille tamen ad frugem sese meliorem reciperet, sed antiquum obtinens, asperam istam illius correptionem susque deque faceret, pro nihiloq; putaret, aliud huic malo remedium inveniendum esse arbitrabatur.

Proinde hanc in rationem quodam tempore mœchum istum præfractum pœnitereque nescium, publica pro concione perstrinxit. Sæpe te ego numero admonui taure indomite ut legitima uxore tua honestissimaque contentus, adulterio in posterum nuncium remitteres.

At vero surdo, adhuc quidem narravi fabulam, quod paternas nostras & fideles admonitiones ab una aure ad alteram transmittens, redire ad sanitatem omnino renuas. Putas tu fortasse tua mihi nova ista stupra & adulteria nota haud esse, verum falleris, ac tota mehercule cœlo erras. Etenim tam sunt mihi ea explorata, quam quæ exploratissima.

Quando me igitur nihil in te corrigendo emendandoque proficere sentio, duro mehercule nodo durus adhibendus erit cuneus, hisque dictis, lapidem de manica mox profert, cumque manu ostentans, inquit, heus bone vir, hocce te nunc ego telo percellam: hisce te ego oculis meis conspicor, video quo loco consistas, ita ut hoc te lapide tangere ac petere proclive sit mihi.

Nec mora, brachio mox sublato simulat se lapidem

pidem in *lastaurum* istum conjecturum. Id conspicati circiter X X. cives, qui secundum illum stabant, se quisque lapide isto percussum iri verebatur, ideoque sese mox singuli cum demittebant, tum fugam etiam ex templo adornabant. Quo viso pastor exclamabat, DEUS bone quid ego video? existimabam equidem unum duntaxat vestrum Baptiarum esse sacrilegum, alienæque conjugis corruptorem. At vero ex vestra capitum hac deflexione & fuga quam modo meditamini, promptum est mihi conjecturam facere atque perspicere, vos prope ad unum esse adulteros. O tempora, ô mores. Hoc nimirum acceptum referendum est cauteriatæ conscientiæ.

D. Strigenitius Homilia de Consc. 10. pag. 76. unde hac in latinum sermonem convertimus.

D. Bernhardus.

Mala CONSCIENTIA delictorum nostrorum ipsa testis est, ipsa judex, ipsa tortor. Ipsa accusat, ipsa punit, ipsa damnat. Hæc etsi resecta ad tempus fuerit tanquam cauterio, tamen aliquando prodibit, & si non antea, saltem in agone mortis instar mille testium astabit, accusabit, damnabit, punier. Est siquidem conscientia mala divinum quoddam testimonium, animis hominum impressum, de futuro in contumaces judicio, & de pœnis, quas juste luant contumaces.

Aluarus lib. de planctu ecclesiæ.

Sicut lumen candelæ vel lucernæ ponitur in domo, ut pateant & discernantur ea, quæ

in domo sunt : Sic DEUS posuit CONSCIENTIAM in medio cordis, vel animæ, rationalis tanquam lumen, quo videat anima atque discernat, quid facere, vel non facere debeat.

Lutherus in 38. Isaiæ caput pag. 505.

CONSCIENTIÆ VOX vere est malorum lerna, & Ilias malorum. Est Cacus, Cerberus, furia, erynnis, & quicquid est istiusmodi poeticorum monstrorum. Hac victi in tentationibus etiam corporalibus mox concludimus: *Ergo* DEUS *non favet.* Hæc appendix inamputabilis est etiam in quantumcunque levibus tentationibus. Quo autem major tentatio fuerit, eo major est *conscientia.* Sic in hora mortis experimur infernum ducentas portas apertas habere, ubi alias vix unam portam habet. Vide eundem hac ipsa de re in Genesin.

Tom. 6. Wittemb. Lat. pag. 592. 593.

LXXVI. *De quodam Rustico fure.*

AGricolæ quondam surrepta forte catena est,
Pondere qua magno, qua pretioq; fuit.
Agricolæ fur notus erat, vicinus at illum
Non voluit furti commaculare nota.
Orat, ut admoneat suggestu pastor ab alto
Furem, ut qua abripuit, reddere sponte velit.
Admonuit furem pastor persæpe, catenam
Vicino ablatam restituisse velit.
Non tamen ille refert monitus qua sustulit æra,
Omnes quod furtum seque latere putet.

Post

Post coram populo Pastor minitatur in ade,
In probrum nomen prodere velle viri.
Sed nil eum movere mina, nil numinis ira,
Nil sibi mens furti conscia prava movet.
Ergo die festo pastor cum venit in adem
Facturus populo verba sacrata suo.
Pistonium secum pharetratis attulit arcum
Telis intentum clam posuitq; loco.
Verba ubi finisset, subito post protulit arcum
Intentum, ad furem talia verba sonans.
Improbe cum monui fur te, jam sæpe catenam
Surreptam furto reddere sponte velis.
Nunc quia non reddis monitus persæpe catenam,
Te faciam notum, furtaq; nota tua.
Pistoniumq; simul minitandum dirigit arcum
In furem, notus ceu foret ille sibi.
In se directum cernens sibi conscius arcum,
Ex templo pede fur accelerante fugit.
Solvitur in risum populus, quod proderet ipsum
Se fur, qui nulli cognitus ante fuit.
Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora pro meritis spemq; metumq; suis.

D. Lossius in Epigr. pag. 255.

D. Chrysostomus Homil. 8. ad populum Antiochenum.

TAlis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent; umbras tremunt, omnem strepitum timent, & quandoque putant contra se venire. Multos igitur conspicati sæpe peccatores, ad aliud ministerium currentes, ad se venire cogitaverunt, & aliis alia inter se differentibus, peccati sibi ipsis conscii, putant illos de se loqui. Talis enim res peccatum est, nullo prodit arguente, nullo

condemnat accusante, pavidum facit & timidum peccatorum, sicut justitia contrarium. Audi igitur quomodo & hujus pavorem, & illius libertatem scriptura designavit, *Fugit impius persequente nemine*, inquit. Quem persequente nemine fugit? Intus habet agentem conscientiæ accusatorem, & hunc ubique circumfert: & sicut seipsum non potest fugere, sic nec intrinsecus ipsum agitantem, sed quocunque abeat, flagellatur, & vulnus habet immedicabile. At non talis justus, sed qualis audi: *Justus tanquam leo*, inquit, *confidit*. Talis erat HELIAS. Vidit igitur regem ad se venientem, & dicente illo, tune es ille qui conturbas ISRAEL? Non ego turbavi Israel inquit, sed tu, & domus patris tui. *Lege reliqua.*

LXXVII. De rustico quodam impio.

NOvi ego rusticum quendam, hominem non solum ab omni honestate, sed & pietate aversum. Qui quidem cum febricula quadam jactaretur, morbum hunc minus patienter ferebat ac placide, ideoq; non parum quidem sæpe has in voces erumpebat. Quod si ille cœlum atque terras tuens & regens DEUS me transferre ad se non vult, minime equidem deprecor, quo minus *Diabolo* abripiar, ut hoc saltem pacto ab his molestiis abducar, è graviq; hoc meo morbo emergam atq; evadam. Verum quid fit? Non ita multo post convalescit nebulo, ac hortum domui suę contiguum ingreditur, cerasoq; conscensa cerasis vescitur, ac sese reficit. Vixdum autem cerasum unum atque alterum decerpserat atque delibarat, ecce tibi ex arbore delabitur, ac mortuus domum reportatur, neque brachio aliquo, neque crure, neque costa, neque

neque cervice denique perfracta. Non deerant igitur, qui à *Satana* ipsum capitali humani generis hoste, cui cum in morbo adhuc esset, se toties è medio tollendum permiserat, de cerasо deturbatum ac morte affectum esse & autumarent, & affirmarent. Quibus quidem facile ego assentior, quippe qui *alastoru* istius profligatum & perditam vitam exploratissime cognitam habuerim.

LXXVIII. De Rustico quodam supino, ac parum religioso, cui nequissimus ille spiritus, ac malorum princeps *Satanas*, ea re colaphum grandem, in æde sacra, publicoque cœtu, infregit.

Cum fragili primum limo formasset Adamum,
Hac dedit omnipotens jussa verenda DEVS.
Ne fructum attingat medio qui stabat in horto
Arboreum pravi notitiaque boni.
Hoc quocunque die auderet, mox esse futurum
Æterna mortis supplicii q3 reum.
Heu violat Domini male cautus jussa, caditq3
Cum sobole in mortem supplicium q3 grave.
At hominis magna lapsi bonitate misertus,
Hunc recipit gnato mox mediante DEVS.
Gnatus qui sævum Satanæ caput atterat atri,
Deleat & mortem, justitiam q3 ferat.
Tempore qui gnatus justo demissus olympo,
In Bethlehem casta est Virgine natus homo.
Sancta sinu è patris profert hic dogmata adultus,
Miraculis firmat dogmata sancta suis.
Hinc moritur λύτρον pro mundi crimine solvens,
Agnus ut innocuus crimina nostra luat.
Mortuus hinc stygium victor descendit ad orcum
Mortem devincens, tartareum q3 canem.

Hinc

Hinc rediens hostem captivum duxit in altum,
In cœlumq; vehens agmina sancta patrum.
Unde suis sanctum misit spiramen in orbem,
Solamen durus præsidiumq; malis.
Atq; Euangelium toto post tradere in orbe
In se mandavit, cum pietate, fidem.
Qui sibi confidat sacrata mersus in unda,
Hic habeat cæli gaudia lata, fide.
Ætherea gnatus demissus ab arce parentis,
Carnea de pura virgine membra capit.
A veteri moriens culpa nos liberet, atque
Restituat vitam justitiamq; novam.
Est hæc summa DEI not erga gratia patris,
Quod superæ Gnatum misit ab arce suum.
Est amor hic ingens Gnati, quod missus in orbem,
Pro nobis patitur vulnera, flagra, necem.
Non DEVS angelicum semen, sed semen Abrahæ
Assumsit, casta virgine natus homo.
Gloria censetur, generosa stirpe parentum,
Et genus à claro ducere rege suum.
Gloria sed quanta est, nostro de sanguine summus
Quod sumsit carnem, sanguinem, & ossa DEVS?
Est DEVS æternus noster pater ipse benignus
Nos sumus in Gnato, pignora chara DEO.
Sed decus hoc ingens homines quam pectore pauci
Agnoscunt grato concelebrantq; DEVM.
Quod tamen agnoscunt melius, mirantur & optant,
Dæmones in Stygiis, turba maligna, focis
Nam pia cum quondam canit hæc ecclesia verba,
Est DEVS è casta virgine natus homo.
Atq; stetit populus veluti Marpesia cautes,
Non venerans flexo talia verba genu.
Unus hic colaphum Satanas impingit in ora,
Et simul increpitans talia verba sonat:

Trunca,

Trunce, quid immotus veluti Marpesia cautes,
Stas, ne ad hæc flectis verba verenda genu?
O foret hæc nostro generi data gloria tanta,
Gloria quam vobis contulit ipse DEVS!
Postratum terris grates noctesq; dies q;
Diceret hæc tanta pro bonitate DEO.
Vos, generis quorum tanta est præstantia, duris
Negligitis tamen hæc munera tanta DEI.
Ista quidem forsan non sunt à Damone dicta,
Hostius est noster, quod manet atq; DEI.
Qui tamen hæc finxit, docuit sub imagine, nostri
Sit generis coram gloria quanta DEO.
Quamq; DEI agnoscunt hoc grato pectore pauci
Munus, quod superat totius orbis opes.
Filius æternus noster quod frater in orbe est,
Nosq; sumus summo pignora chara DEO.

D. Lossius in Epigr. pag 202.

LXXIX. De Philippo Melanchthone, & Senatore quodam Erphordiensi, ipsius olim in Schola Wittembergensi inclyta, discipulo.

PHILIPPUS MELANCHTHON ille Germaniæ, Germanię dico? imo vero universæ Europæ *Phœnix*, profecturus anno 1557. ad Colloquium Wormatiense, diem unum atque alterum *Erphurdiæ* substitit, suane sponte, an vero comitum suorum rogatu, equidem haud habeo dicere. Ut primum vero hoc ipsum fuit Reipublicæ istius proceribus significatum, toti in eam mox curam atque cogitationem incubuerunt, quemadmodum honores ipsis quam maximos haberent ac magnifice eos splendideque acciperent. Id quod

factum

factum est pleno ab ipsis medio, atque adeo commemoranda quadam & divina liberalitate. Quod autem per id tempus festus istic ageretur dies, placitum ipsis fuit, ut omnes templorum omnium campanas simul impellendas curarent: atque hoc quidem eo & impensius & diutius, quo majorem inde *D. Philippum* ejusque comites *D. Casparum Peucerum*, & *D. Paulum Eberum* voluptatem percepturos existimabant. Appetente porro vespera *Senator* quidam, qui *Melanchthone* annos complures præceptore usus Vitæbergæ fuerat, his ipsum verbis compellat, percontaturque: ecquid nos amas *Domine Præceptor* de campanis istis nostris, quas tuam in gratiam impellendas curavimus? annon sunt egregiæ? iisne aures istæ tuæ mirifice circumsonuere, ac diu multumque fuerunt demulsæ? Dispeream equidem ni in cœlo sim, quoties quidem signum iis aliquod dari audio, usque adeo nimirum harmonia ipsarum concentuque recreor atque afficior. **Herr Præceptor wie hat E. E. vnd hochgelarten Gunsten heut vnser Geleute gefallen? Sinds nicht außbündige herrliche gute Glocken? Singen vnd brummen sie nicht weydlich dahero? Haben sie E. E. vnd H. G. nicht dapffer in die Ohren gedönet? Nicht düncke beym Leiden Gottes/ ich sey im Himmel/so offt ich sie dermassen höre in der Lufft dahero klingen vnd singen/ach das Hertz lacht mir im Leibe.** Hæc ille plenis tibiis atque adeo verbis sesquipedalibus ebuccinans, futurum sperabat, ut *Philippus* quoque summis eas in cœlum laudibus extolleret, magnæque sibi voluptati illarum bombos ac strepitum fuisse diceret.

At vero hæc est ipsum spes frustrata, quod MELANCHTHON συλλήβδην responderet, *magnos*

magna

magna decent, Groſſe Narren müſſen groſſe Schellen haben. Magna utique tintinnabula ac nolas minime parvas ſtulti magni ægrandesque aſini habeant, oportet.

SENATOR alio reſponſo ac putarat accepto, cum penitus obſtupuit, tum ſubridentibus cæteris erubuit, tum vero verbum poſthac de campanis iſtis ſuis fecit plane nullum. Cum antea quidem impulſu earum ſonitumque perinde mehercule capi videretur & afficiac *Princeps* aliquis tormentorum ſuorum diſploſione bellicorum.

LXXX. *De Doctore Tilemanno Heſhuſio, & ſcholaſticis quibusdam Helmſtadienſibus, petulantioribus.*

QUI *Helmſtadii* olim optimarum artium ſtudiis operam dedere, ii quidem ore affirmant uno omnes, conſueviſſe *Heſhuſium* literarum ſtudia in multam uſque noctem perſequi atque prorogare. Quod quidem cum nemo iſtic literarum ſtudioſus haberet non exploratum, quidam ipſorum cæteris & nequiores, & ad audendum projectiores, faciendum ſibi putabant, ut ipſi literis vacanti, identidem obſtreperent, ac moleſtiæ quippiam aſpergerent.

Vino igitur cereviſiave obruti, ad ædes ipſius adibant, conſpectaq; aliqua ipſius in Muſæo candela, è regione iſtius conſiſtentes, quam poterant maxima voce clamabant. **Vāer Dile / wat macken jy / ſtoderen jy / or ſupen jy / or wat ſcapen jy.** Heus Pater *Tilemanne* quid rerum geris? literisne das operam? an poculis indulges? an aliud denique quippiam machinare?

His

BIBLIOTHEK MUSEUM FÜR VOLKSKUNDE WIEN

His extemplo respondit *Heshusius*, quid rerum agam quæritis? quasi vero explicatum vobis non sit, versari me in literarum studio chartisque invigilare, atque adeo ea nunc commentari ac discere, vos quidem in crastinum quæ doceam? Facessite igitur domum bipedum nequissimi, nostroque exemplo excitati, totos in literas vos abdite, hisque operam quantam potestis date maximam. Vix porro aut ne vix quidem hæc effatus *Heshusius*, ecce tibi hocce mox responsum aufert. Tu vero *Tilemanne Pater*, si optimis à pueritia disciplinis atque artibus studuisses aliquanto diligentius, næ causa jam esset plane nulla, quamobrem extrema hac senecta tua tantis te studiorum laboribus noctes atque dies frangeres, hisque dictis, sublato cachinno ac jubilo domum se referebant, susque deque facientes, quod cum ipse *Heshusius* hanc sui exagitationem graviter admodum molesteque ferebat, tum *Rector* etiam Academiæ isthac ipsis insectatione illius carceris ac proscriptionis pœna proposita interdixisset.

Erasmus in epistola Paræneticа, ad Christianum Lubecensem, de ratione studii.

Nocturnas lucubrationes atque intempestiva studia fugito. Nam & ingenium extinguunt, & valetudinem vehementer offendunt. Aurora musis amica est, apta studiis.

D. Pezelius Postil. Phil. Mel. part. Post. pag. 206.

OMnes adhortor, ne lucubretis: & vesperi citò eatis cubitum, So schläfft einer sanfft / vnd wirdt

wirdt nicht geschlagen auff der Gassen / & utitur meliori valetudine. Lucubratione nihil est perniciosius corporibus, sive vagando in plateis, sive discendo hoc tempus consumitis. OSIANDERum abrupit sibi vitam. Solebat incumbere studiis circa horam nonam, & continuabat illa usq; ad primam, vel secundam noctis. Sæpe eum conveni cum essemus *Augustæ* in comitiis. Mane surgebat quando erat cibus appositus ad mensam, descendebat de scalis, & gestabat caligas repositas in brachiis. Solebam dicere ad eum, *Domine Andrea*, **Ihr hettet die Suppen schier verschlaffen.** Respondebat, **Ich weiß die Zeit wol zu treffen** / & hilariter cum prandebat, tum bibebat, *ut melancholiæ Horatius*. Postea ibat deambulatum unam vel alteram horam. Tertia vel quarta hora vel legebat, vel scribebat aliquid: postea cœnabat, & circa horam noctis nonam, iterum ad studia redibat. Factus est tandem hydropicus. Id tribuo illi consuetudini. Quando venit in *Borussiam*, voluit etiam certare cum aulicis bibendo, *sicut poterat largiter bibere*, erat enim robustus vir. Hoc dico, ut regatis corpuscula vestra, *certa diæta*.

[*Ego credo, quod nulla alia re humana, mea incolumitas servetur, nisi quod cito eo cubitum. Quando homo habet primum bonum somnum, non refert sive secundum habeat, sive non.*]

LXXXI. *De Henrico quodam Kueschwantzio, bubulco ineptissimo, & Abbatissa quadam.*

ALlatum fuerat ad *Bubulcum* quendam, hominem, ut apparet, insulsum, stupidum, ac barbarum, *Abbatissæ* N.N. non satis recte convenire

cum Bubsequa suo, eaque re in animo habere, loco ipsum deturbare. Quamobrem ut ne ipse sibi deesset, ad illam mox proficiscitur, in istiusque se locum suffici, his quidem verbis postulat. Equidem nobilissima DOMINA ab exploratæ fidei hominibus accepi, te à bubulco tuo ob nonnulla ipsius facinora animo esse alienissimo, ita quidem ut constitutum tibi deliberatumque sit, munus illi bucolicum abrogare. Quod quidem si ita est, te ego majorem in modum etiam atque etjam rogatam volo, ut ipsius in locum, quod sine incommodo tuo fiat, me surrogare digneris. Ego contra tibi promitto, spondeo, in meque recipio, frugi me pastoris officium sedulo esse facturum.

Sacerdos maxima paucis respondet, est vero ita, ut dicis, mi homo. Graves sunt causa ac justæ, cur bubulco meo non modo succenseam, sed & exauthorare locoque dejicere ipsum decreverim. Quod si igitur eo salario, quod ipsi dedimus contentus esse, ac juxta stipulari voles, honestum te fore ac gnavum, causa ferme est nulla, quamobrem illi vel hac ipsa hora non succedas. Veruntamen priusquam in familiam meam ascribare, est utique, (quod ego prope præterieram) ut nomen mihi tuum significes. Quî ergo cedo quæso vocare? **Sag mir wie heist du?** Ego vero *domina* respondet ille vocor *Henricus*, **Fraw Junffer Ebtissen/mich heist Heintze.** Adde & cognomen tuum inquit sacerdos maxima. **Wie heissest du mit deinem Zunamen** Quid multa? bubulcus cognomen rogatus, utraque mox manu in capillos suos invadere, & caput diu multumque scalpere, & ad extremum toto corpore trepidare ac dicere, Vah illustrissima *domina* mihi mecastor cognomen est

supra

supra quam dici potest absonum, turpe, & obscœnum. Cave ergo per DEUM immortalem, istud ex me scire studeas. Equidem ne sim salvus pudore impedior, quo minus tibi illud in sinum effundam.

Ach durchleuchtige Fraw Jumffer Ebtissen / Ich hab einen vberauß schändtlichen vnnd vnfläh-tigen Nahmen / bitte demnach E. Gunsten vmb Gottes willen / sie wolle mir nicht zumuhten / daß ich jhnen offenbaren müsse / dann ich schäme mich teuffliſch sehr. Sacerdos maxima pudentis hujus verecundique hominis excusatione minime acquiescens, instat urgetque ut cognomen suum prodat, inquiens. Quod si cognomen tuum aliquanto est fortasse fœdius spurciusque, fac circuitione aliqua atque periphrasi utens, illud exprimas: hoc nisi feceris in nostram mehercule familiam haudquaquam cooptabere. **Kurtzumb ich will vnd muß deinen Zunamen wissen / Sagst du mirs nicht / so bist du meines Dieners nicht: ist er etwas garstig vnd grob / so vermümpele es / vnd sage mirs mit halbem Munde.** Quod igitur bubulcus animadverteret, frustra se tergiversari, manu utraque ori admota, ac compressis nonnihil labiis, (**damit ers ja vermümpelte / vnnd mit halbem Mundt sagte**) hanc rancidam ad extremum spuraliticamque vocem misit. **Ach genedige Fraw Jumffer Ebtissen / dieweil jhr mit gewalt meinen Zunahmen wissen wollet / so heiß ich wie das Ding / daß der Kuh den Rücken herrunter hengt / vnd jhren zu gleich den Arß vnd Fotz bedecket.**

Clementissima *domina* quando cognomen meum scire tantopere laboras, non faciam equidem, ut de eo diutius te cœlem.

Proinde scire te volo, cognomen meum illi vaccæ membro respondere, quod quidem de dorso ipsius dependens, una eademque opera, tum anum illius, tum cunnum etiam tegit. Eo sacerdos maxima audito, risu propemodum corruens, exclamat, phy insulsissime nebulo, perpol scita est atque venusta isthæc tua periphrasis, **Ey du garstiger Vnflaht/ heist das nicht ein Ding vermumpelen/ vnnd mit halbem Munde sagen/ So vermümpele es ja besser.** Tu alme rem per se minime turpum impuro isto rostro tuo conspurcas obscœnamq; efficis. Fac posthac scapham voces scapham, & ligonem ligonem nobis quidem inservire si aves. Vocarene igitur *Henricus Vaccæcauda?* **Heist dich den Heintze Rueschwantz?** Ja genedige Fraw Jumffer Ebtissen/ respondet ὁ βακόλος, **so heist mich/ja mich heist Heintze Rueschwantz Winter vnd Sommer: Ich mochts aber nicht so grob vnnd vnverschampt herrausser sagen/ wie jhr gethan habt.** Ita vero clementissima domina vocor, est mihi nomen ne nescias *Henrico Vaccæcaudæ.* Mihi vero religio erat illud tam crasse nulla pudoris ratione habita exprimere, ut abs te est quidem factum **O deß schamhafftigen vnd züchtigen Vnflahts.**

LXXXII. De Roma.

Vidimus Ausoniæ semieruta mœnia Romæ,
Hic ubi cum sacris venditur ipse Deus.

Ingentem Crote *Pontificem sacrumq; Senatum,*
Et longo proceres ordine Cardineos.

Tot scribas, vulgumq; hominum nihil utile rebus,
Quos vaga contecto purpura vestit equo.

Tot

Tot Crote *qui faciunt, tot qui patiuntur & illos,*
Orgia qui vrount, cum simulent Curios.
Rursum illos, qui nec simulant bona, nec bene vi-
vunt,
Qui rident mores exsibilantq; bonos.
Quos juvat esse malos, quibus & licet, in juga quo-
rum
Consentit miseris Teutona terra modis.
Qui dant, quiq; vetant, qui, quos clausere, recludunt,
Arbitrio cœlos distribuuntq; suo.
Romanas, neq; enim Romanos, omnia luxu,
Omniaq; obscœnis plena libidinibus.
Atque hæc post Curios, Pompejos, atque Metellos,
O mores atque ô tempora! Roma tulit.
Desine velle sacram in primis Crote *visere Romam,*
Romanum in venies, hic ubi Roma, nihil.

Ulricus Huttenus ad Crotum Rudianum.

LXXXIII. De eadem.

O Qualis facies, & quæ mutatio Romæ?
Vendidit hæc quondam corpora, nunc animas.
Quicquid in extremis habuit Germania terris,
Et mediis quicquid continet illa plagis,
Exhaustum est totum, & Latias migravit in arces,
Expleat ut luxus impia Roma tuos.
Dum, qui militibus deberent cedere nummi,
Et nostro tutas reddere in orbe domos:
Hos modo Romanus miles sibi tollit in usus,
Ut Veneri & Baccho nocte dieq; vacet.

Cunradus Celtes.

LXXXIV. De vita Monachorum, quos vulgo fratres appellant.

Ille ego, qui quondam, cum Gallus amore periret,
Noctes atque dies cecini sub tegmine fagi,
Carminibus patrijs lęvium spectacula rerum,
Majus opus moveo: non hic te carmine ficto
Magnanime Ænea, nec te rationis egentem
Infelix Dido misęri post fata Sichæi:
At fratres rerum dominos, gentemq; togatam,
Illustres animas, & corda oblita laborum,
Dicam equidem, fretus cithara fidibusq; canoris
Fatidicæ Mantus: non omnia possumus omnes.
O decus Italiæ magnæ spes altera Romæ,
Cura Deûm Hyppolyte, proles pulcerrima bello,
Per tot ducta viros antiqua ab origine gentis:
Tu mihi, seu magni superas jam frigora Rheni
Horridus in jaculis & pelle Libystidis ursæ,
Arma inter Regum, clypeoq; insigne paternum,
Centum angues cinctamq; geris serpentibus hydram,
Arduus insurgens & grandia lilia quassans:
Sive Padi ripis augusta ad mœnia regis,
Unde genus ducis Tyrio conspectus in ostro,
Inter sacra deûm patribus das jura vocatis,
Da facilem cursum, atq; audacibus annue cœptis.

Narratio prima de Monachis.

A Jove principium generis, si credere dignum est:
Dii quanquam geniti, tot jam labentibus annis
Errabant acti fatis maria omnia circum,
Nulli certa domus, habitabant vallibus imis
Seclusum nemus, & scopulis pendentibus, antrum,
Raparumq; thoros inter deserta ferarum,
Sole sub ardenti, gelidiq; sub ætheris axe.

Jam

Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes.
Victum infelicem baccas, lapidosaq; corna
Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ,
Pocula sunt fontes liquidi, non massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ.
Nullæ Venus, nullique animum flexere Hymenæi.
Heu pietas, heu prisca fides. Quis talia fando
Temperet à lachrymis? Longo post tempore Gentis

Ut à prima origine degenerarint posteri.

UNus, qui nobis Deus æthere missus ab alto.
Is genus indocile & dispersum montibus altis,
Composuit, legesq; dedit, nova quærere tecta,
Idem omnes simul ardor agit, labor omnia vincit
Improbus, & rerum fato prudentia major,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Europa atq; Asia, super & Garamantas & Indos
Centum urbes habitant magnas, atq; aurea tecta,
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.
Nunc & pauperiem & duros perferre labores
Saxa per & scopulos, & virginitatis amorem
Relligio vetuit monitu imperioq; deorum.
Quid loquor? an sua cuiq; Deus fit dira cupido?

Victus.

ERgo omni studio læti convivia curant
Ante focum, si frigus erit: si messis, in umbra,
Hoc virtutis opus: glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemq; ferat, turpesq; podagras,

Vestitus.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Oeconomia Monastica.

AT genus immortale deûm præcepta secuti
Incumbunt generis lapsi sarcire ruinas.
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorum.
Jura magistratusq; legunt, sanctumq; Senatum,
Rectores juvenum & rerum, regemque tremendum
Et quos aut pecori malint submittere habendo,
Dum facilis animi juvenum, dum mobilis ætas,
Aut aris servare sacris aut scindere terram.
Condit opes alius, grandæva oppida cura.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorte.
Omnibus in morem tonsa est coma obesaque terga,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Omnibus idem animus denso distendere pingui,
Quum legere Ducem, sed non genus omnibus unum.

Ordinum diversitas.

SEd neque quã multæ species, nec nomina quæ sint,
Est numerus: nec enim percurrere nomina possem,
Non mihi si lingua centum sint oraque centum.
Stat sua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus est: venient lustris labentibus ætas,

Oraculum.

CUm domus & proles subito defecerit omnis.
O Heu nihil invitus fas quenquam fidere divis.
Quid labor aut benefacta juvant? sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri

Tum

Tum sciat, aërias alpes & Norica si qui
Castella in tumulis videat, desertaq; regna.

Ironice hęc de Euangelio renascente dicuntur.

Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est
Vana superstitio, veteramne ignara deorum,
Quam neq; fas igni cuiquam, nec sternere ferro.
Mores, & studia, & populos, consortia tecta
Sustulit ista prior stygiis emissa tenebris.
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Odit & ipse pater Pluton, odere sorores.
Parva metu primo, mox sese attollit in auras,
Tam ficti praviq; tenax, quam nuncia veri,
Inq; dies avidum surgens caput altius effert.
Quae regio in terris nostri non plena laboris?
Aspice & extremis dominum cultoribus orbem,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.
Ausi omnes immane nefas, ausoq; potiti
Corripuere sacram effigiem, manibusq; cruentis
Diripuere aras, & religiosa deorum
Limina, ubiq; pavor, & plurima mortis imago.
Quin etiam medias Italum bacchata per urbes
Pestis & ira Deum, majoremq; orsa furorem
Haud ignota loquor, cuncti se scire fatentur.

Paulus Tertius Papa.

Tertius ille hominum divumq; interpres Asylae
Os humeros que Deo similis, cui plurima mento
Canities inculta jacet, dependet amictus
Sordidus ex humeris, omnis quem eredidit aetas
Semine ab athereo, & genus alto & sanguine Divum
Fas omne abrumpit, trepidusq; repente refugit
Pictus acu tunicas, tot sese vertit in ora.
Heu mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo,

Seditione potens, instructus & arte Pelasga
Ibat, & ingenti sese clamore ferebat.
Consilio versare dolos ingressus, & astu
Fertilis Ausonia populos sermone replebat,
Oblitus decorisq; sui, sociumq; salutis.
Ausus quin etiam sacrata avellere templo
Numina magna Deum.
Ergo omnis furiis surrexit Hetruria justis
Tum celerare fugam, veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus & auri,
Conscius audacis facti penetravit ad urbes.
Et genus invisum & divi secraria Ditis
Arma Iovis fugiens atque alta mœnia Roma.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Ignis ubi in medio, & socii cratera coronant,
Te libans Lenæe vocat resupinus in antro.
Causa mali tanti fulgenti murice vestis,
Invidia infelix, laudumque immensa cupido.
Nusquam tuta fides, coluber mala gramina pastus,
Hortator scelerum, stimulis agitabat amariis.
Nec requievit enim, donec de culmine summum
Inter saxa virum stygias detrusit ad undas.
Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans.
Nunc hos nunc illos aditus, omnemque pererrat
Italiam, Italiam, sinuosa volumina versat.
Arrectis horret squamis, & sibilat ore.
Horresco referens, dii talem avertite casum,
Dii prohibete minas, superet modo Mantua nobis,
Mantua dives avis, qualis Berecynthia mater
Læta Deum partu procul ô procul este profani.
Dii patrii servate domum, parvosq; nepotes,
Et placidi servate pios, dominamq; potentem.

Hercules Dux Ferrariæ.

TE precor Alcide magnum & memorabile lumẽ,
Quẽ primi colimus miserantẽ incõmoda nostra

Hanc

Hanc primus tutare domum, genus acre luporum,
Hac casti maneant in religione nepotes,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.
Quo fertur? unde abiit? fugit irreparabile tempus,
Singula dum capit circumvectamur amore,
Multaq; praterea post me memoranda relinquo.
Vos, ô Calliope, precor, aspirate canenti
Sacra, deumque dapes, & plena pocula mensa
Fortia facta patrum, magno nunc ore sonandum.

Matutini Monachorum cœtus.

OMne adeo genus in terris populumque patresq;
Mollibus è stratis opera ad lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Principio delubra adeunt, atq; are sonoro
Turribus aut altis, aut summi culmine tecti
Dant signum, fulere ignes altaria circum.
Iamq; sacerdotes soli cantare periti,
Velati lino volitant, ostroq; decori.
Et cantare pares & respondere parati.
Agmine partito fulgent, lustrantq; choreis
Atria, dependent lychni laquearibus aureis.

Missæ descriptio.

STant are circum, puraq; in veste sacerdos
Ter centum tonat ore deos, ter gutture voces
Aut quater ingeminat, sequitur cum catera pubes,
Et nostras audite preces, templique sacerdos
Ante aras plena supplex veneratur acerra,
Affaturq; deos tendens ad sydera palmas.
Se causſam clamat crimenque capuſque malorum,
Multaque se incusat, rapidoque hac adjicit ore?
Salve sancte parens, superi regnator Olympi,

Sempey

Semper honos nomenq; tuum laudesque manebunt,
Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.
Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem,

Cœna mystica.

HAs ex more dapes, ille hæc monumenta reliquit
Extrema jam in morte: hanc tanti numinis aræ
Servati faciemus, meritosque novamus honores,
Nate patris summi, tuane hæc per vulnera servor
Morte tua vivens? quæ caussa indigna serenos,
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Vicit iter durum pietas, te janitor orci,
Te stygii tremuere lacus, tu sceptra iovemque
Concilias, tu das epulis accumbere divum.
Parce pio genero, & propius res aspice nostras.
Diique deæque omnes, tuque ò sanctissima vatum
Alma parens, præsens nostro succurre labori.
Hæc ubi dicta dedit divino ex ore sacerdos,
Dona laborata Cereris, cœlestia dona

Transsubstantiatio.

MIraturq́, interque manus & brachia versat.
Heu quid agat? varia confusus imagine rerum,
Atq; animum nunc huc celerem nunc dividit illuc,

Corporis manducatio.

IN partesque rapit varias, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem suaserunt numine Divi,
Et violare manu, malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, pectus percussit honestum
Terque quaterque manu, gemitum dat pectore ab imo.

Sic

Calix.

Sic ait: Haud equidem tali me dignor honore.
Et sacer implevit dextram scyphus, ocyus omnes
Demisere caput, percussa pectora matres
Agnovere Deum proceres, ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro,
Ite, ait, & socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & depasta altaria liquit,
Haud mora, continuo perfectis ordine votis

Monachorum conciones.

Consurgit senior, divosque in vota vocavit
Nudato capite, & medio stans aggere fatur:
Asper acerba sonans, intentis omnibus unus
Fata canit fusus perpexam in pectore barbam,
Edocet, humanis quae si fiducia rebus.
Tartaras etiam fauces noctemque profundam,
Et conjuratos caelum rescindere fratres,
Supplicia & scelerum paenas, sedesque beatas,
Ambrosiae succos, & odoriferam panaceam,
Admonet, immiscetque preces, alternaque jactat
Brachia protendens flammantia lumina torquens
Obtutu tenet ora, soloque immobilis haret,
Incipit effari, mediaque in voce resistit.
Omnia transformat sese in miracula rerum.
Ille sitim morbosque ferens mortalibus agris
Horrendus canit ambages, praesensque minatur
Exitium, veterum volvens monumenta virorum,
Æstusque & pluvias & agentes frigora ventos,
Obscaenamque famem & tristes denunciat iras.
Horrescunt corda agricolis, stupet inscia turba.
Vota metu duplicant matres, actaque furore
Conclamant, resonant late plangoribus aedes,
Lamentis gemituque, & foemineo ululatu.

Misc-

Misericordia Miseri.

Talia vociferans solio se tollit ab alto,
Tempora nudus adhuc, tunicaq; inducitur artus,
Tum virgam capit, hac animas ille evocat Orco,
Hunc circum innumera gentes, miserabile vulgus,
Post alii proceres, vitas & crimina discit,

Confessio.

Munera portantes eboris, aurique talenta,
Setigerosque suos, Dodonaosque lebetas
Prosequitur venia, & verbis compellat amicis.
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos
Castigatque auditque, & ad impia Tartara mittit.
At qui divitiis soli incubuere repertis,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.

Apparatus prandii.

Ordine ahena locant alii, flammasq; ministrant,
Pars calidos latices, verubusq; trementia figunt
Terga suum, centum pingues cum matribus agnos,
Pars epulis onerant mensas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis,
Supponunt alii cultros, Bacchumque ministrant.
Discurrunt variantque vices, arisque relictis
Perpetuus soliti patres considere mensis
Circum claustra fremũt, arrectisque auribus astant,
Intenti expectant signum, divosque precantur.

Abbas.

Tum pater omnipotens, cui rerũ summa potestas,
Tandem progreditur, magna stipante caterva.

Mon-

Monstrũ horrendũ, ingens, crassum farragine corpus,
More patrum solio medius consedit avito,
Ille operum custos, illum admirantur, & omnes
Circumstant fremitu denso, cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque agitans discordia fratres.

Monachorum contentiones.

ILle regit dictis animos, fratresq; superbos
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella.

Prior.

Tuq; prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,
His animadversis opera inter talia primus
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro.
O socii, nec enim ignari sumus ante malorum.
Hæc erat illa fames, hæc nos suprema manebat
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Exitiis positura modum: nunc viribus usus
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Quicquid voti optastis, adest: sic itur ad astra.
Ergo agite, & cuncti nunc illas promite vires,
Communemq; vocate DEUM, & date vina volentes.
Hic finis fandi, solio insonuitque flagello.
Utque dato signo spacia in sua quisque recessit
Ordine cuncta suo, tunc facta silentia linguis.

Monachorum voracitas.

SIc animis juvenum furor additus, inde lupi ceu
Raptores atra in nebula rapiuntque ruuntque,
Diripiunt dapes, contactuque omnia fœdant.
Nec mora nec requies, olli certamine summis

Tergora

Tergora diripiunt costis, tum dente tenaci
Dant sonitus, duro crepitant sub vulnere mala.
Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.
Teutonico ritu vertunt crateres ahenos.
postquam exempta fames epulis, vox omnibus una,
Cælicolum Regi grates persolvere dignas
Non opis est nostræ media inter talia verba
Nescio qua prater solitum dulcedine læti
Devenere locos lætos, cantusque dedere:

Monachorum lusus.

CEu quondam nivei liquida inter nubila cygni,
Cum sese è pastu referunt, hic flumina circum.
Fundit humus flores, texunt umbracula vites.
Hic gelidi fontes & prata recentia rivis,
Spelunca, vivique lacus, ac lustra ferarum.
Tum laqueis captare feras, & fallere visco
Impendunt curas, & retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores, & fluminis alveo
Cum venti posuere, alius trahit humida lina.
Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Et tenues rumpunt tunicas per opaca viarum.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Consonat omne nemus strepitu, risuque soluto.
Tunc pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, aut versi terga dedere.

Monachi aulici.

AT patiens operum parvoque assueta juventus,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto.
(Fit via vi) penetrant aulas & limina Regum.

Mendicantes.

Discurrunt alii ad portas & tecta domorum,
Convectare juvat prædas, & vivere rapto,

Ventu-

Venturaq; hyemis memores quaſita reponunt,
Aut fœtus ovium, aut urentes culta capellas,
Caſtaneasq; nuces, pariter frumenta ſequuntur.
Interea ſocios vocat alta in templa ſacerdos

Funera ut ducant Monachi.

IAmpridem reſides, agrisq; effuſa juventus
Undiq; conveniunt, & triſtia funera ducunt,
(Ne quid inexpertum) crepitantiaq; æra ſecuti
Tum gemini fratres, nec multum diſcrepat ætas,
Funera eas rapuere faces, de more vetuſto
Incedunt pueri, defunctaq; corpora vita
(Quod genus hoc hominum?) læti clamore reportant
Hic matres miſeræ, puerique parentibus orbi
Flent mœſti, reſonat magnis plangoribus æther.
Spargitur & tellus lachrymis, & molle pheretrum.
Ipſi lætitia voces ad ſydera jactant
Per medias urbes, longa cum veſte ſacerdos
Luſtravitq; viros, dixitq; noviſſima verba
Manibus & cineri. Quam molliter oſſa quieſcent?

Mortuos ſpoliant.

TUm lecti juvenes media teſtudine templi
Incurrunt denſi. ſpoliantq; calentia membra
Relligione patrum, foveisq; abſcondere diſcunt.

Cœna.

DEvexo interea propior fit Veſper Olympo,
Tecta petunt, multa referunt ſe nocte minores,
Inſtaurant epulas, & menſæ grata ſecunda
Dona ferunt, noctem flammis funalia vincunt.
Advolvere focis ulmos, ignemq; dedere.

Invitat genialis hyems, curasque resolvit.
Tunc somni dulces & tunc mollissima vina.
Postquam prima quies epulis mensaque remota
Porticibus longis, nil magna laudis egentes
Invalidique senes somno vinoq; sepulti
Conticuere, sopor fessos complectitur artus,
Omnibus una quies, operum labor omnibus unus.

Monachorum libido.

AT non in Venerem segnes, & dulcia furtæ
Egregii forma, & primæva flore juventus,
Defensi tenebris & dono noctis opaca
In furias ignemque ruunt, nec claustra nec ipsi
Custodes sufferre valent, amor omnibus idem

Proh pudor!

MVlti præterea, quod rebus restat egenis,
Sæpe manu liquido distendunt nectare cellas,
Magnanimum Heroum pertentant gaudia pectus,
Solamenque mali distillat ab inguine virus.
O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Non absunt illis saltus, armentaque lata.
Cœlati argenti sunt, auri multa talenta,
Sacra deum sanctique patres, & chara sororum

Moniales.

PEctora mœrentum tenebris, & carcere cæco.
Centum ærei claudunt vectes, & sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravida, mirabile dictu,

Ironia

Ironia.

RElligione sacra, non hæc sine numine divum.
Jam nova progenies cælo demittitur alto,
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.

Epilopus ad Monachos, omnium laborum & periculorum expertes.

SAlve vera Jovis proles, tibi nomina mille,
Dives opum, dives picti vestis & auri
Omnes cælicolas centum complexa nepotes.
Hinc Italæ gentes, omnisq; Oenotria tellus
In dubiis responsa petunt, tibi maxima rerum
Verborumq; fides, & nescia fallere vita.
Cura tibi Divum effigies & templa tueri,
Europam atque Asiam magno turbante tumultu.
Non equidem invideo, ipsa procul discordibus armis
Haud impacatos à tergo horrebis Iberos.
Non unquam somnos abrumpit cura salubres,
Atq; utinam ex vobis unus vestriq; fuissem,
Aut custos gregis, aut matura vinitor uva.
Omnia vincit amor, quis enim modus adsit amori.
Ille mihi thoracea simul cum pectore rupit,
Transadigit costas, liquitq; volatile ferrum,
Altius ad vivum persedit vulnere mucro?
Quid facerem? talin, possum me opponere monstro?

Bella nostri seculi.

O Fortunata gentes, & genus ab Iove summo,
Vobis parta quies nos flendo ducimus horas,
Nos alias hinc ad lachrymis eadem horrida bella
Fata vocant, sævit toto Mars impius orbe,
Regibus incessit magno discordia motu.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum,

Turbidus & torquens flaventes Ister arenas
Extremiq; hominum Morini, tot millia gentes
Arma ferunt Italæ, sanguis novus imbuit arma.
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur
Obscœna volucres (id rebus defuit unum)
Ætheraq; obscurant pennis, camposq; patentes
Facta nube premunt: En queis consevimus agros?
Nec tantis mora prodigiis, bella horrida, bella
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.

Turca.

Ecce inimicus atrox, genus insuperabile bello,
Victor ab aurora populis summasq; minatur
Dejecturum arces Italum, excidioq; daturum
Ære cavo, curruq; volans dat lora secundo
Per Grajum populos & lapidis arva Timavi.
Heu quanta miseris cædes Laurentibus instant.
Ventum ad supremum est, en quo discordia cives
Perduxit miseros: nec habet fortuna regressum.
Hos inter motus atque hæc certamina tanta
Ipsa immota manet, spectatq; interrita pugnas.
Chara deum soboles, solida de marmore templa
Assiduo resonant cantu: nec ferrea jura,
Insanumve forum, aut populi tabularia vidit.
Atque metus omnes strepitumq; Acherontis avari
Subjecit pedibus, non ulli obnoxia curæ.
Et spectare dapes, solennes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos.
Hic amor hoc studium summa nituntur opum vi
Regales inter mensas, nymphasque sorores
Sideris in numerum, atque alto succedere cælo.
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Vivite felices ó terque quaterque beati,
Quo res cunque cadent. Si quid mea carmina possunt

Nulla

Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

Lælii Capilupi cento Virgilianus in sylvula regno Papistico Thomæ Naogeorgi adjecta.

LXXXV. *De Martino Luthero, Philippo Melanthone, & aliis quibusdam Theologis Saxonicis.*

DE uno adhuc congressu, qui inter nostros fuit, pauca quædam dicam, & veniam mihi dari peto repetenti nunc de homine carissimo morte erepto ea quæ ipse vivus nobis dulcissimo sermone referre solebat. Erat jussu principum Torgæ in domo Parochi, instituta inter Doctores nostrarum Ecclesiarum primarios deliberatio difficilima. Adversarii enim tunc pene jugulo nostro ferrum admovebant, & superior potestas pacem, quam toties nostri supplices petiverant, in libra aurificis, ut quidam præstans & magnus vir dixit, nobis admetiebatur, nostrique Principes, & qui docebant, non levi de causa commovebantur. Quapropter Doct. Martinus & alii quidam docentes, Torgam convocabantur, ubi tunc aula erat, ut in medium consulerent, quid fieri vel non fieri posset. Existiment jam illi Heroes, qui nunc in tuto feroces sunt, qui tunc agon constitutus fuerit. Nam ut de minis taceam, conatus certe & molitiones adversariorum ejusmodi erant, eaque pericula nobis impendebant, quæ nemo sanus facile contemnere posset. Contra quæ etsi Principes animo viderentur magno atque infracto esse, tamen quia ad multos periculum pertinebat, qui non pariter omnes animosi erāt, & magna vastitas

stitas imminere videbatur, paucis docentibus qui aderant, valde difficilis consultatio proposita erat. Sedet igitur pauper & paucorum senatus, à solo DEO auxilium orans, sperans, & expectans.

Tandem post preces & satis longum colloquium, *Philippus* defatigatus, & mæstus surgit, erat enim paulum evocatus nuncio quodam interpellante, quo dimisso in reditu ingreditur conclave, in quo una erant miseræ mulierculæ, Parochi, & duorum Diaconorum conjuges ac parvuli liberi, quorum alii jam mammam sugebant, alii à matribus preces recitantes audiebantur. Astat & audit *Philippus* cum admiratione & magna delectatione, sicut solebat, puerorum balbutientes preces, memor dicti: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, &, quod præcipue ipsum movebat, videt & Diaconorum uxoribus unam lactantem filiolum, & simul pastinacam in prandium marito incidentem, atque audientem alterum parvulum recitantem usitatas preces & invocantem DEUM, Exclamat: ô tres sanctos & Deo gratos labores. Ab hoc spectaculo confirmatus animo, ac jam lætus atque alacris in senatum redit hilaris vultu. Excipit eum *Lutherus*, Quid tibi *Philippe* accidit, inquit, quod ita hilaris ad nos redis, qui paulo ante tristior hinc exibas: Respondet ille: Ne simus animo pusillo, *Domine*, jam enim vidi eos, qui pro nobis pugnaturi sunt qui nos defendent, quippe contra vim omnem invicti erunt & manebunt. Quærit *Lutherus*, Qui nam sunt hi tam fortes Duces ac milites, Parochorum nostrorum & Diaconorum uxores, inquit *Philippus*: & parvuli liberi, quorum preces jam audivi, quas Deus non est surdis auribus audi-

auditurus. Neque eas adhuc neglexit optimus pater Domini nostri Jesu Christi, nec porro, ut speramus, negliget. Exceptus hic sermo est ut felix & faustum omen, & jam animis magis confirmati statuunt id; quod pios & constantes verbi divini Doctores decebat, & illud ipsorum consilium beneficio Dei salutare fuit Ecclesiis, & afflictionem, quæ imminebat, Deus clementer leniit.

Doctor Vitus Winshemius in oratione funebri habita de vita & obitu Philippi Melanthonis litt. C. fac. 1. & D. Nicolaus Selneccerus in explicatione psalmi 79. pag. 126.

LXXXV. De Monacho quodam.

Vix ætate puer, sed totus moribus infans,
Corpore vix aliquid, totus & arte nihil.
Prima novus Franciscana de gente sacerdos
Sacra DEO, turba concelebrante, tulit.
Queis habitis, Cereri & Baccho solvuntur honores.
Hinc subeunt Paphiæ mollia gesta deæ.
Ecce (in lente unguentum dixeris) ordo coronis
Fœmineis chordas fune recinctus, agit.
Unus hic (veniam verbis peto, nec sacra constans
Hæc aliter) κεῦλος turpiter intumuit.
Quoq; teneb atur, ruptis tentigine vinclis,
Excidit è natibus subligar in medium.
Mox populus rapitur læva ad spectacula pronus,
Intempestivum risibus ora fluens.
Tum gregis ejusdem longe delumbior alter,
Podicis obscœni tegmina tollit humo.
Atque ait, ostensis femoralibus: Ecqua puellæ
Excussit colli candida lina sui?
Ah quam vix aliis, quæ dicere nolo, resistunt:
Tutior in mediis pascitur agna lupis.

Ut pelagus juges capit insatiabile rivos,
Sic horum improbitas nescit habere modum
Hæc volumus sciri, si quem DEUS *ille lateret,*
Quo caleant homines hoc agitante genus.

Johannes Sapidus.

LXXXVII. *Epitaphium Alexandri VI. Pontif. Max.*

FOrtasse nescis, cujus hic tumulus siet:
Adsta viator: ni piget.
Titulum quem Alexandri *vides, haud illius*
Magni *est: sed hujus, qui modo*
Libidinosa sanguinis captus siti,
Tot civitates inclytas,
Tot regna vertit, tot duces letho dedit,
Natos ut impleat suos.
Orbem rapinis ferro & igne funditus
Vastavit, hausit, erutt.
Humana jura, nec minus cælestia,
Ipsosque sustulit deos:
Ut scilicet liceret (heu scelus) patri
Natæ sinum permingere,
Nec execrandis abstinere nuptiis,
Timore sublato semel.
Et tamen in urbe Romuli *hic vel undecim*
Præsidet annis Pontifex.
Inunc, Nerones, vel Caligulas *nomina*
Turpes, vel Heliogabalos.
Hoc sat viator, reliqua non sinit pudor,
Tu suspicare & ambula.

Sylva, quæ regno Papistico Thomæ Naogeorgi accessit.

LXXXVIII. *De*

LXXXIIX. Epitaphium Clementis VII. Pontificis, quod in sepulchro ejus appensum inventum est.

CLementem eripuit nobis clementia fati,
Humanum toto gaudeat orbe genus.
Hic est, qui fuerat jam dedecus urbis & orbis,
Et fuit ætatis magna ruina suæ.
Hic est, qui tantos mutato fœdere Reges
Prodidit, & nullam novit habere fidem.
Hic est, qui gravibus vexavit regna tributis,
Atq; Italûm totas hausit avarus opes.
Hic est, qui patriam bellis oppressit acerbis,
Turbavit proprios seditione lares.
Hic voluit rapidis sua mœnia perdere flammis,
Et plus quam humana strage replevit humum.
Hic est, qui multas viduavit civibus urbes
Crudeliq; suas imbuit ense manus.
Hic est, qui bellis insubria diruit arva,
Extorrem Urbini compulit ire ducem.
Hic est, sinescis, qui jam tibi Roma paravit
Excidium, pestem, funera, bella, famem.
Hic est per quem tot prostant & in urbe puellæ,
Per quem pulsus honos virgineumq; decus.
Hic est, qui molles evexit ad astra cynædos
Formosum à tergo munere juvit Hylam.
Hic est, qui fuerat vivens infamia mundi,
Imperii labes spurcitiesq; sui.
Contemptor divûm, scelerum vir, publicus hostis,
Perfidus, ingratus, raptor, iniquus, atrox.
Nutrivit longi discordia semina belli,
Movit pacatos semper ad arma duces.
Hoc vivente fuit nullarum copia rerum,
Tabuerunt sterilis pallida membra fame.
Curavitq; nihil misera jejunia Romæ,
Ut fruges magno venderet ære suas.

Infelix, totum quod non exſtinguere mundum,
Nec potuit ſanctis bella mouere Deis.
Exoſus vitam, & morbo tenuatus amaro,
Stabat Pœonia non reuocandus ope.
Mortem implorabat, nec mortem fata ſinebant,
Gaudebant longa ſed cruciare mora.
Hic vidit mortis centum tormenta futuræ,
Pœna tamen mortis non fuit æqua ſuæ.
Ex iſta tandem migrauit luce Tyrannus,
Quo nullus toto pejor in orbe fuit.
En date vulturibus ciues tam putre cadauer,
Nulla hæc reliquias hoſpita terra tegat.
Illuxit tandem cœlo lux una ſereno,
Et venit populis ſæpe vocata dies.
Ducite felices per compita, ducite ludos
Æneadæ, & latis ſolvite corda jocis.
Hanc lucem moneo veſtris inducite faſtis,
Longa hanc poſteritas religione colat.
Sicut magnanimo pulſos à Conſule Reges
Legimus, & noſtro tempore durat honos.
Et tu ſublatum è terris latare Neronem,
Priſtina libertas reddita Roma *tibi eſt.*

Sylva.

LXXXIX. De eodem Clemente.

DE Clemente, *quod eſt conſcriptum carmine crimen,*
Id verum, aut falſum protinus eſſe ſcio.
Si verum eſt, vere jam poſſum dicere, mundi
Urna brevis vitium claudit, & omne ſcelus.
Si falſum eſt, vere jam poſſum ſcribere, mundi
Dux, pax, lux parvo contegitur tumulo.

De

XC. De Francisco Philelpho Italo, & Timotheo Græco.

LIs super accentus graci ratione, Philelphum Timotheumq; *inter (Græculus ille fuit.)*
Orta est: Dissidium placet hoc sopire periclo
Græculus as: barbam victor ut ille forat.
Dii bene, Romanus superavit: & ille coactus
E pacti barbam tradere lege fuit.
Exultas spolio: Græcaq; uxore superbis
Non est ingenio laus minor ista tuo.

Latomús in Elogiis Doctorum virorum Jovii, pag. 44.

XCI. De insulso quodam rustico, petente à D. Philippo Melanchthone, ut filium unicum suum artem concionatoriam (das Pfaffen Handtwerck) doceret, & ut voti hujus sui compos evaderet.

VENIT aliquando ad *Philippum Melanchthonem* rusticus quidam ita insulsus, ut nihil supra possit esse, adductoque secum filio unico suo, hunc est ipsum ad modum allocutus. Salvus sis *Domine Philippe*, quid tibi cedo quæso de hoc adolescentulo videtur? ut tibi placet? annon est juvenis egregius?

Quid quæris? filius est noster, & quidem, ne nescias, unigenitus, eaq; re à nobis quam tenerrime diligitur, in oculisq; fertur. Etsi vero agrorum est nobis numer⁹ bene magnus, ut nũc mittã prata, & hortos & saltus, & rẽ deniq; partim pecuariã, partim

tim pecuniariam, quæ & ipsa nobis *Dei Opt. Max.* munere atque concessu perquam ampla & copiosa suppetit, ipse tamen nullo pacto adduci potest, ut animum ad agriculturam applicet. Itaque author ipsi sum, ut artem aliquam mechanicam, quæ (ut nostris est hominibus in proverbio) fundum habet aureum, addiscat. At vero quod ipse ab ineunte mox ætate scholam frequentarit, usus præceptore ædituo nostro, habeatque jam tum præclaros in literarum studio progressus, spretis atque repudiatis artibus manuariis plane omnibus, *unum artificium concionatorium* (das Pfaffen Handtwerck) discere avet gestitque. Quum igitur nescius haud sim, confluere ad te unum quotidie ex omnibus Europæ regionibus scholasticorum multitudinem innumerabilem, ut abs te quidem vel artem medicam, vel juridicam, vel concionatoriam discant, te ego vehementer etjam atque etiam per omnia sacra rogo, ut gnarum hunc nostrum, artem concionatoriam (Das Pfaffen Handwerck) doceas: sic tamen ut ne annum unum atque alterum conficere hic cogatur, sed exactis horis duabus, summumve tribus, nobiscum domum se recipiat. Quod enim nobis, utpote filius unigenitus, in medullis plane atque visceribus hæreat, ejus profecto desiderium ferre vix aut ne vix quidem possumus. Ego contra didactri loco numeraturus sum tibi extemplo thaleros imperiales probæ monetæ XXX. PHILIPPUS perspecta hominis stupidissimi exsibilanda insulsitate, cum assidere jubet, prolatumque *Bibliorum* codicem, filio ipsius proponit, & caput ipsum unum atque alterum jubet legere, & sic itemque *futurum concionatorem* alloquitur. Enimvero hic tibi liber diurna est nocturnaq; manu versandus, atque

atque adeo in ſanguinem tuum ſuccumque convertendus, ſi quidem verbi divini præco frugi & eximius evadere ſtudes. Plura dicturum interpellat ruſticus pater, inquiens, *Domine Philippe*, pervolutavit filius noſter, ne te quid celem, Syracidem ſexies, eoque amplius. Quid quod inſuper etiam non ſolum Catecheſin *D. Luthers*, ſed & Pſalmos aliquot Davidicos memoria tenet? *Philippus* collaudata hac ipſius induſtria, jubet ipſum tum Pſalmos aliquot Davidicos, tum *Luthers* etiam Catecheſin memoriter recitare. Hisque recitatis inſit, unum adhuc eſt mihi uſurpandum, ut artem concionatoriam tum celeriter arripias, tum perfecte etiam planeq; calleas: prolatisque pilis medicis purgatoriiſve (quas ipſe erat poſtridie ſumpturus) jubet eas *Dominum Candidatum* deglutire. Eas illa quam avidiſſime mox devorat, de earumq; poſtea amaritudine conquerens, diu multumque nauſeat, ita quidem, ut nihil eſſet propius, quam ut vomeret. Conſpicatus igitur *Philippus* ipſum pilulas ad unam abſorbuiſſe, patrem cum filio domum redire jubet: Ac filio conceptis verbis mandat, ut ab omni ſe cibo & potu ad cœnam usque abſtineat, & neque veſicam levet, neque alvum exoneret tantiſper dum domum revertatur: ita quippe futurum, ut artem concionatoriam habeat bene cognitam, & ſatis firme conceptam animo. Quid multa? Ruſticus eo audito exclamat, evax, evax, nunc quidem in cœlo ſum, annumeratisque *Domino Philippo* XXX. thaleris, in viam ſe, una cum filio dat. Cui *Philippus* iterum atque iterum præcipit, det omnino operam, ut pilas iſtas ſecum retinens, probe digerat concoquatque, neque eas vel vomitione ejiciat, vel excernendo certe egerat, alioqui futurum nunquam,

ut

quam, ut mysteriorum divinorum dispensator audiat fiatve. Adolescens se dicto illi audientem fore stipulatur, conscensoque parentis curru, domum sese refert, gaudio triumphans ovansque. PHILIPPUS porro pecuniam ab hoc stipite acceptam, inter pauperes literarum studiosos quosdam distribuit. Cæterum quid fit adolescentulo rustico, *futuro theologo*? Hic quidem hora vix dum una elapsa à patre contendit, sibi ut alvum exoneraturo, liceat de curru descendere. Pater vero voti ipsum hujus sui compotem haud facit, sed jubet ipsum podicem, quantum quidem possit comprimere, ne cum artificio Theologico pecuniæ simul suæ jacturam faciat, **Daß er nicht das Pfaffen Handtwerck/ vnd das Geldt zugleich verschiesse.** Acquiescit filius aliquandiu, paulo tamen post vociferatur, ô pater, pater cacaturio equidem mirum in modum. Quem ille iterum compescens inquit, fac tibi interdicti D. PHILIPPI in mentem veniat, ac anum quam arctissime contrahas constringasque. Non ita multo post nebulo voce quanta potest maxima exclamat, ô pater, ô pater, imperare mihi equidem haud possum, quo minus cacem, **Ach Vatter/ach Vatter/ich scheisse/ich scheisse/** ac simul cum dicto caligas suas permerdat. Id exaudiens pater, ac naribus etiam sentiens, (quippe qui nebuloni assideret) brachio ipsum molli objurgans, dictitat, vah fili mi, nunc mihi quidem periere XXX. thaleri mei, tibi vero ars isthæc tua concionatoria in nihilum occidit. **Ach mein Sohn/was den Teuffel soll das seyn? Was hast du nun gemacht? Nun hast du mir meine dreyssig Thaler/ vnnd dir das Pfaffen Handwerck verschissen.**

De

XCII. *De rustico quodam prodigo ad extremam tandem egestatem redacto.*

ERat Rustico cuidam uxor, & honesta, & rei familiaris administrandæ perita; & sedula, & frugalis, & quæ familiæ sic denique præbebat cibum, ut supperet, quod ei tum in crastinum, tum perendie, tum quovis etiam alio tempore manducandum apponeret. Tulit hanc ipsius frugalitatem admodum inique maritus, quippe qui prolixe & delicate pasci, & carnibus quottidie, seu recentibus, seu infumatis, iisq; partim bubulis, partim porcinis, vel harum certe loco placentis vesci gestiebat, cum ipse cæteroqui, aut pisa, aut olera, aut rapas, aut pulmenta, aut ova, aut caseos, aut butyrum denique devorare cogeretur. Quamdiu etiam ipsam illam in matrimonio habuit, fuerunt ipsius res salvæ, & augebatur opibus non mediocriter, ita quidē, ut annus abiret fere nullus, quin aut agrum aliquem, aut pratum emeret. Postea vero quam illa vitam cum morte cōmutavit, cœperunt opes ipsius quottidie magis magisq; in pejus proficere, decrescere, atq; adeo imminui. Nam & ipse facile ejus ferebat mortem, & quę illa comparserat, ea brevi tempore decoquebat & dilapidabat. Quid quod ea mox septimana, cum ipsa ex hac vita excesserat conversus ad succidias laridi, inde libras circiter quattuor abscideriť, easq; cum olere coctas devoraverit solus, portiuncula admodum parva reservata, quam filiæ natu minimæ daret: Ubi vero larido isto sic sese replesset, ut plane tumeret ac distenderetur, ac ægre spirans rumpi videretur, in has ad extremum voces erupit. Botz Kōrin / ich hette nimmermehr gemeynet / daß der Speck so sehr sättigte.

O dii,

O dii, minime vero putassem, tanto laridum opere saturare. Hæc exaudiens filius, puer annorum circiter XII. matri per omnia similis respondit, Solte er nicht sättigen/hast dus doch bey vier Pfunden im Leibe/ ohne den Kohl/ so du gefressen? Quid ni latiaret, quum tantam illius tu vim devoraveris solus, ut olera jam mittam? Quid multa? elapsis mensibus nondum sex, prioris conjugis memoria omni ex animo suo deleta, ducit alteram, sui quam simillimam, hoc est ignavam, gulosam, & profusam. Unde fit, ut paucos intra annos & agris, & pratis, & ædibus denique suis divenditis, stipem ostiatim quærere, mendicandoque vitam tolerare cogeretur.

COLLECTANEA

De Parsimonia.

Plautus in Aulularia Act. 2. Scen. 5.

Festo die si quid prodegeris,
Profesto egere liceat, nisi peperceris.

Idem in Curculione Act. 3. Scen. 1.

Qui homo mature quæsivit pecuniam,
Nisi eam mature parsit, mature esurit.

Horatius.

Non minor est virtus quam quærere parta tueri.

Cicero.

Magnum vectigal est parsimonia.

Idem.

Idem.

Optimum autem & in privatis familiis, & in Republica vectigal esse dico parsimoniam.

Idem.

Res familiaris conservatur diligentia & parsimonia, iisdem etiam rebus augetur.

Plautus in Rudente Act. 5. Scen. 3.

Miserum istuc verbum & pessimum est, habuisse, & non habere.

Idem in Panulo Act. 1. Scen. 2.

Non potest quæstus consistere, si eum sumptus superat.

Ælianus de varia historia lib. 14.

Timotheus in Aristophontem prodigum gravissime invehebatur inquiens: Cui nihil satis est, eidem etiam nihil turpe est.

Germanis popularibus meis in proverbio est.

Es ist besser ein getheilt Mahl.
Als ein gefeilt Mahl.

Item.

Alle Tag gleiche Satt/
Macht zu letzt ein wüste Hofestatt.

Item.

O junges Blut/
Bewahr dein Gut/
Armuht im Alter wehe thut.

XCIII. *De simplici quadam muliercula rustica.*

ERat Honæ Nicolao cuidam Begmanno fabro lignario uxor, illa quidem honesta, sed mirum mehercule in modum deformis, & ignava, & simplex. Hæc vaccæ unicæ suæ, morbo repentino confectæ, faciebat jacturam. Quam quidem ex bovili extractum, cum carnifex excoriare jam vellet, incredibile est quantis sint lachrymis ipsius liberi lamentisque prosequuti. Mater ergo quæ & ipsa collachrymabat, distortoque ore oblongos suos rubiginosq; dentes quibusvis ostendebat, faciendum sibi esse rebatur, filiis ut suis luctum fletumq; abstergeret, id quod hanc quidem in rationem effectum reddidit. Facite amabo vos suavissimi filii, ut dolori resistentes, à lachrymis temperetis. Est enim nobis ad unum omnibus hæc eadem ad extremum calcanda via. **Ach seyt zu frieden lieben Kinder/ vnd weynet nit wir mussen mit einander eben den Weg gehen.**

Id exaudiens carnifex, ira incenditur, cum ipsaque hæc in verba expostulat. Tune ergo deformis turpisq; simia, ex hac aliquando vita excedens nō humabere, sed sepultura & justis exequiis carens, veluti vacca hæc tua à me meive similibus & exportabere, & excoriabere, atq; canibus corvisque devoranda projiciere? Tuane anima simul cum corpore interibit, in nihilumq; occidet, similiter

liter atque vaccæ hujus tuæ? Nullamne tu carnis tuæ resurrectionem certo faturam speras ac credis? Quæ (malum) ista hæc est consolatio tua, quam liberis jam tuis aspergis? Abi vero in malam crucem consolatrix, cum ista hac confirmatione tua. Næ tu my sortita es, atq; adeo ingeouinis & capitis quæ sint discrimina nescis.

XCIV. De N. N. Pastore ecclesiæ N. & ipsius Villico.

PLacitum olim fuit Pastori cuipiam oppidano in Cattis, ut adjunctis sibi amicis quibusdam suis *Musicæ* gnaris, ad villicum suum animi causa proficisceretur. Ad quem quidem ubi aditum jam est, dictu mirum, quantopere adventu ipsorum fuerit colonus gavisus. Quid quæris? omnibus mehercule lætitiis incedens, cum mensam continuo stetnebat, tum non piscibus solum scite mitigatis, verum lucanicis etiam, & petasone, & caseis, & butyro, & melle, & piris, & laganis denique placentisq; onerabat. Quid quod & vinum affatim afferendum curarit, ac pastori ipsiusq; amicis aurem subinde vellerit, ut tum pocula ex somno excitarent ac exsiccarent, tum frontem etiam exporrigerent? Quum cibo porro atq; potu hilare sese jam refecissent, depromptis libris musicis suis, harmonia ceciderunt. Qua quidem ex re villicus incredibilem est visus animo voluptatem capere. Quid quæris? finita cantione conversus ad pastorem inquit. Non est insuavis utique & utricularium, & citharædorum, & fidicinum, & tympanistarum, & fistulatorum denique cantus, at vestra certe hæc Musica omnes istos multis parasangis atque adeo in omnes partes antecedit.

Eine Sackpfeiffe / Harffe / Fiddel / Pfeiffe vnd Drumme lautet auch wol / vnnd horn ichs leiden geren / Aber wie jhrs macht / höre ichs lieber. Ipsis porro iterum modulari incipientibus, ille aures mox arrigit, & quam diligentissime auscultans, ipsos intempestiva garrulitate sua minime interturbat, sed musica jam conticescente, hanc in rationem alloquitur. Videte obsecro Domini mei, quanta rusticorum turba hortus hic noster sit circumfusus: Videte ut introspectent & auscultant, videte ut ora denique naresque distendant suas: mihi mehercule proclive esset ac promptum sylvestria ipsis poma in nasum rictumque inserere. Quod nonnullis ipsorum odio sint, dubium est plane nullum, quin mihi honorem hunc invideant, atque adeo toti in fermento jaceant, quod vos quidem ad me excurrere haud estis dedignati. Id nimirum est ipsis, unguis, quod dici solet, in ulcere. Sehet lieben Herrn / wie ein hauffen Bauren stehet vmb den Garten herumb her? Sehet wie gucken sie durch die Hecken herein / nicht anders zwar als ein Bock / der geren in Garten wehre: Sehet wie horchen vnd lauren sie / nicht anders als eine Saw / die in das Wasser seycht: sehet wie sperren sie Maul vnd Nasen auff / mocht ich jhnen doch Holtzäpffel hinein trehen: Jhrer etzliche seyndt mir nicht gut / dieselben wirdts schärn / daß jhr mir solche Ehr erzeigt / vnd mich besucht hat. Quam quidem ipsius sermonem cum risu essent syncrusio prosecuti, & alter alteri tum præbibisset tum respondisset, cœperunt iterum harmonia canere. Quod vero eodem in horto, in quo sub arbore consederant, coloni quoque vaccæ pascerentur (erat enim hortus ille & spatiosissimus, & amœnissimus, & fructuosissimus, & quem rivulus denique

nique limpidissimus allueret,) in has ad extremum voces erupit. Miror equidem, quid tum apibus, tum vero vaccis istis meis in mentem nunc veniat, vestram istam suavissimam ac plane divinam musicam audientibus. Enimvero tale quid ad aures ipsarum accessit antehac nunquam. Optarim autem Musicam vestram tantæ ipsis voluptati esse, quantæ est mihi. **Mich nimbt wunder vber wunder / was wol meine Bienen vnd meine Kühe gedencken mögen / daß sie euch so lieblich hören daher singen : Möcht es doch Gott im Himmel gelüsten : Sie haben warlich dergleichen die Zeit jhres Lebens nicht mehr gehört : Ich möcht aber wüntschen / daß sie es so gern höreten / als ich.** Fuit & hic ipsius sermo risu multo maximo exceptus. Cæterum cum appetente jam nunc vespera domum remeare pedibus cogitarent, villicus adornato curru mox suo, ipsos non modo perquam hilares gaudioque perfusos, sed & vino plane madidos domum deportat.

XCV. *De Principe quodam, ipsiusque uxore molam pariente.*

FUit conjunx cujusdam Principis gravida, & peperit molam. Venerunt mulieres ad Dominum, postquam est edita mola. Significarunt, quid accidisset. Domine nos in magna spe vobiscum eramus, Dominam esse gravidam, & precabamur DEUM, ut esset felix partus. Sed proh dolor, aliter se res habet; edidit molam. Quid edidit? inquit ille. Mulieres verecunde dicunt, **ein Mohn Kalb.** O respondet ille, **Es ist besser ein Kalb / dann ein Kind: Ein Kalb kan man essen.** Hæc est insulsitas

Melanthon. XX. 596 XXIV. 486

non est lepos. *D. Pezelius Postilla Phil. Mel. parte secunda, pag. 136.*

XCVI. De Principe N.N. & Comite N.

COmes quidam ad N.N. Germaniæ principem olim venit, hujus ut consilium in re quadam ardua magniq; momenti exquireret. Quem *Princeps* multos dies apud se retentum, & ample prolixeque acceptum, non suo solum ipsius consilio juvat, sed & consiliariorum suorum consilium exponendum ipsi curat. Etsi vero *Princeps* consiliis jam abunde instructum, domum remeaturum putabat, ipse tamen minime discedens, aulam illius nihilo secius cum comitatu haud parvo sectabatur. Quæ quidem res *Principi* ad extremum stomacho fuit. Itaq; hanc Comitis istius impudentiam hoc quidem pacto coarguendam retundendamq; censuit, ut nocte jam concubia quendam de cubiculariis suis ad ipsum mitteret, qui suis illi verbis felicem noctem precaretur, rogaretque, ut postridie jentaculum secum decessionis sumet. **Ließ jhm eine gute Nacht wünschen/vnd bitten daß er mit jhrer F. G deß andern Tages die morgen Suppen zur guter Letze vnd** Valete **essen wolte.** Comes subodoratus diutius se apud *Principem* hæsisse, quam decuisset, condicit quidem se apud Celsitudinem ipsius jentaturum. At vero summo mane de lecto surgens, ministris mandat, ut equos curent. Ipse interea literas ad *Principem* exarat, quibus quidem partim de consilio partim vero de beneficiis quibus adjutus ab ipso ornatusque esset, gratias agit, posteaque albicante mox die, in viam se dat, domumque remeat, *Principis* jentaculo haudquaquam expectato, nedum degustato.

Solo-

SOLOMO PROVERB. XXV. versic. XVII.

Prohibe pedem tuum à domo proximi tui, ne forte satiatus, te odio habeat.

Ἀδήλου.

Post tres sæpe dies vilescit piscis & hospes.

Plautus in milite glorioso. Act. 3. Scen. 1.

Hospes nullus tam in amici hospitium diverti potest,
Quin ubi triduum continuum fuerit, jam odiosus siet.
Verum ubi dies decem continuos ire ad eundem instat,
Tametsi dominus non invitus patitur, servi murmurant.

Tibullus.

Ne simus nimium stultorum more molesti.

Germanorum quadam Proverbia.

Man soll der Herren geniessen / Soll sie aber auch bey Brot lassen.

Item.

Ein willig Pferdt soll man nicht vbertreiben.

Item.

Wer sich nicht schämet / der macht jhme die Kirchweyhe nütze.

XCVII. De Philippo Hunio Quæstore olim Eschwicensi, & Conrado Rosa caupone Honensi.

QUi quæsturæ olim præfuit Eschwicensi *Philippus Hunius*, homo tum cordatus, tum facundus, tum bellica etiam virtute clarus, is quidem exagiraturus aliquando cauponem Honensem *Conradum Rosam*, hanc ipsum in rationem est inter scyphos allocutus. Fuit *Conrade*, id quod minime nescis, *Ernestus Rosa*, pater iste tuus adumbratus, homo staturæ brevis, & gracilis, & strigosus, cum tu contra habeas corpus procerum, & spissum, & succi plenum, & robustum, & obesum. Quin igitur alius quispiam te proseminaverit, dubitari mehercule non potest. Eo audito *Conradus* plane cum obstupescit, tum obmutescit, præsertim cum convivæ cæteri risu tantum non dirumperentur. Ad extremum tamen sese colligens, sic illi respondit: **Lieber Herr Nehtmeister/ wer mich gemacht hat / dem lohne Gott / daß ich nur hie bin.** Integerrime D. Quæstor ecquis me tandem procrearit, eum quidem dii ament, cum ipsius beneficio hac vita & communi hoc spiritu fruor. Hisce innuens, ac suo sese indicio veluti sorex prodens, nullo se in discrimine ponere, ac susque deque facere, ecquonam sit patre prosemina-tus, sitne legitime natus, an vero minus. Quapropter & hoc ipsius responsum incredibili fuit risu exceptum.

XCIIX. De M. Michaele Heroldo, ecclesiæ olim Cassilienſis administro fidelissimo, & Michaele itemque Budæo hujus adituo.

HAbebat *M. Michael Heroldus*, vir & egregie doctus,

doctus,&multum pius,ecclesiæq; olim Classilien-
sis Diaconus, cum vigilantissimus tum digniss-
mus,amicus noster,æqualem quendam *Michae-*
lem Budæum,hominem *Westphalum*, qui in ado-
lescentia sua vitam monasticam coluerat, eaque
deserta, partim hortis excolendis, partim ve-
ro parietibus incrustandis, partim denique im-
peliendis campanis, tuendaque æde sacra, quæ
est Cassiliæ in veteri civitate, vitam tolerabat.
Huic cum ipse negocium aliquando daret, ut in
convivio quodam genethliaco suo, vino ho-
norario aliquo compatrem suum, cæterosque
convivas muneraretur, partes sibi impositas ac
datas,hunc ad modum egit. *Ecce vinum*, **Jr Hern/**
hie ist vor ein Thaler Win/darmit verehreick/vnd
min gesell Mickell / vwere gunsten. Auscultate
vos Domini, hac lagena vini, thalero comparati
uno, cum ipse ego, tum vero sodalis meus *Mi-*
chael, vos muneramus, amanter orantes, velitis
levidensæ hoc munusculum nostrum, æqui boni-
que facere, ac scyphis evacuandis vos hilares ex-
hibere, & austeritate omni posita valereq; jussa,
frontem exporrigere. Quod vero *insulsus* hic *asi-*
nus, se ipsi non solum conferret, (*culex nimirum*
elephanti) sed & præferret,atq; adeo socium suum
appellare minime erubesceret, incredibile est quã
to fuerit hic illius sermo exceptus risu. Eo non-
nihil sedato, respondet *Heroldus*, heus *Michael*
mi, (hominis insulsitatẽ falsè sciteq; perstringens)
tum quidem socius tibi sum ego,cũ funeri alicui
operam damus,tum enim juxta me incedens, la-
tus sinistrum meum claudis. At vero limum cum
subigis incrustasq; parietes,tum quidem societas
mihi tecum intercedit plane nulla, quod neq; pe-
des,neque manus tibi socias ex tẽpore accõmodẽ.

Ja Michaell / wenn wir einen Dothen begraben/ So ſindt wir geſellen/vnd gehen mitt / vnd neben einander: Aber wann jhr Lemmen dretet/vnd Kleibet/ ſo bin ich euwer geſell nicht. Quo quidem lepido reſponſo, miros ille denuo convivis omnibus riſus cõcitavit. Qui & ipſi, ne non *ſtupidum* iſtum *Aſinum* probe exagitarent probeque, exhauſturi poculum vini aliquod aliquanto capacius, dixerunt: **Jck vnd Myn geſell Mickell / wollen Juck tweigen ditte rohre mit Wyns to Suppen.** Ego vero & ſocius meus *Michael* vobis duobus hunc vini ſcyphũ propinabimus. Quod etiã pueri quidam ſcholaſtici ad menſam miniſtrarent, hunc æditui iſtius incivilem ſermonem cõdiſcipulis ſuis in ſinum effuderunt, qui quidem incruſtatorem iſtum campaniſtamq; ineptiſſimum poſtea cum publice tum privatim, mirum in modum divexarũt, atq; hoc quidẽ pacto criſtas ipſi detraxerunt.

LXXXXIX. *De Melchiore quodam Franco Vinitore.*

QUo primum ſunt tempore vineę per *Haſſiam* inferiorem patriam meam plantari cœptæ, utpote, Caſſiliæ, & Vicenhuſii, & Hallendorphii, & Eſchvvega, & Rotenbergæ, denique, eo quidem *Nobiles à Boyneburg* quos honoris cauſſa nomino, faciendum ſibi putarunt, ut ſua quoq; in diœceſi, quã amplã ſane habent atq; optimam, vineas hinc inde plantandas curarẽt. Ne vero hoc ipſum non recte rationeque confieret, placitum ipſis fuit, ut ex *Franconia* hominem quendam idoneum, ejusceq; rei gnarum atq; peritum evocarent. Accitur igitur *Melchior* quidam inſignis vinitor, qui & ſuam induſtriam diligentiamque plerisque omni-

omnibus cumulate probavit, ac cui propemodum uni omnes eas vineas, quæ hodie & Jeſtedæ, & Ricoſaxoniæ, & Biſchuſii, & Rhortæ, & Furſtenſteinii, & Honæ, & Eltmanshuſii, & Nidevvitzhuſii denique ſpectantur, acceptas referimus. Is porro *Melchior* interrogatus aliquando à *Joachimo à Boynebug*, an in illa ſpe eſſet futuræ alicujus Vindemiæ, hanc in rationem reſpondit. *Ego vero nobiliſſime Domine* nihil certi polliceri habeo quod communis ille omnium noſtrum pater DEUS, his in regionibus longe eſſe aliter affectus videatur, ac in patria mea. Etenim quæ iſtic popularibus oſtendit meis, ea quidem bona ipſis fide plenaq; manu præſtat atque largitur. At vero hic quidem contra quam præſefert, nobiſcum agere aſſolet. Tametſi enim non parum quidem ſæpe de futura aliqua vindemia ſpem nobis præclaram ac propemodum certam injicit, hanc tamen ipſam ad extremum præter omnem opinionem omnium mox moxq; præcidit, vites vel pruina aliqua affligendo, vel frigore certe geluque præmaturo intempeſtivoq; penitus perdendo, ita quidem, ut vinum plane omne nobis præripiatur, ac pereat. **Ich weiß Warlich nicht Ehrnveſchter Lieber Juncker / was ich ſagen ſoll Es iſcht vnſer Lieber Gott in dieſem Laandt gar viel anders geſinnet als in dem Mainem. Was er vns daſelbſt zaigt vnd eraigt / das gait er vns ach redlich vnd reichlich. Aber wann er in dieſſem Landt ſchon gut Wetter zu Blüen / zu Kornen / vnnd zu wachſen gait / So laſcht er doch zu letzt den Schalck gaucken vnd ſchickt entweder einen harten Raiff / oder ainen vnzeitigen Froſcht / vnd ſchnaidet vns den Wain / denen Mann Waſcht balt leſen vnnd zu Faſſe pringen ſolt / vorm Maul ab.**

LXX. *De*

C. *De duobus furibus & sacrilegis patre & filio, & Hesso itemq; Viatore.*

ANni sunt circiter XXX. cum in Ducatu Brunsuicensi conscleratus quidam & impius pater, filio suo author fuit, ut sibi in furtis cujusquemodi faciendis adesset, ac suam operam sedulo navaret. Filius, utpote mali corvi malum ovum, partes suas hic quidem desiderari minime patitur. Quamobrem conjunctis & animis, & manibus toti in furtum incumbunt, ita quidem ut obvia quæq; non solum noctu, sed & interdiu passim surriperent.

Quid quæris? nihil erat neque ruri, neque domi, neque in privatis, neque in publicis, neque in profanis, neq; in religiosis deniq; locis, cui nebulonis isti picatas suas furacesque manus non impingerent. Et enim anseres, & gallinas, & columbas, & alveos, & oves, & capras, & vaccas, & equos, & porcos; & suppellectilia, & frugum manipulos & pecunias, & nihil denique non furabantur.

Cum primis autem placitum ipsius fuit, ut hinc illincque templorum fores effringerent, perforatisque gazophylaciis calices sacro commendatos cleperent furtoq; interverterēt. Quos quidem cum furati jam essent quatuordecim, in ipso furto sacrilegioque deprehensi, conjiciuntur in vincula, datique in quæstionem, innumerabilia furta & sacrilegia confitentur.

Itaque filius quidem in crucem tollitur: patri vero tum brachia tū crura contunduntur & franguntur, posteaque vivus rotæ imponitur, collocatis & affixis circa rotam calicibus ligneis XIV. cuivis ut prætereunti perspicuum evaderet, quot & quantis sacrilegiis se nebūlo iste astrixisset.

Tertio

Tertio porro post die, quam isthoc esset ille supplicio mactatus, *Hessius* quidam per Ducatum Brunsuicensem proficiscitur, *Hannoveræ*, equum unum atque alterum empturus. Hic cum prope Hildesiam rota ipsum incumbere videt, propius mox accedit, calices istos tornatiles numeraturus. Quos quidem ipsos cum numerando jam perceseret, ecce tibi sacrilegus erecto paulum capite, ipsum his verbis alloquitur. **Watz theleſtu velhir Sien verrthein.** Quæ (malum) curiositas est scyphos hosce numerare, annon perspicis esse XIIII? Quod vero *Hessius* ignoraret, sacrilegum rotæ esse vivum impositum, atque adeo etiamnum spirare, audita voce humana, eam à spiritu ipsius, vel diabolo potius edi ratus, in pedes se mox conjicit, subinde respectans, num aut rotæ supplicio affectus, aut in crucem sublatus, aut uterque denique ipsum persequeretur. Quid multa? currere mehercule non destitit, usque dum *Hildesiam* pervenit. Hic quidem toto corpore æstuans, ac sodore multo manans, apud hospitem conqueritur, quid sibi calices istos numeraturo usuvenisset. Quem ridens hospes, inquit cur tu tantopere perterrerere, ac fugã capesseres *Hesse* causa mehercule fuit nulla. Quam tu enim istic audivisti vocem, ea quidem non spectri cujuspiam, aut cacodæmonis sed ipsius sacrilegi vox fuit, quem tertio abhinc die vivum rotæ atque spirantem imponendum curavimus. Quo audito *Hessius* pudore suffusus, ejuscæ se rei nullam ad hospitem feciſſe mentionẽ optabat. Hanc veram historiam *Gottingæ* mihi retulit *Justus Mundemannus* hospes meus, vir plane bonus ac integer, cum istic quidem optimarum artium studiis operam darem, præceptore usus *D. D'. Henrico Pe-*

trio.

trejo, philosopho summo, & nobilissimo poeta, & oratore magno, si non maximo, & jureconsulto denique; præstantissimo, quē honoris causa nomino ac cui me ego multum debere cum agnosco, tum ingenue etiam fateor.

CI. *De Joanne Feidelio Tinctore Eschvicensi.*

ESchvegiæ olim ætatem egit *Joannes* quidam *Feidelius*, qui Wormatia eo profectus, pannos cujusquemodi coloribus pulchre & artificiose imbuebat. Hic culturus vineam, ex natali tui solo propagines afferendas curabat, hisque telluri mandatis, atq; ordine positis, in spe habebat, futurum utiq;, ut vinum nostrati multo melius & præstantius, hoc est (ut explicatius loquar) rhenanum prorsus acciperet. Verum quid fit?

Quarto a vineæ cultura anno, vinum accipit, quod quidem cum vænum veniret, ingens mox hominum concursus ad *Feidelium est factus*, unoquoque nimirum generosum illud & rhenanum Vinum degustare discupiente. Itaque & *Joannes Amicus*, Reipublicæ Eschvicensis consul, ad *Joannem Schimmelpfenzium* avum meum maternum adibat, eumq; rogabat, ut secum ad *Feidelium* profectus, vinum ipsius degustaret. Ne multa. Avus meus haud repugnanter morem illi gerit. Cæterum ut primum *Amicus consul*, vinum pitissavit, conversus mox ad *Feidelium* exclamat **Ist das nicht ein grosses wunder/ daß jhr Rheinische fässer gelegt habt / vnnd nichts destoweniger Landt wein krieget? Ja mein Landtwein / vnnd Meines Schwagers/des Herrn Magistri ist besser/als dieser euwer Rheinischer wein ist.** Equidē admi-

admiratione haud parva afficior *Feidelî*, quid sit, cur vinum tu Eschvicense accipias atque nostrate, cum tamen viviradices rhenanas posueris? Dispeream equidem, ni & meum, & affinis itemque mei *Schimmelpfengii* vinum, tuo isti falerno in omnes partes præstet atque antecat. Hunc subsecutus *Schimmmelpfengius*, inquit, unum vero præteriisti & oblitus es *Feidelî*, id quod minime omnium fieri abs te oportuit, quod nimirum vitium propagines rheno deportandas curans, non simul & *solem*, & *solum rhenanum* deduxeris. Verum cum hoc quidem præstare tua in manu non sit atque potestate, frustra tu ex hac Vinea tua, rhenanum expectabis, **Meister Hans/da jhr Reinische fessel legtet / Soltet jhr auch die Rheinische Sonn vnd den Rheinischen Acker nit hermacher gebracht haben / weil jhr aber dasselbig vergessen / vnnd Nimmer mehr zu wegen bringen konnet/dorfft jhr nicht gedencken / das jhr aus einwerm Berge Rheinischen wein kriegen werdet.**

CII. *De Joanne Amico consule Esch.*

QUodam tempore (annus mihi excidit) uvæ die omnium Sanctorum *Eschvegiæ* legebantur. Id cum post hominum memoriam, hoc quidē loco factum esse nunquam, *Amicus consul* minime oblivione obruendum, sed jteris memoriæq; mādandum esse statuit. Proinde torculo suo hæc verba inscripsit creta. **Im N.N. Jar hatt Mann erst vff aller Heiligen tag gelesen / vnnd ist der wein gleich wohl nicht gut worden.** Tametsi anno N.N. die demum omnibus sanctis sacro uvas legimus, vinum tamen nullius fere pretii, hoc est admodum acidum, ut austerum accepimus.

M. Varro

c *M. Varro lib. 1, de re ruſtica.*

Vineam ſunt qui putent ſumptu fructus devorare. Hoc ſi uſpiam eſt verum, his quidem noſtris eſt veriſſimum.

CIII. *De quodam Hiſpano.*

PHILIPPUS Landtgravius Haſſiæ, heros ille omni laude ſuperior, ac benedictæ memoriæ princeps, quum fidei ſe olim ac poteſtati CAROLI QUINTI imperatoris permiſiſſet, *Cæſar* non ita multo poſt quoſdam ſuæ gentis homines in *Haſſiam* legavit, ut partim *Gieſſæ*, partim *Rueſſelshemi*, partim vero *Caſſiliæ*, vallum diruendum, ſoloque æquandum curarent. Qui igitur *Caſſiliam* venit, cum comitatu non parvo, *Hiſpanus*, is quidem *Haſſiæ* ſitu circumcirca diligenterque explorato, & perſpecta gētis hujus virtute atque fortitudine; & viſis denique propugnaculis munitiſſimis, cum machinis bellicis prope innumerabilibus hanc vocem miſit: *Næ princeps hic ſuo hic in territorio ſi permanſiſſet*, (utor ipſius verbis) futurus videtur fuiſſe invincibilis. Idem pro re nata, ſatis ſe facilem & benignum civibus Caſſellanis impertiit, quorum etiam filios aliquot, ſuam in familiam adſcriptos, in *Hiſpaniam* ſecum abduxit, in quibus & hoſpitis ſui *Diethmari Antonii* filius natu maximus fuit. Miniſtro inſuper cuidam ſuo author fuit, ut civis cujuspiam Caſſellani filiam, matrimonio ſibi jungeret. Cæterum vallo Caſſellano jam complanato, cum in *Hiſpanias* ſe recepiſſet, interrogatus à *Carolo Cæſare* omnia minima, maxima de *Haſſiæ* & ſitu, & fertilitate agrorum, & gentis denique iſtius moribus, reſpondiſſe fertur? jurato mihi

cre-

credas velim, *potentissime Imperator*, nunquam te potuisse *principem* istum bello subigere, in tuamque potestatem redigere, si quidem intra suam istam regionem sese continuisset. Ut enim nunc mittam quattuor ista ipsius propugnacula munitissima, utpote Rüssulshemium, & Giessam, & Zigenhemum, & Cassellum, ut silentio præteream incredibilem istam machinarum bellicarũ vim atque numerum: ut taceam deniq; alias quasdam illius arces cum natura, tum loco munitissimas, utpote *Spangebergam, & Hombergam, & Marpurgum*, & cæteras, poterant mehercule altissimi isti *Hassiæ* montes, & densissimæ sylvæ ipsi propugnaculo esse ut tibi parva militum manu resisteret, ne tu ad se accederes. Quantum porro pertinet ad gentem *Hessiacam*, est illa quidem certe tum bellicosissima, tum fortissima, tum vero *Principis* sui (quod caput est) longe omnium amantissima, ita quidem, ut pro salute ipsius nullum non capitis periculum neglectura videatur. Quid quæris? *Principis* sui desiderium nullo potest pacto ferre. Nulli filii parentum suorum obitũ, nulla uxor mariti sui ex hac vita excessum tantopere deflere potest, quantopere *Cattisti patris patriæ* casum deplorant atque miserantur. Idem interrogatus de agrorum bonitate, respondit, satis illis ferax & fœcundum est solum, quod cujusquemodi frumenta cumulatè producit. Sylvæ item incredibilem glandium vim, partim quernarum, partim faginarum ipsis suppeditant, suibus pascendis idoneam. Non desunt ipsis apri, non cervi, non capreæ, non lepores, nõ vaccæ, non boves, non capræ, non oves, non porci, non apes denique sed hæc omnia ubertim illis suppetunt. Sunt ipsis etiã salinæ suæ, & ærariæ fecturæ. Neq; vero piscium

aut cancrorum, aut turdorum, aut coturnicũ, aut perdicum deniq; penuria laborant, ſed his plane circumfluunt. Lanarum præterea, & limi, & ferri, & cupri, & orichalci, & ſalis denique numerum bene magnum ex *Haſſia*, partim in *Belgium* tuũ, partim vero alias in regiones deportant. Idem interrogatus cujusmodi vinum iſtic proveniret, reſpõdit, de cæteris *Heſſiæ* locis nihil habeo dicere. Iccirco de uno *Caſſellano vino*, verba nunc duntaxat faciam. Eæ quidem vineæ, quæ circa *Caſſilium* ſunt *Vinum haud proferunt, ſed merum profecto acetum*, atque illud quidem ipſorum lingua **kratzenberger**/hoc eſt, mons fricans appellatur. Aſt ego illud fontem fricantem appellare ſolebam, quippe quod bibentibus inteſtina & radere, & rodere & perfricare, & perterebrare conſueverit.

CIV. *De eodem Vino.*

EOdem de vino *Dionyſium Melandrum* avum noſtrum pronunciare ſolitum accepimus, ſi quando pruina vitem *Caſſelanam* afflixiſſet. Noſtrate mehercule vinum, hoc nos anno minime fricabit, præciſi ſunt enim illi ungues. Effundamus igitur ad illum mundi præſidem & rectorem univerſi Deum preces noſtras, ut viti benedicat rhenanæ, cuſtodiatq; ipſam ab omni malo. **Der kratzenberger wird heur nicht Kratzen / die Negell ſindt jhme beſchnitten.**

Laſſet vns vor den Reiniſchen bitten/
Dem Kratzenberger ſindt die Nägell bſchnitten.

CV. *De Bertholdo Scheffero, Cive Eſchvicenſi, & Ruſtico quodam Eschsfeldiano pontificiæ religionis homine.*

BErtholdus *Schefferus*, cum Eſchvegiæ olim in balneis publicis in hominem quendam igno-

ignotum, & sibi antehac non visum incideret, faciendum sibi putavit, ut illius in familiaritatem quoquo se modo insinuaret. Quamobrem dicta salute, sic est ipsum allocutus. Cujas cedo quæso vir bone es? Eo respondente, *Eschsfeldianus* equidem sum, pergit percontari, tune igitur pontificiæ religionis es? Quod ipsum cum *rusticus* minime dissimularet, sed hanc se religionem amplecti aperte & ingenue non solum fateretur. sed etiam confiteretur, progreditur *Bertholdus* quærere, ec unde tu ergo confidis salvum te fore? ecunde respondet rusticus ecunde: ex recte mehercule factis, pulcherrimisque facinoribus meis.

Ego vero ne nescias per merita bonaque opera mea salvus evadam. Tibine de eo in dubium venit? Hunc ita sermocinantem cum ipse *Schefferus* exsiliat, tum cæteri etiam quotquot aderant explodebant totum. Ac *Schefferus* quidem voce ad extremum quanta potest maxima exclamat, tune igitur *Misorum ultime* perstuppam tibi bonam tuam polliceris & despondes salutem? heu te miserum Mihi vero domi est meæ linum nobilissimum, idq; scite admodum atq; affabre depexũ, atq; adeo omnes in partes stuppa ista tua præstantius, per quod tamen ipse minime omnium salutis æternæ participem fieri me posse statuo, & tu *terræ filii, manciputumque Papæ*, speras salutem tibi obventuram per stuppam tuam bonam? Enimvero CHRISTUS, CHRISTUS inquam Jesus, fide à nobis firma ac certa apprehensus, est unica & solida salus nostra. Ach du armer Teuffel/ du Schlimmer *Vocatisse*, wiltu durch dein gut werck selig werden? Ich habe daheimen herlichen guten gehechelten flax/ vnd trauwe nicht hierdurch

seligk zu werden. vnd du arme drus / der du wohl des Papstes dreck dorfftest vor eine Bradtwurst fressen / wilt du mit deinem guten werck den Himmell ersteigen?

Christus der Herr ist nuhr der Mann /
Durch den ich seligk werden kann.
So ich jhn mitt dem Glauben ergreiff /
Vnd behaldt jhn in Meim Hertzen Steiff.

Is quidem sic inquit Joann. 14 Ego sum via veritas & vita, nemo venit ad patrem nisi per me. Pedibus hujus in sententiam discessionem facit PETRUS *apostolus* inquiens. Non aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri, præter nomen JESU CHRISTI. Neque vero ab hoc dissentit *Apostolus Paulus* cujus hæc sunt verba. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS Quæ ergo (malum) væcordia est velle te caudicem tua per opera, quæ vel cassa nuce haud emerim, salutem expectare? His quidem & id genus aliis sacræ scripturæ pronunciatis non parum multis, *Bertholdus* stipiti isti linguam sic intercludebat, ut quod contra mutiret, haberet plane nihil. Sed & ille non ita multo post balneas purgavit, illoto capite excedens, fugamque arripiens. Itaque ambubaja quædam ipsum jam jam discessurum admonet, ut maneat usque dum caput ipsi laverit. At vero cæteri uno ore clamabant, faceſſat *Asinus* faceſſat, probe enim jam illi *Bertholdus* probeque caput istud asininum suum lavit, ita quidem, ut tua hac opera ipsi nihil sit opus. Quod porro *Bertholdus* opera justitiasque nostras, stuppam vocavit, recte fecit atque ratione. Nam & *Isaias*

Pro-

Propheta, panno ea menstruatæ (ô venustum spectaculum) comparat: & *Paulus* ea σκύβαλα vocat: & CHRISTUS denique inquit. Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite *Servi inutiles* sumus, quod debuimus facere fecimus.

D. Ambrosius.

Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.

D. Augustinus.

Quotquot justificantur, nullo suo merito justificantur. Et bona opera sequuntur *justificatum*, non præceduntur *justificandum*.

D. Basilius.

Hæc est vera & integra gloriatio in Deo, quãdo neque proper justitiam suam quisquam effertur, sed statuit se carere vera justitia, fide autem sola in Christum justificari.

Dominus Justus Vultejus Theologus Hessus doctissimus.

Omne malum Christi morte potiatur opus.

Ἀδήλα.

Si nisi qui meritis regnum mereatur olympi
Nemo beatus erit? Nemo beatus erit.

Lucas Loſſius.

Nullus homo propria virtute meretur ad aſtra
Scandere, ſed ſalvos nos fecit una fides.

CVI. *De eodem Bertholdo Scheffero.*

IIs in nuptiis quas quidem *Joannes Schimmelpfen-gius* avus benedictæ memoriæ maternus meus, ad XV. Octobris diem, Anno epochæ Chriſtianæ 1577. ducta uxore tertia *Eliſabetha Richia* capellis celebravit, idem à ſponſo avo meo petiit, ut ſibi bona ipſius cum venia verbi divini præconibus aſſidere liceret, partim quidem ut cum illis de religionis negotio (non enim nullam ſacræ ſcripturæ habebat cognitionem) conferret, partim vero ut facetiis ipſos ſuis reficeret atque recrearet. Quid multa? placitum eſt ſponſo, ut voti ipſam ſui compotem faceret. Quum igitur inter prandium variis de rebus ultro citroque ſermones contuliſſent, evenit, ut paſtores plerique omnes de ubere pomorum proventu autumni iſtius prædicarent. Id audiens unus ipſorum cæteris ſimplicior, in hæc mox verba erupit. Deus bone quid ego audio? Vosne igitur tantum pomorum numerum accepiſtis? ego utique nulla neque ceraſa, neque pruna, neque pira, neque mala, neque nuces denique ſeu avellanas, ſeu juglandes, hoc accepi autumno, quum tamen horti ſint mihi duo ſpatioſiſſimi. Tune igitur neſcis inquit *Bertholdus* quodnam huic ſit malo remedium adhibendum? Equidem artem inſignem calleo, ut arboribus minus feracibus ſterilitas ſit ſua abſtergenda, & quemadmodum illæ efficiantur fertiles atque frugiferæ.

Hanc

Hanc vero artem discere atque tenere equidem percuperem, respondet *Pastor*. Discès igitur hanc ipsam à nobis respondet *Bertholdus*. Domum reversus, si me quidem audies, singulas ex ordine arbores conscendes, easque vi quanta poteris maxima movebis, non secus sane, ac soles, cum pira decutere aves. Arbores in super hunc ad modum abs te concussas, hisce identidem verbis non sine stomacho alloquere. Quod si fructus proferre recusatis, agite fures atque nebulones bajulate. **wolt jhr keine âpffell vnnd Biern tragen/ So traget Schelmen vnd Diebe.** Hac quide tu ratione arbores actutum tuas feraces reddes. *Pastor* Jocum minime olfaciens, (obesæ quippe natis homo) *Bertholdo* mox dexteram porrigit, ac de hac quidem arte tua, inquit, quam docere me non dubitasti, multum te equidem mi *Bertholde* amo.

Quid quæris? dispeream utique ni maledictis istis arboribus meis hanc sim facturus medicinam, ut primum domum rediero. Qui quidem illius sermo ut maxime omnium risu exciperetur, ipse est tamen dolum minime omnium odoratus, tantisper dum proxime assidens, ipsum de eo in aurem admoneret. Itaque pudore suffusus, non ita multo post se subduxit, totusq; in fermento jacuit, quod ludibrio se habitum esse, neutiquam intellexisset.

CVII. *De eodem.*

EXplicatum eidem erat, hominem quendam consularem esu anatum paluſtrium mirum in modum capi atque delectari, ita quidem, eas ut in delitiis habens, quibuscunque aliis vel lautissimis

tissimis cibis anteponeret. Quum igitur illi in convivio aliquando natalitio quodam assideret, ac bibisset jam aliquando prolixius, nescius equidem haud sum, inquit *Domine*, anates aquaticas palato esse tuo longe omnium gratissimas, sic prorsus, ut cibum quemlibet alium etiam suavissimum, postponere iis minime dubites. Idcirco teneri non possum, quin artem te doceam aliquam, qua quidem ipsarum numerum bene magnum intercipias. Hanc tu vero artem me si docueris *Bertholde*, inquit exconsul, næ magnam à nobis gratiam inieris. Arrigens igitur aures, disce eam, respondet Schefferus. Recipe tu bruchum, eumque filo oblongo annecte, ac alligatum in paludem, seu stagnum, seu fluvium abjice, ubi quidem volatilia istiusmodi versari exploratum jam habes atque perspectum. Quid quæris? simul atque anates bruchum istum conspexerint, catervatim mox moxque adnatabunt, atque tum quidem uno, earum aliqua bruchum deglutiet, absorptumque quam primum per posteria egeret, atque hoc quidem ipsum facient & reliquæ anates, quotquot aderunt omnes. Anatibus porro cęteris ad unam omnibus bruchum istum sic & deglutientibus, & egestu mox reddentibus (id quod futurũ certe est) filo isto tuo earum vim numerosam extrahes, quibus quidem multo post tempore ad satietatem usque vescare. **Als denn so kont jhr ahn der Schnur ein gantzes** *Pater noster* **oder Rosenkrantz Wildt enten herrausser ziehen / darvon jhr eine gute lange zeit zu Essen habt.** Homo senatorius eo audito, gaudio exultans inquit, næ præclara est ars isthæc tua *Bertholde*, quæ & successu minime suo caritura videtur: sed eccunde

cedo

cedo quæso appetentibus jam Martinalibus suppetet mihi bruchus? **Das ist beym Leiden Gotts eine seyne Kunst / das dörffte wol angehen: Aber wie krieg ich jetzunder vmb Martini einen Käfers** De eo tu quidem videris atque laboraveris respondet *Bertholdus*. Etenim si animantibus fluviatilibus vesci aves, fac ut ne bruchus te deficiat, quo quidem capi cupediæ illæ tuæ assolent, **Da laß ich euch vor sorgen / wolt jhr wilde Enten fressen / so sehet zu daß jhr einen Meyenkäffer bekompt / vnd zu wegen bringet.**

CIIX. De Henrico Loríto Glareano.

GLAREANUS non multo ante mortem interrogatus à quodam, quomodo viveret, *Bene vivo*, inquit, *more principum*. Alter dicebat quid hoc est? ego non satis intelligo. Respondit *Glareanus*. *Habeo cibum & potum, & multa debeo*. Si studerent *Principes* parsimoniæ & justitiæ minus esset expilationum, ut dicitur, *Bonus Servatius, facit bonum Bonifacium*, id est, princeps & paterfamilias frugalis potest benefacere, **Wann einer im Vorraht ist / so kan er der Leut verschonen.**

D. Pezelius Postil. Phil. Mel. pag. 348.

CIX. De stultorum commoditatibus.

ME quidam dixit commoto pectore Stultum,
O si præterea nil ego pecco bene est.
A me si procul est Sapientia, vivere tandem
Jam libet, & multas nectere posse moras.
Non gerit invisis obnoxia pectora curis,
Qui ratione animi judicioq; caret.

Qui ſapit, innumeris cruciatur hic undiq; rebus,
Sentit & inviſas ſortis in orbe vices.
Adde quod hoc magnis *perverſo tempore* ſtultis
Præcipuus detur, non ſine honore, locus.
Nunc ſtulti *geſtant ſaturatas murice veſtes,*
Jaſpides in digitis Sardonichosq; ferunt.
Otia ſectantur, nec publica munera curant,
Pro libito audaces omnia ſemper agunt.

Chriſtophorus Aulæus.

CIX. De Henrico à Licha & Suderwaldio quodam Mago Heſſo.

HABEBAT PHILIPPUS Landgravius Haſſiæ, ejus nominis primus, *Princeps* nulla illuſtri laude non & cumulatiſſimus, & celebratiſſimus, quem honoris cauſa nomino, *Vicenhuſii Henricum* quendam à *Licha* corycæum. Hujus hæ erant partes, ut Haſſiam omnem peragrans, & fures, & latrones, & fericidas, & adulteros & blaſphemos, & fœneratores, & ebrioſos, & magos, & ſagas, & id genus denique alios maleficos & ſceleroſos homines perquireret, inveſtigatosque in cuſtodiam traderet, hæ ut humani generi peſtes pœnas meritas debitasque, aut mulcta aliqua depenſa, perſolverent, aut communi hac luce, pro re nata, privarentur, tollerenturque è medio. Quod autem SUDERWALDIUS quidam ruſticus, artibus eſſet magicis imbutus, inſpectoque cryſtallo varia ariolaretur, hunc miro quodam aſtu ſuo, ad ſe prolectatum, in vincula conjicit, & clave poſtea carceris in columbario ſuo clam uxorem collocata atque depoſita, Caſſiliam proficiſcitur.

Sub

Sub veſperam ſperat SUDERWALDIUS cœnulam ſibi aliquam datum iri: verum hæc eſt ipſum ſpes fruſtrata. Poſtridie itidem in ſpe habet, futurum utique, ut aut prandeat, aut certe cœnet, ſed ne hic quidem affertur quicquam quod manducet. Tertio porro die, cum ne nunc quidem aliquid daretur, quo latrantem ſtomachum compeſceret, cœpit perquam miſerabiliter ejulare & vociferari, **Bringt mir zu freſſen / bringt mir zu freſſen /** afferte quod comedam, date quod manducem. Qui igitur carcerem præteribant, ii quidem HENRICI admonebant uxorem, ut homini cibum præberet, ne aut fame contabeſceret, aut manus ſibi ipſe afferret violentas. His illa reſpondet, eram equidem idipſum mea ſponte facturaac animo libenti, ſi quidem carceris claves haberem ad manum: eas cum per omnes domus meæ angulos diu multumque quæſitas, haud invenerim, in ea ſum ego opinione, ut putem, maritum meum eas incuria quadam ſupina atque oblivione Caſſellas ſecum aſportaſſe. Itaque certum quendam hominem eo miſi, qui aut virum meum reducat, aut claves certe ab ipſo repoſcat.

Iſtius ergo reditus erit miſero iſti exſpectandus. Ne multa. Sexto demum die redit HENRICUS, quo cum graviter uxor expoſtulat, quod aſſumptis ſimul clavibus cuſtodiæ, peregre abiiſſet. Cui ille reſpondet, claves ego mehercule iſtas penes me non habeo, eas tu in columbario noſtro invenies.

Cur SUDERWALDIUS aruſpex cryſtallo ſuo inſpecto idipſum tibi non ſignificavit? Nec mora, allatis mox clavibus carcerem recludit, & miſerum iſtum his verbis alloquitur.

Heus

Heus *Vuderwalde Gates*, ut vales? refrixitne tibi iſte tuus divinandi calor? Vah reſpondet ille, vix equidem oſſibus hæreo, ac ſpiritum perægre duco. Quid quæris? ſextus jam nunc agitur dies, cum cibum ceperim plane nullum. Tibine fixum eſt atque ſtatutum, inedia me ac fame enecare? Tua unius profecto culpa accidit, inquit *Henricus*, quod tandiu tibi eſuriendum fuit, cur non inſpecta cryſtallo iſta tua conjugi meæ ſignificaſti, claves noſtras in columbario deliteſcere, inibique quærendas eſſe? hisque dictis hominem liberat. Qui fame ita erat exhauſtus, ut vix aut ne vix quidem incedere, aut greſſum aliquem figere poſſet. E carcere porro emerſus, conceptis mox verbis, ſua ſponte, & nemine poſtulante, jurat, omni ſe poſthac magiæ nuncium remiſſurum eſſe: & ut hujus rei fidem *Henrico* faciat, cryſtallum ipſi ſimul ſuum tradit, & ad piſtorem proximum quenque genibus repens, actutum ſe confert, incredibilemque panum ſimilagineorum numerum devorat, quo latrantem ſtomachum placet & expleat. Quoties autem panem jam unum tuburcinatus eſſet aliquem, toties ſuſpiria imo de pectore ducens exclamabat, **O der Hunger iſt ein ſcharpff Schwert.** heu quam acutus eſt gladius inedia ac fames, hæc eſt mediusfidius malum, quo non atrocius ullum. Enimvero fame nihil eſt miſerius.

Carceris cuſtodiaque fructus.
Jobus cap. 36. Verſ. 8. & ſeq.

SI vincti in compedibus, ſi capti fuerint in funibus humilitatis.
Etiam annunciabit eis opus eorum, & quod tranſgreſſiones ipſorum prævaluerint.

Et

Et revelat aurem ipsorum ad correptionem, & dicit ut redeant ab iniquitate.
Si audierint, & servierint, interveteraſcet dies eorum in bonis, & anni eorum in voluptatibus.
Si autem non audierint, gladio perforabuntur, & expirabunt absq; scientia.

CX. *De N.N. Nobili Eichsfeldiano Episcopi Moguntini Vasallo.*

NN. Nobilis opilionem quendam suum ob parvum aliquod delictum in cæcum dirumque carcerem condebat. Etsi vero nemo non magistratus moderatus isthac poterat pœna illi irrogata acquiescere, ipse tamen minime ea contentus aut satiatus, gravius sibi insuper vindicandum in eum esse statuit. Nam & omnem illi cibum, & potum detrahebat, extra panem atrum furfuraceumque ad aquam turbidam putidamque, quæ tamen ne ipsa quidem prolixe ipsi præbebat, sed perquam parce ac sordide. Itaque misero illi non modo cum fame, verum cum siti etiam fuit miserandum in modum conflictandum. Quid quod & canem *Tyrannus* villaticum aliquem molossumve occidendum curaverit, occisumque ac putentem in carcerem abjecerit, ne cadaveris hujus fœtore vehementissimo miserum istum non probe excruciaret probeque. Ogdoadibus porro aliquot exactis, cum & soceri sui, & conjugis, & fratrum, & cognatorum, & affinium denique deprecatione ex vinculis emersisset, se ambiguum habere incertumique esse ajebat, utrum ex carceris squalore ac sordibus, an fame sitique, an vero cadaveris istius fœtore pessimo majorem traxisset molestiam. Quid quæris? emissus è carcere, totus palle-

pallebat, & vix ossibus hærens, mortuo alicui erat similior, atque vivo & spiranti. Cæterum quum & hoc pulcherrimum istius facinus, & alia complura eo multo pulchriora quottidie ad *Electorem Moguntinum Danielem Brendelium*, quem honoris causa nomino, deferrentur, accersit hominem, jubetque ut judicio se sistat. Quod vero ille neque imperata faceret, & *Principis sui* tabellarios despicatui duceret, omnibusque vexaret contumeliis, *Episcopus* ad extremum Moguntia descendens, Hieropolin, Duderstadiumque proficiscitur.

Ubi quum aliquandiu substitisset, exercitum suis ex subditis cogit, *dominastrique* istius arcem, admotis aliquot tormentis bellicis, cum obsidione cingit, tum occupat, tum vero ipsum illum nobilem in catenas conjicit. Id rescions opilio, ad captivum vinculisque constrictum mox adit, atque his quidem verbis compellat. Tu me *Tyranne*, præter jus fasque omne, & in carcerem compegisti squalidissimum, & inedia inibi sitique immisericorditer afflixisti, & intolerabili denique cadaveris canini fœtore (ne non animum tuum probe expleres) excruciasti miserabiliter. Quod si mea tu nunc in potestate esses, ut quidem clementissimi principis es mei, dispeream equidem, ni par sim pari relaturus, ac rarum in te commemorabileque editurus exemplum. Nam ego, ut ne tu sis nescius, & corollam aliquam ex mortuis putidisq; cancris necterem, & hanc ipsam torquis aurei loco, collo tuo applicarem, tuis ut tu ex virtutibus ornatus esses. Eo viso & audito, nobilis plane & obstupuit, & obmutuit, demissoque vultu, terram est intuitus. Quem quidem *Elector Moguntinus* secum abductum, mensibus aliquot

aliquot post capitis supplicio, inspectante opilione, & oculos suos pascente, afficiendum curavit.

Cicero.

Cavendum est ne major pœna, quam culpa sit.

Seneca.

Culpa & pœna æquis passibus ambulare debent.

De Captivorum miseriis atque ærumnis.

MEDICI numerant sex res conservantes valetudinem. 1. Videlicet aerem lucidum, non obscurum, & quidem liberum ac ventilatum, non concluſum, nec fœtore aliquo corruptum.
2. Convenientem rationem cibi & potus.
3. Vices exercitii & quietis.
4. Stata tempora somni & vigiliarum.
5. Affectus animi tranquilliores.
6. Deniq; evacuationem κακοχυμίας.

Hæc omnia deesse Captivis manifestum est.

I. Etenim Captivi carent usura lucis diurna, nec libero cœlo fruuntur, sed vivunt in tenebris, atq; in maximis sordibus propriis & alienis.

II. Deinde pascuntur pane atro & jure hesterno, nec quicquam cibi lautioris eis affertur, quo vires squalore carceris afflictas recreare possint.

III. Ter-

III. Tertio noctes & dies compedibus vincti sunt, nec possunt movere corpus pro arbitrio.

IV. Quarto cura non concedit fessis quietem, sed vel miseri contabescunt perpetuis vigiliis, vel spectris somniorum terrentur.

V. Postremo, ut alia omittam, affectus Captivorum non sunt placidi, sed turbulenti. Quia non tantum cruciantur sensu præsentium malorum, sed multo magis impendentium periculorum torquentur. Itaque φεύγης est εἰς χαλεπὴν νόσος secundum *Hippocratem*. Etsi autem gradus captivitatis sunt dissimiles, ut quod alii sine compedibus custodiuntur, tamen omnis captivitas sine exceptione magnorum plena dolorum est, præsertim cum ad cætera mala hoc ἐπίαγμα accedit, de quo *Psalmus* inquit, *Non fuit qui adjuvaret.* Sed medicatio horum dolorum efficacissima est, fiducia præsentiæ & auxilii divini acquiescere, & à DEO petere & exspectare, vel liberationem, vel mitigationem juxta dictum in hoc *Psalmo* toties repetitum, *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.* Quanquam autem non omnes scelere aliquo sibi miserias captivitatis accersunt, tamen nec scelerati propter malam conscientiam desperent, nec bene sibi conscii in se potius, quam in *Domino* glorientur, sed utrique nocentes & innocentes coram mundo afferant ad DEUM humilem confessionem peccati, & vias suas coram DOMINO arguant, simul petentes & exspectantes liberationem, aut mitigationem, juxta consilium DEI. Hæc facilius intelliguntur ab iis, qui carendo didicerunt, quam *cara res sit libertas*, sicut bona valetudo gratior est iis, qui ex morbo convaluerunt, quam

quam aliis, qui nunquam ægro corpore fuerunt. *Victorinus Strigelius in Psal. 107. mihi pag. 281.*

CXI. *De Nobili quodam Hesso, & cervicoso ejus refractario q; Rustico, quibus remediis usus hunc condocefecerit & edomuerit.*

NN. Nobilis quidam Hessus, vir & consilii magni, & virtutis, rusticum quendam habebat, omnium non modo bipedum, sed & quadrupedum nequissimum, quo de quottidianas fere, easque minime vulgares audire querelas cogebatur. Quamobrem prorsus sibi faciendum judicabat, eum ut vel in custodias includeret, vel argento probe emungeret, vel alio denique quocunque modo coerceret atque compesceret. Etsi vero illum non parum quidem sæpe, cum per famulos suos, tum per literas etiam, gravi pœna, ni compareret, denunciata, citarat, tum vero maxime pastori ipsius conceptis verbis mandarat, ut illi neque sacram cœnam præberet, neque copiam potestatemque faceret, pro cujuspiam filio ad sacrum fontem fidejubendi, tantisper dum sibi esset satis ab illo factum, ipse tamen hæc omnia susque deque faciens, nobili sese haudquaquam sistebat. Quod enim vicum incoleret stadia XXX. eoque amplius ab arce domicilioque nobilis sui distantem, ita se procul à JOVE esse somniabat, sibi ut haudquaquam fulmen ipsius extimescendum esse opinaretur. Nobilis igitur tentatis frustra omnib. quæ quidem ad indomitum istum taurum comprehendendum, in ordinemque redigendum pertinere videbantur, duro ad extremum nodo durum adhibendum cuneum ratus, ipso die pa-

sehatos concione audita sacra, prandioque sumpto cum omni famulitio suo beluæ istius constringendæ domandæque causa in viam se dat. *Rusticus* interim securus in utramvis aurem stertit, nihil minus suspicans & metuens, atque futurum, ut Nobilis festo hoc die aut veniat ipse, aut ques certe mittat, qui se comprehendant, in vinculaq; conjiciant.

Proinde cæteris vicanis suis concionem sacram audientibus, ac cœnam percipientibus Domini, ipse cum conjuge (*ô Crobyli jugum*) in cauponam se abdit, inibiq; cum ipsa totam istam diem pergræcatur, ac partim vino sublimato, partim vero cerevisia ad ambas usque aures sese ingurgitat, nocteque concubia domum revertitur. Non ita multo post venit & *Nobilis*, ad caponemque divertens, ex ipso cognoscit, ut nebulo iste totum istum diem, se etiam invito, heluatus sit, nulla prorsus audita concione sacra, & quemadmodum non ita pridem bene potus domum sese retulerit. Quocirca *Nobilis* nullam sibi moram interponendam arbitratus, *Rustici* mox ædes, partim famulis suis, partim vero vicanis ei circumsedet, impetuque postea in eas facto, nebulonem zytho somnoque sepultum in lecto opprimit, ac virga equina (**Mit der Speiß ruthen**) largiter cæsum, hanc in sententiam alloquitur. Tandemne tu nebulo, omnium qui sunt, qui fuerunt, quique futuri sunt conscelerati ssime, nostros in cassses incidis? Quoties te ego accersivi furcifer, nec tu tamen comparuisti? Hodie pol, si vivam, ostendam tibi, quid periculi sit, magistratui dicto non esse audientem, eique medium digitum ostendere.

Efficiam profecto, ut hujus tu loci, meique, dicis-

dieique perpetuo sis memor. Nec mora, nebulonimox custodes ponit, prohibetque ut ne vestem ipsum ullam præter tunicam interiorem assumere atque induere patiantur : Posteaque ad pastorem profectus, somno se tradit atq; quieti.

Prima luce cum evigilasset, œconomum suum de equo omnium strigosissimo dispicere jubet, eoque invento & adducto omnes mox campanas impellendas curat, edicitque, ut omnis & ætatis, & sexus homines ad *refractarii istius Rustici* ædes extemplo confluant.

Quibus quidem catervatim advolantibus, producitur nebulo, una interula subuculave tectus, cætera nudus, ac strigoso isti equo imponitur, constrictisque fune sub equi alvo pedibus illius, omnium ludibrio divexationique exponitur, posteaque captivus abducitur, pueris ipsum non solum convitiis insectantibus, sed & luto impetentibus, & non parum quidem multum conspurcantibus.

Etiam illud caculæ suo, qui equum captivi regebat, in mandatis dederat nobilis, ut caballo minus progrediente, *Rusticum* scutica flagelloque cæderet, simulans se flagellaturum equum. Qua quidem in re ita obsequentem ipsum habuit, ut nulla unquam in alia, neque antea, neque postea obedientiorem promptioremque fuerit expertus. Quid quæris? quod & flagello subinde quateretur *Rusticus*, & macilenti equi dorsum nates ipsius multum tum ureret, tum excoriaret, cruore suo equi tergum usquequaque imbuebat.

Quacunque etiam monstrum hoc hominis ducebatur *Nobilis* cum famulitio suo bombardos laxabat.

Unde factum est, ut homines magno undique numero ex ædibus suis spectatum istam beluam procurrerent, causaq; quamobrem sic tractaretur, intellecta, pronunciarent, dignum esse refractarium nebulonem, qui quidem ad eum modum acciperetur, & domaretur. Ubi porro ad arcem *Nobilis* deventum jam fuit, ibi & matrona ipsa, & hujus liberi, & famulæ pedissequæque, & culinarius, & bubsequa denique, miris verborum contumeliis ipsum insequebantur, & lacerabant. Ne longum faciam, jussus de equo descēdere, pedibus initi vix aut ne vix quidem potuit, sed turpiter procubuit. Ita nimirum equus iste strigosus, nates illius raserat, ac cutem prope omnem dempserat, ut vibices jam mittam eas, quas quidem non parum multas per omne corpus cacula ipsi flagello suo effecerat. Subiturus porro jam carcerem, abs cacula, cui uni ipsius cura demandata fuerat, (ut similes nimirum haberent labra lactucas, ac dignis digna evenirent) summis precibus petit atque contendit, ut sibi seu cremone, seu adipe anserina, seu alio deniq; aliquo unguento podicem misere excoriatum ungeret. Etsi vero hoc ipsum facturum sese cacula recipiebat, cremone tamen & quibusvis aliis unguentis posthabitis, nates illi sale etiam atq; etiam fricat, posteaq; in carcerem compactum, pane lymphaque reficit. Ubi quidem cum menses sex inter serpentes & bufones confeciſſet, & emendationem vitæ pollicitus esset, liberatus fuit missusq; factus. Incredibile autem est, quam frugi & honestus ab ista cogitatione evaserit. Quid quæris? cum nobili suo omnem post obedientiam præstabat, tum sacros cætus frequentabat quam diligentissime, tum vero omni nequitia posita, totus ad sanitatem revertebatur, ita quidem,

dem, ut omnes non sine admiratione dicerent, *quantum mutatus ab illo*? Sic sic accipiendi sunt nebulones illi, quibus quidem religio non est, quodvis flagitium admittere. Qui tamen postea citati a magistratu ut persolvant pœnas, minime omnium comparent, sed subducunt sese atq; propipiunt. Scilicet impune parcare volunt, & scelus quottidie cumulare scelere. Pedibus equidem in *Solomonis* sententiam discessionem facio, ajentis, Livores & vulnus sunt absterſio mali, & plagæ penetralium ventris. Quæ verba *Lutherus Theologus Opt. Max.* sic vertit: **Man muß dem Bösen wehren mit harter Straffe / vnd mit ernsten schlägen / die man fühlet.** Et populariibus meis in proverbio est, **zu einem bösen Grinde / gehört eine gute scharpffe Laugen.**

CXII. *De Petro Pagano & amasia quadam ipsius.*

PETRUS PAGANUS, Historiarum olim Poeseosque in inclyta Marpurgensi Professor celeberrimus, idemq; *poeta* ingeniosissimus, filiam hominis cujusdam consularis Marpurgi adamare cœpit, virginem cum forma, tum dote etiam egregie præstantem. Etsi vero nihil tam habebat in votis, quam ut ipsam in matrimonium primo quoquo die duceret, minime tamen sibi committendum putabat, ante ut ipsam ambiret aut nuptum sibi dari a parentibus postularet, quam ipsius erga se puellæ animum etiam atq; etiam exploravisset. Quando ergo iis eam nuptiis interesse jam accepisset, in quibus quidem & ipse intererat, Vino nonnihil incalescens, sua de mensa surgit, eoq; se confert, ubi adamata nympha cum aliis quibus-

dam ingenuis puellis conſederat. Ut primum autem illis aſſedit, vinum mox Creticum, & ſaccharum, & uvas paſſas, & amygdala, & ficus, & placentas denique mellitas afferendas curat, puellæque ſibi in medullis atque viſceribus hærenti, cum identidem præbibit, tum vero de bellariis ſubinde proponit. Ipſa contra illi non ſolum reſpondet, ſed & invicem frequenter præbibit. Idem & cæteræ factitabant nymphæ ſedulo, in id unum intentæ, ut vino ipſum ad ambas uſque aures ingurgitatum, ad collegas ſuos, quibus aſſederat, remitterent. Ipſe porro probe nunc vino confectus, ita virginis erga ſe animum explorandum ſibi eſſe ſtatuebat, ut diceret. Lectiſſima virgo, mihi utique ſententia ſtat, hoc adhuc anno (decurrerat jam ille fere ad finem) fortuna ſuffragante matrimonii jugum ſubire: tu vero mel merum, ac corculum meum quid cedo quæſo facies? noſtrumne exemplum imitabere? *Etſi vero Paganum* non ſpes tenebat nulla, futurum utique, ut ipſa diceret, ſe quoque facturam idem, contra tamen illa reſpondit, ac *Poeta* opinatus fuerat. Etenim hoc illi reſponſum, ſatis agreſte & illiberale (quod tamen pace exconſulis filiæ dixerim) dedit. **Mein Herr** Puit, **jhr möget freyen wenn jhr wolt: wann es mir wirdt eben vnnd gelegen ſeyn / ſo will ich auch freyen.** Mi Domine *Poeta*, per me quidem licet uxorem tibi ducere quocunque voles tempore. Ego contra cum mihi id integrum commodumque fuerit, nubam. Unde *Paganus* ſatis cognoſcebat ſuperque, ſe illi in amoribus haud eſſe. Itaque non ita multo poſt de menſa ſurgebat, & ad ſuos ſeſe collegas referens, ex animo ipſam ſuo delebat funditus: neq; poſtea de uxore aliqua ducenda cogitationem ſuſcipiebat ullam, ſed cælebs per omnem vitam permanebat.

Ange-

CXIII. Angelus Politianus in amicam.

ALlicis, expellis, sequeris, fugis, espia, & es trux:
Me vis, me non vis, me crucias, & amas.
Promittis, promissa negas, spem mi eripis, & das
Jam jam ego vel sortem Tantale *malo tuam.*
Durum ferre sitim circum salientibus undis,
Durius in medio nectare ferre sitim.

Tom. 3. pag. 319.

FINIS.

JOCORUM

ATQVE

SERIORUM

TUM NOVORUM,
TUM SELECTORUM
atq; memorabilium,

Liber III.

Iucundus, utilis, lectuq; maximopere dignus;

RECENSENTE

OTHONE MELANDRO

J. U. D.

Singulari ipsius Auctoris priuilegio.

MARPURGI CATTORUM,
Apud Guolgangum Kezelium,
ANNO

M. DC. VIII.

LECTORI HUMANO SALVTEM plurimam.

PLATO, *lector benigne, disertissimus præstantissimusq; Philosophus, in libro de legibus, absre non scripsit: Nemo somnolentus vllare dignus: Latinorum more: Amator somni rarissime diteſcet. Qua sententia innuere voluit, somno, pigritia, otioq; deditos & genuinos quasi, nunquam neq; ad honores, neq; ad divitias, neq; ad eruditionem, neq; denique ad aliquem vitæ laudabiliorem gradum ascendere aut adspirare valere. Intimius si consideretur, eiusq; significatio ponderetur, verissimam deprehendemus. Virtus non nobiscum nascitur: honores, eruditio divitiaq; altissimis in montibus positæ cernuntur: viæ spinis, carduis, multisq; globis obsitæ opponuntur, neq; sine exiguo labore & magno conatu diligentiaq; comparantur. Ergo annitendum, fortiter insistendum, hic erecto animo*

standum, qui enim hic molam fugit, fugit farinam, ut Græci loquuntur: & Latini: Esse qui nucleum vult, nucem frangat oportet. Introspiciemus in exempla.

Prodeat nobis Agricola. Quid huic faciendum? summo mane ipsi surgendum agri, hortiq; studiose colendi sero vespere cubile repetendum, ad & in hunc finem, quo magna utilitate uberrimam in messem felicem falcem optato tempore mittat, dum socordes somnolentiq;, qui nullam temporis rationem habent, laboremq; fugiunt, è contra, spinas, zizaniam carduasq;, pro messe colligent, iuxta dictum, ut sementem feciſti ita & metes.

Prodeas & tu Pastor. Quid illi iniunctum? Tantopere his certe nocturnas diurnasq;, æstiuales & hyemales molestias non curat, quas impascendis pecoribus experitur, quoties respicit ad lac, butyrum, caseos, aliasq; vtilitates ex labore suo demanantes.

Qui apes alit, pro nihilo habet aculeos, quibus sæpissime laditur, quia spes illi mellis. In certaminibus Olympicis nullus & nemo coronabatur, nisi qui audacter hostẽ aggres-

aggressus fuerat, fortiter certauerat, illum etiam fortitudine & animo infracto viceratprostrauerat q3.

O Aristotele quibus tu mediis ad altissima ascendisti montis cacumina? Lucubrationes & vigiliæ ad tantam te euexere eruditionem, cui hactenus nemo aliquid addere prorepit.

Nonne assiduitas & vigiliæ Euclidem, Tarentinum eo perduxere, ut cum Deo, in rerum simulacris fingendis, certare viderentur.

Prætereo Demosthenem, Ciceronẽ alios q3 quamplurimos, qui vigiliis & indefesso studio apud posteros in magna admiratione rara imitatione vigent & vigebunt hos nõ vini sed olei cõsumtio ad æthera vexit.

Hæc ô lector indefesse ideo narro, non ut abducerem te ab vtilibus ad mea minus utilia, verum ut alacriorem te redderem, æque animo pigritiam & socordiam tollerẽ.

Mea prodesse vobis possunt, ut ad ea, cum animum optimis studiis per aliquot horas defatigatum senseris, recurrere possis. Invenies & habebis, quæ animum facillantem recreabunt, hac tamen sub recreatione

etiam confortes ingenium, augebis sensus, proficiesq; stylo. Inuenies enim hic quotidianos fere modos loquendi, purum stylum, interq; leuia, quæ occurrunt inuenies etiam seria. Tu modo contra audentior ito: Fructus, quos ex sedula lectione colliges, obiter habebis in sequentibus versiculis poetæ:

Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit.
At qui desidiam luxumq; sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores
Turpis inopsq; simul miserabile transiget æuum.

Interim hisce fruere, bene viue, meam admonitionem boni consule, me tibi commendatissimum, inq; maioribus tibi inseruiendum paratissimum habe, tandemq; longum Vale.

T. H. Studiosissimus

Guolgangus Kezelius Typographus Lichensis.

I.

D. Auli Puella.

PVELLA delicatior
Lepusculo, & cuniculo,
Cauq; tela mollior,
Anserculique plumula.
Puella qua lasciuior
Nec vernus est passerculus,
Nec virginis blande sinu
Sciurus esque lusitans.
Puella longe dulcior
Quam mel sit Hyblæ, aut saccarum
Ceu lac coactum candida
Vel lilium, vel prima nix.
Puella cuius non comas
Lyæus æquaret puer,
Non pastor ille Amphrysius
Amore mercenarius,
Comas decenter pendulas,
Vtroque frontis margine,
Nodis decenter aureis
Nexas, decenter pinnulis
Ludentium cupidinum
Subuentilantibus vagas,
Quas mille crispant annuli,
Quas ros, odorque myrrheus
Commendat, atque recreat.
Puella cuius duplices
Sub fronte amica fulgurant,
Amoris arcani faces,
Quas contueri non queo,

BIBLIOTHEK
MUSEUM FÜR
VOLKSKUNDE WIEN

Nec stare contra, vel procul
Quin occuper flamma graui,
Miser miser, quæ mollibus
Furtim medullis adsilit.
Non non ocellus hospites
Ille est, & ille, sed faces,
Faces amoris igneæ,
Quas læta suscitat Venus,
Quas blanda pascit gratia.
Quid narium dulcem modum.
Vel quid genarum leuium
Dicam rosam cum lilio?
Labella quid corallijs
Rubore prænitentia,
Iam sæpe tam longum mihi
Mordente pressa basio.
Quid margaritas dentium,
Prætandidorum proloquar,
Linguam perplexabilem
Vtcunque iuncto anhelitu
Amanti amantem copulans
Festinat ad calcem Venus,
Cum suaue olentem spiritum
Semiulca sugunt oscula,
Lenocinante gaudio
Subinde murmurantia,
Mentumve quid tornatile?
Gulamque teretem, & lacteam,
Et quæ lacertis millies,
Vt arbor hedera incingitur
Incincta ceruix est meis.
Nam quæ tibi mamillulæ
Stant floridæ, & protuberant,
Sororiantes primulum.
Ceu mala punica arduæ
Quas ore toto presseram,

Manu-

Manuque contrectaueram,
Quem non amore allexerint?
Cui non asilum immiserint?
Quem non furore incenderint?
O qui lacerti, quæ manus?
Quos luno, quas aurora habet.
O quale pectus, & latus,
O Venter, o crus, o femur
O qui Thetim decent pedes;
Pedes choreis nobiles,
Saltatibus mirabiles.
Statu, gradu spectabiles;
O Verba iucundissima,
Tam nequiter ludentia,
Arguta, plena aculeis,
Decore, suauitudine.
Dicacitate, gratia.
O carminum dulces notæ
Quas ore pulcra melleo
Fundis, lyræque succinis.
Vt non Thalia blandius,
Non ipse Apollo doctius,
Feras canendo mulceant,
Fluenta vertant in caput
Et saxa cum syluis trahant.
O cuncta salsa, & dulcia,
Festiua, læta, & mollia,
Referta amœnitatibus
Amoribus lubentia,
Proteruitate, lusibus,
Risu, ioco, leporibus.
O quicquid est pulchrum & decet
Puella sola continens,
O præpotens cultu nimis,
Nimisque non culta placens,
Quis te Deus mihi inuidet?

Quæ te mihi fors eripit?
Quo te repente proripis?
Quo quo fugis bellissima,
Risu serenans æthera,
Heu mea voluptas, mel meum,
Meum puella corculum,
Mihique longe charior
Auro, lapillis, purpura,
Ac nec lapillus carior
Auroque solum, & purpura,
Sed spiritu mi carior,
Sed carior mi sanguine.
Memento tu tamen precor
Memento formosissima
Amoris, atque compedum
Quas à tenellis unguibus,
Mecum tibi circumdedit
Heu lachrymis amantium, Heu
Suspiriis ridens Venus.

II. De Doctore quodam male vestito.

Eximius Doctor, male sed vestitus in aulam
Admitti Regis vultq; petitq; diu.
Porta sed custos Doctorem sæpe repellit,
Admittens alios queis bona vestis erat.
Aduertens Doctor, vestem tam sæpe repulsæ,
Continuo & vestes induit ipse bonas.
Cum redit ad portam pulsans admittitur intro
Regis ad aspectus oraq; clara cito.
Oscula dat vesti crebro stans regis ad ora,
Oscula quæsitus cur daret ipse roga.
Hæc, ait, est author, veni quod Regis in aulam
Qua male vestitus sæpe repulsus eram.
Sic nitida vulgus tantum qui veste refulgent
Esse putant doctos magnificosq; viros.

Sæpe

Sæpe sub attrica latuit sapientia veste,
Sæpe subest nitidæ nil nisi stultitiæ.

Lucas Lossius in Epig.

III. Contra illud, Vestis facit virum.

Dicis sæpe quidem sed non veraciter audis:
Egregiè est vestis quæ facit esse virum.
Nullus enim quamuis oblongus, vel sit acutus
Cultor inexpertum perficit esse cocum.
Sic asinum vestire potes, vestire capellam,
Sed facti fuerint quæritur anne viri?
Malo virum sine veste bonum, quam scilicet illas
Absque viro vestes exsuuias ve viri.

Melchior Hause præstantissimus seculi nostri poeta.

IV. Ad Laurentium Medicen.

Cùm referam attonito Medices tibi carmina plausu,
Ingeniumq; tibi seruiat omne meum.
Quod tegor attrita ridet plebecula veste,
Tegmina quod pedibus sint recutita meis.
Quod digitos caligæ disrupto carcere nudos,
Permittunt cœlo libertore frui.
Intima bombicum vacua est quod stamine vestis
Sectaque de casa vincula fallit oue.
Ridet & ignauum sic me putat esse poetam,
Nec placuisse animo carmina nostra tuo.
Tu contra effusas toto sic pectore laudes
Ingeris, vt libris sit data palma meis.
Hoc tibi si credi cupis, & cohibere popellum,
Laurenti vestes iam mihi mitte tuas.

Ad eundem Gratiarum actio.

Dum cupio ingentes numeris tibi soluere grates
Laurenti, ætatis gloria prima tuæ.

Excita iam dudum longo mihi murmure tandem
Astitit arguta Calliopea lyra.
Astitit, inque meo pretiosas corpore vestes
Vt vidit, pauidum tetulit inde pedem.
Nec potuit culti faciem Dea nosse Poetæ,
Corporaque in Tyrio conspicienda sinu.
Si minus ergo tibi meritas ago carmine grates,
Frustrata est calamum diua vocata meum.
Mox tibi sublato modulabor pectine versus
Cultibus affuerit cum mea Musa nouis.

Angelus Politianus Tom. 3. pag. 286.

V. In Mabilium Nouatum insubrem.

Quod vestes oleo geris peruncta,
Mucco & puluere sordidas Mabili.
Quod lardum madido fluit capillo
Pleno furfuribusq; vermibusque,
Et cadaueribus pediculorum.
Quod fuligine squalet atra barba,
Quam rodunt tineæ, pulexque saltat.
Quod muccosa tibi seges pilorum
Extat naribus vsque pulyposis,
Qua septem lepores queant latere.
Quod gingiuaq; buxcique dentes
Sordent plexonio, ac putente in ala
Educat, olidæ marem capellæ.
Quodque vnguis sanie rubet cruenta,
Sæpe vt lucifugam putem esse blattam
Cænæ reliquias que pridianæ,
Incrementa manus habent voracis.
His te ex omnibus esse quis poetam?
Vatem, fatidicum neget Mabili?
Tales Cæcilios fuisse credo,
Plautos, Pacuuios que, Neuios que
Aut si quis curtum boues sequentem,
Traxit versibus vlmeum in theatrum.

Cæli

Cœli numina quod negas Deumque
Lucreti fuit hoc, & Euripidis.
Padicas, fuit hoc Maronianum.
Padicauit Anacreon Bathyllum.
Insanis, colophonius poeta es.
Iam iam phthiriasi scaturiente
Semesus cadis, & foraminatis
Membris hoc phereclidæ habes tragœdi.
De cunctis malidicis, hoc poeta es.
Es mendax, leuis, insolens, ineptus,
Insulsus, petulans, & his poeta es.
Quid multis moror? Es poeta totus,
Possum hoc indiciis probare centum.
Quo vulgus negat esse te poetam.
Id quiddam esset minimum neq; adnotandum
Quod vexas miseras subinde chartas
Plenis Versibus inficetiarum.

Angelus Politianus Tom. 3. pag. 303.

VI. In eundem minitantem nouum se fulgur, Verosque tonitrus missurum.

Quod fulgur mihi te Mabili
Missurum, & tonitrus minere veros.
Nil est, nouimus hos neq; esse fictos,
Nam veros tuus esse odor probauit.

Idem ibidem.

VII. In eundem Mabilium.

Si iam Carmina nostra te Mabili
Vrgent ad laqueum miser crucemque.
Ne quæso propera mori, tuumne
Fraudes carnificem suo lucello.
Namque est percupidus tui, ac libenter
Istantum tibi dempserit laboris.
Quid? nostin hominem? negas? at idem est,
Aurem qui secuit tibi sinistram.

Idem ibidem

VIII. Eiusdem Epitaphium.

FLecte Viator iter, fœtet nam, putre Mabili
Hac fouea corpus conditur & animus.

IX. De quodam Comite Vascone bonorum Ecclesiæ raptore.

VAsconum quondam Comes impius egit in orbe,
Qui fecit sanctis plurima damna Dei.
Cœtibus eripuit Christi bona sæpe sacratis,
Non parcens mystis Christicolisque viris.
Sed non illa manent sine dignis crimina pœnis,
Pœnas ante pedes impius omnis habet.
Hic ita cum quodam conuiuas tempore raptor
Inter agit latus, potat, euatque suos.
Ecce venit Stygijs eques ater missus ab oris,
Ante fores sistens euocat inde virum.
Me sequitor, dicens, ego te quocunque vocabo,
In Stygio raptor carcere noster eris.
Mox equitem sequitur surgens ad limina raptor
Irato properans ad sua damna Deo.
Astat equus Stygijs vna qui venit ab vndis
Aspectu horrendus luminibusque ferox.
In quem subreptus subito defertur in auras,
In quibus hæc pendens verba notanda dedit.
Hei misero auxilium mihi contra damona, Ciues
Ferte precor, Stygios heu feror ecce focos.
Hæc vbi dicta dedit miseranda voce per altum
Subticet, ad Stygias sic homo vectus aquas.
Sic omnes pereant, rapiunt qui sacra, prophani
Quique premunt Sanctos Maxime Christe tuos.

D. Lucas Lossius in Epigram. pag. 212.

X. De

X. De Doctore quodam Parisiensi impio & blasphemo in filium Dei.

Parisiis Doctor Taraco de gente superbus
Et Paphia fœdo notus amore Dea.
Multa ubi de multis dixisset vana, Sophista
Doctores inter, vaniloquosque viros.
Blasphemus tandem cœpit quoque fundere contra
Aeterni hæc gnatum verba nefanda Dei.

Tres mundum Sectis suis & dogmatibus peruerterunt.

MOYSES.
IESVS.
MAHOMETES.

Moyses primum Iudaicum populum infamauit.
Iesus à suo nomine Christianos.
Mahometes gentilem populum.
Hæc dicens subito tanto pro crimine pœnas,
Quas meruit Christe Doctor in orbe dedit.
Nam cadit examinis cæcus mutusque repente
Sicque iacet trepidus, mutus, inersque diu.
Damnatum expirans clamat se sæpe, quod ipsum
Blasphema in Christum verba locutus erat.
Vindice sic pereas Christo, quicunque prophanus,
In Christum gaudes verba nefanda loqui.
Sic periit Latomus malesanus, sæpe locutus
Ingnatum æterni verba nefanda patris.
Sic Leo Romanus periit, cui fabula Christi
Dogmata ridenti sancta fuere Dei.
Fabula quæ nobis, dixit tot millia nummum
Teutonide è terra, munera grata, tulit.

Idem ibidem.

XII. De Mauritio Cappadoce Imperatore.

Imperii Cæsar dictus Mauritius olim:
Gentis Cappadocum clarus in orbe fuit.

Pralia qui Persas contra Mauritia gessit
Felix, imperii spesque decusque sui.
Principio felix regno Mauritius, atque
Clemens in populum, munificusque fuit.
Factus post subito crudelis cede nefanda
A Cagano tolli millia multa sinit.
Victor hic exiguo redimendos obtulit ære
Captos, quod renuit cæcus auaritia.
Ergo cum natis quinque, & cum coniuge cara
Hunc miserum Phoca sæue tyranne necas.
Prodigiis multis sub mortem est territus, atque
In somnis talis Vox truculenta tonat.
Tempore ne pœnas hoc Vis, an ferre futuro?
Ad quam sic trepidus Verba dolensque refert.

Amator miserorum Deus, hic redde mihi malum meum, vt in futuro parcas.

Eligitur sæuus post Thrax pro Cæsare Phocas,
Miles qui clari Cæsaris ante fuit.
Insequitur Phocas celebrem ad Chalcedonis Vrbem,
Crudeli Dominum concomitante manu.
Cum natis capitur quinque, & cum coniuge cara,
Quos subito Phocas sustulit ense ferox.
Aspectat tacitus tristi suspiria ducens
Pectore, cum gladius pignora quinque ferit.
Offert hei natum feriendum hic sedula nutrix
Regia quo maneat stirpsque genusque pium.
Reppulit hac sæua nutricem Voce tyrannus
Cæsareo hunc prolem sanguine ferto satum.
Inclyta cum coniunx ferienda adducitur, ille
Ad Dominum lachrymans talia Verba refert.

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

XII.

XII. De muliere quadam a marito suo falso adulterii accusata, in custodiam tradita, eculeo subiecta, ad mortem damnata, & mirabiliter, quod innocens esset, conseruata.

QVandoquidem ad locum de tortura seueriore perueni, facere equidem haud possum, quin ei aliquanto diutius immorer, idq; ad commonefaciendos iudices rerum imperitiores. Inuenire vtique est homines, ea naturæ mollitudine & teneritate præditos, vinculo vt perferre ac carceres nullo modo possint, sed in custodiam dati, animi continuo deliquium patiantur eoque intereant, insinuante sese præsertim communi illo humani generis & capitali hoste *Satana*, ac frigidam, ita vti solet, suffundente. Itaque sæpenumero euenit, vt homines in carceribus exanimes inuenti fuerint. Et cum nonnulli reperiantur, qui vel mures, vel feles penitus abhorreant, nulloque eos pacto ferre possint, eccui dubium sit, quin itidem inueniantur, qui torturæ cruciatus & tormenta sustinere minime omnium valeant? sed ea confiteantur eculeo subiecti, quæ nunquam designarunt, ideoque innocentes tum condemnentur, tum è medio tollantur? Næ Adæ filii pari corporis animique robore septi haud sunt, sed est alius alio tenerior, mollior, imbecillior & abiectior, id quod planum mihi facere in procliui esset, quantumuis ad summam senectutem nondum peruenerim. In præsentia vero ea duntaxat commemorabo, quæ alii literis memoriæq; mandarunt, & à quouis legi atque cognosci possunt.

D. HIERONYMVS scriptum reliquit sua ætate *Vercellis* maritum quendam fuisse, qui vxorem suam adulterii cum adolescentulo quodam commissi insimulauerit: idcircoque cum hanc ipsam, tum vero adolescentulum nõ solum in custodiam tradi-

traditos, sed & eculeo tormentisque subiectos fuisse. Adolescens igitur tametsi innocens esset, vt ne tamen diutius in tormentis hæreret atque adeo periret, facinus se istud perpetrasse & fatetur, & decollatur. Atque ita quidem se non modo adulterio, verum etiam duabus, proh dolor, quantum in ipso erat cædibus, hoc est, tam sui ipsius, quam ipsius fœminæ occisione onerat. Atqui mulier ipsam ea re grauiter obiurgans, adulterium se cum eo commisisse, etiam inter sæuissimos torturæ dolores quam constantissime pernegabat. Quod vero adolescenti sua ipsius confessione gladio pereundum esset, ipsa quoque idem subire supplicium coacta fuit. Hic vero summus ille atque iustissimus iudex Deus sese exerit, mulierem istam ita confirmando, vt animo præsentissimo latum carnificis funestumque ensem expectaret, eamque carnifex ter sic feriret, vt etiam gladii acies retunderetur, ac ipse incepto cogeretur desistere. Quod conspicatus carnifex alius illico ad illam è medio tollendam accurrit. Hic itidem plagas illi infligebat tres: sed frustra. Itaque gulam ei ad extremum præscindere conabatur. At illa nihilo secius viua permanebat. Si cui placet, legat ipse integram historiam in epistola de muliere septies percussa. Legi enimuero siccis à quoquam oculis vix aut ne vix quidem potest. D. Lutherus Tom. Wit. Germanico XII. pag. 297.

XIII. De pecunioso quodam Ciue, promittente honestæ cuipiam matronæ ingentem argenti numerum ad virum suum ex vinculis redimendum, si quidem ipsius concubitu perfrui posset. Quitamen hoc ipso de mariti captiui voluntate impetrato, mulierculæ crumenam non argento, sed lapillis & glarea refertam tradidit, hoc pacto, miseræ isti nequiter & perfidiose comam circumtondit.

S. Au-

S. Augustinus itidem historiam non perinde horribilem atque ista fuit, de præfecto quodam Antiocheno narrat. Is ciuem quendam ob facinus nescio quod in vincula coniecerat, eumque ad extremum se liberaturum confirmarat, si certam pecuniæ summam mulctamve sibi annumerandam curaret. Verum ea ita erat grandis, vt Ciuis eam pendere non posset, ideoque liberationem ex carcere desperaret. Eo cognito opulentus quidam Ciuis, ad captiui istius vxorem eximia forma fœminam sese confert, eique tantum pecuniæ promittit, quantum præfectus ipsam popoſciſſet, hac tamen lege, vt concubitu ipsius perfrui sibi liceret. Mulierecula rem se delaturam ad maritum ait: ad carcerem que profecta, in sinum rem illi omnem effundit. Maritus ærumnosissimus molestiarum carceris pertæsus, & emitti inde mirum in modum gestiens permittit vxori, vt corporis sui potestatem ipsi faciat. Illa marito suo morem gerens, isti sese prostituit. Hic cum totam noctem probe se cum ipsa oblectasset, albicante iam die crumenam illi grauem & turgidam largitur, quam ipsa omnibus lætitiis incedens domum perfert, pecuniis refertam rata, quibus virum suum redimeret. At vero domum vt rediit, ac marsupium diligentius iam inspexit & excussit, verba sibi data, ac lapillis illud arenaque repletum esse a nebulone isto conspicatur. Itaque plane & perturbata & exanimata ad præfectum sese confert, eique rem omnem perquam flebiliter aperit, & fucum sibi factum ostendit. Qui quidem animo prorsus concidens, & se ipse incusans, inquit, hu usce mehercule rei culpa mihi aliqua ex parte sustinenda est, & cum maritum ipsius actutum missum facit, tum in bonorum etiam opulenti istius nebulonis & lastauri possessionem ipsum mittit. Idem ibid.

XIV. De Carnifice quodam Metensi, qui in Mercatoris peregre profecti ædes noctu clam furtimque ingreditur, ipsiusque & coniuge & familia contrucidata, omnem istic suppellectilem argenteam suffuratur, posteaque rumorem disseminat, ipsum illum Venalitium istam fecisse cædem. Quo nomine reuersus & in vincula abripitur, & in quæstionem datur, & tormentis expugnatus victusque facinus istud nunquam abs se cogitatum, nedum commissum, confitetur, ex finibusque humanæ naturæ exterminatur.

QVod vero Meti contigit, id quidem & Iureconsultis, & iudicibus merito omnibus panorem incutiat, ac cautiores ipsos in ferendis capitalibus efficiat. Memini equidem me typis illud descriptum olim legere: sed in mea Bibliotheca non habeo. Optarim tamen non solum typis descriptum adhuc extare, & omnium teri manibus, sed & in omnibus prætoriis, & dicasteriis, & curiis pingi. Est enim opus & miraculum vere diuinum. Quod si vero fortasse nō omnia exacte satis mandaui memoriæ, res omnis Meti, vbi ni fallor contigit, explorari cognoscique poterit. Hic carnifex Mercatoris cuiusdam absentis ac peregre negotiantis ædes noctu effregit, & non modo coniugem ipsius cum vniuersa familia contrucidauit, sed & omne agentum partim factum & signatum, partim vero cœlatum abstulit. Domum igitur Mercatore redeunte, ac calamitatem isthanc suā perquam miserabiliter deplorante, *Carnifex* rumorem disseminat, dubium non esse, quin ipse *Mercator*, qui fictas nunc simulatasque lacrymas profundat, tantam cædem suis ipsius in ædibus effecerit. Proinde ille non solum in custodias includitur, sed & in quæstionem postulatur. Quod vero

Carni-

Carnifex maximopere se cuperet extra cædis istius culpam ponere, ac *Mercatorem* contra reum facere, nullam acerrimorum tormentorum vim prætermittit, sed ea illi tantisper admouit, dum cædis se istius autorem esse confiteatur. Confessus igitur se patrasse, quod patrare nunquam somniauerat, aut animum suum induxerat, exquisitissimo supplicii genere mactatur, communique hac luce priuatur. Hic ergo vniuerso mundo stertente, Deus iustus iudex euigilat, nebulonemque istum ad vindictam protrahit. Etenim cum argentea quædam *Mercatoris* pocula Iudæo diuenderet, ita excæcabatur, vt minime omnium vel exputaret, vel animaduerteret ipsis illis insigne *Venalitii* impressum esse. *Iudæus* vero aguito *Mercatoris* insigni, scyphos mox istos argenteos ad Senatum perfert. Itaq; *Carnifex* & comprehenditur, & homicidia ista se omnia feciſse, mox moxque fatetur. Enimuero luctuosi & horrendi inter homines casus, authore illo nequissimo spiritu, ac malorum principe Diabolo existunt. Hic vero quid facerent iudices? Scilicet fucus ipsis, pudendũ in modum fuerat factus.

Idem ibidem.

XV. De Sancto Antonio Eremita, quærente quid agat, & saluetur.

DE Antonio eremita, qui incepit genus vitæ monasticæ, narratur historia. Cupiuisse eum scire quem habiturus esset dignitatis & gloriæ socium in æterna vita, placebat enim sibi mirum in modum ob hoc solitarium vitæ genus. In somnis igitur audit esse Alexandriæ Sutorem seu coriarium quendam, illum eiusdem gloriæ socium fore. Miratur *Antonius* collationem, & *Alexandriam* proficiscitur, visurus scilicet hominem sanctitate

sibi

sibi parem, & nescio quæ magnifica sibi de Sutore illo sibi pollicetur. Sed cum ad eum venit, videt quod manu sua laborando victum quæreret, & sic se, & vxorem, & liberos aleret, inquit igitur Quæso te mi Sutor, scio quod Deum fideliter colas, & vere ei seruias, dic igitur mihi, quid facis, quid comedis, quid bibis, quomodo aut quando oras? num totas noctes insomnes agis, orationi incumbens? Nullo inquit ille modo. Mane & Vesperi ago Deo gratias pro fideli eius tutela & gubernatione. Peto remissionem omnium meorum peccatorum per Christum, ac suppliciter oro, vt me spiritu suo gubernet, & in tentationem non inducat. Post hanc orationem tracto corium meum, & mihi ac meis alimoniam paro: præterea facio nihil, nisi quod caueo necubi aliquid contra conscientiam faciam. *Antonius* hæc audiens, miratur, ac intelligit electitios cultus non esse cultus, itaque nihil iis esse confidendum. Hoc beneficium non solum ipsi *Antonio* contigit, sed est quoque admonitio ad omnem posteritatem, qua Deus ecclesiæ suæ voluit succurrere, ne indulgerent electitiis cultibus, qui semper hanc noxiam fiduciæ pestem secum adferunt, quam mortificari necesse est. Non vilis vestitus, non asper victus, non ieiunia, non longæ orationes, non Vigiliæ, non vlla opera nobis prodesse possunt ad vitam æternam. Sola fiducia misericordiæ, seu sola promissio est quæ saluat. Absque hac si sis, libere conficere & dic. Ego nihil sum. Ego ad hæreditatem non pertineo. Ego ex patris domo eiectus sum.

D. Lutherus Tom. V I. Latino VVittemberg. pag. 264.

Eadem

Eadem Historia Carmine expressa.

Quid faciat quærit persæpe Antonius olim
Cœli quo dentur gaudia læta sibi.
Pauperis in somno est doctus sub imagine Sancti
Sutoris, qua sint astra petenda via.
Tractabat corium sutor, crepidasque suebat,
Coxit & huic uxor prandia parua viro.
Ante opus orabat, prolemque orare docebat,
Lactabat coniunx pignora chara sinu.
Hic didicit Domino placeat qua vita supremo,
Quæ via sit cunctis cœli adeunda piis.
Ipsa via est Christus ducens ad gaudia cœli,
Nil opera hic prosunt, duraque vita nihil.
Vita placens Domino est, manibus sibi quærere victū,
Et facere officii munia quenque sui.
In cunctis Domino se commendare potenti,
Prospera seu donat, seu mala ferre tubet.

D. Lossius in Epig. pag. 208.

XVI. De Diuo Bernhardo, demonstrante, labore effundendi preces ad Deum Opt. Max. animo ab omnibus aliis curis soluto ac libero, nullum alium esse operosiorem.

Difficile est vacua cunctis effundere mente,
Curis ad Dominum vota precesque Deum:
Ne dubites, illud celebris Bernhardus in orbe
Exemplo docuit proposuit quæ nouo.
Affirmat Domini formam, quæ nomine fertur,
Se vacuum quidam dicere posse precum.
Bernhardus deponit equum, non posse precari,
Hunc curis vacua mente animoq; Deum.
Accipit hic pactum lætus, sperans q; caballum,
Orare incepit verba verenda Dei.
Orandi mediam cæpit cum dicere formam,
Cogitat anne etiam frena daturus erit.

Non vacua agnoscens curis se mente precatum,
Ad Sanctum dixit, talia verba, virum.
Perdidi equum fateor, stultus, vir sancte, precando
Incidit, an pariter frena daturus eras,
Incidit orandi semper Cacodaemonis arte
A Domino vertat quo pia vota Deo.
Incidit huic, vxor valeat, valeantne & amici
In fœnus redeant mille talenta data.
Cogitat hic orans, redeatne nauis onusta
Mercibus, è terris, per mare vecta, nouis.
Cogitat hic merces magno quo vendat adeptas,
Auri quo cumulet pondera multa sibi.

D. Lucas Lossius in Epig. pag. 210.

XVII. De Diuo Augustino admonito à puero, ne scrutaretur diuinitatem.

NOmine ab Augusto dictus qui Doctor in vrbe
Hippone, & toto clarus in orbe fuit.
Scrutatur, quid sit Deus, & quo trinus & vnus,
Quarit & immensi quæ sit origo Dei.
Hæc vbi scrutatur conspexit forte puellum,
Qui maris in foueam fundere capit aquam.
Quæsitus, quid agat, respondit paruulus ille,
In foueam hanc fundam flumina tota maris.
Doctor ait, frustra capis hanc puer optime curam
Non capit immensum parvula fossa mare.
Multo ait, o Doctor minus hæc quæ mente volutas,
Scrutari humana tu ratione potes.
Paruulus his dictis, tenues discessit in auras,
Haud dubie Christus paruulus ille fuit.

Idem ibidem, pag. 211.

XVIII. De eodem Diuo Augustino.

Quam

QVum Monachi olim ab hominibus piis ad labores reuocarentur, atque illi non licet, dicerent, id enim non est Euangelicum, nam Christus monuit, *ne simus solliciti de crastino, sed consideremus lilia agri, & volucres cæli.* Illis se obiecit Augustinus in libro de opere Monachorum. Si vultis inquit imitari Volucres & lilia, cur hic quoque illa non imitamini? Lilia non comedunt, aut bibunt, aues non recondunt in crastinum. At vos editis, & bibitis, & studiose reconditis.

D. Petrus Martyr in Com. 2. Sam. 11. pag. 233.

XIX. De sancto Hulderico.

NArratur de S. Hulderico aluisse eum mendicum quendam, qui quotidie pro ipso oraret. Accedisse autem, vt Oeconomus eius quodam die mendicum negligeret, & portionem solitam non daret: itaque mendicum etiam intermisisse orationem. Quia autem Huldericus aliquid incommodi passus, & eo die periclitatus erat, interrogat mendicum, orassetne eo die pro se? Mendicus id negat, & addit caussam, nihil sibi eo die ab œconomo esse datum. Igitur *Huldericus* obiurgat œconomum, quod sua tenacitate priuasset eum intercessione mendici, Heus inquit œconomus, quanti esse putas orare vnum pater noster? *Huldericus* eum ablegat Romam, vt interrogaret, quanti æstimaret vnũ pater noster? Respondit pontifex nummo. Hic cum rideret œconomus, respondet secundo pontifex, aureo æstimare. Tertio respondens ait, *Totus orbis cum omnibus suis opibus pro vno pater noster satisfacere non posset.* Hæc fortasse ficta sunt, sed profecto non sine fructu, aut frustra narrantur. Si ergo *Papistæ* tam ampla beneficia recte possidere volunt, orare ipsi quoque debent. Sed

cum oratio requirit fidem in Chiſtum, ipſi autem non ſolum ſine fide ſint, ſed etiam verbum quo ſola fides nititur, oderint & perſequantur, nulla prorſus apud eos oratio eſſe poteſt. Oratio eis tantum linguæ labor eſt, clamant & vociferantur in templis, ſine omni intellectu, nec ſuam miſeriam, nec Dei miſericordiam recte norunt. Oratio autem ſine intellectu, eſt etiam ſine affectu, quia ignoti nulla cupido.

D. Lutherus Tom. Lat. VVittemb. ſexto pag. 252.

XX. De Theophania Othonis Secundi coniuge. exemplum, Allmoſen geben armet nicht.

CÆſaris Othonis coniunx Veneranda Secundi,
Pauperibus columen præſidiumque fuit.
Inclytus hanc coniunx Cæſar perſæpe reprendit
Prodiga quod nimium munera dando foret.
Hoc probet & vincat, mendicus is inter egenos
Pannoſus ſedit munera parua petens.
Coniunx cum venit paſchali tempore amicta
Veſtibus auratis purpureiſque pia.
Cæſar ait, nudo manicam, quæ fulſit ab auro
Hanc mihi pro magna des pietate, rogo.
Abſcidit hanc ſubito mendico donat egeno,
Non Dominum hac credens Veſte latere ſuum.
Cæſar mox abiens, veſtem mutauit egeni,
Cæſarea aſſumpta Veſte nitente ſibi.
Accumbens menſæ ſanctæ cum coniuge Cæſar,
Cæſar mendicus qui modo egenus erat.
Huc, ait, o coniunx, Veſtem mihi profer amictu
Qua modo fulgebas templa ſacrata petens.
Hic trepidat metuitq; ſibi ſanctiſſima coniunx
Quod manica abſciſſa tunica manca fuit.

Inſtar

Instat cum Cæsar, Vestis profertur, vt ante
Integra, cui non pars vlla resecta fuit.
Miratur Cæsar, coniunx miratur & ipsa,
Nam manicam abscissam nouit vterq; pius.
Territus hinc manicam Cæsar produxit & illam
Mendico coniunx quam dedit ante sibi.
Quo motus, pia, miraclo, permisit vt vxor
Pauperibus vellet qua bona cunq; daret.

D. Lucas Lossius in Epig pag. 223.

XXI. De Hattone Episcopo Moguntino, à muribus exeso. Anno 900.

MVribus exesus sic est vltricibus Hatto,
Hatto quo sæuus non magis vllus erat.
Vrbe Moguntina qui vixit Episcopus vt rex
Sæcla vbi post Christum natum abire nouem.
Tempore quo miseranda fames inuaserat orbem,
Dira premens inopes, ruricolasq; diu.
Ergo adeunt Dominum querulosa voce precantes
Vt Cereris donet grata alimenta sibi.
Audiit hos dura Malesanus Episcopus aure,
Et toruo tales edidit ore sonos.
Fex hominum, querulo quid me sermone fatigas?
Quid mihi, quid tecum turba prophana rei est?
Nil tibi nostra manus dabit, ergo aliunde parabis,
Nec tibi de nostro spes erit vlla penu.
Cum faciunt nullum finemq; modumq; precandi,
Horrea veloci iussit adire gradu.
Expectant miseri cerealia munera læti,
Longam queis possint exatiare famem.
Impius ast Præsul miseros spe lusit inani,
Horrea succendens igne furente ferox.
Hic miseri vastis vlulatibus aera complent,
Ast cœlum tendunt compositasq; manus.
Sic pereunt queruli fumoq; igniq; necati,
Plurima flebilibus verba terendo modis.

Et dixit lato truculentus Episcopus ore
Ad circumstantem talia verba gregem:
Deus frumentipeta mures, quam dulcia strident,
Musica quam dulci carmine turba canit.
Talia commisit praesul turpissimus Hatto,
Digna sed est iustipœna secuta Dei.
Quo nam cunq; pedes, referebat, turba secuta est,
Murum ingens, sœuum persequiturq; virum.
Cogitat hinc turrim munitam imponere Rheno
Quo fugiat morsus mus violenta tuos.
Turris in undosis valido circumdata muro,
Fluctibus extruitur cognite Rhene tuis.
Iusta sed ira Dei comitatur ubiq; scelestos,
Odit & in cunctis punit iniqua Deus.
Sic ignota petunt vltrices flumina mures,
Tranando superant concomitantq; Ducem.
Inuadunt hostem magno conamine mures,
Morsibus innumeris continuisq; necant.
Rudera turris adhuc, murum de homine dicta,
In medio Rheni flumine stare ferunt.
Ante Maguntinus fuit hunc & Episcopus Hatto,
Qui prius è Francis regibus ortus erat.
Hic Bambergensem comitem sceleratus Iudae
Prodidit Henrico, qui capiebat aues.
Imperatori mox insidiatus eidem,
Auxit criminibus crimina plura nouis.
Hunc Satanas tali clamore auexit in Aethnam,
Sic peccata lues, atq; ruendo rues.
Sic Deus afflixit periuros, punit auaros,
Qui gaudent miseri perditione gregis.
Discite mortales opibus praesentibus vti
Discite pauperibus ferre libenter opem.
Ponite duritiem crudeli corde ferocem,
Nam Deus in duros durior esse solet.

Idem ibidem pag. 259.

Impia

Impia isthæc vox est Plauti ac detestanda, quæ extat in Trinumo Act. 2. S. 2.

De Mendico male meretur, qui ei dat
quod edat, aut quod bibat.
Nam & illud quod dat perdit, & illi vitam
Producit ad miseriam.

Psal. 41. v. 1. 2. 3.

Beatus qui intelligit super pauperem, in die mala liberabit eum *Dominus*.

Dominus custodiet eum, & viuificabit eũ, & beatificabitur in terra, & non tradet eum in animam inimicorum eius.

Dominus sustentabit eum super lectum doloris eius, vniuersum stratum eius conuertisti in infirmitate eius.

Isa. 58. à versu septimo usq; ad duodecimum.

Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum operi eum & carnem tuam ne dispexeris.

Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.

Tunc inuocabis & Dominus exaudiet te: clamabis & dicet ecce adsum, quia misericors sum, Dominus Deus tuus. Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum & loqui quod non prodest.

Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.

Et requiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.

Prouerb.3.6.27.

Ne recusa benefacere aliis, si à Deo suppetit tibi, vnde largiri possis.

*19.*vers.*17.*

Fœnerat Iehouæ, gratiosus erga pauperem, & retributionem suam reddet ei.

*21.*vers.*13.*

Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, etiam ipse clamabit, & non exaudietur.

Cyprianus de Eleemosyna.

Neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit: aut impetrabit de diuina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.

Theophylactus.

Misericors & miserator Dominus, nescit immisericordes.

Quot modis peccetur circa eleemosynarum dispensationem?

Eleemosynæ tot mala possunt accidere, quæ ipsam vitient, quot vincis morbi, quæ eas perdant, accidunt.

Primum, si non detur Eleemosyna in nomine Dei. Qui ergo in eum finem tantum dant, vt se ab inferorum redimant pœnis, in suo, non in Christi nomine dant.

Secundo, si tali pompa dant, vt gloriam apud homines sibi parent, mercedem iam receperunt. Matth.6.

Tertio, si dant tristes, pigetque dare, ac nisi calumnias metuerent, nihil darent, Eleemosynam vitiant,

vitiant, hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Corinth. 9.

Quarto, si non dant ea mensura, quæ sibi, dum egerent, dari vellent, non recte dant. Omnia enim quæ vultis, vt faciant vobis homines, vos eadem facite illis. Matth. 7.

Quinto, si contemptim, aut neglectim dant. Maledictus enim qui facit opus Domini negligenter. Ier. 48.

Sexto, si miseria & calamitate accipientis victi dant, non ex Dei proximique dilectione. Qui enim habet substantiam huius mundi, & videt fratrem suum egere, scimus, quoniam caritas Dei in eo non est. 1. Ioan. 3.

XXII. *De Petro Pagano Poeta clarissimo, & N. N. Sutore quodam Marpurgensi Rhytmico insulsissimo.*

MArpurgi olim calcearium quendam fuisse accepimus, qui quidem Rhytmis quibusdam pangendis mirifice sibi placuerit, ac Poetæ sibi nomen vsurpare haud dubitauerit, licet rhytmi ipsius essent extra modum absoni atque inuenusti, & inuita prorsus minerua componerentur, ita quidem, vt centones potius farcire, quam Rhytmos fundere videretur. Hic cum nuptiis aliquando honesti cuiusdam viri Marpurgi interesset, euenit, vt eodem in conclaui discubuerit, vbi quidem *Petrus Paganus* cum collegis quibusdam suis consederat. Itaque vino iam incalescens, hisce verbis *Pagano* præbibit, Herr Punt/den sols euch gelten/von wegen deß Handwercks. D. Poeta hocce tibi ego poculum vini propter communia studia propino. Von wegen deß Handwercks? propter communia studia inquit *Paganus?* quid hoc sibi vult? eho nummam ego igitur sutrinam exerceo, veluti tu?

Dauus mehercule ſum non Oedipus. Quocirca quid tu garrias haud equidem intelligo. Propter communia ſtudia vero reſpondet *Sutor*. Ambo enim poema condimus elegans omni numero, tu quidem latinum, ego vero germanicum. Quo audito *Paganus* riſu propemodum corruens, exclamat, **Ey das fiel mir nicht eyn/Gott geſegnes euch mein Herr Puyt: Ich wil euch von wegen deß Stanckwercks gern beſcheid thun.** De eo vero mihi in mentem non venerat, profit tibi D. Poeta, equidem lubenti animo, propter ſordes iſtas tuas ſatis ſum tibi facturus. Qui autem bonarum artium ſtudioſi & partium in eodem conuiuio nuptiali intererant, ii quidem miris modis hominem exagitabant, quod ſe cum *Pagano* viro doctiſſimo nobiliſſimoque Poeta conferre non erubuiſſet. Quoties ergo alter alteri præbiberet, toties dicebant, **Herr Puyt es ſoll euch eins gelten von wegen deß Handwercks.** D. Poeta equidem tibi præbibo propter artificium, quod mihi tecum eſt commune. Sed & quidam ipſorum cæteris aſperior & ferocior hiſce ipſum verbis inſectabatur. Vſqueadeone frontem tu omnem perfricuiſti *Sutor* inſulſiſſime, vt te minime pudeat cum *Pagano* te præſtantiſſimo Poeta comparare? Dignus ita me Deus bene amet fores, quam quidem per fornicem præcipitem ageremus. Tuos ego illos Rhytmos *piciſex* haud caſſa nuce titiuillitioue emerim. Quid quæris? ſcopæ ſunt diſſolutæ, & ſiculæ gerræ, picem olentes, non lucernam. Abi igitur in malam crucem aſine cum tuis iſtis Rhytmis, & recta fac tecum via reputes illud vetuſtate contritum prouerbium, *ne Sutor vltra crepidam. Calceolarius* porro & à *Pagano*, & ipſius collegis D. Profeſſoribus, & à literarum denique ſtudioſis plane exſibilatus atque exploſus, domum non ita multo ſeſe refert, ciur-

bus

bus illi aurem subinde vellentibus, vt sese subduceret, priusquam studiosorum pugnis & calcib. conscinderetur. Ne igitur sibi ipse deesset, ac malum veluti turdus cacaret, illis ad extremum auscultauit, moremque gessit.

Studiosi requisita.

ARdua Parnassi superare cacumina montis
Vis quicunq; etiam moribus esto probis.
Cum claris versare, fuge execrabile vulgus,
Nec lurco, neq; sis aleo, neue thraso.
Nec sis erro vagus, neq; sis nugator, amator,
Delator, gnato, lucifuga, ardelio.
Multa audi, ipse parum loquere, & tristissima perfer,
Perfer, & vsq; vide, cui sit habenda fides.
Sis humilis, nunquam paribus te prafer, honora
Maiores, minimos qua potes arte tuua.
Adfectus inhibe, fama mendacia ride
Et bonus esto bonis, & bonus esto malis.
Denique quo curto complectar singula versu,
Sis studiosus homo, non odiosus homo.

D. Melchior Hause, Poeta nostri huius seculi & ingeniosissimus & nobilissimus.

XXIII. De quodam adolescentulo, suæ ipsius matri stuprum inferente, dum huius quidem cum ancillula coire sese arbitraretur: & postea filiam, quam ex hac sustulerat, per ignorantiam vxorem ducente, ita quidem, vt suam tum filiam, tum sororem, in matrimonio habuerit.

ERPhordiæ puella quædam ex honesta familia nata, & pudica, cuidam seruiuit diuiti mulieri viduæ. Eius filius adolescens captus forma & amore puellæ, sollicitauit eam ad concubitum. Indignum facinus auersans puella (vt honestam decet)

cet) aliquoties à se repulit adolescentem furiosum. Denique cum quotidie magis magisque instaret, & in suo illicito instituto perseueraret, puella rei indignitate impulsa, vt famæ cõsuleret, suãque pudicitiam à summa infamia vindicaret, matri rem ordine narrat, monetque vt filio sibi insidias struenti frenum iniiciat. Mater re deliberata, init rationem cum puella, iubetq; in filii amorem consentire, vt certam horam, qua conuenire, & rem perficere tutissimum videretur, constituere. Se enim eo ipso tempore constituto, eius occupaturum lectum, & hac occasione filium tam indigna conantem repressuram. Consilium probat puella, init pactum. Filius hora noctis præfinita ad est, petens ex pacto concubitum puellæ. Mater quæ antea filii furores hac arte cohibere & frenare constituerat, victa libidine, & instinctu Diaboli, filio prostituit corpus. Nascitur ex indigno & incestu concubitu fœmella, quam expositam, & ab aliis educatam, mater tandem ad se recepit, mota affectu materno. *Idem filius* harum rerum omniũ ignarus, & hanc amare sibique vxorem dari postulat. *Mater* in summis angustiis constituta, dehortatur filium, & reluctatur quantum potest cupiditati illicitæ. Ille inuita & repugnante matre, dat fidem puellæ, ducitq; eam in vxorem (nam eo tempore vsitata & rata erant clandestina spõsalia). Post nuptias mater dubia & desperabunda sibi ipsi vult afferre manus violentas, angitur. n. de incestu, qui fieret inter coniuges singulis noctib. nec poterat coniugium dirimere. Cum autem sola conscia esset, nec sola posset sustinere amplius dolorẽ, & angustiam animi, accedit *Confessorem*, negotium exponit, & petit ab eo consilium & consolationem. Ille incertus & attonitus atrocitate rei, non habet quod consulat. Itaque *Iureconsultis* idem casus offertur

fertur. Hi quoque de iure ambigunt, vt in casu inusitato, & censent committendum esse diuinæ bonitati. Verum id non satis erat, necdum liberata erat conscientia a dubitatione & desperatione. Tandem ad *Theologorum* collegium defertur res, hi optimam sententiam tulerunt.

Primo, quærebant an sciret filius cõiugem suam matris esse filiam, conceptam ex suo sanguine. Mater negauit eum id scire. Solus Deus inquit & ego conscia sum, nec puella vxor filii nouit se mariti esse sororem.

Deind, interrogabant, an esset bonum coniugium, & quomodo inter eos conueniret. Optime inquit. Decreuerunt ergo afflictæ conscientiæ matris absolutione consulendum esse. Filio autem matrimonium iam diu sponsalibus & solennitatibus nuptiarum copulaque carnali confirmatum, concedendum. Matrem enim esse vnicam personam, quæ non posset probare rem, & secutura ingentia mala distractionem coniugum.

D. Lutherus Tom. V Vittemberg. Latino V I. pag. 492. 493.

EQuus non concumbit vel coit cum matre. Est historia apud *Aelianum*, quod quidam equus est admissus ad equam matrem, propter generositatem, **ist ein köstliche gute art geweſen / daruon man gern hett mehr gezogen /** & est admissus velato matris capite. Is postquam agnouit matrem suam esse, cum qua coierat, præcipitauit se de saxo. **Solche ding solt jhr mercken.**

D. Pezelius Postil. Philip. Melanch. Part. 4. pag. 708.

TOto pectore cohorrescit aliquis cum legit historiam Oedipi, **Wie er ſeine Mutter zur Ehe nimpt /** & duo fratres certant inter se, **bringen ein**

ein ander vmb / & soror media inter fratres iacet, & se ipsam interficit. Mater se suspendit, das sind grewliche pœnæ incestarum libidinum.

idem ibidem pag. 767.

XXIV. Historia mirabilis & memorabilis de Mundo in Paulinæ sinum atq; complexum haud repugnanter admisso, propterea quod se pro Anubide Deo nocte socia gessisset.

EO imperante, famosum ludibrium *Paulinæ* spectatissimi generis fœminæ, *Romæ* percelebratum est. Quæ cum egregiam castitatis famam apud omnes haberet, esset etiam spectatissimi decoris & eminentis gratiæ, tentata *Mundi* equestris militiæ ducis interpellationibus, nec inflexa: vitio nimiæ superstitionis patuit errori. *Mundus* namque subornatis *Isidis* sacerdotibus, qui velut *Anubis* ad eam mandata perferrent, quod eam ad templum inuitaret, delectatum se eius sedulitate & pudicitia, noctem poscceret, habere se quod eidem secreto vellet committere. Quod illa accipiens læta, ad maritum detulit, Deum suis adesse votis, ab eo suam posci præsentiam, negare se non posse obedientiam. Itaque & ex sua, & ex mariti sententia pergit ad templum *Isidis*, noctem exigit, remotisque procul arbitris, quasi sacri cognitionem mysterii perceptura, sese stratis composuit suis, æstimansque ad eam Deus suus in somnis veniret, & per visionem sese eidem demonstraret. Verum vbi aliquid noctis processit, qui facilius mulier plena somni deciperetur, *Mundus* assumpto vultu *Anubis* habituque aduenit, vestimenta alleuat, in oscula ruit. Expergefactæ mulieri *Anubem* se esse dicit, vultum *Anubis* prætendit: illa Deum credidit, beatum se esse asserit, quod eam dignatus sit visitare *Dominus Deus suus*. Amplexum petenti non negat, refert

refert tamen vtrum Deus possit homini misceri? Ille promit exempla, quod & Iouem summum Deorum *Alcmena* susceperit, & *Leda* eiusdem cõcubitu potita, & plurimæ aliæ quæ ediderint Deos partu. De se quoque Deum ex illa esse generandum persuadet, mulieri concubitu miscetur. Redit ad maritum lætior, dicens *quod Deo mixta sit mulier, & eius promissu Deum esset generatura.* Fit ingens in stupro mulieris & mariti gaudium. Postea occurrit *Mundus*, & ait mulieri, Beata *Paulina* concubitu Dei. Magnus *Deus Anubis* cuius tu accepisti mysteria. Sed disce te sicut diis, ita & hominibus non negare, quibus dii tribuant, quod tu negaueras, quia nec formas suas dare nobis, nec nomina dedignantur. Ecce ad sua *Deus Anubis* vocauit & *Mundum*, vt tibi iungeret. Quid tibi profuit duritia tua, nisi vt te xx. millium, quæ obtuleram, defraudaret compendio? Imitare Deos indulgentiores qui nobis sine pretio tribuunt, quod abs te magno pretio impetrari nequitum est. Quod si te humana offendunt vocabula, *Anubem* me vocari placuit, & nominis huius gratia effectum iuuit. Hoc perstricta sermone mulier, illusam se intellexit, & dolens iniuriam pudicitiæ, confessa est fraudem marito. *Ille nihil habens quod exerti indignaretur, cui ipse cubandi in templo potestatem permiserat, & consensu coniugalis castimoniæ, principi querelam detulit.* Qui motus potentis viri contumelia, atque atrocis flagitii commento *sacerdotes* è templo rapit, quæstioni subiicit, confessos necat, simulachrum *Isidis* Tiberi demergit, *Mundo* fugiendi potestas concessa, eo quod vi amoris & formæ superatus gratia, leuiorib. commissorum suorum pretiis multatus æstimaretur.

Egesippus lib. 2. cap. 4. pag 24.

XXV. De

XXV. De Henrico Quarto probante coniugis suæ fidem.

CÆperat Henricus quodam sic tempore Quartus
Noscere fallaci coniugis arte fidem.
Coniugis vt meles, forma qui claret in aula
Amplexus mandat concubitusque putat.
Compellat miles dominam, illicitosque hymenæos
Offert, & Domina stupra nefanda sua.
Denegat hoc coniunx facinus committere casta
Ne violet casti fœdera casta thori.
Post vbi cognoscit fraudem insidiasque mariti
Insidias contra tendere docta parat.
Callida, quod petiit miles, promittit & offert,
Cum peregre coniunx iuerit ipse suus.
Coniugis Henrico milos referebat adulter
Tadas promissas furtaque grata sibi.
Cæsar post simulat serum sub noctis abarce
Discessum, rediens attamen vrbe latet.
Militis hinc vestes indutus Cæsar, adibat
Coniugis ad castæ tecta thorumque suæ.
Virgineo coniunx vestitu legerat ante
Cum telis iuuenes, cum baculisque sibi.
Militis vt tundant corpus venientis, & ora.
Qui tentet Dominæ commaculare thorum.
His tundunt ergo baculis telisque fatigant
Cæsareum fortes corpus & ora diu.
Parcite contusus bene, quaso parcite clamat,]
Vir tuus, o coniunx, sum mihi parce rogo.
Agnitus à cunctis Cæsar digneque repressus,
Coniugis eximiam laudat amatque fidem.

Lucas Lossius in Epig. pag. 221.

XXVI. De muliere quadam adultera.

MOEcha habuit quondam mœchantem fœmina, (apud se
In camera patrans turpia facta, virum.

Tresque

Tresque habuit gallos: primus cum concinit ales
Hæc domina fatur seruula fida sua.
Si domina hic quæris gallus quid cantet amator
Est nostra in camera cantat adulter hera.
Gallum hunc post miserum cito mădat mœcha necari,
Turpia ne dominæ prodere furta queat.
Succinit hinc fratris miseratus fata secundus
Seruam quid cantet dicere mœcha iubet.
Gallus ait cantat, meus est quia vera locutus
Occidit heu frater dispereitq; miser.
Tertius hinc monitus, fortuna fratris acerba
Aliger hæc cautus verba notanda canit.
Qui placidam in mundo sibi pacem quærit, & optat,
Sit surdus, mutus, luminibusque carens.

Gallus { 1. *Christus, propheta, & Apostoli.*
2. *Illorum successores.*
3. *Adulatores tyrannorum.*

Idem ibidem pag 276.

XXVII. De Alberto Saxoniæ Duce.

II. 199.

DVx Saxoniæ Albertus, cum sederet in conuiuio, & alii principes prædicarent suas ciuitates, & quærerent ex eo quid ipse haberet, quod insigne esset in suis ditionibus. *Nescio* inquit, *quid possim prædicare de meis rebus*, (nam viri graues & heroici non multum iactitant sua) *habeo tamen ciuitatem vnam, in qua sunt tria, quæ mihi admiratione digna videntur.* Lipsiæ sunt Monachi triplices.

Melanthon XXIV, 85 XX, 543

Vnum est genus monachorum, qui habent multum frumenti, & nullos agros, das sind die Barfüsser.

Alterum genus habet multum pecuniæ & nullos reditus, das sind die Prediger Münche.

Tertium genus habet multos liberos, & non habet vxores, das sind die Carmeliter Münche.

D. Pez. Postil. Phil. Mel. par. 1. pag. 174.

XXVIII Eine edele/gewisse vnd bewehrte Kunst/ so mit keinem Gelt zubezahlen/wie die Weiber jhre Sachen anstellen sollen/ daß sie feinen guten langen Flachs bekommen

QVam sollicitæ mulierculæ pleræque sint omnes, quoties quidem agrum aliquem suum lino conserendum curant, nemini puto esse patrifamilias non explicatum. Etenim tum quidem precibus ad Deum Opt. Max. pie sanctequę effusis, enixe postulant anxieque, vt illud cum bene longum, tum vero quam optimum euadat. Ne igitur voto hoc suo non potiantur, volui equidem hoc eum ipsis in præsentia amuletum non ita pridem ex *Thuringia* ad me missum communicare, in spem minime dubiam erectus, futurum certe, vt gratiam ab ipsis minime malam ineam. Hæc autem verba vxores nostræ, quas amare meritissimo pro eximia ipsarum suauitate, in oculisque ferre debemus, linum serentes, nonies, nonies inquam (*sensibus hæc imis res est non parua reponant*) voce quanta poterunt maxima, & quidem perquam religiose recitabunt.

Jch seh jetzunder meinen Lein/
In das gedünckte Land hinein.
Vnd wünsch daß er mir nicht eh blüh/
Biß daß er mir reicht an die Knih.
Krieg auch nicht ein einge Knott
Biß er mir geht biß an die Fott.
Also nun wachs/
Mein lieber Flachs/
So wirstu gut vnd lang/
Verdienst vmb mich auch grossen danck.

Quid quæris? non illæ voti compotes sui non euadent, nobis quidem hac in parte si auscultauerint. Der bosse wirdt jhnen angehen/probatum est, noli dubitare.

XXIX. De duabus mulierculis mutuo altercantibus.

SVscipiebat muliercula quædam rustica grauem olim cum vicina sua de asini, quod aiunt, prospectu simultatem. Quum igitur diu multumque verba inter sese commutassent, & altera grandia fecisset alteri quam petulantissime conuitia, altera quæ frugi haberi volebat, in hanc ad extremum erupit vocem, vt diceret: lippis vtique atque tonsoribus notum est, matronam me esse honestam atque innocentem: cum omnes contra non modo homines, sed & pecudes norint, te veneficam esse pestilentissimam. Quo dicto ne altera sese de crimine sibi illato non perpurgaret, in hæc mox verba perquã stomachose respõdet. Mentiris, mentiris inquã procaciſſima atq; adeo innumerabiliũ priapis perterebrata lupa sagam me esse. Stryx equidem haud sum. A veneficiis namque & cantionibus tam sum ego aliena, quam tu es ab omni honestate atque pudicitia remota. Non sum ego incantatrix, non sum, non sum inquam, vt sis sciens meretrix triobolaris. Hanc artem ita me Deus bene amet cum didici nunquam, tum vero nullo vnquam discam tempore Ne multa, incantare equidem nescio, absit à me tantum maleficium. Cæterum hoc vnum minime omnium inficior, si quid ego cuipiam mali imprecor, id non illi vsu mox morque non euenire, **du leugst du loser stinckender Hurensack/ich bin keine Zauberin: Aber was ich einem böses wünsche/ das muß jhm von stunden an widerfahren vnd im Garten wachsen.**

O bellam excusationem.

XXX. De Tilemanno Vngvitterio, & Bartholomæo Clausio musicis.

Eiterhanii, qui pagus est Hassiæ, verbi diuini præconem olim egit Tilemannus quidam Vngvvitterius. Hic quidem præterquam quod literis esset mediocriter tinctus, Musicus quoque erat eximius, ita quidem, vt & artem componendi, vti vocant, calleret. Solebat is sæpe multumque patrem meum per id tempus visere, cum quidem Cassiliæ inter ludimagistros scholæ istius honestum locum obtineret. Huic enim & cantiunculas suas nuper à se compositas exhibebat, & cum ipso partim canebat symphonia, partim vero familiares sermones vltro citroque conferebat. Quodam porro tempore, cum & Bartholomæus Clausius, & Carolus Neomenius, & Ioannes itemque Calcarius principis Symphoniaci parentem meum officii caussa conuenissent, euenit, vt & Tilemannus ille accesserit. Quem pater meus beneuolentia sua singulari complexus, assidere mox ipsis iubet, percontaturque eequid cantilenarum nouarum apportaret. Quod vero nullas ipse suas afferret, rogatus caussam, respondit. Diu mehercule est, cum cantionem composuerim plane nullam, quod istud studium non sit de pane lucrando. Itaque perlectis diligenter annorum nunc xv. spatio, est D. Lutheri, & Spangenbergii, & Cordati, & Coruini, & Huberini, & Gigantis, & Matthæsii, & Musæi, & Fischeri denique Postillis, omnem inde medullam elicui, in vnumq; corpus congestam, pulcherrimum librum ac vtilissimum confeci, quem processu sum temporis, si diuina fauerint, in apertum prolaturus. Sagte er hette auß obgedachten authoribus den Kern gestochen / vnnd ein stattliche Postillu zusammen gezogen/ die er in kurtzem wolt trucken lassen. Id audiens Clausius quem minime fugeret ipsum à doctrina parum instructum esse, & latinæ linguæ cognitionem habere plane nullam,

jam, cum excanduit, tum vero hanc misit vocem: **Ach du armer Teuffel/ hastu den Kern auß solcher Leuten Schrifften gestochen/ du soltest den Kern auß einem Esel stechen. Solche Leut hetten dich verachtet zustellen vnder jhre Schaafhunde/ vnder die Banck mit deiner Scheißpostillen/ vnder die Banck mit jhnen.** O te miserum tune medullam ex tantorum scriptis virorum excerpsisti? dignus mediusfidius qui quidem asinam aliquam delibes futuasque. Enimuero isti te homines non putassent dignum, quem in canam villaticorum suorum numero locoque duxissent. Apagesis mysorum vltime cum Postilla ista tua in malam rem. Ceterum cur tantopere in ipsum debaccharetur *Clausius*, caussa erat vtrope alia nulla, nisi quod propter vnum Musices studium simultatem cum ipso exerceret. Quantū porro pertinet ad Postillā istam D. Tilemanni nostri, nunquam illa lucem aspexit, sed hoc diuinum opus Alcimedontis in nihilum occidit, nullo, vt nostra fert opinio, ecclesiæ interitrimento. **sie ist nicht in den truck kommen/ sondern in den dreck gefallen.**

Hesiodus.

ζηλοῖ δέτε γείτονα γείτων,
εἰς ἄφενον σπεύδοντ' ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.
καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Quos quidem versus Vlpius Franekerensis Frisius sic vertit:

Nam vicino aemulus vsq;
Vicinus diteſcenti: at pugna vtilis haec eſt.
Sic figulus figulum, sic & fabrum faber odit,
Sic vates vatem male fert: sic trux & iratum.

Magnus autem ille Erasmus noster sic.

Semper vicinus vicino est æmulus, hunc vt
Condere cernit opes properantem gnauiter, atque
Concertatio conducit mortalibus ista.
Odit ita fabrum, faber figulo, molestus
Est figulus: mendico protinus inuidet alter
Mendicus: Cantor cantorem liuidus odit.

XXXI. De Anagrammatismo.

MVltus huius est hodie apud Gallos, quorum lingua mollior & delicatior elisiones διαιρέσεις, enunciationes diuersas, & cognatione ambiguas, mutationes varias & elegantes, atque in transpositione concinnas, allusiones venustas, plures recipit, quam reliquarum gentium linguæ. Concinna est nominum *Francisci Valesii*, & *Henrici* filii, κατ' ἀναγραμματισμὸν cõmutatio, *Fransoys de Valoys*, *Franciscus Valesius*. Hoc nomen μεταγραμματιζόμενον, reddit talem sententiam. *De fason suys Reyal*, id est, ipso gestu sum regius. *Henry de Valoys*, *Henricus Valesius* κατ' ἀναγραμματισμὸν parit hanc sententiam, *Roy es de nulhay*, id est, *Rex es, quem nemo odit.*

Catharinæ Medicææ Reginæ Galliæ Henrici coniugi inscriptionem hanc, Catherina de Medicis Regina mater per Anagrammatismon conuerterunt in hoc elogium, *Dira in me regnat Circe, Media, Thais.*

Est ἀναγραμματισμὸς ingenii ludus quidam, habens suas delitias, quas, si voluptatis caussa citra contumeliam cuiusque vsurpentur, & si absit profanitas & superstitio, non ducerem magnopere vituperandas. Si vero superstitio accedat, scilicet, si ad scrutanda ignota & futura illa transferatur,

vel, si struat contumeliosa aliis, ferenda est. *D. Peucerus in Commentario doctissimo suo de præcipuis Diuinationum generibus pagin. 253. b. editionis Seruestanæ.*

XXXII. De Iacobo Kornrumpfio rustico atq; mercenario Honensi.

NOui ego Honæ Hessorum *Iacobum* quendam *Kornrumpfium* perdita nebulonem nequitia atque improbitate, & qui neque Deum reuereatur, neque homines, atque adeo indignus sit, quem quidem terra sustineat. Is quattuor ab hinc annis ante domunculæ suæ ianuam sedens, calciamenta sua reficiebat. Quod autem globulum picis, qua infici fila sutoria solent & oblini, vel ipse incuria quadam sua perdidisset, vel liberi certe illius paruuli in hortulo lusitantes abstulissent, nusquam iam massa ista picea gentium apparebat. Quamobrem vxori mox suæ non sine stomacho mandat, vt ipsam in fimeto stramentisque quærat. Hoc ipsius mandatum dum coniunx accurate exhaurit, ecce tibi in pomum quoddam equinum, magno suo malo incidit, idque sublatum marito suo tradit, amissam picis massulam esse rata, quod stercus istud & rotundum esset, & giluum. Vt primum autem maritus illud accipit, vxorem mox suam eo petens, insit, tunę mihi malefica excremẽtum equinum pro pila picea offerre audes? Abripiant me mille cacodæmones, hoc quidem impune si feres. Nec mora, ipsi in capillos confestim inuolat, humique prostratam, cum pugnis, tum calcibus miserandum in modum contundit. Neque vero animaduersione isthac asperiore contentus aut satiatus diras insuper in ipsam effundit, vt vtroque mox oculo orbata, cæca euadat. Verum quid fit? Postquam vxore sua indignissimis modis

accepta, ad calceos suos concinnandos rediret, & ipsis manus iam iam sarciendis admoueret, ecce tibi subula ea, qua calceamina perforabat, dexterum sibi oculum casu & fortuitu eruit. Vnde fit, vt cum antea eiulatus esset muliebris auditus, nunc viriles ploratus atque quiritationes ad rusticorum aures accederent. **Ach mein Auge/ach mein Auge.** Qui igitur non ita pridem horrendas ipsius blasphemias, & maledicta, & imprecationes audierant, ii quidem extemplo accurrunt, visuri quid nebuloni tantopere quiritanti, & lamentanti accidisset. Ipso vero lamentabili voce querente sua se tibi subula dexterum forte fortuna oculum exsculpsisse, respondent vicini, næ iure hoc ipsum tibi obuenit nebulo, diuina te haud dubie vindicta persequente. Etenim quantopere in coniugem istam tuam sæuieris, quam horribiles & atroces euomueris blasphemias, quantas sis ipsi denique imprecatus diras, nos quidem & oculati, & auriti sumus testes. Proinde voluit ille præses mundi & rector vniuersi Deus qui scit omnia, cuiusque diuinis oculis nihil est septum, tua ipsius conscelerata manu ad te puniendum vti, vsurus porro carnificis opera & manibus ad te non solum plectendum, sed & tollendum è medio, nisi quidem ad frugem meliorem mature te receperis. Etsi vero vxorem ad necem vsque verberauerat, ipsa tamen simulac intellexit, quid illi euenisset mali, omni acceptarum iniuriarum & plagarum memoria deposita, actutum aduolat, ac viri sui casum commiserans, eximia ipsum humanitate atque beneuolentia sua complectitur, ne transuersum quidem vnguem (vt aiunt) à nebulone discedens, sed illi indiuulse adhærens, & cibum præbens potumque tantisper, dum sese confirmasset, & meliuscule iam haberet. Cattis popularibus meis est in prouerbio, & recte quidem ac vere:

Die

Die Wünſche han ein guten Sinn/
Wo ſie außgehn/da gehn ſie in.

XXXIII. De quodam literarum ſtudioſo Thuringo.

RVſtici cuiuſpiam *Goltbacchiani*, opulenti hominis filius, cum Gothæ optimarum artium ſtudiis aliquandiu operam dediſſet, *Erphurdiam* ſeſe ad vberiorem ingenii cultum percipiendum conferebat. Vbi quidem quum annum vnum atque alterum cõfeciſſet, febri quartana correptus, domum reuertitur, inibique menſes aliquot cum morbo iſto grauiter & ſatis cum periculo conflictatur. Itaque eccleſiæ iſtius paſtor ſæpe ipſum multumque officii cauſſa interuiſit, & familiariter cum ipſo vltro citroque cõmunicat. Quodam autem tempore cum eccleſiaſtes peregre profectus, ipſum aliquot diebus non viſiſſet, domum reuerſus, nihil ſibi prius faciendum putauit, ac vt ipſum quam primum conueniret, atque his quidem verbis alloqueretur. *Domine Iacobe, & nunc tuæ res ſeſe habent? ncommodane tandem aliquando ualetudine emerges?* Febriculane decedet? *Cupio quidem herule.* Huic reſpondet ægrotus, *Domine paroche, ſpero meliora, iam enim manducaui Oues duas.* Quem quidem paſtor blande comiterque errati admonens, inquit *hem Domine, non duas oues, ſed oua duo.* Eo audito ſtudioſus obſtupeſcit, & paulo poſt ſeſe colligens in hanc vocem indignabundus erumpit **es ſehen Oues oder Oua, ſo ſihet mans ja vor augen an den Schalen / ſo in der Schüſſel ligen/was ich geſſen habe/jhr wolt alles faden recht haben** Siue Oues ſint ſiue Oua, de eo equidem nõ multum laborauerim, neq; vero illud in vllo prope diſcrimine poſuerim, propterea quod teſtę quidem iſtæ atque putamina in catino iacentia ſatis

loquantur ſuperque, quid deuorauerim. Quæ (malum) ſcrupuloſitas eſt nodum te in ſcirpo quærere? Poſteaque cum dorſum verbi diuini præconi obuertit, tum verbum facit omnino nullum, ſed totus in fermento iacens, parietem intuetur.

Solomo Prouerb. 12. v. 1.

Qui amat caſtigationem, amat ſcientiam, & qui odit increpationem, inſipiens eſt.

Cicero.

Cuius aures ita clauſæ ſunt veritati, vt ab amico verum audire nequeat, huius ſalus deſperanda eſt.

Terentius.

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Incerti autoris.

Hæres & iungit iunctos & ſeruat amicos.

Lactantius lib. 5. cap. 9.

Veritas ideo ſemper inuiſa eſt, quod is qui peccat, vult liberum habere peccandi locum, nec aliter ſe putat malefactorum voluptate ſecurius perfrui poſſe, quam ſi nemo ſit, cui delicta non placeant. Ergo tanquam ſcelerum & malitiæ ſuæ teſtes extirpare funditus nituntur & tollere, grauiſque ſibi putant tanquam vita eorum coarguatur.

Q. Curtius lib. 3.

Darius veritatis impatiens, Eudemium maxime vtilia ſibi ſuadentem abſtrahi iuſſit ad capitale ſupplicium.

ἀδήλως.

MVmpſimus indoctus quidã amuſus ſacerdos
In preculis quondam protulit vſque ſuis.

Sic

Sic puer imbutus sic accedentibus annis
Contigerant canos emeritosque pilos.
Nec castigari se à quoquam, sine moneri
indocilis plane ridiculusq; tulit.
Non plus quam cuiuis asinus, vel amica luto sus,
Pro sale queis animam dixeris esse datam.
Quid dubitem similes huic omnes dicere qui qui
Erratis gaudent vulgus agreste, suis.
Omnes inflati tumido pulmone Philauti,
Ad rectum surdi loripedesq; viri.
Proinde licet clames & crebris vocibus instes
Sumsimus obtrudunt Mumpsimus vsq; suum.
Hoc est, (ni fallor) sese traducere vulgo,
Et sieri frontem stigmata vellepalam.

XXXIV. De alio quodam Oophago.

SOlebat *M. Ioannes Blauius*, Scholæ olim Cassellanæ Rector fidelissimus, quem honoris caussa nomino, finito iam examine publico, discipulos suos, imprimisque eos, qui præ cæteris pulchre stetissent, quæstiunculis quibusdam germanicis exercere, ad quas quidem illi latine respondere ex tempore cogebantur. Cõuersus igitur aliquando ad N.N. inquit, **du sihest mich an / als daß du wol schnabulirn vnd schroten könnest / wie viel trawest du wol deß tages Eyer zu essen / bekenne recht zu / halt nicht hinder dem Berge.** Tu vero N.N. videris mihi esse insignite edax, ac multi cibi homo, cedo igitur mihi, quot tu putas die te vno oua manducaturum? Caue me quid cœles. Ille diu haud præmeditatus, ita vti solent scilicet ingenioſi cordatique homines, confestim respondet, *D. Præceptor* facile equidem nulloque negotio, ne quid dissimulem, oues die comederem vna decem. Quattuor nimirum ientando, & tres prandendo, & totidem denique cænando. Quo audito *Blauius* in risum

risum solutus, respondet, hui tunę die vno oues deuorabis decem? Dii vero meliora: id ne à lupo quidem præstari posse putauerim. **Ey wolteſtu deß tags zehen Schaaf freſſen/das wer je einem Wolff gnug.** Discipulus igitur agnito errore mox inſit, hem lingua anteuertit mentem *D. Præceptor*, mihi vero oua comedere decem die vno procliue foret ac minime operosum. Quod ipsius responsum *Blasius* iterum risu excipiēs ait, ne quid nimis: Quod si die tu vno tantum ouorum numerum deuorare potes, mensa te equidem nostra nunquam communicauerim. **Nun das were warlich gnug / wer es anderſt nicht zu viel/kanſtu deß tags zehen Eyer freſſen/ſo dienſtu mir in meine Küche nicht.**

Collectanea contra Voracitatem.

Syracides cap. 38.

Ne opphas te quibusuis cibis lautis, neque auide vores. Nam voracitas ægritudinem conciliat, & inexaturabilis helluo vexatur torminibus. Plerique enecti sunt crapula; qui autem moderate vixit, longæuus erit.

Cicero.

Tantum cibi & potionis adhibendum, vt resiciantur vires, non opprimantur.

Idem.

Integram famem ad ouum affero.

Plinius lib. 28.

Lucullus seruum habuit, qui auidius voranti manum deducere solitus est. Hic seruo suo facilius, quam sibi ipse parebat.

ἀδήλως.

Sume cibum modice: modico natura fouetur,
Sic corpus refice, ne mens ieiuna grauetur.

Mart.

Hartmannus Schopperus in Speculo Vitæ aulicæ pag. 352.

Ne te ita cibo suffartias, vt inter porcos videaris educatus. In primis venustus est versus,

Ne viuas vt edas, sed edas vt viuere possis. Turpe enim & detestabile est, ita ventrem replere, vt vix cibo sumpto tormina aliasque toleret passiones. Nec quid maiorem videtur irrisionem mereri, quam si ægritudinis tuæ causam in superfluum cibum potumque conferas infusum. Vidi ego olim in cænobio quodam (qualia hodie pauca) religiosos fratres singulos cantharis suis hunc inscripsisse versum:

Sume merum modice, modico natura fouetur.

Ambrosius in Hexaemero.

Ieiunium fugis, & medicinam quæris, quasi aliud maius remedium reperire possis.

Cornelius Celsus.

Sæpe multi magni morbi, quiete & abstinentia curantur.

Idem.

Intemperantia morborum procreatrix, & medicorum nutrix est.

Philip. Mel.

Quartanæ præter moderatum victum, nulla medicina adhibenda est.

Idem.

Wir Teutschen fressen vns arm/kranck/ vnnd in die Helle.

Idem.

Tria saluberrima.

2. Vesci citra saturitatem.

1. Non

2. Non refugere laborem.
3. Vitale semen conseruare.

Plato.

Plato in Timæo iubet παιδαγογεῖν διαίταις, hoc est, diæta moderari corpora, nec præter fatum pharmacis maiores morbos accersere.

Flauius Vopiscus.

Aurelianus Imperator medicum ad se cum ægrotaret nunquam vocauit, sed ipse se inedia curauit.

Contra defluxiones capitis.

Ieiunent, sitiant, vigilēt, hæc ῥεύματα pellunt.

Incerti authoris.

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant,
Hæc tria mens hilaris, requies, moderata diatæ.

XXXV. De alio quodam ingluuioso nebulone, nauta cuiusdam seruulo.

MVnda olim nauicularius quidam, & caseos, & oleum, & mella, & butyrum, & haleces, & salpas, & passeres marinos, & salmones, & laridum, & cannabim, & id genus deniq; alia nauigio Eschuegiam transportabat Quibus quidem institori istic traditis, pedem mox refert eoque ipso adhuc die *Vacham* perueniens, *ad Iacobum Schornsteinium*, vinum tunc pyri (sic enim Palladius in Februario mihi pag. 124. *Palladius* vocat Birnmost, non siceram vt nonnullis placet) vendentem, cum operis suis diuertit, inibique cum pernoctat, tum vero pergræcatur. Quod vero nauarchus in famulitio suo haberet adolescentem quendam, illum quidem impigrum, laboriosum, officiique plenum, sed inexplebilis pertusique propemodum atque adeo

adeo fundo carentis hominem ventriculi, ex ipso cœna quærit, num ad satietatem vsque comedisset. Quod si satur adhuc non esset, curaturum se plura afferenda quibus quidem vescatur. Huic respondet *Polyphagus*, equidem latrantem stomachum aliqua iam ex parte compescui atque placaui here, interim tamen si oua sorbilia xxx. cum panibus similagineis iv. afferenda mihi curauetis, magnam tu quidem gratiam abs me inieris. Quid multa? Hospes *Schorusteinius* homo affluens omni lepore & venustate de mensa mox surgit & oua apportat xxx. eaque *manduconi* isti crudi exhibet, quo ipse sic illa elixet coquatque, vt palato suo per omnia respondeant. Cæterum his ipsis ouis gallinæ aliquandiu incubuerant, iisque non ita multo post desertis, cum gallo sese gallinaceo sese sociauerant, ita quidem, vt neque pulli inde excludi aliqui, neque commode iam ea manducari posse viderentur, sed essent nullius prorsus pretii & cum rancida, tum putrida. Has nimirum *Schornsteinius edoni* isti cupedias de nauiculatoris voluntate atque sententia præbendas esse censuit, vt singularis ipsius ac prope incredibilis ingluuies aliquo modo retunderetur. Simulac vero *Pamphagus* oua accepit, in culinam sese confestim confert, & cacabo ea indit, & ad ignem apponit, & vix aut ne vix quidem feruefacta inde eximit, & in hypocaustum se recipit, & cæteris itemque assidens ad deuoranda ista strenue nauiterque aggreditur. Quoties autem ouum iam aliquod exsorpserat, toties exclamabat, **Da geht afer ein gůcheri aff**/hic iterum pullus aliquis gallinaceus interit in nihilumque occidit. Quem quidem ipsius sermonem, incredibile est, quanto sint cæteri risu prosecuti, minime nimirum ignari, oua ista & incubita esse, & feciſſe vitium, & itemque putere. (**Daß sie behext wären**

Blut

Blut gefangen hatten / vnd begunten zu büthen). Quod tamen ipsum nebulo ille gustu haudquaquam sensit, quippe linguam corio bubulo obductam brutamue habens **hette eine Zungen mit Leder oder stück Lappen besetzt.** Quoties porro ouum quodpiam sorbillauerat, toties ouo illi & panis aliquot similaginei bucellas addebat, & præbibi sibi mox poculum vini postulabat pyri, inquiens, **opp ein Ey ein trunck / opp ein Appel ein sprung.** Ouo aliquo comesto guttur vtique est probe proluendum probeque: contra vero pomo aliquo manducato saltandum est. Itaque & totilli cululli exhauriendi fuerunt, quot quidem oua (xxx. nimirum) putida cum panibus similagineis 1v. deuorauerat, iis quidem qui illi præbibebant non sine cachinnatione dicentibus **auff einen guten bissen gehört ein guter trunck.** Cupedias vero istas tuas bonus subsequatur & comitetur haustus oportet. Vnde factum est, vt homo voracissimus nō cibo solum delicato isto atque opimo, verum vino etiam pyri minime (si diis placet) contemnendo ad ambas vsque aures sese complerit atque refarserit, ac non ita multo post, incredibilem prorsus in modum, tum vomuerit, tum vero cacauerit, hæc identidem verba crepans, **datt juck gücken die sterrte sücke rhore / wie hefft hü den düfell im liefe.** Vt pullos vos gallinaceos dii deæque omnes perdant, quam misere ventrem meum affligitis atque excruciatis. **O der Beremost / es ein düfelisch bose thüch / wer enn süpet der mot kotten vnnd seyten.** Enimuero pyri est vinum exitiosus quidam & execrabilis atque adeo detestandus diabolicusq; potus, vsquequaque vtique bibentem ipsum perpurgans, sic prorsus, vt potanti ipsum & vomendum sit affatim, & cacandum. Hic nebulo quum postridie sumpturus ientaculum, oleret hircum, hanc

canti-

cantilenam à *Schornsteinio* optimo & salsissimo homine audire cogebatur,

Wer sich befleist Birnmost zu trincken/
Dem werdn die Hosen vbel stincken.

XXXVI. *De duobus fratribus germanis, quorum alter homo laboriosus & circumspectus, facultates suas mirifice adauxit & cumulauit: alter vero minus prouidus & cautus, atque adeo rei familiaris administrandæ prorsus ignarus, ad extremam egestatem redactus fuit, licet æqualiter cum fratre paternarum opum adisset hæreditatem.*

DVo germani fratres, cum ex æquo satis amplũ & lautum patrimonium à parentibus accepissent, alter suarum rerum bene gerens, reique familiari probe seruiens, opes paternas hæreditate acceptas, mirum in modum amplificat augetque, ita quidem, vt ab omnibus & diues, & locuples habeatur. Alter vero suarum rerum omnino negligens, ad extremam fere mendicitatem redigitur. Quid vero istuc mirum? Necesse est enim vel aureos (quod aiunt) montes imminui & liquefieri, si continenter profusos facias sumptus, neque rebus iam partis quicquam adiicias. Itaque alter hic frater, magno suo dispendio tandem animaduertens, bona sua pessum ire, magnaque se rerum inopia premi: cõtra vero fratrem omnium rerum copia affluere, & apud omnes (quod fieri consueuit) gratiosum esse, accedit ad eum, rogat, qui fiat, cum æqualia bona à parentibus vtrique relicta sint, ipsius indies magis magisque crescere, amplificari, augeri: sua vero imminui, atteri, consumi. Necesse esse eum singulari quadam arte fortunas suas procurare, alioqui fieri non posse, vt tanta omnium rerum copia circumfluat. Etenim ipso in domum eius ingresso, quoquo versus oculos vertat,

tat,omnia esse conferta, omnia redundare,nec esse quod quisquam desiderare queat, quin continuo suppeditetur. Itaque si quam artem amplificandæ rei familiaris sciat, rogat etiam atque etiam, eam vt secum communicet, quoue pacto opes acquirendæ sint,instruat. Frater locuples ac opulentus,qua erat industria, cum animaduertisset illum alterum nihil quicquam curare, quemadmodum domus rese familiaris administraretur,quemadmodum vxor,serui,ancillę suum quisque munus obiret,respondet peracute. Se quidem artem aliquam scire, qua si vtatur, fore, vt res ad voluntatem eius plane fluant.Itaque accepto musco,eoque in linteolo illigato, dat fasciculũ istum ei,additque, vt è collo suspendat, eoque singulos in dies prima luce domum perlustret, conclauia, granaria,bouile perambulet, agros, prædia, hortos,prata,lucos quam diligentissime obeat. Ille à fratre sic instructus,pollicetur se hoc, quod dedisset consilium, executurum. Quocirca ingressus mane in granarium,illico animaduertit, cum magnum frumentorum numerum condidisset, ab vxore,à seruis, ab ancillis, frumenta ista furtim distracta esse, vixque superesse, quo familiam commode sustentet. Cogitat igitur animo suo (quis enim tam natura dissolutus est, qui incommodo suo ante oculos posito nõ cõmoueatur,)id nequaquam è re sua fore, & iccirco maiori posthac cura, frumenta conseruanda esse Simili modo se conferens in bouile, in equile, in porcorum stabulum, videt ille miser pecudes perquam male, & quidem intempestiue pasci,fœnum, cordum, stramina inutiliter consumi,nec in vsum suum conuerti. Hic igitur stans obstupefactus ob tantam & tam detestabilem familiæ ignauiam (harum enim rerum curam prorsus omnem ante abiecerat,vt qui arbitrare-

raretur, nihil sua interesse, quemadmodum domus gubernaretur) tandemque ad se rediens animo suo statuit istam familiam arte quadam & corrigendam & regendam esse, vt posthac officium quisque suum & fideliter, & diligenter faciat. Sic cum rus iret, contemplaturus agros suos & prædia, perspicit agros suos partim incultos esse, partim spinis atque dumetis tectos, partim etiam à porcis vastatos, tum iusto tempore neque aratos, neque occatos. Ad summam, reipsa experitur *Vestigia Domini*, quod aiunt, *agris defuisse*. Gemens igitur tantam intuetur vastitatem. Atqui nunquam in hanc curam incubuisset, vt perlustrasset quo nam pacto domestica sese haberent, nisi hac opinione fascinatus, si istum fasciculum de collo suspensum circumferret, fore putauisset, vt bona ipsius accrescerent, ipseque diues ac locuples fratris instar euaderet. Redit paulo post ad fratrem, significans eius se consilio acquieuisse. Tum frater bene inquit, sed ostendam tibi quid sit, quod tibi circumferendum dederim, apertoque fasciculo ostēdit esse muscum, qui quidem nihil quicquam ad opes cumulandas valeat, sed dedisse tamen ei, vt hac ratione perspecta scilicet familiæ supina negligentia, ad curam de rebus domesticis suscipiendam perduceretur. Namque ipsum hactenus solitum omnia vxori, seruis, ancillis commisisse, otiumque secutum, genio suo indulsisse, neque id animo suo expendisse,

Der Herr muß selber sein der Knecht/
Wil ers im Hause finden recht.
Die Fraw mus selber sein die Magd/
Wil sie im Hause schaffen rath.
Gesinde nimmermehr bedenckt/
Was nutz oder schad im Hause bringt.

Es ist jhn nichts gelegen drau/
Weil sie es nicht für eigen han.

Quodque *Oculus Domini sit, qui pascat equũ, & Virgia Domini, qua optime stercorent agrum.* Quamobrem sic persuasum habeat, si quidem rebus suis consultum velit, non aliam esse artem, quæ plus ad rem familiarem parandam, augendam, cõseruandamque valeat, quam curam atque diligentiam in rebus œconomicis susceptam. Det igitur posthac operam quantam maximam possit, vt domum ipse suam ratione & prudentia regat atque gubernet, nec futilibus seruis, neque garrulis ancillis eius gubernacula committat. Sic fore, vt ex bonis suis vberes capiat fructus, ipseque locum suum tueri, familiamque suam quam honestissime alere ac sustinere possit. *Hanc seu historiam, seu apologum Reuerendus & doctus vir D. Georgius Edelmannus, Theologus experientissimus, & diligentissimus non eodem modo atq; nos narrauimus, sed paulo aliter recenset. Vid. 4. ipsius Homil. in 2. cap. Ruthæ.*

XXXVII. De peruerso quodam viri nobilis temulentoq; seruo.

HAbebat vir quidam nobili genere natus seruum, cui quidem cum negotium daret, vt rus concedens prædia agrosque ipsius obiret, adesset que operis, vt officium suum diligenter quisque faceret, recipiebat ille quidem imperata se facturum sedulo: at vero promissis minime stabat, sed recta profectus in tabernam vinariam, hic genio suo strenue indulgebat. Appetente porro iam vespera, cum domum esset remeandum, calceos suos seu puluere, seu luto pro re nata imbuebat & conspurcabat, vt vel hinc Domino suo fidem faceret, se totum istum diem ruri confecisse, ipsiusque mandatum diligenter exhausisse. Cæterum cum

vino

vino confectus omni ruberet facie, interrogatus, quid sibi iste faciei rubor vellet, extemplo nulla præmeditatione vsus, respondit, solis ardori isthunc ruborem acceptum referendum esse, à quo sic esset adustus atque tinctus. Quum tamen non de sole, quem vitarat ac fugerat, sed de vino affatim abundeque hausto ita ruberet. *D. Michael Saxo VVechmartensis ecclesiæ antistes vigilātissimus in Tobiam Homil. capitis octaui tertia, pag. 557.*

XXXVIII. De Rustici cuiusdam opulenti ignauo & somniculoso seruulo.

ERat rustico cuidam opulento & copioso famulus, cum mirum in modum vorax, tum laborum fugitans, tum vero somno plane deditus, eoque sese propemodum (vt cum magno illo Erasmo loquar) saginans. Hic iussus ab hero mane surgere de fenestraque prospiciendo videre, sudumne cœlum esset atque serenum an vero nubilum, pluuium, ac tempestuosum, minime omnium surrexit, sed in lecto hærens ac permanens canem in fimeto excubias agentem ad se allexit, & ipsum vsquequaque contrectando explorauit, madidusne esset, an vero pluuiis perfusus. Quod si eum siccum deprehendit, mox voce quanta potuit maxima exclamauit. Cœlum est sudum Domine. Itaque nulli nobis sunt hodie metuendi imbres. Instante porro Rustico atque vrgente, vt de lecto surgens vestigaret atque inquireret, nunquæ adhuc scintillæ in foco supereſſent, vnde quidem ignis candelaue posset accendi, ne hic quidem nidum suum reliquit, aut è lectulo suo prorepsit, sed æl-
lurum ad se mox moxque allectauit, eumque similiter atque canem Villaticum etiam atque etiam demulsit. Quem quidem, vt calere adhuc de foco animaduertit, illico clamauit, scintillarum vtique

here igniumque abunde adhuc satis. Proinde non est, vt de eo labores, aut quicquam sis sollicitus. Fac potius securus in vtram uis aurem dormias stertasque. Iussus insuper Margites hypocaustum ingredi, ac fenestrarum valuas remouere atque demittere, respondit. Eo equidem labore facile supersedere possum, quod hesterna eas vespera haud admouerim. Næ huiusmodi endymionibus, & inutilibus terræ ponderibus, fruges duntaxat consumere natis, atque adeo fundi nostri calamitatibus, reique domesticæ pestibus, somnus fuste excutiendus probe foret probeque. **Solt solche fause Schelmen mit den Haren zum Bett rauß werffen/mit Füssen tretten/ daß sie Blut speyeten/ Oder jhnen den Rücken mit einem Eychen Butterweck also zerschmieren/ daß er jhnen so weich wurde als der Bauch/ so möcht man jhnen den Schlaff vertreiben/ sie munter vñ wacker machen.**

Idem ibidem.

XXXIX. De Mercatore quodam religioso, & impio conscelerato q; Iudæo.

VEniebat *Mercator* quidam, homo cum copiis rei familiaris locuples & pecuniosus, tum sacris etiam literis haud mediocriter tinctus, tum vero maxime pius, non parum quidem sæpe cum peruerso quodam præfracto que *Iudæo* in disputationem, nihil ad summam diligentiam reliqui faciens, quo ipsum à *Iudaismo* auocatum auersumque, Domino Iesu, qui vnus salutis nostræ prora est & puppis, lucrifaceret. Cardo autem disputationis ipsius in eo fere vertebatur, vt ostenderet planumque faceret, Deum vnum quidem esse substantia, sed trinum personis. Etsi vero hoc ipsum *Mercator*, sacrarum literarum pronunciatis, partim ex veteri, partim vero ex nouo Testamento in medium

medium prolatis, satis demonstrabat superque, ceruicoso tamen atque profligato *apellæ* minime satisfaciebat, ipso quam pertinacissime in errore suo persistente. Quamobrem alio sibi rem pacto peragendam ratus, in vno eodemq; catino partim aquam, partim niuem, partim denique glaciem coniungit, hisque ita coniunctis ex *Iudæo* quærit vtrum hic tria agnoscat distincta? Quod ipsum cum nebulo negare non posset, neque vero inficiaretur, *Mercator* catinum extemplo in fornace collocat, vt tum nix, tum etiam glacies liqueseret, in aquamque resolueretur. Quibus quidem liquefactis atq; dilapsis ex *Iudæo* scisciturnumnã hic vnum idemque agnoscat. Quod cum agnoscere sese *Verpus* ingenue fateretur, arrepto *negotiator* mox catino, *recutiti* eo caput etiam atque etiam demulcet, dictitans, videsne conscelerate nebulo atque adeo Satanæ mancipium, Deum Opt Max. sacrosanctæ adorandæque Trinitatis mysterium aliqua ex parte adumbrasse in creaturis quibusdam suis. Quid quæris? nihil est ita me Deus bene amet certius, ac in vna essentia diuinas tres esse distinctas personas, *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum Sanctum*: & tu perditissime nebulo nullo pacto adduci potes hoc quidem ipsum vt credas?

D. D. Isaias Heidenrichius Theologus Vratislauiensis Homilia in libr. Iosuæ x. pag. 124.

VI. De Iudæo Gallico.

Gallorum Regis vixit Iudæus in aula,
Amplexus ritus ethnica turba tuos.
Hunc Rex hortatur, Christi vt se catibus addat.
Sacrata Christi nomine mersus aqua.
Hac faciam, dixit, sed vbi vrbem videro primum.
Maxima qua pietas religioq; viget.

Vrbs quæ sit, quærit Rex, hæc quæ maxima Christi
Religio vigeat, quæ vigeatque fides?
Roma, ait, est: præsul quæ summus fulget, & ordo
Qui de præstanti cardine nomen habet.
Post abiit Romam binos vbi vixit in annos
His Latia sedis turpia facta notans.
Post rediens sacro petiit se flumine mergi,
Lex sibi quod Christi cognita sitque fides.
Hæc vbi Rex quærit, quinam cognorit in vrbe
Ausonia, Regi talia verba dedit:
Tantus inest luxus Romana & fastus in vrbe
Auri tanta fames, pompa nefanda, Venus.
Vt nisi qui veri fons est conseruet in illa
Non lex hæc duret salua fidesque diu.

D. Lossius in Epig. pag. 228.

XLI. De Nuncio quodam Apostolico, & Gallo nobili, se pro mendico gerente circumforaneo, ac comam ipsi egregie circumtondente.

ANni sunt non ita multi, quum *Nuncius* quidam *Apostolicus Lutetiam Parrhisiorũ*, Henrici Gallorum & Nauarrorum Regis salutandi gratia, se contulit, cum eoque prope quotidie in collocutionem venit. Id cum quidam illustri loco natus homo, & prædiues, & nostræ religioni addictus accepisset, centones confestim cuiusquemodi cõsuendos curat, iisque indutus, barbam sibi squalidam canamq; applicat, ac in publicum prouolans, se pro mendico circumforaneo gerit. Accidit autem vt in *Nuncium Apostolicum*, magno comitatu stipatum, & regali prope pompa incedentem incideret, ipsumque perquam miserabiliter hanc quidem in rationem alloqueretur. Ah mi Domine *Nuncie Apostolice, rogo te ego per Deum Opt. Max. oronesq; ipsius Sanctos*, vt misero mihi, egeno, ægro-

toque

zeque ſeni coronatis duobus ſubuenias, quo & veſtem comparare, & ſeruire valetudini, & famem denique tolerare valeam. *Nuncio vero Apoſtolico* ſurda ipſum aure prætereunte, ac ne teruncium quidem numerante, inſtat ille vrgetq; magna voce boniſque lateribus clamitans, Ah mi *Domine* ſi nimia fortaſſe fuit, & immoderata iſthæc poſtulatio noſtra, largire mihi quæſo ſaltem coronatum vnum, ne vel fame, vel morbo certe iſto meo conſectus inteream. Sed cum ne hic quidem daretur quicquam, rogitat, vt teſtones duntaxat duos ſibi impertiat. Quibus quidem haudquaquam acceptis, precatur ipſe porro vt tantum ſtuferum det ſibi vnum. At vero quum hic quoque ferret repulſam, exclamat ad extremum: quod ſi nihil mihi pecuniæ ex te exprimere licet, fac amabo te *Domine* hoc vnum te exorem, vt *benedictionis* iſtius *Apoſtolicæ tuæ* nonnihil mihi aſpergas. Quid fit autem? Hæc ille vix aut ne vix quidem effatus fuerat, ecce tibi *Nuncius Apoſtolicus*, quo nemo erat ante ſurdior, cum aures mox arrigit, tum ſubſiſtit, tum vero miſero illi perquam benigne ac liberaliter, atque oleo pleno quod aiunt modio *benedictionem* iſtam ſuam *Apoſtolicam* impertitur, adhibitis partim crucis aliquot ſignaculis, partim certis quibuſdam geſticulationibus, partim denique conceptis nonnullis demurmurationibus. Ea re peracta, vociferatur *Mendicus perſonatus*, egone magni faciam *benedictionem* iſtam tuam *Domine*, quam ipſe tu vili pendis? Etenim quum ſtuferum abs te iam peterem, prætuliſti tu illum *benedictioni* huic tuæ. Quin igitur *benedictionem* iſtam tuam ſtufero poſteriorem ducas, minorisque facias, dubitari profecto non poteſt, ac loquitur mehercule res ipſa ſtufero te eam poſthabere. Quo ille *Perſonati mendici ſermone*, ridentibus compluribus, pudefa-

ctus, in hæc mox verbâ non sine stomacho erupit: Dispeream equidem ni isthic nebulo *Lutherana sit hæresi* imbutus, aque adeo *Hugenottus* pessimus, qui quidem medium nobis digitum ostendens, & adunco nos naso suspendens, pro oblectamento habere haud erubescit. Neque vero hominem sua fefellit opinio. Itaque iracundia incitatus, eucstigio pedem refert, ad Regemque profectus, de isthac contumelia sibi iam imposita diu multumque conqueritur atque deplorat. Quem quidem Rex pro virili sua placat, spe illi iniecta certa, quæstionem se de eo habiturum diligentem, in ipsumque illusorem grauiter animaduersurum.

XLII. *De Henrico ab Luthern propugnaculi olim Zigenhemensis Capitaneo, & miserabilium in nosocomio Hegenensi personarum ephoro.*

PHilippus Landgrauius Hassiæ, quem ego heroa omni laude superiorem honoris caussa nomino, atque adeo in deorum immortalium cætu atque numero repono, quum recepta purioris Euangelii doctrina *Papatum* per omnem ditionem suam antiquaret, monachis passim ex cænobiis exturbatis, reditus illorum melioribus vsibus magisque piis ac necessariis destinauit. Quod quidem tametsi *abbates & monachi* plerique omnes patienter pro re nata moderateque ferebant, iique imprimis, qui aut sua sponte Euangelii amplectebantur doctrinam, aut quibus de victu tolerabiliter prospiciebatur, vnus tamen Hegenensis cænobii abbas *Meinolphus* hoc ipsum grauiter admodum tulit atque moleste. Proinde assumptis fraterculis quibusdam suis, *Romam est profectus*, inibique Philippo Landgrauio Hassiæ grandem ad Pont. Max. Clementem VII. dicam impegit, ab ipso-

ipſoq; in integrum reſtitui poſtulauit. Pont. igitur Max. pro eo iure ſuo ac poteſtate quam ſibi in Imperatores Romanos ſumit atque vſurpat, Carolo Quinto Cæſari mandat, vt & Abbatem cum ſuis eum in locum ex quo decidiſſet, reſtituat, & Landgrauium inſuper iſthanc ob iniuriam Abbati irrogatã mulctet grauiter. Interea vero dum Meinolphus cum apud Papam, tum etiam Cæſarem cauſſam ſuam agit ſtrenue, Henricus a Luthern de voluntate atque ſententia Philippi principis per vniuerſam Haſſiam cuiuſquemodi pauperes & ærumnoſos homines conquirit, eoſque in cænobium iſtud carris & quadrigis deportandos curat, vt hic quidem victum per omnem reliquam vitam habeant. Non ita multo poſt redit eo *Meinolphus*, Cæſaris quibuſdam conſiliariis & caduceatore comitatus, qui ipſum in priſtino loco reponant. Id vbi *Henrico à Luthern* ſignificatum fuit, omnes mox cænobii iſtius miſerabiles afflictaſque perſonas (erant in his & ſenio macieque ſqualidi, & cæci, & ſurdi, & muti, & valgi & claudi, & gibboſi, & capitones, & hydropici, & hernioſi, & ſyderati, & podagrici, & leproſi, & epileptici, & apoplectici, & veternoſi, & à diabolis obſeſſi, & calculoſi, & mente capti, & cuiuſcunquemodi denique morbis affecti) in Cæſarianorum cõſpectum producit, eoſque in præſentia Abbatis, & cæterorum monachorum reſtitutionem poſtulantium, hanc in rationem alloquitur. Fuit hoc monaſterium, otioſorum hactenus hominum, ac ſuo duntaxat ventri atq; abdomini natorum domicilium, eos Princeps meus clementiſſimus, hinc faceſſere iuſſit, atque expulit, quod & impiam viuerent conſceleratamque vitam, & puram putam Euangelii doctrinam recipere recuſarent. Ne igitur cænobii huius prouentus non collocarentur recte atque ratione,

ne, constituit eos alendis huiusmodi afflictis & calamitosis hominibus in posteritatem impendere. Quibus quidem aut fame pereundum, aut incertis sane sedibus stipis colligendæ caussa oberrandum fuerit, si quidem receptis aqualiculis istis ac inutilibus terræ ponderibus, ipsi purgare hanc domum, quod nolim, Deusque auerrat, cogentur. Quam sit hoc ipsum Cæsareæ Maiestati glorioſum futurum ipsi mehercule arbitramini.

Cæsariani conspecta tanta miserrimorum hominum turba atq; colluuie, misericordia ipsos sua complectuntur, ac præclare reditus istis poni respondent, neque dubitare, quin & ipsa Imperatoria Maiestas hoc sit Landgrauii factum approbatura in laudeque haud parua positura. Itaq; Meinolphus hoc Cæsarianorum responso parum exhilaratus, cum rasa hac sua turba pedem mox refert, Moguntiamque profectus, nullam deinceps Principi, de restitutione litem intendit molestiamue exhibet.

Vtrum autem vel Pont. Max, vel Præsul Moguntinus, cuius vnius impulsu hic ludus credebatur ludi, cænobio ipsum alii præfecerint, nescius equidem sum, nec habeo dicere. Hoc vnum exploratum certumque habeo, Meinolphum Abbatem anno æræ Christianæ 1574. Moguntiæ extremum vitæ suæ diem morte confeciſſe.

Per idem tempus circumferebantur per Germaniam hi Rhythmi.

Der Bapſt iſt Keyſeriſch worden/
Das hat gemacht Auguſtiner Orden.
Het Martin Luther nicht geſchrieben/
So wer der Bapſt Frantzöſiſch blieben.

XLIII. Cle-

XLIII. Clemens P.P.VII. Dilecto filio, nobili viro, Philippo Landgrauio Hassiæ.

DIlecte fili, salutem, & apostolicam benedictionem. Magnam nobis lætitiam attulerunt ea, quæ audiuimus de oppugnatione, quam aduersus impios ac nepharios *Lutheranos*, pro fidei patrocinio prudenter constanterq; suscepit *nobilitas tua*, vt cum magnam tibi laudem immortalemque cõparaueris, tum etiam desiderio ac voluntati nostræ, & vere Christiani principis debito, satisfeceris. Quanquam dolori nobis est, quod huic malo vim & ferrum adhibere necesse est. Sed si aliter fieri non potest, expedit vt morbosum pecus quouis modo ab ouili arceatur atq; exterminetur, priusquam vniuersum gregem exitialis tabes inficiat ac perimat. Quare nos tuæ virtuti & prudentiæ plurimum gratulamur, & non parum etiam tibi nos debere fatemur, quod & optimo consilio tantis malis remedium cogitaueris, & magno animo adhibueris. Reliquum est, vt te in *Domino* hortemur & moneamus, vt Dei caussam & ecclesiasticæ iurisdictionis vna cum nobilitatis statu, *cuncta enim hac eadem ruina inuoluit Lutherana Tempestas*, qua cæpisti mente & animo pergas defendere: & quod tua sponte facis, etiam nostro accedente hortatu facias. Pro qua tua pietate & animi rectitudine præter eam, quam apud Deum in cœlesti patria cõsequeris remunerationem, nostram & gratiam & benignitatem, quantum cum illius adiutorio possumus, semper paratam Nobilitati tuæ offerimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die xxiii. August. Anno M.D.XXV. Pontificatus nostri anno secundo.

Iacobus Sadoletus.

XLIV. In

XLIV. In Clementem VII.

NVtrix Roma fuit, genitrix Florentia, fleuit
Nec tua te nutrix, nec tua te genitrix:
Mors tua lætitiam tulit omnibus, vnica mæret
Quæ te regnauit principe, dira fames.

XLV. De D. Margarita Caroli Quinti Imperatoris, amita.

VOlo vobis narrare veram historiam, quæ non est fabulosa, *Domina Margarita* huius *Imperatoris* amita, quando est mortua (iam sunt anni xx. cum essemus in conuentu Augustano) ordinauit in Testamento, vt per totum annum corpus mortuum asseruaretur in monasterio monialium, & gestaretur in templum ad singulas horas canonicas, & proponerentur ei cibi sicut aliis infimis monialibus, vt vna seruaret ieiunia, & omnes ritus, qui illis vsitati erant, omni cum rigore, sicut reliquæ. Habebat hanc imaginationem, quod obseruatione illorum rituum, etiam post mortem aliquid magni mereretur. In Italia **ists noch eine weisse** vt mortui induantur *cucullo Franciscano. Rodolphus Agricola* Heidelbergæ etiam sepultus in cucullo Franciscano.

D. Pez. Post. Phil. Mel. part. 4. pag. 111.

XLVI. De beato Francisco Iocus.

NEmo comes quondam Francisco cælicus adsit,
In primo expectans dicitur esse aditu.
Nec penetrabit enim Petro renuente, quoad sit
Qui Franciscanus se comitem faciat.
Ire quidem binos voluit, qui nunc sine fratre est,
Petrus ei: expectes, dum veniat socius.

H. Cort.

XLVII. De

XLVII. De adolescente quodam, qui puellam se mentitus, monialibus quibusdam vitium intulit.

ERant in monasterio Germerodano, (quemadmodum ex multis senibus audiui,) papatu adhuc per Hassiam vigente, virgines sacræ longe omnium speciosissimæ, ita prorsus, vt cunctis eius nationis puellis oris elegantia formæque decore anteire, & non habere hac quidem in parte secundas, vulgo crederētur. Id cum adolescentem quendam minime fugeret, hominem & peni deditum, & versutum, & confidentem, totus in eam curam, atque cogitationem incumbit, quemadmodum isto in cænobio aliquādiu ætatem agere, & vni atque alteri moniali, si non pluribus, stuprum inferre posset. Quocirca, vt quod animo intenderat, perficeret, muliebri habitu assumpto, se pro famula rei culinariæ administrandæ perita agit suamque sacrarum virginum præfectæ operam locat. Quæ & ipsum conductum, rei mox culinariæ præficit, altera illa, quæ cum senio, tum morbis etiam iam squalebat, rude donata. Quod autem hic planus & vultu, & voce, & incessu, & gestibus, & toto denique corporis motu, fœminam mirifice ad viuumque repræsentaret, fuit talis vtique habitus qualem mentiebatur atque fingebat. Quamobrem antistita æquo animo patiebatur, cum virginibus ipsum sacris libere versari, & quo vellet cunque expatiari. Quid multa? Has ille rus euntes comitabatur, adhærebat ipsis indiuulse commeantes animi causſa in hortos, in prata, in vicinum lucum. Interuisebat eas identidem in ipsarum conclauibus, explicabat illis capillos, ac lectis abiectisque pediculis demulcebat capita. Cæterum cum mensem iam vnum in monasterio atque alterum confeciſſet, & à nemine non putaretur fœmi-

nã

na, petit à moniali natu minima, vt sibi condormiat. Hæc quod fucum minime olfaceret, morem illi haud repugnanter gerit, conscensoque lecto, non ita multo post animaduertit, probe mutoniatum ipsum esse. Itaque pene ipsius apprehenso exclamat. Papæ quid hoc monstri est? Cornu mehercle esse dixerim. Vaccæ quidem nostræ, & capræ, & Cerui, & capreoli fronte sunt cornuti, tu vero sub vmbilico. Quid quæso monstri alis? numnam et monoceros? Illo dicente pistillū se eo loco circumferre, quo quidem pisa comminuere, in pultemque redigere consueuerit, respondet illa. Vah quantopere calet? de pisis credo adhuc feruet, quæ cænatæ sumus hac vespera. Vix hæc effata ipsa fuerat, ecce tibi nebulo in simplicis virgunculæ collum inuadens, stuprum illi infert, posteaque vetat, vt ne efferat foras aut effutiat, se ita ab ipso tractatam esse, posse namque sæpius sic beari, si quidem taceat, & non enunciet. Quemadmodum autem hanc miseram circumuenerat impostor iste, ita & quibusdam aliis fucum faciebat, sic quidem, vt vni post aliam vterus in monasterio intumesceret. Quo sacerdos maxima animaduerso, inquit, *Vah Sancta Maria, ecquid hoc infortunii, tot iam Virgines Sacras ferre?* Quin profecto nebulo quispiam se pro fœmina gerens inter vos versetur, dubitari non potest. Vt igitur lastaurum istum deprehendam, volo vtique vt à prandio vos mihi nudas ad vnam omnes sistatis. Ne multa, significatur hoc ipsum atque iniungitur non sacris solum virginibus, sed & ancillis ex æquo omnib. Quamobrem impostor iste priapum mox suum crinali annexum sub aluum perineonque deflectit, ita quidem, vt podici fere incluſus, minime appareret. Nam & filum illud quo penem constrinxerat, collo suo aptauerat, monili aliquo ipsi addito. A prā-

dio

dio accersuntur omnes, vt inspiciantur accurate. Hic personata fœmina cum cæteris quoque se nudam sistit, neque vero mas agnoscitur, quod inguen funiculo serico, vti diximus, alligasset, qui per interfeminium à tergoque ductus, de collo pendebat, monili ornatus. At vero cum sacræ virgines pleræq; omnes, veste deposita, nudæ in conspectu eius iam consisterent, nebuloni mentula mox tenditur, ruptoque lupato seu filo erumpit, & ventrem prosiliendo ita ferit pulsatque, vt tum audiretur, tum conspiceretur. Itaque dicatarum Deo virginum maxima confestim exclamat, *Sancta Maria*, at at verba mihi data abs te sunt *Lastaure*. Tu vero vnus Virgines hasce compressisti atque vitiasti. Dispeream equidem, si hoc impune tu auferes.

Atqui ille veste arrepta mox sese induit, ac fugam arripiens, periculum, quod ipsi creabatur, euitat. Cæterum quæ hoc nobis nebulonis facinus nobis narrauit, omniū prima ea quidem vna de monialium istarum numero, atque adeo huiusce rei spectatrix fuit: & abrogata religione papistica *Sebastiano Tylesio*, Germerodanæ ecclesiæ pastori nupsit. Ipsa tamen *Lastauri* istius dolos atque insidiis cum paucis aliis ætate prouectis effugit. Quoties autem nobis hanc rem referebat, toties tantum non risu corruebat.

Ouidius.

Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria.

Christophorus Aulæus.

Dedecus est teneras inhoneste ambire puellas,
Sæpeque lasciuus sollicitare locus.
Pectora sunt summo magis hæc addicta tonanti,
Quæ plus præ reliquis simplicitatis habent.

Vtque reor, Superis nihil est inuisius vsquam,
Quam cito credentem fallere velle dolis.

XLIIX. De nymphis patritiis duabus, vno eodemque anno elocatis, & alterius harum querimonia.

VIrgines olim patritiæ duæ, tum mire speciosæ, tum vero egregiæ dotatæ, perinde à teneris vnguiculis inter se amabant, ac si sorores forent germanæ, ac ouo (quod aiunt) prognatæ eodem. Cum enim ædes ipsarum essent contiguæ, tum ab ineunte etiam ætate, in vno eodemque ludo literario simul & literas, & acu itemque pingere discebant, ita quidem, vt alteri non modo vicinitas cum altera, sed magnus etiam vsus intercederet. Hæ ambæ vno fere eodemque anno (diuersis tamen mensibus) viris & honesto loco natis, & opibus, & eruditione, & virtute denique præstantibus, in matrimonium collocabantur. Quocirca nympha ea, quæ quidem posterior nupserat, mense vno atque altero à nuptiis suis interposito, ad alteram vterum iam nunc gerentem adit, vt omnes curas doloresque suos ipsius in fide deponeret. Quam perquam amanter ipsa complexa, iubet mox considere, ac vino bellariisque depromptis, laute opipareque accipit. Cæterum cum inter scyphos variis de rebus vltro citroque sermones, ita vti fieri assolet, iam habuissent, euenit, vt noua ista sponsa suspiria imo de pectore duceret, & huiuscemodi verba faceret: Heu me miseram, quanto tu es me beatior? tu quidem hercle albæ es gallinæ, (quod aiunt) filia, cum ego contra quarta sim luna nata. Tu namque & uterum tuo ex marito iam fers, & videris pulchra ipsum prole propediem factura parentem. Quum mihi econtrario nulla vnquam tali ex viro speranda sit soboles, quod & per-

rato

raro, & perquàm parce matrimonium exerceat. Quid quæris? octiduo ille integro vix semel debitam mihi benevolentiam præstat, atque hoc quidem ipsum ita oscitanter perfunctorieque, vix vt ego sentiam, ecquid aut moueat, aut promoueat. *Scilicet a mutone flagitiose imparatus est*, quod hic quidem fuso aliquo non videatur spissior esse aut densior. Hanc altera molli brachio obiurgans, inquit, caue per fortunas Christina, hoc cuipiam alii fœminæ præterquam mihi in sinum effundas. Etenim, si hoc in vulgus emanare contingeret, nihil profecto foret marito tuo contemptius, aut abiectius, vt iam præteream tibi quoque fraudi idipsum esse futurum. Fama quippe viri laborante tui, ac ipso illo in contemptum vocato atque adducto, quin tu quoque despectui futura sis omnibus, dubitare mehercule non debes. Facies tu ergo Christina, vt hanc rem recta tecum via reputans, tum ist hanc viri tui debilitatem in mitiorem partem interpreteris, tum vero penem ipsius æqui bonique facias, vt maxime ille grano aliquo hordeaceo non foret spissior. **Wann er schon nicht dicker wer als ein Gerstenkorn** Quod autem hæc surdastra esset, & aures haberet aliquanto hebetiores, euenit, vt pro **Gerstenkorn**/ intellexerit **Jägershorn**/ eaque re illico exclamarit. **Ja meine liebe Agatha, wann er so gethan vnd geschaffen were/ als ein Jägershorn/ wolt ich nichts klagen / Er ist aber zu mal luttich / schro / kindisch/ leppisch / vnnd schimpfflich** Ita vero mea Agatha, si & spissitudine, & proceritate, & duritia denique cornu alicui venatorio responderet, magna equidem voluntate acquiescerem, & ab omni querimonia supersederem. At vero nimis mediusfidius est gracilis, & elumbis, & exilis, & iunceus, & flexilis, & vt paucis complectar omnia nullius omnino pretii, vtpote

qui flectitur vt stramen cum venerit ante foramen.

XLIX. Ad ducissam Florentiæ, desponsatam Octauio nepoti Pauli, puero XV. annorum.

O Tu qua nimium iuueni male iuncta marito es,
Quid facis in solo, nocte silente, thoro?
Vt reor ipse, doles, quod sit tua messis in herba,
Et cruciat mentem mentula parua tuam.

L. De anu quadam salace, quemadmodum isthaec quidem cum in morbo esset à viro suo multum adhuc adolescente cognita, praclare se refectam dixerit, eaque reingentes illi gratias egerit.

ERphurdię annis abhinc non ita multis calceatorium quendam fuisse accepimus, qui & cum coniuge perquam suauiter concorditerque complures annos vixerit, & nullam ex ea sobolem, quantumuis integræ & valetudinis & ætatis fœmina vnquã sustulerit, suone an ipsius vitio, haud facile equidem dixerim. Is ætate iam grauis, phtysi corripitur, eaque lue diu multumque vexatus, sic conficitur atque exhauritur, vt mors ipsi obeunda esset. Aliquot autem diebus ante, quam Deo naturæq; concederet, hanc est in rationẽ vxorem suam allocutus. Relinquo tibi lux mea, amplas pro re nata, opes, sic quidem, vt commode honesteque vitam tolerare possis, siue sola permaneas, siue alteri alicui, à morte mea, nubas. Quod si nubere cuipiam voles, facies id me perlibente. Interim tamen author tibi sum, vt si inire matrimonium secundum lubeat, seruulo nostro præter cæteros nubas. Quod enim is annum iam alterum suam mihi operam nauet, animaduerti equidem adolescentem & artis

& artis sutoriæ esse perquam peritum, & laboriosum, & frugalem, & pium denique atque honestum. Quamobrem si me quidem meum desiderium audies, nulli tu alii, præterquam huic vni nubes. Is enim neque opes tuas dilapidabit, & in oculis te sat scio, feret, magnoque in honore pretioque per omnem vitam habebit. His vxor auditis, totam se lachrymis lamentisque dedens, marito hunc ad modum respondet. Tune ergo vita mea, isthoc te ex morbo minime emersurum putas? Numnam tu vitam cum morte commutabis, ac me tui (quod scis) amantissimam solam in hac lachrymarum valle relinques? Istuc vero Deus omen obruat. Vtere amabo te medicorum opera, quoad voles, vel cum extremo etiam facultatum nostrarum dispendio. Equidem minime omnium sum repugnatura. Te enim vnum omnibus istis opibus præfero, te vnum si retinuero, sat ero dives. Marito te nunc ego vtor annum vicesimum, nunquam tu per id tempus me vel verbulo, nedum facto vioalauisti. Amauimus semper inter nos: ac tanta fuit animorum nostrorum coniunctio, vt maior esse nullo mehercule pacto potuerit. Caue igitur mortis nos disiuncturæ, aut secundarum nuptiarum posthac mentionem facias. Isthæc enim dicta tua cerebrum mihi excutiũt, ac vitam prope adimunt. Maritus cognito hoc vxoris suæ sermone admodum flebili atque lamentabili, nullam eiusce rei mentionem amplius facit, sed totum sese ad felicem ex hac vita excessum comparans, paucis post diebus animam efflat.

Hic quid erat mæstius aut afflictius isthac fœmina? Breue vt faciam, tota illa in luctu atq; squalore iacebat, & cum viro iusta persolueret, animi aliquoties deliquium patiebatur, & omnem omnium consolationem respuebat.

Cæterum aliquot ab obitu mariti mensibus elapsis, cum ciues aliquot honorati,& locupletes, & senatorii ipsam ambirent,illis respondit, vt maxime vir suus è medio abierit, sitque hac vita functus, viuere tamen ipsum etiamnum in pectore suo,ideoque se adhuc quidem cuipiam nubere nec velle,nec posse. Quid multa? Viduitatem in tertium vsque annum caste pudiceq; colit,nunquam in publicum prouolans, nisi aut cõcionem sacram auditura, aut aliquid emptura in foro, aut agros denique & hortos, & vineas obitura. Interim tamen seruus non solum apud ipsam permanet, sed & frugi famuli officium sedulo diligenterque facit,eundem ipsi non modo honorem,verum etiam obedientiam exhibens, quam marito in hac vita adhuc commorante,præstare illi consueuerat.

Quando vero ipsum minime fugiebat, Magistrum suum illi consuluisse,vt si nubere cuipiam in posterum expeteret, se vnum cæteris anteponeret omnibus, vt ne sibi ipse deesset, hanc est ipsam in rationem ad extremum allocutus. Versor nunc Magistra annum quintum tuis in ædibus. Proinde nostri tibi mores non possunt non exploratissime cogniti esse. Quod si illi tibi non displicent,te per omnia sacra oro,obsecro atque obtestor, vt nubere mihi animum inducas tuum. Neque enim verendum est tibi,vt Magistrum meum,virum benedictæ memoriæ tuum ea re quicquam offendas, quoniam is quidem in agone mortis constitutus, author tibi fuit, vt mihi vni præter cæteros nuberes. Quantum autem ad me pertinet, polliceor equidem, me totum tua in potestate perinde atque nunc sum, perpetuo futurum, ita prorsus,vt nihil mihi in te imperii vsurpem quicquam,sed totus ex te vna pendeam,omnia de tua vnius voluntate atque sententia administrem,te denique suspiciam,

obser-

obſeruem, atque adeo in oculis feram. Vidua his auditis reſpondet, quid viro benedictæ memoriæ meo hac quidem in parte placuerit, me haud clam eſt. Perplacent mihi præterea mores tui, vtpote omnino placidi, & ab omni tum faſtu, tum otio, tum temulentia denique remoti atque alieni. Quod ſi igitur in patriam profectus, parentes tuos adduxeris, ac legitimo te thoro proſeminatum demonſtraueris, matrimonium ξὺν θεῷ inter nos coaleſcet.

Poſtquam igitur is in patriam profectus, parentes adduxit ſuos, Magiſtra eſt ille ſua nullo negotio potitus. Quam annos etiam aliquot non ſolum amauit, ſed & debito honore affecit. At vero vbi illa iam & ſenio, & macie, & rugis ſqualere cæpit, & per omnem fere noctem aut tuſſiuit, aut pepedit, multum de priore illa ſua erga ipſam beneuolentia remiſit, ita quidem, vt illam ex hac vita migrare non parum quidem ſæpe exoptauerit. Ipſa igitur in ancipitem aliquando morbum incidente, in ſpem magnam continuo adductus fuit, futurum vtique, vt iſthoc morbo confecta, Deo naturæque concederet.

Neque vero iſtud animi ſui gaudium diſſimulauit obſcureue tulit, ſed ad ſodales quoſdam ſuos profectus, ipſos etiam eius inter ſcyphos participes fecit, dictitans. Satis profecto cum periculo Vetula nunc mea decumbit, ſic prorſus, vt tum toto æſtuet corpore, tum nihil cibi capiat, tum vero ſomnum minime omnium videat. Proinde magna me ſpes tenet, futurum omnino, vt propediem vitalia lumina linquat. Quo meo voto ſi ego potiar, in cœlo mediusfidius ſum.

Eo audito combibones ipſum inſtigant, vt domum reuerſus, illam etiam atque etiam ſubagitet. Quod enim aniculæ ſtuprorum ſint admo-

dum impatientes, maxime si ægrotis inferantur, & modus excedatur, futurum certe, vt mortem ei isthoc pacto accersat maturetque. Quibus quidem ille obtemperans, ipsam non modo ea adhuc vespera aliquoties, sed postridie etiam priusquam surgeret, diu multumque futuit.

Ipsa igitur eum ad modum accepta, maritum perquam amanter & amplectitur, & his quidem verbis alloquitur. Multum te equidem amo desiderium meum, de prolixa ista liberaliq; tractatione tua. *Ah mi Ioannes, magnam tibi ædepol habeo gratiam, cum tam probe me refocillaueris.* **Ach mein lieber Hanß/ hab grossen danck/ daß du mich so wol erquicket hast.**

Bonus maritus hæc audiens, totus in fermento iacet, ac grauiter moleste que fert, rem contra cecidisse ac sperarat, dissimulauit tamen, ne vxoris in se crabrones concitaret. Quid vero ipsa? hæc quidam non ita multo post cum viro suo vnum & itemque alterum olidum basium fixisset, læta ac plane firma de lecto surgit, ac iubet ipsum ad prãdii vsque tempus in lecto hærere, & quieti operam dare, se curumque in vtramuis aurem stertere. Interim illa prandium laute opipareque instruit. Quo quidem maritus sumpto, ad sodales se mox suos recipit, cum illisque grauiter expostulat, quod sibi tam pernitiosum dedissent consilium, quod secutus, tantum abfit vt animi suæ mortem interitumque attulerit, vt potius sanitati eam pristinæ restituerit, sic quidem, vt cum heri semianimis lecto fuerit affixa, firma nunc valensque per vniuersam domum obambulet, ac rem familiarem dextre feliciterque administret, nulla de re minus cogitationem suscipiens, quam de felici ex hac vita excessu. Adhiberi igitur maritalem congressum, non vxoribus extinguendis morteue delendis, quem-

quemadmodum ipsi quidem autument, sed corroborandis potius, reficiendis, ac sanandis. Id quod ipse iam in sua illa satis esset superque expertus.

D. Ludouicus Lauatterus Homilia in librum Ruth a quinta pag. 20.

NOn quidem peccasset Naemi, si alteri nupsisset, licet vetula esset. Matrimonium enim non tantum ad vitandas fœdas libidines institutum est, & ad sobolem procreandam, sed etiam solatii & opis mutuæ caussa. Dicit enim Deus: *Non bonum est, hominem esse solum, faciamus ei adiumentum, &c.* Multæ viduæ nubunt aliis maritis, vt res ad victum necessarias sibi facilius comparent. Si vero ætate iam effæta iuueni alicui nupsisset petulantiæ accusari & leuitatis. Viduæ prouectæ ætatis, de alterius vitæ potius, quam de huius deliciis cogitare debent, & se ad eam comparare, id quod fere melius possunt, si solæ sint, quam si maritos habeant.

LI. De Crocide anu.

TEr tribus emit anus noctẽ Crocis Hectora nummis,
Ille suam dedit hac conditione fidem.
Vt toties faceret, quod hians ostendere dentes
Posset, & hac quamuis non bene pacta placent.
Hac hiat, hic numerat, superest vix putridus vnus,
Inde semel, sed non dulce, peregit opus.
Et modo succensa cum vellet abire lucerna,
Vt maneat paruam postulat illa, moram.
Inq; caua quarens radicum fragmina carne,
Des, ait, hac quantum, te rogo, frusta valent.

Euricius Cordus lib. 2. Epig.

LII. De alia quadam anu.

Hvc, huc iambi, arripite mi tam mordicus
Anum hanc furenti percitam libidine,
Tentiginosam, catulientem, spurcidam,
Grauedinosam, vietam, olentem, rancidam,
Cadauerosam, fronte rugosa, coma
Cana, atq; rara, depilatis palpebris,
Glabro supercilio, labellis defluentibus,
Oculis rubentibus, genis lachrymantibus,
Edentulamq; (ni duo nigri & sordidi
Dentes supersint) auriculis exanguibus,
Flacciq; mucco naribus stillantibus,
Rictu saliua vndante, tetro anhelitu,
Mammis seneca putridis, praegrandibus,
Araneosis, deciduis, inanibus.
Laxoque ventre dissipato & fixili.
Cunno vlceroso, verminante podice.
Natibusq; mucris, aridis, & osseis,
Vtroque sicco crure, vtroque brachio,
Talo, genuque vtroque procul extantibus,
Calcaneoque pernionibus graui,
Vt nil sit aspernabilibus, nil tetrius
Monstrosiusque, aut nauseabundum magis,
Quam pistor olim, caupo, calo, baiulus,
Et institores, & lanius, & carnifex,
Et muliones permolebant. & coci,
Ceu prostitutam, & sellulariam meram.
Nunc nemo tam vult visere, nemo colloqui.
Fastidit vnusquisque, & habet ludibrio
Anum subante perditam prurigine,
Sed audet impudens tamen, audet impudens,
Procax, proterua, nec iam anus, sed mortua
Vtcunq; prurit (prurit autem sugiter)
Se postulare, vt comprimam, sibi vt arrigam,
Quasi ipse Verres, quasi asinus sim, vel canis.
Abi hinc, abi anus in maximam malam crucem.

Abi

Abi sceleſta, obſcæna, ſiue vera anus,
Seu terriculum es, ſeu larua buſtuaria.
Nam ſi optio mi detur, adepol magis
Serofam futuam, quam te, vel aſinam, vel canem.

Angelus Politianus Tom. 3. pag. 334.

LIII. De inſulſi cuiuſdam Monachi concione ſcurrili.

HEiligenſtadii Monachus quidam concionem ipſo die Diuo Ioanni Baptiſtæ ſacro habens, inter alia hoc quoque omnibus eloquentiæ viribus, omni denique conatu vocis & corporis proferebat. Auditis dilecti in Domino, parentes Ioannis Baptiſtæ Zachariam & Eliſabetham, tametſi decrepiti ſenes eſſent, à matrimonio tamen exercendo minime omnium ſe abſtinuiſſe, ſed liberis tantiſper dediſſe operam, dum ipſum illum Chriſti prodromum Ioannem Baptiſtam proſeminarent, in lucemque ederent. Ita & vos quidem operam dabitis, vt ipſorum veſtigiis inſiſtentes, in thoro veſtro non torpeatis: aut totam noctem otioſi tranſigatis, & in vtramuis ſtertatis aurem, ſed mutuum vos amanter amplectamini, & alter alteri debitam beneuolentiam ex mandato Pauli præſtetis. Ita quippe futurum eſt, vt ne veſter quidem labor inanis ſit in domino, in nihilumue occidat.

Hoc vnum tamen admonitos vos velim, vt ne modum in perfruenda iſta voluptate tranſeatis. Etenim,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum,

Dann maß iſt in allen dingen gut. Sufficiat igitur vobis ter ſummumue quater nocte vna cum vxoribus veſtris coiiſſe. Si quid vltra tentaueritis, vitium concipietis. Wann jrs ewren Weibern deß nachts dreymal oder zum höchſten viermal thut/ſo laſts

laſts bleiben/was jhr darüber thut / das iſt zu viel/ vnd Feitzelwerck.

At vero quid adoleſcentuli hodie noſtri facitant? Hi quidem adepti iam ſpecioſam aliquam ac ætate integra ſponſam, cum ipſa illa nocte vna vel octies, eoq; amplius congrediuntur, monitionem illam diuinam, *nolite fieri ſicut mulus & equus, in quibus non eſt intellectus, ſuſq; deq; facientes.* Quod quidem hercle eſt nimium, & in laude neutiquam ponendum. Facite igitur amabo vos viri fratres memores vt ſitis illius, *ne quid nimis*, zu viel zerreiſt den Sack. *Medium tenuere beati* zu viel iſt vngeſund. Hac effrontis Monachi concione ſpurciſſima auditores varie affecti fuerunt, dum alii quidem riſu propemodum corruerẽt, alii vero ſtomacho iracundiaque exardeſcentes, tum frontem ferirent, tum malam etiam peſtem impuro iſti nebuloni imprecarentur, tum vero domum ſeſe protinus reciperent, atque adeo dicerent, dignum eſſe exhauſto pudore ſcurtam, qui quidem luto putidiſque ouis de roſtris deturbaretur.

D. Chytræus in Rhetoricis.

Demoſthenes dixit, ſe ſi poſſet, non modo ſcripta ſed etiam ſculpta dicturam eſſe. Nam impudentem & improbum nebulonem eſſe, qui prodire ad dicendum auſit, re non diu antea multumque cogitata.

Cicero etiam in primo de Legibus ſcribit ſe nunquam niſi paratum ad dicendum acceſſiſſe.

Auguſtus Imperator ſcribitur nuſquam vnquã locutus, niſi meditata & compoſita oratione.

Lampridius ſcribit Alexandrum Seuerum Imperatorem, Iuriſcõſultis dediſſe deliberandi ſpatium de propoſitis negotiis, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus.

Hæc

Hæc ideo recito vt Studiosi & in sese curam dicendi & cogitandi de quibus dicturi aut scripturi sunt angeant, & agnoscere & odisse discant quorundam arrogantem stoliditatem, qui ex tempore iactitant se de magnis rebus dicturos esse, vt concionatores aliqui gloriantur se ex manica concionem excutere. *Hæ stultitiæ & ignauiæ fustibus extundenda erat.*

M. Theodorus Victor vir doctissimus idemque Græca lingua in inclyta schola Marpurgensi interpres fidelissimus, in explicatione Plutarchi de liberorum educatione pag. 416.

οἱ αὐτοχέδιοι λόγοι, id est, orationes extemporales plenæ sunt leuitatis & vanitatis, nec modum vllum exordiendi & perorandi tenere possunt.

Non igitur ex tempore habendæ. Hic denuo reprehendedi viderētur cōcionatores audaculi & temerarii, nisi alibi eorum mentio à nobis quoque facta esset.

Qui postposita omni præmeditatione, & sacrorum Bibliorum lectione, præmedidatos oratores & præcones diuini verbi præparatos præ se contemnentes laudi sibi ducōt, si è taberna vinaria ad officinam Spiritus Sancti (turpe dictu) procurrentes, concionem manica (quod ipsi dicunt) excutiant, & quandiu quidem velint, de textu quolibet occurrente differant. Hos moneo, vt quid hoc sit etiam atque etiam cogitent. De Deo pauca & timide.

Philippus Melanthon libro secundo Epigram.

Hermogones voluit laudari, dicere multa
Quod subito posset non meditata prius.

Alli-

Atticus orator sed contra turpe putabat,
Dicere apud cives non meditata diu.
Sculpta, inquit, potius recitarem non modo scripta,
Causſa moram ferret si peragenda reo.
Ah vtinam ſapiens placeat contatio multis
Fundant ad gnatum votaq; caſta Dei.

LIV. De Fabro quodam ferrario.

FAber quidam ferrarius, libidinoſus & ſtupri plenus homo, cum agros aliquando ſuos animi cauſſa obiret, euenit, vt duos adoleſcentes eminus conſpicaretur, qui quidē mulierculā quandam ſecum ducebant, & illi identidem in collum inuadebant, & ſuauium dabant. Vnde ille coniectura augurabatur, eſſe lupam quandam qua cum volutari ipſi geſtirent; præſertim cum de via regia deflectentes, in vallem quandam decliuemque locum ſeſe conferrent.

Proinde & ipſe mox prurire futuendique cupiditate flagrare incipit, quem quidem deſiderii ſui igniculum vt reſtingueret, eos eueſtigio inſequitur, & propius accedens offendit alterum quidem iam tum cevere venerique operam dare, alterum vero in ſpeculis eſſe, in excubiiſque ſtare, quem hiſce verbis alloquitur. Profecto niſi me quoque in ſtupri venire vobiſcum ſocietatem ſiueritis, prodam equidem vos, ad magiſtratumque deferam. Cui ille tu ne cum ipſa te oblectabis, inquit, cum domi habeas honeſtam coniugem, propudioque hoc in omnes partes formoſiorem? Dii vero meliora. Veruntamen ſi ipſa te admittet, per nos quidem tibi licebit, quoad voles, cum illa concumbere. Hunc ille nihil moratus quicquam, feſtinat illico ad meretriculam, tollentem iam pedes, & criſſantem ſtrenue. Vbi vero acceſſit propius, agnoſcit ſororem ſuam germanam eſſe. Quamobrē animo

mente-

menteque concidens, pedem mox refert, capiteque in terram defixo, domum sese non sine stomacho recipit: & cum antea incredibili coeundi cum ipsa libidine arderet, & quodammodo fureret, iste illi ardor protinus restinguitur, ita quidem, nihil vt ipso iam esset alsius, nihil quietius nihil denique temperantius. **Es vergieng jhm von stunden an der kützel/zog die Pfeiffen eyn/vnd zog trawrig vnd zornig zu Hause.**

LV. De Aristoclea puella Aliartia Theophanis filia.

IN Aliarto Bæotiæ vrbe, puella quædam fuit forma præcellens, Aristoclea nomine, Theophanis cuiusdam filia. Hanc duo amabant iuuenes, Strato Orchemenius, & Callisthenes Aliartius. Ditior Strato erat, multoque magis puellæ amore incensus. Namque eam forte fortuna in Lebadia viderat, cum sese illa in Hercyna fonte commodum perlueret, erat enim ioui regi sacram cistam latura. Incertus quid ageret Theophanes (metuebat enim Stratonem, vt qui & opibus, & genere omnibus ferme Bæotiis anteiret) eius optionis Trophonium consulere cogitabat. At Strato, cum à virginis domesticis, magis ad sese illam, quam ad Callisthenem vergere persuaderetur, operam enixe dabat, vt puellæ ipsi coniugis optio daretur. Vt vero Theophanes palam omnes natam interrogauit, eaque Callisthenem maluit, continuo apparuit iniquissimo Stratonem animo tulisse. Post biduum igitur, Theophanem Callistenemque adiit, affirmans velle se amicitiam aduersus eos initam seruare, tametsi nuptias Deus sibi aliquis inuiderit. Laudant illi, eumque ad nuptiarum epulas vocant. Magnam vero is sociorum ac ministrorum instruit manum, eosque omnes inter ipsam turbam

alium

alium alibi dispersos, ac veluti latentes esse iubet, donec puellam de more ad fontem, qui Cnisoessa vocatur, distenderet, vt videlicet nympharum sacris, quæ Protelea vocent, operaretur. Tum facto impetu qui in insidiis erant dispositi puellam corripiunt. Ibi eam Strato ad se trahere, Callisthenes contra (vt decuit) retrahere ad se, idem & vtriusque socii, pro se quisque obnixe agere, donec puella inter repugnantium manus dilacerata exanimataque est. Callisthenes igitur continuo ex omnium sese oculis abstulit. Neque postea compertum cuiquã, interemeritne se, an profugus Bæotia exularit. Strato autem in omnium conspectu supra ipsam virginem ferro se iugulauit.

Angelus Polit. Tom. 2. ex Plutarch.

LVI. De duobus Rusticis altero sene, altero iuuene.

EObaldus quidam Rusticus, quum vxori iam esset tertia orbatus, quartam insuper ducere gestiebat, illam quidem viduam, & ætate grauem, sed firma adhuc valetudine fœminam, & quod à plerisque omnibus in contrahendo matrimonio spectari solet procis, copiosam atque locupletem. Etsi vero semel atque iterum & sæpius repulsam tulisset, nolentibus omnino viduæ filiis eam vel huic, vel cuiuis alii nubere, eo tamen minime fractus aut debilitatus, pergit nihilo secius ipsam sibi vxorem deposcere. Quod igitur vidua haberet nepotem ex filia, adolescentem audacem, & facinorosum, & bipedum denique nequissimum, Martinum nomine qui grauiter ferret auiæ suæ eo nomine toties molestiam exhiberi ab Eobaldo, hunc in taberna cereuisiaria deprehensum, ita alloquitur. Tu vero Eobalde tametsi exploratum habes, te ab auia mea excludi atque repudiari, neque nos

vero

vero ipsius liberos passuros vnquam, tibi vt ipsa nubat, non cessas tamen aut desistis illam identidem de matrimonio tecum ineundo sollicitare. Quæ vero (malum) ista hæc est impudentia? Quod si me audies omnem amorem hinc abiicies, in meamque matrem transfundes, quæ & tibi fauet, & nubere itemque auet. *Næ egregius huic est ipsi cunnus, vbi animum explere tuum posset perbelle.* Hic cum cæteri omnes effuse riderent, tum ipse etiam Eobaldus odorabatur se adunco naso ab adolescentulo isto sceleste suspendi. Itaque stomacho & iracundia efferuescens, in hæc mox verba erumpit, *tunę igitur conscelerate nebulo vidisti matris tuæ inguem?* Quid ni conspexerim respondet ille, cum hac ptorepserim, atque in hanc vitam introierim. Martini sermonem cum cæteri omnes risu plane syncrusio prosequerentur, senecio non habens quod contra mutiret, domum se retulit, neque vllam deinceps viduæ molestiam connubii caussa secum contrahendi exhibuit, sed missam ipsam omnino fecit ex animoque suo penitus deleuit, ac reliquam vitam omnem sine vxore aliqua vitæque socia transegit.

LVII. De presbytero quodam adulterium committente cum famula, cum Vtnum ad numerum, græcoq; more bibisset.

ERat viro cuidam nobili, verbi diuini præco, homo nec ineruditus, & egregie facundus, & singulari itemque concionandi dexteritate præditus. Eum vxor filiolo in lucem edito primogenito, parentem faciebat. Quem ipse non ita multo post, omnibus lætitiis incedens, aqua Christiana lauandum curabat & tum compatri suo, adolescenti equestri loco orto, tum cæteris etiam amicis cænam saliarem in modum instructam præbe-

bat. Ne autem propatrem ſuum vino non probe madidum redderet, ſtrenue ipſi ſtrenueque identidē præbibit. Vnde fit, vt ipſe prope primus, & quidem omnium maxime, vino obrueretur. Digreſſo porro compatre amiciſque reliquis, cubitum ſe confert, toroque vxoris poſthabito, ancillæ lectulum petit, eique ſtuprum infert. Hæc mox moxque concipiens, menſibus aliquot exactis filiola ipſum auget. Tulit id ipſum Nobilis indigniſſime, & grauiter eum obiurgauit atque corripuit: nec immerito id quidem. Ille ergo culpam flagitii huius omnem in capitalem iſtum humani generis hoſtem Satanam confert: cuius vnius fraude atque malitia effectum ſit, vt dum torum legitimum ſe conſcendere, cum vxoreque matrimonium exercere putaret, famulæ lectulum introierit, cum eaque ſtuprum fecerit. **Klagte der Teuffel het jhnen verfuhret/daß er in der Magd Bett kommen/da er nit anderſt gemeint oder gewuſt/als er lage bey ſeinem Weibe / vnnd leiſtete derſelbigen die gebürliche freundſchafft.** Qui quidem ipſius ſermo vbi emanauit in vulgus, incredibile eſt, quantopere ruſtici eum abſentem paſſim in cauponis conuiuiiſque ſuis ſugillarint atque perſtrinxerint. Quid quæris? dicebant vtique *illum malorum principem Diabolum*, presbyterum è coniugis ſuæ complexu abreptum, perduxiſſe in famulæ ſtratum, vt ex ipſa filiam ſuſceperit. **Sagten der Teuffel het den Pfaffen von ſeiner Frawen / auff die Magd geführt/ daß er derſelbigē ein Kind gezimmert hette.** Quando vero anteacta ipſius vita honeſta erat ac prorſus inculpabilis, & ipſe inſuper erratum hoc ſuum tum vehementer deteſtaretur, tum vero etiam atque etiam deploraret, Nobilis loco eum haud deturbauit, ſed iuſſit vt culpam publice non ſolum à ſuis auditoribus, verum à ſui etiam Principis paſtori-

storibus in prima quaqua Synodo N. N. celebranda deprecaretur. Quod quidem cum haud repugnanter faceret, Nobili cum reconciliatus fuit; tum in integrum etiam restitutus.

D. Hieronymus.

Nunquam ebrium putabo castum.

D. Origenes de Lotho.

Ebrietas decepit, quem Sodoma non decepit.

Terent. in Eunucho A. 4. S. 5.

Verum hercle hoc verbum est. Sine Cerere & Libero friget Venus.

Propertius lib. 2.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica virum.

Ex iure Canonico.

Venter mero æstuans cito spumat in libidinem. Vbi ebrietas, ibi libido dominatur & furor.

ἀδήλα.

Extinctus pudor est, reuerentia numinis exit,
Cum nimio vino feruida corda madent.

D. Augustinus de Verbis Domini Tract. 48.

Si ducturi estis vxores, seruate vox vxoribus vestris. Quales vultis eas iuuenire, tales & ipsæ inueniant vos. Quis viuens est qui non castam velit ducere vxorem, & si accepturus est virginem quis non intactam desideret? Intactam quæris, intactus esto, Non enim illa potest, & tu non potes.

Idem de adulterinis coniugiis.

Indignantur mariti si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas. Cum

tanto grauius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas.

LVIII. De ecclesiastis cuiusdam vxore macha.

QVidam in ture ecclesiæ pastor; vir cum eximia eruditione, tum summa etiam integritate atque innocentia, vxore priore rebus humanis exempta, cœpit non ita multo post ad ducendam alteram animum adiicere. Etsi vero non solum liberi, verum amici etiam atque necessarii ipsius pleriq; omnes illi suadebant, vt decursa iam ætate viduam aliquam duceret, hoc ipsum tamen persuaderi sibi haud est passus, quod certum ei omnino fixumque esset, cum iuuencula aliqua reliquum vitæ tempus in matrimonio exigere. Quod igitur vicino cuidam ipsius filia esset puella annorum circiter sexdecim, eaque eximia formæ gratia prædita, placitum ipsi fuit, vt tum hanc ipsam ambiret, tum vero in matrimonium duceret. Ne non ergo rem recte atque ordine ageret, visum ipsi est anteaquam connubium coiret, vicini huius sui ædes ingredi, cum ipsoque vini mensuram vnam atque alteram haurire, vt hoc scilicet pacto cum puella sermones conferre, ipsiusque erga se animum explorare posset. Quamobrem vino iam incalescens, hanc in rationem illam affatur. Ego quanto tui amore flagrem Anna filia, non est quod putes vllis à me verbis vllo pacto explicari posse. Potuisti tu tamen id ipsum vel ex eo quodammodo animaduertere, quod tuo in vultu habitent oculi mei perpetuo. Ac erat mihi mehercule in animo vxorem te ducere, si exploratum haberem, te animo à nobis alieno haud esse, & nubere nobis aucre. Non te quidem fugit liberos mihi esse, filium

lium nimirum vnum, & gnatam vnam. Sed illum ego in matrimonio ſtabili & certo locaui, hanc quoque prima quaqua occaſione oblata adoleſcenti cuipiam honeſto nuptum daturus, ita quidem, vt ab his nihil tibi moleſtiæ creetur. Quod ſi tibi cani hi noſtri non diſplicent, cur matrimonium inter nos non coaleſcat, cauſſa prope nulla eſt. Neque vero neſcis hac te ratione ad opes haud contemnendas peruenire poſſe, cum tibi cæteroqui ſit curta ſuppellex. Mitto iam honorem, qui propter nos tibi poſthac habebitur.

Puella igitur quæ iam tum ex quotidianis Paſtoris ſalutationibus & munuſculis ſibi datis compertum habebat, ſe illi in amoribus eſſe, vxoremque expeti, hanc ei in ſententiam reſpondebat. Ego vero Domine Paſtor de tuis liberis nihil laboro, minime quippe ignara, mea te ipſos gratia abiicere haud poſſe. In ſpem præterea venio facturos illos quod frugi filias deceat, ſi ipſa quidem materno eos amore fuero complexa, id quod facere vtique animum induxi meum. Ad canitiem porro atque ſenectutem tuam quantum pertinet, minime equidem hanc auerſor aut abhorreo, ſed habeo te iam tum animo meo chariſſimum: Ac in poſterum te etiam, pro eo ac decet, in oculis feram, & colam, & obſeruabo veluti parentem certe alterum. Quid quæris? ad tui vnius arbitrium & nutum totam me fingam & accommodabo. Omnia volo à me poſtules & expectes. Vincam officiis meis cogitationes tuas. Ego te in omni fortuna, quæcunque erit oblata complectar. Neç me abs te vnquam vlla fortuna diuellet Noli metuere, vna tecum bona malaque tolerabimus. His verbis vltro citroque ita commutatis coit mox matrimonium, & datur arrha, & celebrantur ſponſalia, & cum apparantur, tum fiunt etiam non ita

multo post nuptiæ. Quibus quidem peractis Sponsa maritum senem aliquandiu & amat, & suspicit, & reueretur, & obseruat, & indiuulse illi quoque commearet, adhæret. At vero cum cibum illi genialem quottidie magis atque magis detrahere, hoc est, vt explicatius loquar, pabulum nocturnum parcius præbere inciperet, multum ipsa de priori ista sua erga ipsum beneuolentia remittit, remittit autē? imo vero omnem hinc amorem abiicit, & in seruulum domesticum agricolam Ieremiam transfundit. Qui quidem passim in cauponulis gloriatur loco res suas perbono esse, fluere sibi omnia ad voluntatem suam, ac magno se numero apud dominam esse, quam subagitet etiam ad nutum. Vnde res emanauit, & ad priuigni ipsius Petri aures peruenit. Quare cum hic ipse aliquando Ieremiam paternum famulum in taberna cereuisiaria pergræcantem offenderet, hunc eum ad modum alloquitur.

Audio Ieremia te passim gloriari, quod Nouercæ meæ stuprum inferre consueueris. Quod quidem si in laude ponendum putas, & gloriæ tibi ducis, ipse quod gloria & prædicatione me efferam, cum tuam non nouercam, sed matrem germanam, quæ hanc in lucem te edidit, toties iam constuprauerim. Atqui non me vnum parens tua admittit, vt te quidem nouerca nostra, sed præter me quoscunque etiam alios, ita prorsus, vt complurium ipsa quottidie priapis terebretur. Neque vero hæc dicens mentiebatur Petrus, aut temporis caussa fingebat, sed verum loquebatur, & constabat de eo inter omnes. His igitur verbis dicteriisue Petrus effecit, vt Ieremias si non penitus à nouercæ ipsius congressu se abstineret, coiret saltem cum ipsa cautius, neque absterso pudore plane omni apud quosuis insolenter gloriando diceret, equi-

equidem heri mei Pastoris nostri coniugem, quando & quotiescunque lubet futuo. Mihi vero Petri istius cum nouerca stuprum identidem facere non est religio. Huius in sinu complexuque hæreo prope quottidie.

Phil. Mel. Post. Pecel. par. 1 pag. 552.

Hominem sexagenarium ducere vxorem fatuitas est atque stultitia, & aliquid alienum à natura, quæ alioqui infirma est in senibus. Aliqui senes ita sunt stupidi, vt secundo, vel tertio contrahant matrimonium. Hæc est stulta quædam imaginatio, & phantasia, & recte dicitur,

Turpe senex miles, turpa senilis amor.

Apud Athenæum est hic versus,

Καιρὸς δὲ ἐρᾶν, καιρὸς δὲ γαμεῖν, καιρὸς δὲ παῦσθαι.

Tempus est amandi, tempus ducendi vxorem, tempus cessandi ab amoribus.

Item est alius versus græcus,

ἔσχατη δυσοχία γέρων ἐρασθείς.

Extremum infortunium est senex amans.

Capnion ridebat senes amatores hoc ioco. Dicebat oportere senem amantem, marsupium plenum aureis appendere ad longam furcam, & demittere per fenestram, & animaduertere, num amica accedat, & videat quid sit in marsupio aperto.

Iouianus Pontanus lib. 1. Baiarum pag. 223.

Non annos Vetuli, senis sed aurum.

Colunt sed illæ

Gelt ich hab dich lieb.

Vide eundem lib. 2. Baiarum pag. 287.

Ouidius in Deianeira Here.

Quam male inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.

Non honor est, sed onus, species lasura ferentes,
Si qua Soles apte nubere, nube pari.

Tibullus lib. 1 Eleg. 1.

Tunc leuis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, & rixas inseruisse iuuat.

Populariibus meis Hessis est in prouerbio.

Grawe Bärte/vnd rothe Münde
Sind selten gute Freunde.

D. Matthæsius Homilia prima in xxv. Syraeidis caput.

Der gute alte Mitio beym Terentio in Adelphis Actu 5. Scen. 8. sagte. Es ist ein vngereumbtes vnd närrisches fürnemen/wañ ein betagter Mañ/auch ehrlicher weise jhm eine alte Vettel zur Ehe geben lasse. Was wirdt er sagen / wann er sehen solte/ so viel alter Lappen am Narrenseyl ziehen. Aber alter hülfft vor Thorheit nicht.

Verba Terentii hæc sunt.

Satin sanus es? ego
Nouus maritus anno demum quinto & sexagesimo
Fiam? atque anum decrepitam ducam? idne estis au-
(thores mihi?
Etsi hoc mihi prauum, inceptum, absurdum atq; alie-
(num à vita mea,
Videatur: si vos tantopere istuc vultis, fiat,

LIX. De Centenario quodam sponso.

SVnt nonnulli validi robustiq; senes qui b. adolescẽtia continenter & moderate transacta est, qui ad septuagesimum annum fæcundi sunt, & in pergendo concubitu viriliter subsistunt, quorum multa exẽpla *Brabanti, Gothi, & Sueci* suppeditant. Sic enarrantem audiuimus nauclerum quendam

fide

fide dignum, quum Stocholmiæ negotiaretur imperante Gustauo patre inuictissimi Regis Sueciæ Erici, qui nunc rerum potitur, se accitu Regis interfuisse nuptiis viri cuiusdam centum annorum, qui in matrimonium adsciuerit triginta annorum sponsam, ex qua complures illum sustulisse liberos indubitata fide memorabat. Erat enim vir (vt sunt in ea regione plurimi) adeo cruda viridique senecta, vt vix impleuisse annum quinquagesimum videretur. Apud *Tongros* etiam atque in *Campania Branbantina*, vbi mira est aeris Clementia, & gens temperans & frugalis, inauditum non est, sed propemodum vulgare, octoginta annorum viros virgines non admodum annosas in coniugii societatem adsciscere, atque ex iis proles excitare. Quocirca annorum numerus viro nihil officit ad procreandos liberos, nisi prorsus ætatis iuuenilis incontinentia exhaustus sit vigor, ac genitales partes emarcuerint.

Leuinus Lemnius de occultis naturæ miraculis, lib. 4. cap. 14.

Christophorus Aulæus.

Si quid es acturus, sapiens prius excute vires,
Ne graue deficiens deinde queraris onus.
Qui cadit insolitæ lassus sub pondere molis,
Turpia vulgati damna pudoris habet.
Rectius à magnis se quilibet abstinet ausis
Quam male tentatos deserit ante diem.

LX. De adituo quodam pagano, & vidua rustica.

ÆDitimus quidam tertio mox mense à coniugis suæ morte viduæ cuiuspiam filiam in matrimonium ducere cupiebat, puellam & forma, & opibus præcellentem. Ne igitur voto hoc suo non potiretur, caussam suam non per vnum atque

alterum paranymphum, ita vti fieri assolet, sed per se ipsum coram agebat, partim sua ipsius persona studiose diligenterque commendata, partim vero opibus suis mirum in modum exaggeratis. Huic vidua, cata & cordata fœmina, nulla neque præmeditatione neque circuitione vsa, hanc in rationem respondet.

Et tua mihi persona Georgi, iam inde à multis annis est nota, neque me vero fugit, quantæ tuæ sint facultates. Caue ergo futurum existimes, vt gnatam tibi meam nuptam dem. Tu enim cum haberes in matrimonio lectissimam fœminam, atque adeo omnibus iis dotibus atque virtutibus ornatam, quibus quidem egregiam aliquam matronam excultam esse conuenit, pessime eam tractasti. Nam & manus illi subinde vino cereuisiaue confectus afferebas, & cibum perparce submini-strabas, & laboribus cuiusquemodi exantlandis molestissimus eras, ipsamque propemodum iis enecabas. Vel in postremo isto puerperio suo, quam duriter abs te & inhumaniter accepta fuit? Tum quidem ater illi panis ex hesterno iure deuorandus, & aqua insuper haurienda fuit, cum viri alii plerique omnes cibum vxoribus suis lautiorem hoc tempore præbere liberalissime, & nullis parcere sumptibus consueuerint, quo reficere illę sese & confirmare, pristinasque recuperare vires valeant. Quid quod ipsam mortuam in lectulo suo tantisper non reliqueris, dum pheretrum illi conficeretur, sed inde extractam, tuis humeris in cellam subterraneam deportaueris, calentem adhuc & vix dum exanimem? Quid quod hanc ipsam postridie rursus inde extuleris, & manibus istis tuis immanibus in loculum imposueris ipse, à muribus & felibus vsquequaque arrosam, demorsam, & lotio conspurcatam? Quantum porro ad opes istas

tuas

tuas pertinet, sunt eæ mediocres, & non tam amplæ, quam tu quidem prædicas. Quid quæris? vix illæ aut ne vix quidem vni tibi alendo sufficiunt. Hæc igitur omnia cum sic sese habeant non est Georgi quod speres futurum vnquam, vt meam tibi gnatam in matrimonium collocem. Ac vt plane tibi constet, quemadmodum erga te affecta sim atque animata, scias velim, me, si vel agrum naturis muliebribus cõsitum haberem, nullius tibi cunni copiã potestatem facturam, nisi eius duntaxat, qui quidem vitium feciſſet, ac matrimonio exercendo minus idoneus atque accommodatus. **Darmit du wisſest wie ich gegen dich gesinnet sey/ so soltu wissen/ daß wann ich schon einen Acker mit Fotzen besehet hette/ wolt ich dir doch keine gönnen oder geben/ sie were dann verdorben/ oder döchte nicht.** Atque hoc quidem responsum tibi abs me nunc habe, ac domum meam actutum purgans, caue per fortunas matrimonii mihi huius causſa negocium posthac molestiamue exhibeas.

Ædituus ignominiosam hanc repulsam passus, incredibile est, quantopere vulgo exagitatus fuerit: quod non deessent, qui illi subinde sermonis huius a sperata socru cum ipso habiti memoriam refricarent & renouarent.

Christophorus Aulæus.

Semper erunt toto tibi qui male corde fauebunt,
Effice ne merito fiat id ipse tuo.
Si vacuum culpæ sceleris damnauerit osor,
Hoc potes egregiæ laudis habere loco.

LXI. De iuuene parhisiensi qui ebrius vtrumq; parentem instinctu Diaboli interfecit.

ARgento quidam multo cumulatus & auro,
Parhisia iuuenis natus in vrbe fuit.

Dece-

Decoquit in Venere, & lusu, multoque Lyæo,
Helluo quæ tenuit plurima dona patris.
Syluas post mœrens petiit nudatus, & agros,
Vitam monticolas inter agitque feras.
Hinc pudor, hinc maleſuada fames, hinc vrget egeſtas,
Et varias vitæ ſuadet inire vias.
Accedit Satanas, quid, ait, ſic perdite ſolus,
Inter agis ſæuas flensq; dolensque feras?
Aut laqueo vitam fini, aut te mergito in vndas,
Rupe aut excelſa te dato præcipitem.
Quid vitam duces inter ſpelæa ferarum,
Deſertam in ſyluis hic inopemque miſer?
Cum negat hoc facinus, Satanas quod ſuaſit auerni,
Corpori vt inferret funera dira ſuo.
Reddam ego opes Damon tibi dixit, vtrumq; parentem
Si intrepida occides gnatus in vrbe manu.
Hoc etiam facinus gnatus cum denegat atrox,
Tollere eos ſæua qui genuere manu.
Argentum, dixit, multum cumulabis, & aurum
Quamque tibi nuper copia maior erit.
Hebdomade aut zythi tantum aut ſi ſumis Iacchi
Ebrius vt fias mentis inopſque ſemel.
Annuit hic Satanæ gaudens adſuetus Iacho
Hebdomade euacuat pocula plena ſemel.
Diues ſit ſubito magis & quo pocula ſiccat,
Et furit inſanus nocte dieque magis.
Diuitiæ creſcunt, augetur luxus, & auctæ
Diuitiæ, vitiis dant alimenta malis.
Increpuit potum crebro cum mater acerbe,
Matrem transfigens ebrius enſe necat.
Cum pater ob eadem matris reprehendit, & ipſum
Ebrietate furens ſuſtulit enſe patrem.
Cunctorum ebrietas quod fons & origo malorum
Sit, docet exemplum cædis in orbe trucis.
Quantæ ſint fraudes Satanæ, conamina quanta
Ducat vt incautos ad genus omne mali.

Sobrius

Sobrius immanis quod non vult anteparentem.
Ebrius heu gnatu tollit vtrunque suum.

Lucas Lossius in Epig. pap. 226.

Collectanea de ebrietate.

Isocrates ad Demonicum.

ὅταν ὁ νοῦς ὑπὸ διαφθαρῇ ταῦτα πάσχει τοῖς ἁρμασι τοῖς τὰς ἡνίοχους ἀποβάλλουσι. Cum mens hominis a vino corrumpitur, similis est curribus, qui aurigam amiserunt.

Augustinus in Serm.

Ebrietas est blandus Dæmon, dulce Venenum, suaue peccatum, quam qui habet, seipsum non habet, quam qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum.

Idem lib. de pœnitentia.

Ebriosus confundit naturam: amittit gratiam: perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.

Aristoteles lib. 8. Politicorum.

Ebrietas homines impetuosos facit.

Lucas Lossius de moribus ebriosorum.

Ebrietas motus pariat quos cæca biboni
Antiqui hæc vatis carmina vera docent.

Ebrius atque satur his ecce modis variatur,
Hic canit, hic plorat, hic est blasphemus, hic erat.
Disputat hic, ille currit per compita villæ
Ille loqui nescit, hic cespitat, ille pigrescit,
Hic seruit Veneri, somno vult ille teneri
Hic vomit, ille vorat, sic Bacchi turba laborat.

Christophorus Aulæus.

Quæ tandem nimio precor est insania Bacchо
Tot simul ac tantas conciliare lues?

Quam

Quam mera ſumpta ferunt, breuis & fugitiua voluptas
Corporis ac animæ damna futura trahit.

Ioannes Claius Poſt. ſuæ pag. 18.

Ebrietas ſtuprum, conuicia, vulnera, cædes,
Exitiumq; animis, corporibuſque parit.
Omnis abeſt illinc virtus, vbi crapula regnat,
Turpiaque erecto cuncta pudore vigent.
Tunc aliquis ſocium, quem charum ſemper habebat,
Dum negat officium mens ratioque, necat
Alter adulterium quod ſobrius ante refugit
Ebrius admittit, cum pudor omnis abeſt.

Chriſtophorus Aulæus.

Turpis vt eſt, ſic cuique nocet, ſic quenque grauatur
Ebrietas, omnis cauſſa caputq; mali.
Humanos Bacchi perturbat copia ſenſus,
Hinc pudor ingenuus, cum grauitate perit.
Hinc animi virtus, & amanda decentia morum,
Hinc vis ingenii cultus & omnis abit.
Hinc veniunt tremulaque manus, oculiq; fluentes,
Preſſaque qua cruciant corpora mille lues.
Hinc mors approperat celeri triſtiſſima greſſu,
Hinc ſubit in ſtygijs pœna luenda locis.

Plinius lib. 14. cap. xx.

Ebrietas hominis mentem mutat, ac furorem gignit, millibus ſcelerum huic deditis tanta dulcedine, vt magna pars non aliud vitæ præmium intelligat. Tunc animi ſecreta proferuntur. Alii Teſtamenta ſua nuncupant. Alii mortifera loquuntur, redituraſque per iugulum voces non continent, quam multis ita interemptis. Vulgoque veritas iam attributa vino eſt. Interea vt optime cadat, Solem orientem non vident, ac minus diu viuunt. Hinc pallor & genæ pendulæ, oculorum vlce-

ra

tera, tremulæ manus, effundentes plena vasa, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna. Præmiumque summum ebrietatis libido portentosa ac iucundum nefas. Postera die ex ore halitus fatidi, & fere rerum omnium obliuio, & mors memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant, cum priorem diem quotidie perdant, imo vero & venientem.

LXII. De Absolone Dauidis non obediente, conscelerato contumacique filio.

Philip. Melanth.

DEgener immerito rapuisti sceptra parenti,
O iuuenis patriæ pestis acerba tuæ.
Digna tuis factis sed pœna secuta Vagantem
Frondibus arboreis implicuere comæ.
Hasta Ioab maduit forti vibrata lacerto
Sanguine, transfixo pectore tincta tuo.
Has scelerum pœnas pulso dedit ille parente,
Inunc & patriis insidiare bonis.

Cicero de finibus lib. 3 pag. 102.

Est hominis ingenui & liberaliter educati, velle bene audire à parentibus.

Demosthenes,

Quis illi fidem habeat, qui ex animo parentum amorem eiecit. Ego non modo nihil ei fidei habeo, sed & Diis inuisum & hominibus esse existimo, qui neglexerit.

Homerus de Simoisio.

Nulla parentibus almæ
Debita pro vita, & pro dulci præmia victu,
Reddidit, idcirco breuis ipsi est vita tributa.

Euripides.

Quisquis parentes hic pie viuens colit,
Hunc viuentemque mortuumque amat Deus.

Non

Non liberis est pulchrius munus aliudi,
Quam liberos dici parentis optimi,
Parentibusque dignum honorem reddere.

Ioannes Bocerus.

Ah miser & si quis vel patrem turpiter odit,
Vel premit, in cœlo corripit ille Deos.
Nec senium felix, sed adhuc iuuenilior ætas
Innumerabilibus casibus acta ruit.
I nunc & canos venerari temnes parentes
Ne quicquam superi quem mouet ira Dei.

LXIII. De præfecto quodam pagano.

ERat cuidam magni nominis Theologo Heluetio auunculus, qui ruri ætatem agens, cum diuitiis affluebat, tum præfecti etiam sustinebat personam, in eoque se munere sic tractabat, vt ab omnibus bonis non solum diligeretur, sed & amaretur, ac fieret certe plurimi. Ad hunc Theologus officii animique causſa non parum quidem sæpe commeabat, ac familiares cum eo sermones conferens, mensuram vini vnam atque alteram bibebat. Quoties vero ab ipso digrederetur, toties rogabat, vt in vrbem ingressus, se quoque propter propinquam istam sanguinis cognationem interuiseret. Quod ipsum tametsi facturum sese præfectus recipiebat, minime tamen præstabat, sed in vrbem profectus, vel ad hominem aliquem senatorium, vel alium quempiam ciuem diuertebat, quo cum & liberius iocari, & prolixius perpotare sibi liceret. Quod quidem quo minus apud Theologum auunculum suum faceret, pudore impediebatur atque ipsius reuerentia. Proinde si quando venire cum eo in collocutionem gestiebat, faciebat idipsum aut in templo cum ipsius concioni diebus veneris, quibus celebrantur istic nundinæ, interfuisset, aut in foro, aut in via denique publica.

Inuita-

Inuitatus porro peramanter à Theologo, vt pranderet secum, graues sibi arduasque obstare occupationes prætendebat, quo minus morem ipsi in præsentia gerere, operamue dare posset.

Quodam autē tempore, cum Theologi filius N. N. ipsum videret hospitium ad Salmonem ingredi, significat idipsum parenti suo. Itaque is illum per gnatum hunc suum quam amantissime vocandum mox curat.

Quia vero iam tum prandebat, condicit se post horum vnam atque alteram compariturum. Interea Theologus auunculum hunc suum ample prolixeque accepturus, cœnam dubiam apparat. Quid multa? cœnæ tempore aduenit Præfectus, sed vino probe madidus atque confectus. Vt ne vero ebrium se esse Theologo suboleret, modestiæ studet quantum quidem potest, & cum verba non facit multa, tum perparce etiam & bibit, & manducat. Interim tamen vino se obrutum ingurgitatumque esse, tegere atque occultare haudquaquam potest. Sed suo sese subinde indicio veluti sorex prodit. Sublata porro mensa Theologum rogat, vt sibi bona ipsius cum venia in diuersorium redire, ac equum curare suum liceat. Etsi vero ille dicebat, de equo curæ futurum hospiti, ac petebat vti apud se pernoctaret, hoc tamē impetrare haud potuit. Quamobrem ad extremum dimittitur. Cæterum cum in aream iam peruenisset, Theologi filium lucernam ipsi præferentem, in hospitiumque reducturum, hunc ad modum alloquitur. **Lieber zeyg mir das Sprachhüsle/ Ich muß schiessen.** Deduc me quæso ad claocam, est mihi quippe exonerandus aluus. Verum quid fit? Priusquam ad locum secretum perueniret, ecce tibi exclamat, **öchi/ochi/ich schiesse/ich schiesse.** Vah vah f. cio oletum, facio oletum, excerno, excerno, maturum

ſtercus eſt importabile pondus, atque cum dicto caligas excrementis ſuis probe refarcit probeque. Itaque Theologi filius illi cum chartam, tum fœnum, tum ſtramen etiam porrigit, quibus caligas ſuas tergat purgetq;. Quod quidem dum facit, de iſthac ſua turpitudine ſpurcitieque perquam flebiliter deplorat atque conqueritur, inquiens, **Ach ach was hab ich than? Diß Hus hab ich verſchiſſen/ in diß Hus komm ich nimmermehr.** Vah vah, vide quam turpiter me dederim. Enimuero ſic me hic geſſi, vt non auſim huc in omne reliquum tempus redire.

Quod vero Theologus eiulatus ipſius queſtuſque exaudiiſſet, hominis conſolandi ſedandique gratia deſcendit eumque hanc in rationem affatur. **Vetter wie wills/ wie wills Vetter?** Vt vales auuncule, vt vales? Is igitur audita agnitaq; Theologi voce, totus obſtupeſcit, & lachrymabundus exclamat. **O mir Herr Vetter nicht zu nahe/ nicht zu nahe/ diß Hus hab ich verſchiſſen/ in diß Hus komm ich nimmermehr.** O mi Domine auuncule caue per fortunas propius acceſſeris, (olebat enim hircum). Has quidem hercle ædes ſic ego inquinaui, reuerti vt huc mihi in poſteritatem profecto ſit religio, Cui reſpondet Theologus. **Ey Vetter wie ſtelleſt dich ſo letz? Min Hus haſtu nicht verſchiſſen/ das ſteht noch ſtieff an ſinem ort: Aber diene Hoſen haſtu Gottskieglich beſchiſſen.** Hui noli te quæſo auuncule ita muliebriter lamentis lachrymiſque dedere. Meæ namque ædes cacatione iſta tua vitium fecerunt plane nullum neque vlla ſui parte violatæ labefactæue ſunt. At vero caligas tu iſtas tuas, quemadmodum perſpicio excrementis tuis vſquequaque pudendumque in modum conſpurcaſti & fædauiſti. Hiſque dictis filio ſuo mandat vt hominem nauteam olentem in diuerſoriũ reducat.

reducat. Qui quidem reuersus domum, diu est multumque de incredibili vpupæ huius fætore, quem naribus hausisset suis, conquestus.

LXIV. De Sacerdote quodam, thesauro subterraneo, crystalli inspectione prodito, inhiante.

NOrimbergæ anno 1530. Sacerdoti in crystallo ostenderat Satanas thesauros. Hos loco perfosso quærebat ante vrbem Sacerdos adhibito amico spectatore. Cumque iam vidissent in specu arcam, & atrum canem cubantem ad arcum, ingressus Sacerdos in specum opprimitur ac interficitur ruente cacumine, & specum rursum complente.

Phil. Mel. lib. Phys. pag. 129.

LXV. In Episcopum Aquensem.

QVotidie immodico cum sis madefactus Iacchо
Quã male nomẽ aqua præsul aquensis habet.

LXVI. Ad matronas Romanas Germani cuiusdam Iocus.

LInteolum à tergo geritis, nihil ante. Quirina
Num culus cunno charior est? stupeo.

LXVII. De vrbe Venetiarum.

VRbe tot in Veneta scortorum millia cur sunt?
In promptu causſa est: est Venus orta mari.

LXVIII. De Themistocle & Andriis.

THemistocles cum ab Andriis pecuniam exigeret, dixit Deos duos se adducere, Vim, & Suasionem, vt testaretur preces suas armatas esse. Sed Andrii non inepte responderunt, apud se duas esse inuictas Deas paupertatem, & impossibilitatem, per quas sibi integrum non esset illius petitioni satisfacere.

LXIX. De ambitioso quodam Doctore.

Magnus in hospitium veniebat nobile Doctor,
Claudere iam lapsum sole parante diem.
Protinus hic alii quoque conuenere sodales,
Nec mora dispositis accubuere toris.
Nullus erat tota Doctori notus in aede,
Nec domino quisquam qui loqueretur erat.
Spretus in extrema scabelli parte sedebat,
Aspiciens tacito lumine mœstus humum.
Fercula sumebat tristi non grata palato,
Ipsa quoque ingrati vina saporis erant.
Tantus amor meriti miserum stimulabat honoris
Cura fere vt pectus ruperit illa viri.
Ingenium tandem, vino subeunte, calescit,
Prodit & hac nomen callidus arte suum.
Demit ab intonso, qua tectus, crine tiarum
Officium domino præstet vt illa suo.
Hunc muri appendit suffixam in parte propinqui
Verbaq; mox clara talia voce sonat.
Et satis indultum tristi reor esse rigori,
Fas tandem lata fronte sit esse mihi.
Pendeat austerus vicino pariete Doctor,
Non mihi sunt isto iura legenda loco.
Ergo ne Doctoris titulus mea gaudia turbet?
Latitiaque frui nomen inane vetet?
Non mihi iam tanti est maiestas nominis huius,
Sed patriæ repetens mania Doctor ero.
Dixerat, at reliqui modo seque virumque tuentes,
Quid facerent dubii, quid loquerentur erant.
Doctori simul assurgunt, ventamque precantur,
Vtque velit prima sede sedere rogant.
Inde viro ingentem craterem quisque propinant
Redditus hac illi est arte negatus honos.

Frid. Dedekindus de morum simplicitate lib. 3. pag. 83.

Augu-

Augustinus.

Non fere quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam.

LXX. De N.N. uxorem utroque parente inuito, ducente,

N. N. me multum adhuc adolescente, ætatem egit N. N. ille quidem nobili patre legitimoque toro, sed matre rustica proseminatus, homo non solum locuples atque abundans, verum etiam religiosus, & cordatus, & honestus, & multum denique bonus. Huic erant filiæ tres, egregia forma insignique verecundia virgines, quæ ornatissimis præstantissimisque iuuenibus nuptum dabantur. Sed & filios habebat quattuor, quorum quidem duo de voluntate sententiaque parentum suorum nymphas nobili loco natas in matrimoniū ducebant: tertius vero cum Patritii cuiusdam Erphordiani filia non modo bene dotata, sed & liberaliter educata, optimeque morata connubium iungebat.

Quid autem quartus? hic quidem quod à puero agriculturæ se dedidisset, eamque diu exercuisset multumque, rustici cuiuspiam inglorii filiam, cum indotatam, tum deformem, tum vero prauis moribus imbutam, parentibus suis plane inuitis, & mirum in modum refragantibus, vitæ sibi sociam deligebat. Quid multa? annus intecedit vnus & itemque alter, priusquam hoc matrimonium coiret, parentibus vtique non solum sua ipsorum autoritate interposita illud manibus pedibusq; impedientibus, sed & aliorum quorundam, partim politicorum, partim vero ecclesiasticorum hominum ad disturbandum istud rescindendumque vtētibus opera. Biennio exacto, pater senex octogenarius in morbum ita grauem ancipitemque inci-

BIBLIOTHEK
MUSEUM FÜR
VOLKSKUNDE, WIEN

dit ſpes vt ſalutis ipſius oſtenderetur plane nulla. Id animaduertens filius refractarius, tempus ſibi idoneum datum eſſe arbitrabatur, quo quidem matrimonium tandiu tantoque opere impeditum, cum amaſia iſta ſua tandem aliquando contraheret. Proinde inuitatis amiculis quibuſdam ſuis, ſponſalia celebrat, ſuſque deque faciens, quod pater domi lecto affixus, animam ageret, eaque re non ſolum mater, ſed & fratres & ſorores, & omnis denique familia in luctu atque mærore iacerent. Vt vero celebrantur ſponſalia? Omnis ne hic eſt muſica cum inſtrumentalis, tum vocalis muta, ſiletque? decenſne hic adhibetur moderatio? minime gentium vero, ſed in his & canitur, & potatur, & luditur, & ſaltatur, & iubilatur in multam vſque noctem, qua & ipſe optimus & innocentiſſimus ſenex, ſponſi iſtius infelicis pater, vitam cum morte commutat.

Sponſus poſtridie de obitu parentis certior factus, vultum ad mæſtitiam componit, ſed ficte atque ſimulate, non vere, neq; ex animo. Etenim non ita multo poſt in hanc vocem, ne lachrymula quidem profuſa vna, erumpit: ego vero minime omnium putabam, paterni vim morbi tantam eſſe, iſthoc vt ipſe interiret, è vitaq; deſciſceret. Quando vero id accidit, quod nullo mutari pacto poteſt, equidem diuina voluntate acquieſcens, reſiſtam dolori, à Deoque Opt. Max. precabor, vt proſeminatorem iſtum meum gratia miſericordiaque ſua ſingulari proſequatur. Vix autem aut ne vix quidem effatus hæc erat, ecce tibi, in ſponſæ mox collum inuadens, ei cum baſia figit, tum præbibit, tum vero in aurem etiam nonnulla inſuſurrat, lachrymas, vt noſtra eſt opinio, abſtergi ſibi ab illa poſtulans. Sepultura porro parente iam ſuo affecto, ad repotia ſeſe mox moxque recipit, ac domi

mæſtiſſi-

mæstissima matre decrepita anu, tristissimisque sororibus ac fratribus in sordibus lamentisque relictis, genio ipse suo indulget, cum soceroque suo de nuptiis maturandis celebrandisque deliberat consiliumque capit.

Quod autem satis illæ iam diu, satis iam diu, autem? imo vero plus satis diu esse extractæ atque comperendinatæ viderentur, placitum ipsis est, vt post mensem vnum atque alterum celebrarentur. His elapsis, fiunt nuptiæ, ac pro re nata satis hilariter celebrantur. Quibus tamen neque sponsi mater, neque sorores, neque fratres denique quamlibet summis precibus atque adeo per omnia sacra rogati, interfunt. Sua nimirum absentia ista apud omnium animos testatum relinquentes, sibi nuptias istas, quippe quæ non recte atque ratione coaluissent, minime omnium probari, aut cordi esse.

Cæterum à nuptiis diligenter ille studioseque agriculturę, ita vti ipsius ferebat vsus, operam dat: at vero auibus minime bonis, aut auspicate, quod fortuna mirabiliter ipsi modisque omnibus aduersaretur, ac bonæ felicitates omnes (vt cum Terentio loquar) aduersæ ipsi essent, ita quidem, vt equus vnus post alium ipsi periret ac moreretur, & nunc hanc, nunc illam calamitatem acciperet.

Extremum porro malorum omnium (ne longum faciam) hoc erat, quod lignorum exportandorum caussa in syluam proficisceretur. Vbi quidem cum & currum iam conscendisset, & magna ex parte lignis oneraſſet, ecce tibi, euenit, vt vindicta ipsum haud dubie diuina persequente, de curru delaberetur, & in subiecta saxa, arborumque truncos præcipitatus, corpus vsquequaque perfringeret, & sic contusus, fractus & conuulneratus, semianimis domum deportaretur. Vbi postridie

statim, inter incredibiles tum corporis, tum animi dolores, è somno nimirum iam excitata conscientia, ipsumque mirifice exagitante, extremum vitæ suæ diem morte confecit.

(Terentius in Adelphis Act. 3. Scen. 4.)

Proinde inspicere tanquam in speculum vitas omnium iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi. Quotus enim quisque inuenitur iam filius, cui quidem religio est, parentes suos mærore afficere, ipsisque insciis & inconsultis, imo vero, inuitis & reluctantibus matrimonium contrahere? Res proh pudor eo nunc rediit, vt quodcunque libitum est filiis, id ipsi pietate omni proiecta facitent, rumpantur vt ilia parentibus. Sed Deus iustus scelerum vindex, qui vult parentes à liberis in honore pretioq; haberi, iisque debitam obedientiam præstari, grauiter ad extremum in quoscunque refractarios contumacesque filios animaduertit. *Lento quidem gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, sed tarditatem, supplicii grauitate compensat.* Itaque, Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Etenim,

Quid iuuat humanos nosse & euoluere casus,
Si fugienda facis, & facienda fugis?

LXXI. De ingratis liberis erga patrem, iisque ab eo deceptis.

NAtos cum nuptum quondam nataſque locaret,
Omnia dat pater his quæ bona cuncta tenet.
Sperans quod gnati sibi quod gnataque vicissim
Essent laturi commoda magna patri.
Sed nihil est gratum cito gratia dilperit omnis,
Vnum vix pascunt pignora dena patrem.
Sic patrem senio confectum, inopemque repellunt
Gnati, quos aluit, queis bona cuncta dedit.

Negle-

Neglectus tandem gnatos hac arte fefellit,
Quo sibi præstarent commoda plura pater.
Multa clam cistam flaua compleuit arena,
Quam monstrans gnatis, talia verba dedit.
Argento est hac cista, mihi est auroque referta,
Quam pater occulte tradidit ipse mihi.
Hanc etiam vobis, si me tractare velitis
Quam facitis, melius commodiusque, dabo.
Quisque sibi cistam sperans aurumque, parenti
Omne genus certans contulit officii.
Defuncto plenam sabulo inuenere parente
Cistam, decepti calliditate patris.
Stultus is est gnatis qui sic largitur, vt ipse
Post egeat pauper, viuat agatque miser.

D. Lucas Lossius in Epig pag. 233.

LXXII. De puella quadam quæ grauida facta, somno sibi sepulta vitium oblatum esse caussabatur.

ERat Quæstori cuidam famula, præter cæteras honesta liberalique facie, quam ille misere ob formæ præstantiam efflictimque deperibat. Itaque totus eam in cogitationem incumbebat, quemadmodum potiri ipsa commode aliquando posset. Ne autem animum suum non expleret, placitum illi ad extremum est, vt coniugem suam vna cum liberis ad parentes suos bacchanaliorum caussa celebrandorum ablegaret. Vxor ergo vt marito morem gerat dicto illius sit audiens, conscenso cum filiis suis essedo, ad parentes ipsius proficiscitur, mali suspicans plane nihil, neque enim fucũ odorabatur, licet obæsæ fœmina naris haudquaquam esset, sed haberet profecto acetum in pectore. Interea autem dum hæc peregre abest, ac Dionysia cum socero socruque sua celebrat, Quæstor familiarius cum adamata ista speciosaque ancilla

cilla ſua & colloqui, & iocari, & omnem denique lapidem mouere, illius vt pudicitiam quoquo modo expugnaret. Quid quæris? puellæ & prandendū cum ipſo quottidie, & cænandum, & ad numerum bibendum erat. Vicit igitur ad extremum vinum, quod biberat, ita quidem, vt ſui corporis poteſtatem illi faceret, quamtumuis diu iam multumque fuiſſet ei reluctata. Cæterum vt primum vterum illi intumeſcere animaduertit, ipſam per omnia ſacra rogat, vt grauidam ſe factam aut à ſcriba, aut ſtabulario ſuo dicat, neque ipſum vnquam prodat aut nominet. Non ita multo poſt ipſam miſſam faciens, ad parentes ſuos literis commendatitiis probe ſuffarcinatam mittit, vt hic quidem vteri ſui onus deponat. Quid multa? tempus pariendi appetit. Quamobrem cum partus iam dolores ſuſtineret, mulieres pleræque omnes quæ præſto illi erant (extra vnam Quæſtoris matrem) inſtabant atque vrgebant, vt ſibi eum nominaret, ex quo vterum ferret. His illa non ſine ſtomacho reſpondet, quid (malum) mihi moleſtæ eſtis de infantuli patre vobis ſignificando? hunc equidem indicare, vt me Deus bene amet, haud poſſum, quod ſtuprum illatum ſit mihi cum eſſet me ſomnus aliquanto actior complexus. **Was den Teuffel plagt jhr mich viel mit dem Vatter / den weiß ich / ſo wahr mir Gott helff / nirgend zufinden / dann es iſt mir im ſchlaff geſchehen.** Hoc exaudiens archiſyluani vxor, lectiſſima matrona, exclamat, hui tibi ne dormienti iſtuc obuenit? & tu non ſenſiſti, neque euigilaſti vt ancillariolum iſtum clamore aliquo ſublato, proderes? credat Iudæus apella, non ego: mentiris peſſima, mentiris. Nam meus quidem vir matrimonium mecum nullo vnquam tempore ita clam aut leuiter exercere potuit, quin ego illico idipſum ſenſerim. Ey

ist es dir im schlaff geschehen? vnnd du hast es nicht befunden? bist auch nicht daruon auffgewacht/ daß du den Thäter könnest namhafftig machen? Du lose Hur es ist erstuncken vnd erlogen. Mein Mann hat mirs nie so leise oder heimlich thun können/ ich bins allzeit gewar worden/ vnd du hasts verschlafen? Das glaub dir der Teuffel/ vnnd kein ander Heiliger.

LXXIII. De Ioanne Vormatiensi Veredario.

IOannem hunc Philippus Landgrauius Hassiæ Princeps Opt. Max. ad Dionysium Melandrum eccleſiæ Cassilienſis antistitem aliquando mittebat, ipsum vt concionis habendæ gratia Zapfenburgum euocaret. Hic enim tum heros ille incomparabilis venationes obibat, breui natalem suum, ita vti facere quottannis consueuerat, celebraturus. Dionysius ergo Principis epistola lecta, aliquanto asperius in Veredarium hunc inuehitur illique stupra ipsius exprobrat. Qui quidem purgaturus sese illi, inquit, noli quæso Domine pastor delatoribus istis maleuolisque meis fidem habere, qui odio mei quodam satanico flagrantes, isthæc comminiscuntur, summaque me iniuria afficiunt. Dionysius minime vero mentiuntur illi inquit, scio enim ego, scio inquam, exploratissimeque cognitum habeo, te cum hac ciue, & cum illa, & cum ista consuescere stuprique consuetudinem habere, & quidem consciis fere ac conniuentibus ipsarum maritis. Hic ergo audiens Veredarius, plura Dionysium comperta habere, quam ipse vellet, ac propriæ insuper conscientiæ testimonio conuictus, culpam nonnihil his quidem verbis deprecatur. Vah mi Domine, ecquis vero cœlum amplecti, ex eoque pendere potest? Ach mein Herr wer kan sich eben

eben an den Himmel halten? hoc verborum inuolucro fragilitatem humanam incusans, atque adeo innuens, ex lapsu primorum parentum corruptiorem se esse ac vitiosiorem, quam vt idipsum præstari à se possit, vt non interdum cum muliercula quapiam sese oblectaret. Quo quidem Dionysius audito, magis atque magis stomacho atque iracundia efferuescens, dictitat, quod si tu vero cœlum propter altitudinem eius attingere atque amplecti non potes, age amplexare patibulum vtpote sublime minus, ac altum. Neque vero est verendum tibi, vt hic quidem tegula tibi aliqua in caput delabens, illud lædat cõminuatue. **Kanst du dich nicht an den Himmel halten/ so halt dich an den Galgen / der ist dir nicht zu hoch / vnnd felt dir kein Ziegel auff den Kopff.**

Non ita multo post Dionysius cum dedisset se iam ad lenitatem, ac ira deferbuisset, conscenso equo cum Veredario in viam se dat Zapfenburgumque proficiscitur, ac in itinere diu ipsum multumque cohortatur, vt rancidis istis putidisque scortis valere iussis ac repudiatis, cum boni alicuius viri filia matrimonium iungat, **Er solte sich der Huren enthalten/ vnd zur Ehe greiffen.** Ille igitur stipulata manu pactori dat fidem, dicto se illius audientem fore. Verum quid fit? (Horatius libr. 1. epistolarum ad Fuscum Aristium). Naturam expellas furca tamen vsque recurret. Quum Dionysius octiduum iam eoque amplius Zapfenburgi confeciſſet, Veredarius in Vicinum pagum Gottisspiram expatiatur, hic quidem vt helluetur & scortetur. Quod igitur cauponi esset famula, pro re nata, satis speciosa, succique plena, in huius se consuetudinem penitus immergit, ita quidem, vt & familiares cum ipsa sermones conferret, & potum illi identidem præberet, & noctem denique cum

ea pa-

ea paciſceretur. Quid multa? cauponi ſubolet Veredariũ monſtri aliquid alere. Proinde allato ſtraminis faſciculo iubet ipſum in illo ſomnum capere, ac ſe quoque cum vxore cubitum iturum ſimulat, & famulam idem facere iubet. Cæterum vix aut ne vix quidem dorſum illi obuerterat, ecce tibi laſtaurus iſte cum ancilla ſtuprum facit, ſtylumque etiam atque etiam exercet. Id animaduertens caupo atque inaudiens, arrepto mox fuſte impetum in illum facit, ac probe eum probeque dedolat, ſic quidem vt & caput, & ſcapulæ & brachia, & tergum tam illi maculoſum fieret (placet iam cum Plauto loqui) quam eſt nutricis pallium. **Schlug jhnen braun/blaw/ vnd baulicht.** Is igitur hunc ad modum acceptus & pulſatus, ad Dionyſium ſeſe poſtridie recipit; illique cum tubera, tum plagarum nodos vibiceſque oſtendit, & perquam flebiliter haſce in voces erumpit, has vero plagas tibi Domine, tibi inquam acceptas refero. Mihine reſpondet ille? Tibi vero vni, ait Veredarius, ac præter te nemini alii. Tu enim nudiuſtertius octauus author mihi eras, vt matrimonium capeſſerem in nuptiarumque me darem vincula. Quod quidem cum heſterna veſpera cum cauponis Gottiſpirenſis famula facere aggreſſus iam eſſem, ecce tibi caupo ſuperueniens ſic me percuſſit. **Ihr riethet mir vor acht tagen / ich ſolte zur Ehe greiffen / wie ich nun ſolches geſtriges Abends mit deß Wirths zu Gottiſpir Magd beginnen wollen / kompt der ſchelm darzu/ vnd zerſchlegt mich ſo Gottskleglich.** Tamen a malitia non diſcedis, inquit Dionyſius. Iſtuc vero non eſt matrimonii iugum ſuſcipere, quod ego iuſſeram, ſed cum rancido & putido proſtibulo volutari, iure vtique hoc ipſum tibi obtigit. Ita vero retundi effrenatam iſtam libidinem tuam ſalutaremque oportuit. Optarim equidem te aliquanto

quanto largius vapulasse. **Du Bub das heist nicht zur Ehe greiffen/sondern sich mit Huren schleppen/ dir ist recht geschehen: genäsche wil schlege haben. Het dich der Wirth nur besser troffen.**

Cæterum D. Volcuinus Vigelius principis archiater,& Alexander Pflugerus Christophorusque Harsaccus Secretarii,& Paulus itemque Cellarius Chyrurgus, qui hæc coram audiebant incredibile est, quam effuse riserint, quantopereque fuerint isthac ipsorum disceptatione recreati.

LXXIV. De eodem & duabus puellis comam ipsi mirifice circumtondentibus.

IDem cum in Comitiis N.N. celebratis perspiceret hospiti suo famulas esse egregia forma duas, tota mente eam in curam atque cogitationem incumbit, quemadmodum alterutra, si non vtraque potiri aliquando commodo possit. Itaque earum in familiaritatem sese insinuans, ipsas & munusculis ornat,& vino identidem reficit,& in re familiari administranda diligenter studioseque iuuat, & nihil denique prætermittit quicquam, quod quidem ad deuinciendum sibi ipsas, momentum aliquod afferre posse arbitrabatur, memor nimirum illius Ouidii, lib.1. de arte amandi.

Si vox est canta, si mollia brachia salta,
Et quacunque potes dote placere, place.

Etsi vero Vormatiensis puellas non parum quidem sæpe de stupro inter scyphos compellabat, ipsæ tamen pudicitiam suam quam diligentissime tutantes, morem illi minime omnium gerebant. Itaque ad extremum eas hanc in rationem affatur. Venit fortasse vobis in mentem subuereri mea corcula, ne nõ corporis vestri copiam nobis facientes, grauidæ fiatis: at vero facessat hic metus, equidem esse vos iubeo sine omni omnino cura. Tametsi

enim ego virgines nõ parum quidem multas compresserim, nulla tamen vnquam (iurato mihi credite) ex nobis concepit, vterumue gessit. Scilicet est mihi puluisculus quidam, quem vino indens atque ante congressum venereum hauriens, periculum est plane nullũ, vt puella aliqua corpus suum cum nostro commiscens, grauida ex nobis reddatur, hisque dictis aperta mox crumena puluerem nescio quem in poculũ iniicit, atque ipsum quam auidissime exsiccans infit, nunc vero audacter atque adeo secure, vel cum consulis cuiuspiam filia coierim, neque tamen prolem aliquam ex ipsa susceperim: nec multo post insignis hic scortator curandorum caussa equorum in stabulum se recipit. Quo quidem digresso, rationem puellæ mutuo ineunt, quemadmodum lastauri huius effrenatam indomitamque lasciuiam retundant. Quæ igitur alteram non solum ætate, verum astutia etiam atque facundia antecedebat, ea quidem Veredarium ex equili redeuntem, sic alloquitur. Plurima enimvero Ioannes tua in nos beneficia extant, quod & muneribus nos minime contemnendis auxeris, & vino subinde recrearis, & in re familiari administranda multum iuueris, ligna non solum findendo, sed & in culinam deferendo. Quocirca ingratissimæ simus, si non gratiam tibi aliquam contra referre studeamus. Quod ergo sæpe tu numero à nobis contendisti, vt coeundi tibi nobiscum potestatem permitteremus, id quidẽ hac nocte, pudore isto subrustico nostro tandem aliquando valere iusso, sumus facturæ. Quamobrem aut ipsa ego, aut hæc certe socia mea in fænili, heris iam nostris somno occupatis, tibi gratificabimur satisque faciemus. Idque eo & fidentius, & libentius, quod nullam nobis ex te sobolem extimescendam esse confirmaris.

Vere

Veredarius hæc serio atque ex animo dici ab ipsis ratus, cum omnibus lætitiis incedit, tum poculis etiam cum illis indulgens; oculos nunc in hanc, nunc in illam cõiicit, animi pendens, vtram alteri præferat. Verum quid fit? Non ita multo post altera ipsarum cum lepresa quadam, salace & ipsa multique stupri fæmina agit, vt primis sese tenebris intendentibus in horreum herile ingrediatur, in fænoque se reclinet. Venturum enim nocte concubia aulicum quendam, qui ipsi, dato liberali præmio, stuprum sit illaturus. Hanc illa conditionem haud repugnanter accipit, ingressaque fænile sic sese gerit, vti edocta à puella ista fuerat. Appetit tandem diu multumque desiderata nox. Proinde magna Veredarium spes tenet, futurum vtique iam, vt animum suum expleat. Quod autem hospitem cum omni familia cubitum discessisse animaduerteret, ingressus horreum, cum leproso prostibulo, pro hospitali famula sese gerente, strenue volutatur strenueque. Cæterum cum stupris lassata leprosa meretrix, in latus sinistrum recumberet, illico ille ligulam astrictoriam rubram nouamque istius togæ innectit, vt hoc scilicet signo indicioue mane cognoscat, cum vtra istarum istam se noctem oblectasset. Illa albicante nondum die surgens, simulat se in domum herilem clam remeaturam. At vero in leprosariũ suum sese recipit. Non ita multo post surgit & Veredarius, mirifice sibi placens, quod puellæ istius pudicitiam expugnasset, & probe eam probeque subagitauisset.

Postmodum in stabulum commeans equos pascit, hisque curatis ad famulas sese in culinam refert, iisque perquam amanter salutatis, etiam atque etiam diligenter dispicit vtra ipsarum togulæ suæ à tergo insertam ligulam astrictoriam circumferat.

ferat. Qua quidem in neutra conſpecta animaduerſaque, alteram à ſocia ſua admonitam eſſe opinatur, vt ipſam eximeret abiiceretque. Itaque vinum ſublimatum afferendum mox curat, quod quidem animi cauſſa cum ipſis bibat.

Vix dum autem vinum illud deguſtarat ecce tibi adeſt præ foribus leproſum iſtud propudium, crepitaculo ſuo ſtipem poſtulans. Ne non igitur nocturnum delictum eleemoſyna aliqua expiet, nummulos illi aliquot largitur. Quibus quidem illa acceptis, ac dorſum ipſi obuertente animaduertit laſtaurus viſa ligula iſta aſtrictoria ſua veſti iſtius annexa, verba ſibi data eſſe, ac ſe non cum hoſpitis adamata famula, ſed cum hac ipſa potius leproſa deformique lupa ſtuprum feciſſe. Idcirco hunc fucum ſibi factum grauiter moleſteque ferens, nymphas iſtas miſſas deinceps facit, neque ita illis liberaliter vino guttur proluit, vt hactenus quidem conſueuerat facere.

Res porro percrebuit, cæpitque in ore eſſe omni populo. Quapropter incredibile eſt, quantopere Veredarius, & ab ipſo hoſpite, & huius coniuge, & filiis, & ab aulicis denique pleriſque omnibus exagitatus fuerit.

LXXV. De fure præmordente matri naſum, à qua furari puer edoctus erat.

DVcitur ob furtum gnatus penſurus ab alto
Quem ſequitur mater flenſque dolenſque ſua.
Mater vt accedat, gnatus rogat vltima tanquam
Dicturus matri verba valeque ſua.
Cum caput admouit mater, gnatus cito naſum
Matri præmordet dente tenace ſua.
Indignum facinus clamat cum turba ſequentum,
Spectans hæc circum verba notanda refert.
Hæc mea furari mater maleſana docebat,
Sic merito naſum perdidit illa ſuum.

Hac miser ad turbam conuersus verba sequentem,
Exemplo, dixit, furta cauete meo.
Ad meliora patres gnatos ad suescite, matres
Ne sit & hac ipsis mors adeunda via.

D. Lucas Lossius in Epig. pag. 231.

LXXVI. De Bertholdo Iringo Coss. Hallendorphensi, & Christophoro Thylesio ecclesiaste Honensi.

ANno Virginei partus M. D. LII. pestilentiæ lues mirum in modum per vniuersam prope Hassiam grassabatur, ingentesque quotidie strages passim edebat. Honam tamen qui pagus est cum perquam amœnus, tum admodum salubris, tum solo etiam insignite fertili fructuosoque situs, Dei Opt. Max. numere atque concessu minime peruadebat aut attingebat. Proinde eo non solum Bertholdus Iringus consul Reipublicæ Hallendorphianæ & dignissimus & prudentissimus, sed & alii quidam boni viri cum omni familia veluti ad sacram anchoram confugiebant. Præter cæteros autem Iringus consul, vir plane optimus & humanissimus, quem honoris caussa nomino, sacras cõciones diligenter assidueque hic frequentabat, & non solum eius loci pastorem in oculis ferebat, multisque ornabat beneficiis, sed & de plerisque omnibus vicanis quoquo modo bene mereri studebat. Itaque & hi vicissim ipsum non modo habebant charissimum, verum omni etiam obseruantiæ cultu prosequebantur. Quod autem pastori Iringus identidem aut prandium, aut cœnam daret, euenit, vt ipse grauiter aliquando apud consulem de iniuriis, quæ sibi à scurra quodam inurerentur, conquereretur, ac diceret. Nullum est mihi dubium consul prudentissime, quin sæpenumero audiueris, quantopere me molitor iste singulis

pro-

prope noctibus exerceat diuexetq;. Quoties enim vel cereuisia vel vino hoc in pago se impleuit, toties ædes nostras præteriens, ante has consistit, magnaque vocis contentione exclamat heus auuncule recalue, vt vales? quibus nunc vacas rebus? in literas ne te abdidisti, an vero somno das operam? Neque vero maleferiatus hic homo vociferandi facit finem, tantisper dum illi respondeam. Tum quidem eupheniſmo (**Gott geb euch eine gute nacht Vetter Plattener**) præmisso, iubilum sustollit, cantandoque scurrilem aliquam cantilenam, domum se recipit. Putat nimirum nebulo, quod sanguine nos attingat, quiduis sibi in me licere. Etsi vero ipsum semel atque iterum ac sæpius, cum publice, tum priuatim ea re corripui, nihil tamen adhuc quidem obiurgationibus istis meis quamlibet multum fellis acerbitatisque habentibus, profeci. Scilicet caussatur ille atque prætendit, animo isthæc abs se minime malo fieri, sed amoris quadam sui erga nos abundantia. Quod tamen ei dominator ille terræ fallacissimus Diabolus credat.

Plura prolocuturum, sed præ fletu lachrymisq; haud valentem, Consul his quidem verbis compellat. Audiui equidem mi D. Pastor, vt te terræ iste filius vino zythoue confectus exagitare solent. Ac miratus mehercule sum tam toleranter te hæc patienterque ferre, ac nebuloni dicam non scribere.

Fuit mihi etiam in animo, rem ipsam ad D. Sigismundum à Boyneburg illustrissimi Principis nostri ad Vierram Vicarium deferre, ad quem quidem accessus mihi patet liberrimus, quique nostra caussa cupit ac vult omnia. At vero venit mihi in mentem subuenire, ne non idipsum vitio mihi vertens, diceret, (Terentius in Heaut. Act. 1.

Scen. 1. tantumne est ab re tua otii tibi, aliena vt cures, eaque, nihil quæ ad te attinēt? (Cicero in officiis, lib. 1.) An nescis peregrini & incolæ officium esse, nihil præter suum negotium agere? nihil de alieno inquirere, minimeque in aliena esse Republica curiosum? Itaque isthac Sannionis istius pessimi accusatione adhuc supersedi.

Author tamen tibi sum, vt quam primum ille redierit & coccysmum istum suum iterauerit, id quod hac quidem vespera, aut in crastinum certe futurum autumo, illi impudens os hoc quidem pacto obtures, linguamque intercludas scelestam. **Hörstus auch du gottloser Bube / ich hab in diesen Heiligen tagen in meinen Predigten vnder andern erwehnet vnnd gedacht / daß Maria / die Mutter deß HErrn Christi / sey vor / in / vnnd nach der Empfängnuß vnnd Geburt eine reine Jungfraw gewesen / vnd blieben. Also sag ich auch von dir vnnd deines gleichen Möllern / daß du ein Dieb seyst / vor der Mühlen / in der Mühlen / vnnd nach oder hinder der Mühlen. Was sols gelten wann jhr jhme das in die Zehne reibet / er wirdt euch darnach mit lieb vnd zu frieden lassen.** Isthæc illi in os regerens, efficies profecto, vt tibi posthac obstrepere molestusque esse desinat. Quid autem fit? Redit ganeo iste triduo post plane ebrius ac vsitatas istas voces egregias suas ingenti cum clamore repetit crepatque. Pastor igitur consilii sibi à Consule dati minime immemor, audito scurra isto, è lecto mox prosilit, apertaque fenestra, voce quanta potest maxima exclamat. Adesdum vero vir bone, & me hoc ex loco verba facturum ausculta. Renouabo tibi memoriam cōcionis istius nostræ, quam nudiusquartus hic habui, in qua memini me inter cætera dicere, (Beustius. Virgo fuit partum, post, in, & ante) recte credi Mariam Nazarethanam, & ante con-

conceptionem partumque, & in partu, & post partum fuisse & permansisse integram & illibatam Virginem. Sic de te quoque tuique similibus molitoribus recte vereque pronuncio, te cum ante molam, tum in mola, tum etiam post molam esse & permanere furem scedestissimum.

Eo audito scurra iste tacitus ac magis mutus quam piscis sine omni omnino & eupheniſmo, & iubilo & cantilenæ denique alicuius amatoriæ modulatione discedit, ac multis mensibus nullam illi molestiam admirantibus omnibus exhibet.

Quod vero fortuna minus secunda vteretur, quoties quidem cum sodalibus suis luderet, hi omnem eius rei culpam in vnum Pastorem conferebant, quod hunc quidem adunco naso suspendere pro oblectamentoque habere desisteret, authoresque illi erant, vt ad ingenium rediens, presbyterum more consueto exagitet diuerque fortiter, sic quidem futurum, vt prospera ipsum fortuna iterum complectatur. Quid quæris? homini ab omni pietate alieno atque auerso facile hoc nulloque negotio persuadetur. Quamobrem cum pecuniæ vim magnam ludendo iam perdidisset, parochum denuo clamoribus istis suis obtundit, incredibilique molestia afficit. Ideo ea ipsa mox hora, cum id scelus admisit, ab illo malorum mundique principe Satana corripitur, contunditur, vellicatur, alliditur, & perfricatur. Ab eo porro tempore à nemine adduci omnium potuit, vt vel hunc, vel alium aliquem verbi diuini præconem verbulo violaret, nedum facto aliquo læderet.

Vide primum loco seriorum nostrorum librum pagin. 723. editionis secundæ Kezelianæ.

Statius in præfatione lib. 5. Syluarum.

Qui bona fide Deos colit, amat & sacerdotes.

Syracides cap. 7. Ver. 31.

Time Dominum ex toto corde, & Sacerdotes eius omni honore venerare religiosè.

Christophorus Aulæus.

Principio magnum supplex venerare tonantem
Perpetuo vera religionis amans.
Quo decet hinc charos amplectere amore parentes,
Et curam, per te ne moueantur, habe.
Affice quo debet vice tertia honore, magistros
Quique solent artes tradere, quique Fidem,
Quarto sceptrigeros toto cole pectore Reges,
Publica qui licita iura tuentur ope.
Vtque senes habeas reuerenter, amesque propinquos,
Non leuis extremo sit tibi cura loco.

Cyrillus lib. 10. in Ioannem cap. 36.

Non est ambiguum si quis Dei verbum prædicantes inuadit, cum in magna ignorantia Sanctæ & consubstantialis Trinitatis versari.

Idem ibidem.

Apostolorum vexatio in eum quoque ascendit, qui eos in Apostolatus apicem euexit. Sic enim ad Samuelem de filiis Israel dictum esse didicimus. Non te inquit, sed me ipsum contempserunt. Periculosum igitur nimium est conuenientem honorem Sanctis non attribuere, cum eorum contemptus in illum transeat, à quo missi sunt.

LXXVII. De Henrico Treisæo molitore olim Honensi, vt huic quidem cum alterius coniuge stupri consuetudinem habenti, & intempesta fuerit nocte, & sæua hyeme, & niue profunda, sine omni omnino vestis fuga arripienda.

EQuidem à viris fide dignis popularibus meis audire me olim memini, Honæ fuisse Hessorũ Henricum quendam Treisæum, illum quidem frugum commolendarum bene peritum, sed hominem mire impurum, libidinosum, salacem, & vt paucis omnia complectar & cum Epistola tertia libr. 1. pagin. 6. Cypriano loquar, matrimoniorum multorum depopulatorem atque corruptorem. Is præter cæteras Scabini quoque cuiusdam Germerodani Martini à Cochen coniugem constuprare solebat atque permolere. Quod quidem tametsi nulli esset pagi istius incolæ non explicatum, vnum tamen Martinum, cuius id scire plurimum intererat, fugiebat. Quodam porro tempore, cum Abbatisfodæ publicum exerceretur iudicium, ac Martinus cum collegis suis illi non solum interesset, sed & præesset, & causas partim cognosceret, partim vero disceptaret, Treisæus sibi faciendum putauit, vt eodem profectus, coram obseruaret accurateque animaduerteret, essetne Martinus istic pernoctaturus, an vero minus. Solebat enim peracto iudicio cum collegis suis pergræcari, & relaxare animum & iucunditati se dare & omnem fere noctem, discedentibus cæteris, istic conficere. Proinde Treisæus recta in tabernam vinariam se confert, inibique iudicii finem expectans, vinum pitissat magis, quam bibit. Eo finito venit & Martinus cum collegis suis, itidem genio suo indulturus, ac mensuram vini vnam hausturus & itemque alteram. Huic honoris officiique caussa Treisæus mox moxque præbibit. Ille postea cum collegis

ſuis peculiari menſa occupata, vino ſeſe affatim reficit, Treiſæo interim poſt fornacem ſedente, & perparce bibente, & coeundi denique cum ipſius vxore occaſionem omnibus modis aucupante.

Ne longum faciam, hora vna atque altera interpoſita Martinus vino obruitur. Id animaduertens Treiſæus, clam ſeſe ſubducit ac amphoram vini aliquot menſuris replendam curat, allata cauſa, vxorem ſuam non recte ſatis ac belle valere, quam vino iſto refocillare ſtudeat.

Oenopola bona ipſum cum venia dimittens, minime ſibi ſubolere ſimulat, ecquid monſtri alat quoue properet. Verum cum media iam eſſet nox, ac Scabini cæteri ad vnum omnes domum quoque ſuam iam repetiiſſent, vnus autem Martinus perpotandi finem non faceret, Oenopola ipſum hanc in rationem alloquitur.

Quin tu quoque Martine domum te refers, aut cubitum diſcedis, an ego tua vnius cauſſa hanc noctem inſomnem ducam? Huic Martinus reſpõdet, non ignoras tu quidem Luca, conſuetudinis eſſe meæ, quod vino confectus, non progrediar longius, ſed & in loco durem atque pernoctem, vbi poculis vacaui operamque dedi. Proinde ſtat ſententia, hanc quoque noctem hic exigere.

Non impedio equidem, inquit ille, quo minus hic permaneas, abſit enim vt te extrudam: interim tamen, ſi me audies, actutum te domum recipies. Quod enim Treiſæus maximam diei partem hic confecerit, neque vltra vini ſextarium biberit, cõgium autem bene magnum falerno repletum aſportauerit, venit mihi in mentem ſuſpicari, eſſe ipſum ad vxorem tuam profectam, cum eaque aut potare, aut ſtupra facere. Tunc igitur inquit ille coniugem noſtram adulterii arguis? Non vnus ego, ne neſcias adulterii ipſam inſimulo, reſpondet hoſpes,

hoſpes, ſed huius illam criminis ream agunt innumerabiles alii. Quid quæris? norunt omnes non modo homines, ſed & pecudes ipſam corporis ſui copiam Treiſæo iſti facere, & tu emunctæ naris Scabine acetumque habens in pectore, idipſum ignoras? Quo quidem ille audito, hoſpiti mox valedicit ac ventis remiſque Germerodam omni feſtinatione properat. Huc delatus, fores ædium ſuarum quantum poteſt, pulſat. Mæcha igitur oh periimus exclamat, lupus eſt in fabula. Proditi medius fidius ſumus. Tu fac loco tibi caueas, tibique ipſe ne deſis. Sequere me protinus, ac poſt ianuam conſiſte, quam recluſura viro ſum meo. Hic intromiſſus recta haud dubie contendet ad cubiculum meum, atque hic quidem te quæret ac veſtigabit. Quamobrem vt primum ille tibi dorſum obuerterit, fac ſuſpenſo gradu mox prouoles, in pedeſque te quantum quidem potes, coniicias. Equidem veſtimenta tua ita abſcondidi, vt inuenturus ea vix aut ne vix quidem videatur.

Quid multa? lychnus penſilis profertur, aperiturque ianua. Ea reſerata & patefacta, Martinus torue vxorem aſpiciens, ac minime ſalutans, recta ad cubiculum properat. Itaque adulter mox proſiliens, fuga ſibi conſulit. Etſi vero Martinus neminem in cubiculo offendit inueſtigatque, lecto tamen diligenter etiam atque etiam inſpecto reperit, & ſatis ſuperque perſpicit, vnam ſuam coniugem in eo haud cubuiſſe. Itaque faſte arrepto, illam ad necem vſque diuerberat, inuentaſque mæchi ſub lecto veſtes, ſecuri minutim fruſtillatimque conſcindit.

Cæterum quid fit Treiſæo adultero? Is quidem & intempeſta nocte, & denſiſſima niue, & intenſiſſimo frigore, omni omnino veſte orbatus ac nudus ſub dio verſatur, ac curſu quantum poteſt do-

mum festinat. Erant misero conficienda stadia octo eoque amplius priusquam ad lares suos perueniret. Quantopere igitur frigus ipsum afflixerit (vt de conscientiæ furiis nihil nunc dicam) ipse mehercule exputare potes.

Quid quæris? etsi & in Vicinum monachorum prædium, & Abbatisrodam, & Videnhusium diuertere exoptaret, nullibi tamen receptus fuit, autumantibus plerisque omnibus, qui quidem de fenestris prospicientes, nudum ipsum videbant, esse spectrum quodpiam. Quamobrem illi milliare germanicum integrum, & hoc quidem bene longum conficiendum fuit, anteaquam Honam accederet. Quo quidem perueniens, suis neglectis ædibus (vxoris quippe indignationem & conuicia verebatur) ad Christophorum Heroldum, qui præturæ tum præerat, confugit, ipsumque per omnia sacra rogat, vt se euestigio intromittat, futurum alioqui, vt frigore confectus iam iam concidat, animamque efflet. Etsi vero hic quoque spectrum eum esse putabat, quod tamen & vocem agnosceret, & stupra illius explorata haberet, incidit ipsi mox suspectio, eum a Martino in fugam coniectum esse, ideoque sub tectum ad extremum recipit.

Hic autem audisses mirabilem quendam stridorem dentium, & incredibilem totius corporis ipsius trepidationem, & inauditam manuum cõplosionem & stupendas denique creberrimasque subsaltationes. Quid quæris? nihil esse propius videbatur, quam vt mox moxq; extremum vitæ spiritum ederet.

Heroldus ergo, hypocaustum suum præpropere calafacieudum, in illudque lectum suum, vnde vixdum prorepserat, deferendum curat, & in eo miserum istum cum collocat fouetque, tum hau-

stu

ſtu etiam vini ſubinde reficit. Quocirca cum ſeſe nonnihil iam confirmaſſet, domum bene mane reuertitur, plantis pedum ſuorum vſquequaque læſis & attritis, ac veſte Heroldi tectus.

Hunc vxor, ab Heroldi coniuge rem omnem edocta, dignis modis accipit, ac probe probeque depexum reddit. Hic quid faceret miſer? erat tanquam ſurdus non audiens, & tanquam mutus qui non aperit os ſuum, & erat ſicut homo nihil audiens, nec habens in ore ſuo redargutiones, vt cum Pſalte loquar. Deprecatus igitur culpam, vxori iureiurando interpoſito dat fidem, ſe cum lupam iſtam Germerodanam miſſam in poſterum facturum, tum cæteris etiam ſcraptiis omnibus valere iuſſis, vni ipſi coniugi ſuæ adhæſurum. Neque vero iuſiurandum hoc ſuum neglexit aut violauit poſtea vnquam, ſed per omnem reliquam vitam ſancte ſeruauit religioſeque.

Admirantibus porro omnibus, qui tantam vim frigoris tandiu ſuſtinuiſſet, reſpondit, ſe cum frigore maxime fuiſſet vſtus, in niues procidiſſe, in iiſque vltro citroque ſeſe volutaſſe, ex iſtaque volutatione viſum ſibi fuiſſe caloris nonnihil accedere. Idem affirmare non dubitabat, tanta ſe celeritate vſum eſſe, vt hora ſit vna milliare iſtud emenſus.

Vtcunque ſit, menſes mehercle aliquot de via mirum in modum languebat, ac poſtea in publicum prouolans, perquam miſerabiliter trahebat lumbos, ſic prorſus, vt nemini non perſpicuum euaderet, probe illi eſſe probeque indomitam & effrenatam iſtam laſciuiam ſalaciratemque retuſam. Sic ſic reſtinguendus eſt alienarum coniugum corruptoribus æſtus ſuus Venereus.

LXXVIII. De Marchione quodam Badensi.

FVit Marchio Badensis, qui factus est Episcopus Treuirensis, in quo adhuc iuuene tanta erat vis ingenii, vt in Conuentu Colonienſi, Anno 1505. responderit nomine Imperii, legatis Pontificis latine, legatis Venetorum Italice, legatis Gallicis gallice, statibus germanicis germanice. Fuit doctus in iure, industrius in Musica, & in re militari. Debuit habere coniugem quæ fuit mater Ducissæ Bauariæ, sed Maximiliánus I. Imperator propter excellentiam ingenii ipsius, voluit eum esse Electorem, cum diceret opus esse Imperio eiusmodi principe, inter Electores spirituales, qui antecelleret aliis, **Mann muste ein solchen haben / der ein Mann wer vor andern.** Fuit autem ille incontinentior. Tandem interfectus est à Sutore in Cobolentz, id est, ad confluentem Mosellæ & Rheni.

D. Pezelius in Postill. Philip. Melanth. part. 1. pag. 543.

LXXIX. De N. Dalburgio.

CVm essem Heidelbergæ, Dalbuogius Cancellarius Principis Alberti palatini, vir ingeniosissimus, doctus latine, Græce, & Hebraice, versatus in iure, Mathematis, & omni doctrinarum genere excultus, ingressus in domum meretricis, incidit in cellam vinariam, & misere periit. Factum hoc est anno 1513. Fuerat hic Dalburgius familiaris Rudolpho Agricolæ in Italia, quem secum postea aliquot annis Heidelbergæ habuit. Erat tanta eius industria & eruditio, vt omnib. anteferretur quotquot erant in aula.

Idem ibidem pag. 544.

LXXX. De

LXXX. De Comite quodam.

NOui Comitem valde eruditum, excellentem ingenio & consilio, Lodouicum de Leyvenstein, qui gratus erat Imperatori Maximiliano I. & multis aliis principibus. Is cum male regeret mores, propter incontinentiam interfectus est à quodam suo Scrinario, quem ablegauerat alio ad literas alteri cuidam perferendas. Sed Scrinarius suspicans aliquid mali, cum simulasset abitum, abdidit se in domo, & cum Comes lectum vxoris peteret, eum interfecit.

Idem ibidem.

LXXXI. De Ciue quodam Vlmensi.

ERat Vlmæ homo honestus, sed inferiore genere natus, qui habebat vxorem male moratam, sed natam ex potentiori & nobiliori familia. Hic sæpe conquestus est apud propinquos de moribus vxoris. Sed cum videret suas querelas non audiri æquo animo, aliquando mane domo egressus est, tanquam abiturus Francofurtum ad mercatum. Rediit autem paulo post clam relicto equo in proximo aliquo pago. Cum se occultasset, venit vesperi Mæchus quem suspicatus ille fuerat affuturum esse. Conuiuium productum est in multam noctem; tandem Mæchus contulit se in cubiculum vxoris. Ille hactenus sub scalis latitans, cum tota familia cubitum iuisset, ascendit, induit thoracem, reperit cubiculum clausum. Mulier audiens strepitum surgit, aperit ianuam, haud dubie fato diuino. Circumspectat quis adsit. Ille vero apprehendit seram, irruit in cubiculum & interficit Mæchum & coniugem. Sequenti die venit in Senatum, exponit negotium, & absolnitur à crimine parricidii. Nō potuit enim puniri, quia legib. hoc cōceditur.

Idem ibidem pag. 545.

LXXXII. De

LXXXII. De quodam Ecclesiæ VVeidensis administro adultero,

ERat quidam pastor in oppido Weida, quod non dico ad cuiusquam contumeliam, sed vt adolescentes discant intelligere & vitare insidias Diaboli. Iste habebat honestam coniugem, ex qua etiam liberos susceperat, sed attigit aliquot alienas, ac tandem carceri inclusus est. Dux Ioannes, vt amabat castitatem, ita iussit eum decollari. Pastor in ipso supplicio gratias agebat Deo, quod reuocaret ipsum ad pœnitentiam, ac profitebatur, se antea, cum sæpe habuisset in animo mutare mores, tamen aliquoties relapsum esse. Item se coegisse ancillas quasdam ad libidinem, appositio cultro ad pectus illarum. Hoc certe plane est Diabolicum, addere flagitiis molitiones cædium perpetrandarum. Adeo furit & sæuit Diabolus in miserum genus humanum.

Idem ibidem pag. 548.

1. Pet. 5. Ver. 8. 9.

Sobrii estote: Vigilate. Nam aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, obambulat, quærens quem deuoret. Cui resistite, firmi per fidem.

Augustinus.

Dauidem, Samsonem, & Salomonem Satan decipit, Christum tentauit, quis modo tutus erit?

Gregorius.

Assidue tentat, vt tandem tædio vincat.

Chrysostomus.

Si te Dæmon desidiosum viderit, compendio te vtpote diuersorium desertum ingredietur.

Hieronymus.

Semper aliquid boni facito, ne te Diabolus otiosum inueniat.

Augu-

Augustinus.

Non facile capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio.

Lactantius lib. de Opificio Dei, capit. 1.

Nam & ille colluctator & aduersarius noster scis quam sit astutus, & idem ipse violentus, sicuti nunc videmus. Isthæc omnia quæ illicere possunt pro laqueis habet, & quidem tam subtilibus, vt oculos mentis effugiant, nec possint hominis prouisione vitari.

Cyprianus lib. 1. Epig. 8.

Oro vos fratres vigilate contra insidias Diaboli, & pro vestra salute soliciti contra mortiferam fallaciam diligenter excubate.

Idem de idolorum Vanitate.

Non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere.

Idem ibidem.

Pænales, quærunt sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerunt errore participes.

Idem de Habitu Virginum.

Diabolus blanditur, vt fallat, arridet, vt noceat, illicit vt occidat.

Leo.

Non desinit hostis antiquus deceptionum laqueos vbique prætendere, & vt quoquo modo fidem credentium corrumpat instare. Nouit cui adhibeat æstus cupiditatum: cui gulæ illecebras ingerat: cui apponat incitamentum luxuriæ: cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mærore concutiat:

tiat, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi quærit caussas nocendi, vbi quenquam viderit studiosius occupari.

Cyprianus de Zelo & liuore.

Excubandum est fratres dilectissimi atque omnibus viribus elaborandum, vt inimico sæuienti, & iacula sua in omnes corporis partes, quibus percuti & vulnerari possumus dirigenti, solicita & plena vigilantia repugnemus, secundum quod Petrus quoque Apostolus in epistola sua præmonet, & docet, dicens. Sobrii estote & vigilate quia aduersarius vester zabulus tanquam leo rugiens, & aliquid deuorare quærens, circuit. Circuit ille nos singulos, & tanquam hostis clausos obsidens muros explorat, & tentat an sit aliqua pars membrorum minus stabilis & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, vt visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, vt sonus dulciori auditu soluat & molliat Christiani vigorem. Linguam ad conuitium prouocat. Manus iniuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat vt fraudatorem faciat. Lucra opponit iniusta, vt animam pecunia capiat. Ingerit pernitiosa compendia, honores terrenos promittit, vt cæleſtes adimat, ostendit falsa, vt vera surripiat. Et cum latenter non potest fallere, exerte & aperte minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei seruos, inquietus semper, & semper infestus. In pace subdolus, in persecutione violentus. Vide sequentia.

LXXXIII. De Petro Hirtzelio, Ciue atque mercatore Tigurino, suam ipsius coniugem & famulum Venalitium, in manifesto adulterio deprehensos, confodiente & contrucidante.

TIguri Heluetiorum metropoli Petrum quendam Hirtzelium ætatem egisse olim accepimus, & magni consilii virum, & hominem honoratum, & mercatorem pecuniosum atque locupletem. Is viduitatis diutinæ pertæsus, alteram in matrimonium duxit, virginem & honestis prognatam parentibus, & forma liberali venustaque præditam, & bene denique cum moratam, tum vero dotatam. Hanc ille singulari quodam amore suo prosequebatur, ac in summo habebat pretio atque honore: neque vero in dubium veniebat, quin ipsi itidem in oculis esset, atque adeo in medullis visceribusq; hæreret. Annis enim aliquot ipsum veluti parentem obseruabat alterum, & mirifice amabat, & quoquo modo placere ei studebat. At vero cum cani iam illi proserperent, & viribus quottidie magis atque magis deficeretur, & minus sæpe exerceret matrimonium, cæpit illa nonnihil de pristino erga ipsum amore suo remittere, & cum seruulo suo Georgio Rappersuilensi, adolescente tum formoso, tum robusto consuescere stuprique habere consuetudinem. Quod quidem tametsi mercator, homo cæteroqui naris haud obesæ, ne minimo quidem suspicionis odore sentiret, (Cicero lib. 1. ad Q. Fratrem, nam vt quisque est vir optimus ita difficillime esse alios improbos suspicatur) Deus tamen iustus iudex, qui nullum scelus in occulto latere diu, aut impunitum discedere patitur, sed suo illud tempore, magno cum delinquentium contemptu, ignominia, & damno in apertum profert, mirabiliter illud patefecit.

Quod enim mercatori filius esset trimulus,

quem tenerrime diligebat, ita quidem, vt ſibi cibum capienti proximus ſemper aſſideret, & in vno ſecum eodemque lecto dormiret, hic quidem parenti ex nundinis Lugdunenſibus redeunti, perquam blande occurrit, amplexuſque dexterum illius genu, infit: Verbis mehercule nunquam expreſſerim mi mellitiſſime pater, quantopere tibi reditum iſtum tuum gratuler. Quid quæris? omnibus equidem lætitiis incedo, ac gaudio plane triumpho, in cæloque ſum, cum te quidem ſaluum nobis incolumemque reſtitutum eſſe conſpicor. Te namque peregre profecto atque abſente, miſero mihi tuo in lectulo cubare per Georgium ſeruulum noſtrum, mercaturam facientem, haud licet, ſed ab ipſo ii de extruſus cogor in ciſta iſta toro tuo propinqua dormire. Qua quidem ex re incredibilem animo moleſtiam traho.

Pater eo audito, obſtupeſcit, dolorem tamen alto pectore premens, diſſimulat, filioloque linguam, his quidem verbis, intercludit. Caue ſceleſte, hoc ipſum vel mihi, vel alii cuipiam poſthac dicas, alioqui futurum eſt, vt virgis cædare. **Ey du Läckerin was ſeiſt? halt das Mul / vnnd ſag niemandt was daruon / wann ich das mehr von dir höre / ſo wil ich dir Füſſe machen.** Interea tamen recta rem via ſecum reputanti, illud vetuſtate contritum prouerbium in mentem ſubinde venit, quæ & ſtulti, & infantes oculis coram vſurpant & auribus, ea quidem mox moxque efferunt atque diſſeminant. Quid multa? Vxorem de hoc filii ſui ſermone pulchre cælat, & priſtina ſua beneuolentia vſque complectitur, interim tamen ea in cogitatione curaque noctes atque dies verſatur, quemadmodum primo quoquo tempore reſciſcat, vt res iſthæc ſeſe habeat, verane ſit, an vero minus. Proinde comparatis ſibi clam vxore clauibus duabus

bus, quarum altera quidem ædium suarum ianua, altera vero cubiculi fores reserabantur, Argentoratum sese æris alieni extorquendi caussa profecturum simulat, sumptoque ientaculo, cum filio ex priore coniugio suscepto, in viam se dat. Abiens etiam vxori vterum iam tum ferenti, ac sex liberorum matri, cum salutem verbis amantissimis dicit, tum in collum inuadens oscula figit suauiaque dat, sic quidem, vt nulla illi prorsus suspectio incideret, monstri eum quippiam alere. Famulo similiter, cum vultu, tum verbis, tum gestibus summam beneuolentiam præseferens, certa quædam negotia dat, quæ se absente conficiat curetque. His ita, vti diximus administratis, conscenso equo, iter ingreditur, Badenamque deportatus hic prandet, & aliquantisper à prandio in profundis cogitationibus defixus, filium suum aliquanto post, hanc in rationem affatur.

Papæ, quanta est nostra obliuio? Syngraphas ego debitorum meorum domi meæ per obliuionem reliqui. Itaque nihil ab ipsis expressero pecuniæ, nisi chirographa ad manum habuero. Vide quid præproperę istæ festinationes efficiãt. Enimvero non est de nihilo, quod vulgato isto prouerbio dicitur. Canis festinans cæcos parit catulos. Est vtique vt pedem extemplo referentes, syngraphas istas afferamus. Sed id faciendum fuerit nocte concubia, & cum somnus iam est arctior tum matrem tuam, tum omnem etiam familiam complexus, hisque dictis equum conscendit, sub vesperamque Tigurum redit, ac in suburbio ad hospitem cuius insigne est Simiarum Vehiculum (zum Affen Wagen) diuertit.

Admirante hospite cur non recta domum pergat, coniugis suæ multum grauidæ habendam esse rationem caussatur, ne ipsi inopinato isto reditu

ſuo terror aliquis iniiciatur, in mentemque veniat ſuſpicari, ſe vix ægreque è latronum manibus eſſe elapſum. Oblitum ſe domi debitorum ſuorum ſyngraphas, quas nocte ſit intempeſta ac familia iam omni ſomno ſepulta, clam iſtic ablaturus.

Hoſpes fidem illi adhibens, hoc ipſius ſermone acquieſcit neque enim quicquam de vxoris ipſius ſtupris inaudierat, quam & ipſe, & omnis itemque Ciuitas honeſtiſſimam eſſe matronam exiſtimabant.

Noctis porro hora circiter vndecima, ipſe relictis in diuerſorio equis, cum filio lucernam præferente domum abit, & cum ædes, tum vero cubiculum recludit. Quod vero vxor & ſeruulus cuticulam vna lauando curaſſent probe, & vinum partim alſaticum, partim etiam alpinum affatim bibiſſent, & ſtupris denique ſeſe defatigaſſent mutuum, euenit vt ſomnus ipſos occuparit arctiſſimus, ita quidem, vt neque portam recludi ædium, neque aſcendi fornicem, neque cubiculum denique reſerari atque aperiri animaduerterent. Mercator ergo ingreſſus cubiculum, cum filiolum trimulum in ciſta cubantem, tum cortinam ſipatiumue magni pretii lecto appenſum, tum lychnum etiam ardentem reperit, quæ quidem ſe præſente minime fiebant. Itaque ad lectum ſtricto mox gladio accurrit, ac velarium iſtud non ſine ſtomacho conuitiiſque remouet. Vnde & adultera, & mæchus ſomno mox ſoluuntur. At hic quidem viſo & agnito hero ſuo caput actutum ſtragulis tegit occultatque. Hunc mercator gladio protinus trāsfigit, enſemque tantiſper in vulnere ipſius relinquit, dum adulteram animam efflaſſet.

Hoc contrucidato conuertitur ad vxorem, quā maluiſſet fuga ſibi cōſuluiſſe, ſed ita erat illa inopinato mariti ſui reditu conſternata & exanimata, vt

fugæ

fugæ seſe, quam animo destinarat, dare minime omnium posset. Extulerat illa quidem pedem iam dexterum ex toro, sed pes subsequi recusabat alter, Deo haud dubie ad pœnam subeundam retrahente ipsam, & reseruante.

Filius igitur trimulus, qui adulterium matris detexerat, videns impetū à parente suo in matrem fieri, eamque stricto pugione peti, perquam flebiliter exclamat, da amabo te mi pater matercule meæ huius sui delicti veniam impunitatemque, ac caue per Deum ipsi manus afferas. **Ach Vatter thu dem Mütterli nichts Ach Vatter thu dem Mütterli vmb Gottes willen ja nichts.** Ipsa quoque culpam deprecata inquit, Ah mi optime optatissimeque Petre, oro te obsecro atque obtestor per omnia sacra, vt ad lenitatem te des, atque huic errato meo ignoscas. At vero maritus furenter irascens, nec sibi satis constans, & neque filioli deprecatione, neque vxoris perquam grauidę ac partui vicinæ obtestationibus flexus fractusue: Ego quidem meam tibi & probitatem, & bonitatem abunde probaui semper, inquit, tu vero cum perfidiose adulterio te coinquinaueris, mea hac manu iam iam peribis. Fac igitur peccati tui seria pœnitentia ducta ad Dei misericordiam confugias, illiusque veniam efflagites. Nec mora, sicam in pectus illius vi quanta potest maxima adigit, hoc pactoque illam è medio tollit, posteaque in asylum se confert, fœtu in adulteræ occisæ atque exanimis vtero multum se mouente, & aliquot horas spirante.

Postridie finita in publico sacroque cœtu concione conuocatur Senatus Tigurinus, vt de hoc Hirtzelii facinore cognoscat, statuat, iudicet. Pronunciantibus porro ad vnum omnib. quod Hirtzelius superiore nocte fecisset, idem facturum in

casu simili quemuis virum honestum ac fortem omnium ipse calculis absoluitur, ac bona cum pace veniaque suas in ædes remeare iubetur.

Mæchus porro atque adultera sub vesperam à carnifice ipsiusque ministris è domo exportantur, & diuersis disiunctisq; tumulis inferuntur.

Hanc Historiam Dionysius Melander pater meus cum mihi, tum aliis etiam persæpe recitauit. Accidit autem illa anno epochæ Christianæ, 1563. Ianuarii die 32. Quo quidem tempore parés meus Tiguri sacris literis operam dedit, hospite vsus ac præceptore domestico, D. Rodolpho Gualthero Theologo præstantissimo, & nostri seculi Chrysostomo.

Solomo Prouerb. 6. à Versu 28. vsque ad finem.

Non reputant probro furi, quando furatur vt adimpleat animam suam, esuriens enim facit.

Et deprehensus reddit septuplum, & totam substantiam domus suæ rependit.

Qui autem adulterium committit cum muliere, is deficit corde, & qui vult perdere animam suam, agit in hunc modum.

Plagem & ignominiam inueniet, atque opprobrium eius non delebitur.

Zelus enim est furor viri, & non parcit in die vltionis. Non recipit faciem vllius placationis, neo acquiescet etiamsi multiplicaueris munera.

LXXXIV. *De D.D. Erhardo Snepfio, ecclesiasta & Professore Theologo olim Marpurgensi, & conscelerata item ipsius lasciuaque famulæ, quæ cum literarum quodam studioso, se pro spectro gerente, stupri habebat consuetudinem.*

QVo tempore Erhardus Snepfius Theologus summus, quem honoris caussa nomino, Mar-

purgi

purgi ætatem agebat, eo Huldrychum Zuinglium, eiusque gregales plusquam Vatiniano prosequebatur odio. Itaque cum imperitam promiscuamque multitudinem pro concione, tum literarum etiam studiosos in omnibus prope lectionibus etiam atq; et diligenter adhortabatur, vt ne Zuinglii opinione peruersa, vllo se pacto imbui paterentur, neu illius in sententiam pedibus vnquam discessionem facerent, sed ipsam illam veluti præsentissimam aliquam certissimamq; pestem, ad extremũ vsque vitæ halitum, fugerent atque detestarentur.

Contigit autem, vt quidam eius academiæ scholasticus stipendiarius, Snepfii famulam deperiret, ab eaque singulis ferme noctibus stupri cum ipsa faciendi caussa per quoddam tabulati posticum in ædes ipsius intromitteretur. Quod quidem cum citra strepitum minime fieret, Snepfius edi illum à spectro quodam ratus, coniugem suam hanc in rationem affatur. Audisne vxor mea stridorem istum ac sonitum? ausim equidem affirmare, diabolum quempiam Zuinglianum ita in domo hac nostra obuersari, ac omnia sursum deorsum voluere, vt nos territos obtundat, somnoque priuet. Nescius enimuero leo iste rugiens haud est, me cum ipsum Zuinglium, tum omnes eius socios angue peius odisse atque cane. Itaque mihi contra ægre facere quoquo modo studet. At vero nostrum fuerit, isthæc illius terriculamenta susque deque facere, pro nihiloque putare. Quoties etiam de lecto surgeret, toties ex famula mox quærebat, vtrum horrisonos empulæ nocturnæ audiuisset fragores? Quæ sic illi respondebat, quidni audierim? tibine here ita somnolenta ego videor, hos ipsos vt non audiam? Dii vero meliora. Incredibile vtique est, quantis hac nocte in angustiis fuerim. Quid quæris? equidem lamina ista tanto tumul-

tuante opere, toto tremebam corpore, & caput mox meum lodicibus straguliſque, quantum quidem poteram, inuoluebam, & aures obturabam meas, & precibus ad Deum Opt. Max. quam ardentiſſime effuſis, totam me diuinæ ipſius commendabam tutelæ.

Snepfius collaudata hac ipſius pietate, feciſti plane bene filia, inquit, fac ita pergas. Nihil profecto manes, manes autem? imo vero ne ipſi quidem inimici vexatoreſque hominum diaboli nocere mortalibus poſſunt, niſi quod terrorem ipſis aliquem iniiciunt. Sed tu terrores illos omnes, quales illi quantique ſint (ſi me quidem audies) flocci tibi faciendos eſſe, contemnendoſque putabis.

Famula gaudio non mediocri perfuſa, quod amaſius iſte ſuus tum à domino, tum ab hera etiam ſua in lemurum numero locoque duceretur, illum poſtea multo confidentius admittit, conceptiſque illi verbis mandat, vt ſeu accedens, ſeu abiens ſtrenue ſtrenueque bacchetur ſtrepatque. Hic dicto illius audiens, ſpectri perſonam pulchre agit.

Quodam porro tempore Snepfius à nuptiis cuiuſdam ciuis domum reuerſus, vino nonnihil incaluerat, ideoque audacior iam nunc factus, animum ſuum penitus inducit, ſpectrum iſtud ea mox nocte interpellare, & ad collocutionem pellicere. Quo de edoctus ſcortator, media intempeſtaque nocte redit, ac multo iam omnia miſcet ac turbat tumultuoſius, quam antehac vnquam fecerat. Snepfius ergo iſto illius immani horribilique ſtrepitu de ſomno excitatus, ſpectrum his verbis compellat.

Quid tu vero nocturne graſſator toties moleſtiam mihi exhibes, ac quietē interrumpis meam? Næ tu veſpertilio es longe omnium peſtilentiſſimus,

mus, noctu duntaxat circumuolitans, interdiu autem nusquam apparens gentium. Adiuro te ego per Deum viuum, vt ne me celes, qui sis.

Ille igitur voce rauca, obscura, tremula atque depressa demurmurans, respondet, equidem vnus sum aliquis de cacodæmonum numero.

Tum Snepfius, age inquit, hanc tibi ego vocem expressi nebulo: pergitque percunctari. Quid tibi vero videtur de pestilẽti isto & abominabili Zuinglii hæresiarchæ istius dogmate? Dogma profecto illius neque pestiferum est, neque detestandum, respondet ille, sed partim sacris literis, partim orthodoxæ antiquitati, partim vero rationi consentaneum.

Vix effatus hæc erat personatus Satanas, ecce tibi exclamat Snepfius, voce quanta potest maxima, iam vero tuo te indicio veluti sorex prodis diabole. Scilicet, te authore Zuinglius dogma istud suum in vulgus spargit atque disseminat, tu hæreseos istius fax es atque tuba. Facesse meis cõtinuo ex ædibus Satana Sacramentarie in lacum infernalem, tibi & Zuinglianis Suuermerisque tuis destinatum atque desponsum. Ac protinus conuersus ad coniugem infit, nunquid prædixi mea lux semper, esse Zuinglianum aliquem diabolum, qui tot me modis tandiu diuexaret? Enimuero minime me mea fefellit opinio, Acu mehercule rem tetigi. Neutiquam à scopo nostra aberrauit diuinatio. Interea impostor iste ad scortillum suum sese recepit, cum eoque ad satietatem vsque sese oblectat.

Cæterum postridie Snepfius conscensa cathedra scholasticum cætum omnib. eloquentiæ viribus, omni denique conatu vocis, & corporis admonet, vt sibi à portentoso Zuinglii dogmate caueat, quippe quod ipsum omnis mali machinato-

rem Satanã, habeat autorẽ. Id quod à phantasmate quodã menses nunc aliquot suis in ædibus magno cum strepitu obambulante, superiori nocte accepisset, huiusce que rei testem vxorem suam constituit, quæ idem auribus suis æque atque ipse audiuisset.

Quod porro Snepfius literarum nunc studiosos admonuerat, idem insequente die dominica auditoribus suis pro publica concione diu multumque inculcat, ad rauim vsque repetens, ipse Diabolus Zuinglianus est, & Sectæ istius dux atque magister. Caue igitur per fortunas, ista vos diabolica Zuinglii opinione vnquam imbui patiamini.

Verum quid fit? mensibus non ita multis exactis, Snepfii famula filiolum in lucem edit, atque tum quidem spectri istius technæ in apertum prolatæ, ac ante omnium oculos positæ fuerunt. Itaque bonus Snepfius, hunc ad modum delusus, non modo à scholasticis, verum à ciuibus etiam plerisque omnibus deridetur, sic prorsus, vt vehementer ipsum & pœniteret iam, & puderet cõcionis istius, de Diabolo Zuingliano, magna voce, boniſque laribus habitæ.

Personata spectra vt accipi tractariqua debeant.

D. Bullingerus concione sua **von rechter Hülff vnnd Errettung in nöthen**/ anno 1552. Tiguri edita, b. 2. **Etwann ist Huren vnnd Buben Volck**/ **daß jhr Bulerey**/ **das ist Buberey mit einander treibt**/ **vnnd die eynfältigen Leut im Hus**/ **in dem Wahn läst**/ **es gehe bey nacht ein Geist oder vngehewer im Hus. Ein sömlicher Geist were gut mit Geißlen zu beschweren.** Interdũ Scortatores & meretriculæ se pro spectris gerunt. Qui vt stupris suis eo liberius indulgere ac vacare possint, in ædibus nocturno

tem-

sempore ingenti cum strepitu vltro citroque ob-ambulant, ac simplicioribus persuadent, fucumque faciunt, fieri idipsum a spectro aliquo. Atqui huiusmodi spectrum dignum foret, quod quidem flagello aliquo scuticaue adiurares, & probe profligares probeque.

LXXXV. De alio quodam adumbrato fictoue spectro.

ERat Iacobo cuidam Meistero Vicano nostrati vxor, quæ ob insignem corporis longitudinem, Martha procera vulgo nuncupabatur. Is hydropisi confectus, mortem obibat filiis quattuor paruulis relictis. Vxor virum rebus humanis exemptum, non fletu, sed ploratu, imo vero planctu vlulatuque prosequebatur, ac nullius cuiusquam consolationibus auscultans, locumue relinquens, tota in sordibus atque squalore iacebat, sic prorsus, nemo vt quisquam putaret, futurum, vt ipsa in reliquum tempus alicui nuberet.

Verum quid fit? Mense exacto vix vno, ad magistratum proficiscitur, ab eoque petit, vt sibi suisque pupillis Diethmarum Borntregerum tutorem det. Quod igitur ipsa magno fletu à magistratu contendit, id quidem extemplo nulloque negotio impetrat.

Quod autem ad Borntregerum istum attinet, valebat ille quidem ingenio, & habebat aliquem rerum vsum, sed erat in ipso inexhausta quædam auiditas stuprandi, nec satiari poterat. Quamobrem tutor factus, eam in curam atque cogitationem totus incumbebat, quemadmodum vidua ista potiri aliquando animumque explere suum posset. Erat enim integra adhuc ætate fœmina, & perquam speciosa, & succi plena. Itaq; sæpe ipsam multumque interuisebat, & ipsius orphanis, aut ce-

rasa

rasa, aut pruna, aut pira, aut poma, aut nuces denique, pro vt anni ferebat tempus, largiebatur.

Porro cum ipsius in consuetudinem se penitus iam immersisset, ac haberet eam multis suis officiis arcte sibi deuinctam, cœpit vtique concubitum illius, exhausto pudore omni, expetere. Neque vero repulsam tulit, ipsa illum auidis vlnis cum admittente, tum amplectente. Nam afflicta ista & casta, si diis placet, vidua, quæ viri sui obitum tam acerbe immoderateque ferebat, clauem illi dabat, qua ædes suas nocturno tempore, & recludere commode, & claudere itemque posset.

Quid multa? perpol paucas Diethmarus noctes præterlabi patitur, quin ipsam visat, ac consolatione aliqua permulceat.

Quod vero liberorum ipsius conclaue esset matris cubiculo contiguum, facile ipsi audiebant, quoties aut veniret, aut discederet, aut strepitum aliquem ceuendo stuprandoue ederet, ideoque non parũ quidem sæpe fletum faciebant, spectrum quodpiam adesse putantes. Hos placans frugi mater, inquit. Facessant filioli atque aresçant lachrymæ istæ vestræ. Pater namque vester, qui curam vestri atque memoriam nondum deposuit plane omnem, modo accessit, sciscitaturus ac visurus, vt valeatis, num debitam mihi obedientiam præstetis, & an victus vobis necessarius suppeditet. Filii ergo qui per ætatem minime intelligebant, quid lasciua salaxque parens machinaretur, fidem illius verbis adhibentes, quieti se tradebant.

Quod etiam Diethmarus porcorum esset mactator, pellicem isthanc suam identidem vel tomaculo aliquo, vel apexabone, vel lucanica denique donabat, quæ illa farcimina cum filiis communicans, dicebat, patrem ipsorum ea superiori nocte attulisse. Iccirco filii parentis sui defuncti

erga

erga se beneficentiam ad cœlum laudibus passim efferentes, ipsum non visere modo singulis noctibus matrem suam gloriabantur, sed & afferre illi, & multa, & bona, & non vnius generis farcimina, iactitabant.

Qui igitur acetum habebant in pectore, & erant naris emunctioris homines, ii quidem odorabantur statim, Diethmarum istum, hominem peni deditum, & stupri plenissimum, cum ipsorum matre consuescere. Neque vero ipsos hæc sua fefellit opinio, quod honesta scilicet hæc vidua mensibus aliquot interiectis, filios suos sororcula, qua antea carebant, ex insigni hoc atque famoso scortatore adulteroque susceptа, auxerit.

D. Lauaterus de spectris, parte prima, cap. 4.

Sæpenumero accidit, vt non solum homines faceti, sed & malitiosi, mutato habitu aliis terrorem incutiant. Vulgare hoc est apud nonnullos, vt aliquis certo anni tempore, reticulo aut persona adducta capiti, filios exterreat, quo assidue laborent, & parentibus morigeros sese præbeant: postea eis dicunt, empusas, lamias, & mormolycias conspici: illis persuasissimū est rem ita sese habere, & plerunque misere sibi metuant. Cæterum non semper conducit pueros ita terrere. Aliquando enim ex metu in morbos graues incidunt, & noctu etiam dormientes clamant. Solomon pueros, si officium suum negligant, virga castigandos esse docet, & ita metum illis incutiendum. Non dicit persuadendum illis, quod vorandi sint ab Empusis, fœmina nocturna, aut aliis monstris.

Interdum iuuenes hilares & iocosi vestes induunt, quibus Diabolos referant, vel alioqui lineaminibus sese inuoluunt, ad alios terrendum. In

quos

quos si simplices homines incidunt, non dubitant quin malos spiritus aut spectra quædam conspexerint. Non tamen semper tutum est alios huiusmodi iocis & ludis fallere. Quam enim male hoc multis ceciderit, exemplis ostendi posset. Visitatum est vt iuuenes iocosi vna iter facientes, noctu in diuersoriis, funem alligent spondæ, vel stragulæ vesti, vel sub spondam se abscondant, seque spectrum aut vmbram esse simulantes alios ludificent.

Accidit apud nos Tiguri, vt iuuenes hilares, mutato habitu in campo ecclesiastico choreas duxerint, & vnus ex illis ossibus pheretrum instar tympani pulsauerit. Quidam his visis, mox per totam vrbem diuulgarunt, se mortuorum choream vidisse, periculumque esse, ne maxima pestis mox subsecutura sit.

Adhæc omnes norunt, Scorta & Scortatores sub hoc prætextu interdum longo tempore rebus venereis operam dedisse, & domesticis persuasisse, lemures in domo vagari, ne ipsi ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendi possent, sed optatis amoribus fruerentur. Non semel tales spiritus à magistratibus comprehensi, & publica infamia notati sunt & affecti. Fures quoque sub hoc prætextu, sæpe nocturno tempore alios expilarunt, qui cum putarent se audire spectra, fures illos non abegerunt.

LXXXVI. De Diethmaro Borntregero Honensi.

QVod Diethmarus Borntregerus (ita vti iam demonstrauimus) viduam fidei ipsius atque tutelæ creditam texisset probe, ac familiam eius scita auxisset venustaque filiola, re illius familiari turpiter neglecta, quam tueri ipsum atque amplificare in omnes partes oportebat, Eschuuegiam abripitur, inibiq; in squalidissimum teterrimumque

que carcerem contruditur. Magno autem ipsius bono accidit, quod Nicolaum Rutterum Willebecchensem, non parum facetum scurram, eadem in custodia offendit. Præterquam enim quod ipso multos annos familiarissime vtebatur, poterat etiam illius facetiis non medioeriter recreari. Vocabatur is in cædis alicubi factæ crimen, eaque re in vincula coniectus fuerat. Hic igitur conspicatus Borntregerum, gratulabundus atque adeo gaudio exiliens protinus exclamat, O Diethmare noster (Plautus in Asinaria Act. 2. Scen. 2.) iubeo te saluere voce summa, quoad vires valent, ac communem illum omnium nostrum patrem Deum precor, vt isthic tibi ad nos accessus tuus fauste feliciterque eueniat. Optatus mehercule aduenis. Perdiu est enim, cum te non viderim. Sed quomodo tu huc penetrasti, vestem non habens nuptialem? An cædem cedo quæso, perinde vt ipse, fecisti aliquam? an vero stylum istum luxuriantem tuum exercuisti? Næ salax es libidinosusque nebulo, vnde & passeris tibi cognomen est partum. Dic mihi amabo te, in adulterione es deprehensus? Crediderim equidem.

Ad hæc Borntregerus ne verbum quidem vnum reddere, sed demisso capite terram intueri.

Itaque Nicolaus verba facere haud cessat, tantisper dum vocem illi aliquam exprimat, eiicienda inquiens isthæc mehercule mollicies animi est, ac cogitandum virum te esse, quem fortunæ quemcunque casum magno & excelso animo ferre deceat. (Plautus in pseudo Act. 1. Scen. 5.) Bonus animus in mala re dimidium est mali. (Idem in Capt. 2. Act. 2. Scen. 1.) In re mala, animo si bono vtare, adiuuat.

His ille auditis, totum se lamentis muliebriter lachrymisque dedens, has in voces prorupit. Heu me

me miserum & nunquam sapientem quid egi? Cur cum vidua, & ea quidem, qua cum minime omnium oportuit, adulterium commissi? (Terentius in Adelphis Act. 3. Scen. 4.) Huic vero mandes si quid recte curatum velis. Quid est, quæso te per Deum immortalem lupo cuem committere hoc quidem si nō est? Vah quam vir fui honoratus apud meos? Omnes me in oculis ferebant, nemo me non faciebat plurimi; nostrumque rebus dubiis cum exquirebat, tum sequebatur consilium. At vero nunc sum mortalium omnium, proh pudor, despectissimus. Cunctis nunc sordeo. Quotus iam est quisque, qui medium mihi digitum non ostendat? Vide quem in casum fortuna me demiserit? Nihil mediusfidius erat propius, quam vt Scabinorum in numerum primo quoquo die cooptarer. At vero iis tum ego nunc abscribar, cum mula, quod aiunt, pepererit.

(Virgilius in Bucolicis Ecloga 2.) Eheu quid volui misero mihi floribus austrum

Perditus & liquidis immisi fontibus apros.

Enimuero non est de nihilo quod Germanis est hominibus in prouerbio:

Gut verlohrn/nichts verlohrn/
Leib verlohrn/ichts verlohrn/
Ehr verlohrn/alles verlohrn.

Vbi non tis qui fueris, non est cur viuere velis.

Omnia si perdas famam seruare memento,
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Nicolaus audiens hominem tantopere deplorare de fortuna sua ac conqueri, & magis de existimationis amissione, quam de iactura salutis suæ laborare ac sollicitum esse, non sine cachinnō exclamat. Was bekümmerstu dich darumb / daß du nicht in den Schepffenstuel genommen wirst/ Den Schöpffer hastu verschoren. Quæ (malum) ista hæc

est væ-

est væsania dolere te & angi animo, quod in Scabinorum collegium non legeris? Istuc vero indomito isti peni tuo acceptum referas Diethmare oportet. Quin tu eam potius in curam incumbis, vt vera adulterii tui pœnitentia ductus, cum Deo Opt. Max. in gratiam redeas? Etenim futurum est propediem, vt tum mihi, tum tibi ceruicibus caput abscindatur, mihi quidem, vt homicidæ, tibi vero, vt adultero, nuptiarumque sacrilego. Quamobrem ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte operam demus, vt vere nos ex animo que scelerum nostrorum pœniteat, & ad Dei clementissimi patris misericordiam confugientes, merito filii ipsius eorum veniam petamus, ac dari etiam nobis firmissime credamus, ne simul cum corporibus animæ quoque nostræ intereant. Enimuero, per miserere mei tollitur ira Dei, &(Ouidius lib. 1. Tristium Eleg. 3.) Placato possim nō miser esse Deo. & (Ouidius lib. 2. Amorum Eleg. 11.) Credite, credenti nulla procella nocet.

Eo audito Diethmarus, sese nonnihil colligens, ac dissipitas animi partes rursum suum in locum cogens, respondet. Ego vero Nicolae, minime omnium (si diuina fauerint) plectar capite, luciſque huius vsura priuabor, quippe qui hominum numerum auxerim. Tu autem, qui cum attenuaris & imminueris, gladio peribis, è medioque tolleré. **Ich hab je eines Menschen mehr gemacht / warumb solt man mich dann enthaupten. Du aber hast eines Menschen weniger gemacht / drumb so streckst du auch den Hals billich dar / vnd lest dir den Grind herunter schlagen. Ich habe mit dem Beutel** (scrotum innuens) **gesündiget. Darumb werd ich auch mit dem Beutel büssen müssen.** Quod scroto ego peccarim, marsupium mihi meum probe castrabitur atque exhaurietur. Ac recte quidem de se

Diethmarus augurabatur. Nam cum menſes tres eoque amplius in vinculis fuiſſet, & famem ſitimque pane furfuraceo toleraſſet & lympha, vxoris ac filiorum ſuorum ad Sigiſmundum à Boyneburg Cattorum Principis ad Vierram vicarium humili ſuppliceque deprecatione eſt factum, vt multa pecuniaria grandi depenſa, liberaretur.

Sed & ipſi Nicolao non ita multo poſt veniæ eſt facta vitæque gratia, nobilibus à Bulſchleben diligenter pro ipſo ſtudioſeque deprecantibus.

Hartmannus Schopperus in Speculo Vitæ aulicæ pag. 77.

Dauid propheta Sanctior,
Deoque ſummo charior,
Quo non fuiſſe creditur,
Poſtquam ſcelus grauiſſimum
Adulteri commiſerat:
Pœnas luebat horridas.
Deique rurſus Optimi
Heu difficulter priſtinam,
Eſt conſecutus gratiam.
Olim Deus præceperat,
Hos nempe ſaxis obrui:
Promiſſa qui connubia,
Fidemque matrimonii
Diſſoluerent adulteri.
Mœchos putabant Ethnici,
Abiectiores furibus,
Et puniendos acrius:
Vt expiarent ignibus
Illata ſtupra per viros.
Nunc ligna deſunt arida,
Machantur omnes libere,
Donec perennes deſuper
Ignes olympus depluat.

Deuſt

Deusque pœnas maximus
Ab impio adulteris
Sed sempiternas exigat.

LXXXVII. De nepto quodam Diacono.

ERat me puero pastori cuipiam, seu ædituus, seu Diaconus, homo supra quam dici potest insulsus atque ineptus. Huius hæ erant partes, vt principio quidem ædis sacræ valuas clauderet, & recluderet, & partim pulueres aranearumque telas parietibus inhærentes abstergeret, partim vero pauimentum à quibuscunque sordibus repurgaret. Deinde vero vt campanarum pulsu concionem aduocaret, & canes inde scutica aliqua flagelloue profligaret. Tum vt diebus festis Psalmum aliquem germanicum concineret. Postremo vt pastore ægrotante peregreue profecto, vel conciunculam aliquam de scripto legeret, vel infantem aliquem aqua Christiana lauaret, vel viseret ægrotos, vel hos ipsos denique vita defunctos sepultura afficeret.

Euenit autem, vt pastore aliquando peregre profecto, Ciuis quidam honoratus, isque homo senatorius Deo naturæq; concederet. Itaque ædituodiaconus iste faciendum sibi putabat, vt ad D. Spangenbergii conciones funebres statim recurreret, atque hic quidem vnam aliquam etiam atque etiam lectitaret, ne postmodum, cum iusta illi soluenda essent, aut insistendo, aut hallucinando, aut impingendo denique, (id quod non parum quidem sæpe vsu ipsi veniebat) turpiter sese daret.

Verum quid fit? funus magna hominum frequentia effertur, ac sepulchro illatum, humo tegitur. Quo facto, ita sermocinari noster ille ac verba facere aggreditur.

Dilectissimi in Christo fratres, continetur au-

reolo libello hoc noſtro egregia mehercule quædam ac conſolatione plane redundans concio, quam prælegere vobis in præſentia ſtatueram. Ne non vero hoc ipſum recte à nobis rationeque conſieret, iterum ipſam iterumque ac ſæpius peruolui. Sed quia pluuiæ affatim nunc decidunt, cogor equidem nolens volens lectione cõciunculæ iſtius ſuperſedere, ſubuerens nimirum, ne non pluuiis codex ille noſter imbuatur, ac vitium inde faciens nobis corrumpatur ac pereat. Quod igitur reliquum eſt, dimitto vos hoc ſolenni auguſtoque lehouæ noſtri euphoniſmo Numer. 6.

Phil. Mel. lib. 1. Epig.

Optime Chriſte tuæ quæſo benedicito turbæ,
Ac inter vitæ ſæua pericla tege.
Te dabis vt cernat vere eſſe patremq; Deumq;
Certa venit nobis, ſi miſerere ſalus:
Placatumq; animum, vultuſque oſtende paternos
Proſperaq; euentant cuncta fauore tuo.

De lieben Lüthchen/es wer wol in deſſen hebſchen Büchelchẽ/ eine vßbundige ſchone breddige vorhãden/die ſo voll Troſtes ſtickt/als ein Benſtock voll Honniges. Die ich auch mit allem vliſſe vbberleſen hab/ vnnd wolt ſie vch von Hertzen gern vorleſen vnd mittheilen. Eber es reint me ins Buch/vnnd macht meß zu ſchangen. Drumb ſo laſt vch diſmal an dem Seyn des HErren genugen.

Der HErre ſein vch/vnd behüte vch/

Der HErre erluchte ſin Angeſicht vbber vch/ vnd ſi vch genädig.

Der HErre erhebe ſin Angeſicht vff vch/ vnnd geb vch freden/Amen.

LXXXVIII. De Donato Sculptore Florentino.

DOnatus Florentinus Sculptor, facile cum antiquis comparandus, cum Florentiæ in ſublim-

limi parte maioris templi Diuæ Mariæ statuam sculpsisset, & mirum in modum sibi placuisset, eidem colaphum impegit, exclamãs, Loquere. Quasi viuam effecisset, nec aliud maius posset ab eo desiderari. Et vsque in dum præsentem vocatus II. Zuccone di Donatello.

Hartmannus Schopperus in Speculo Vitæ aulicæ pag. 283.

LXXXIX. De Germano quodam, & Inquisitoribus Hæreticæ prauitatis.

GErmanus quidam cum ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt vocant, accusatus esset, quod inter æquales suos contra Ecclesiæ Catholicæ consensum negaret esse purgatorium, respondit. Si parochus noster, cui plurimum tribuo, pro suggestu vera concionatur, aut nullum est purgatorium, aut vacuum. Sæpe enim repetit, Turcas, Iudæos, hæreticos, & Impios non in purgatorium, sed recta ad inferos descendere, vnde nunquam liberentur. Deinde indulgentiis quæ prostant, multas animas in integrum restitui. Adhæc tantas esse Missæ vires affirmat, vt nulla in toto orbe celebretur, per quam non anima minimum vna eripiatur flammis purgatorii. Hæc si vera sunt, aiebat (non enim quæ parochus meus affirmat, refellere conabor) persto in mea sententia. Nam Catholicorum numerũ ad paucos redactum esse, omnes conqueriminí, maxima hominum turba in varias sectas scissa, & Epicureorum numero quotidie crescente. Deinde omnium loculi sæpissime à pœnitentiariis, qui indulgentias venales proposuerunt, exhausti sunt, vt anima purgatorii cruciatibus liberarentur. Præterea nullus est pagus, in quo non complures Missæ celebrentur, priusquam vel vnus rusticus moriatur. Quid igitur sequitur aliud quã

vel nullum purgatorium, vel omnino vacuum esse? His auditis Inquisitores, qui non ignorabant, sic a suis doceri, obstupuerunt, & communicato consilio illum obiurgarunt, quod circa quæstiones ad se non pertinentes, occuparetur, quas iubebant eum Theologis relinquere, & suis negotiis vacare.

D. Lauatterus libri sui de spectris parte secunda pag. 193.

LXC. De Heluetio quodam.

FVit apud nos vir honestus & grauis, qui priusquam Euangelii lux emersisset, hoc dilemmate vtebatur. Pontifex Romanus aut habet potestatem euocandi animas ex tormentis purgatorii, aut non habet. Si habet illam potestatem, & ea non vtitur nisi interueniente pecunia, crudelitatis & auaritiæ crimen non potest effugere. Si vero non habet, magnum profecto scelus est, tot viduas & orphanos hoc nomine expilare, & de potestate, quam non habet, insolenter gloriari.

Idem ibidem pag. 194.

XCI. De Monacho quodam.

CLam Cœnobita perditus
Quam sæpe mecum conqueror,
Quod more degens cælibis,
Vxoris & sum negligam.
Si lata fata propriam
Mihi dicassent coniugem,
Mea peracta puriter
Nossem iuuenta præmia,
Meisque possem liberis
Augere regna cælitum.
Niger, nephandus, inuidus
Nunc claudor hic durissimo
Mœrore plenus carcere.

Sensus

Sensus vagantur liberi,
Totumq; mundum peruolant:
Et implicata gaudiis
Mens carnis est vanissimis.
Deus preces, suspiria,
Nostrasq; ceremonias,
An laudet, optet, comprobet,
Exaudiatue nescio.
Nam fœditate pruriens,
Vitam traho miserrimam.
Huius repertor ordinis
Quicunq; princeps extitit,
Hunc noxiis abominor
Diris, modisq; pessimis.

Hartmannus Schopperus in aulicæ vitæ speculo pag. 104.

XCII. De Homicida quodam.

NOui quendam qui bis homicidii reus factus, pro interfectis vnum atque alterum aureum numum Romam detulit, tantasque indulgentias inde secum reportauit, vt à nullo vnquam licet Sacerdos foret, animarumque curam gereret, ob commissa homicidia male audierit. Porro de iniquitate & perfidia Romani Pontificis extant Hutteni rythmi ex germanico idiomate sic latinitate à me donati.

Venale ius & gratiam
Habet Supremus pontifex,
Christique partam flebili
Vendit salutem funere.
Maiora qui fert munera,
Maiora tollit præmia.
Quare nec is Vicarius,
Potestue Christi clauiger
Apto vocari nomine.

Christus nec auri pondera
Requirit, aut pecunias.
Et vina nobis optima,
Prabetq; dona lactea:
Gratis ministrans omnia.
Et sponte cunctis imperat
Ad sempiternas optimi
Nos fontis undas currere.
Ipsi voluntas candida,
Vitaq; turpis sordida
Cor absq; labe sufficit
Qui nostra morte crimina
Deleuit, & placabilem
Deum patrem mortalibus
Suo cruore reddidit.
Hac sponte quamuis omnia,
Christus benignus fecerit,
Ab omnibus tamen viris
Romanus aurum Pontifex,
Pecuniamque flagitat.
Iam Roma nummis inuida
Nos exuisset omnibus,
Ni res miseratus turbidas
Opem tulisset vtilem
Deus deorum maximus,
Iubarque verbi nobilis
Os extulisset aureum
In astra quod certissimam
Viam recludit omnibus.
Per patris haud vestigia
Vrbs quo superbit Romuli.
Vnius at per gratiam
Christi patet credentibus
Superna cœli ianua.

Idem ibidem pag. 195.

XCIII. In

XCIII. In Simoniam.

O Vtinam atq; vtinam quod vocis omnib. optem,
Pontifices ipsos hæc tetigisset acus.
Ne sancta ara foret rutilo contemptior auro,
Non grauior nummus numine, libra libro.
Neu largiretur pro Petro, iam omnia Simon,
Ad loculos, pulsis funditus Ambrosius.
Hæresibus nullis hæc ætas nostra pateret,
Nutrirent Christi pascua sancta gregem.
Nunc quum Simoni, pro Petro, ecclesia seruit,
Languescit, paucis interitura, Fides.

Gilbertus Ducherius.

XCIV. De Martino Luthero.

ANno 1542. viderat Lutherus duos egregios adolescentes in somnis filiam suam abducere ad conuiuium nuptiale. Quod ipsum cum recitasset mane, D. Philippus statim suspicatus fuit, angelos ipsam Lutheri filiam Magdalenam abducturos esse ad conuiuium cœleste. Id quod etiam eo statim die accidit.

D. Selneccerus in Genesin pag. 615.

XCV. De milite quodam.

SCribit Pontanus, militem Genuensem somniasse, se à Serpente deuorari. Metuens igitur ille sibi, noluit cum reliquis eo die in aciem prodire, sed Genuæ in ædibus se continuit. Forte autem tumultu orto, periit, ictus globo bombardæ, quam vocant Serpentem, **eine noth Schlangen.**

Idem ibidem.

XCVI. De Phthisico quodam.

PHthisicus quidam cum somniasset se in suo natare sanguine, & Medici postridie somnium

de redundantia sanguinis interpretati, venam incidissent, cum sanguine animam exhalauit.

D. Peucerus de Diuinatione pag. 273. editionis nouissimæ, seu Seruestanæ.

XCVII. De Antonio Musa.

ANtonius Musa, Augusti Medicus, ante prælium, quo in Philippis depugnatum est cum Cassio & Bruto somniarat tabernaculum Augusti in castris diripi. Admonitus Augustus, inde decessit. Neq; falsus est omine insomnii. Inter pugnandum enim fugato illo cornu tabernaculum a Bruto direptum est.

Idem ibidem.

XCVIII. De Cyro Persarum Medorumque Rege.

CYro in Armeniam eunti cum exercitu, cum difficultates quædã & tardarent progressum, & ancipitem fortunam ac dubiam minarentur, somnium nocturnum animum addidit, & spem fecit victoriæ, visus enim sibimet ipsi secundum quietem compedibus distineri, & easdem paulo post sponte ruptas dissilire ac decidere, vt quacunque vellet ingredi posset, non fore diuturnas has difficultates, & expeditam victoriam secuturam, inde ratiocinatus est.

Idem ibidem.

XCIX. De Ptolomæo Ceraunno.

AMici Ptolomæi κεραυνῦ, qui Saleucum Macedonem interfecerat, viderunt ipsum à Saleuco rapi in iudicium, vulturibus lupisque iudicantibus, & caussa cognita carnes eius passim distribuentibus. Huius somnii veritatem exitus cõprobauit. Nam non ita multo post à Galatis interfectus,

fectus, inter cadauera cætera, vulturibus & lupis prædæ factus est.

Idem ibidem.

C. De Polycratis Samii filia.

FIlia Polycratis Samii, cuius extat in historiis celebrata felicitas, visa est patrem in aere sublimem à Ioue ablui, a Sole inungi. Completum est somnium, cum ab Orete patrem cruci affixum ardores Solis ita percoxerunt, vt liquefacta extillaret pinguedo, quæ cadauer oblinebat, & cœlestes id vicissim pluuiæ abluerent.

Idem ibidem.

CI. De comitiis Vuormatiensibus anni M.D.XLI. Simonis Grynæi somnium, siue Libertas.

Quæ nouus immisit mihi Sturmi insomnia Ianus,
Dicam, Vatidici ne temne oracula somni.
Sturmi, cui nomen Germani sanguinis iram
Seruat adhuc, titulo & bene quadrat Martia virtus
Consilium magnis Teuto de rebus inibat,
Antiquata diu reuocatum dogmata Christi:
In medio procerum Libertas tristis & expes
Visa astare mihi, talesque effundere fletus;
O mores, o tempora ferrea, tempora heu:
Pastorum specie coruique lupique rapaces.
Caulas Christe tuas, qui cade & sanguine complent,
Iura tuo populo reddunt, & religionis
Huc actum caussam veniunt, nostroque cruore
Ritibus imbutis (proh) de pietate loquuntur,
Latratu horrisono timidos inuadere sueti.
Ac velut ipsorum bonitas sit nota per orbem,
Nota sit at nusquam virtus doctrinaq; Christi,
Præteritis vitiis, mediis quibus vsque tenentur.
Illius ante volunt sacrum rescindere dogma,
Quam sua diuino submittere crimina iuri.

Atque

Atque negant Christi regnum subsistere posse,
Ni nostra in cineres redigantur corpora flamma.
His cum nos verbis contendere, quos neq; ouilla
Tegmina, nec longi fallunt in gutture dentes,
Quærimus, & rabiem promissa flectere pace:
Ast hi, si quondam sacris in cœtibus ausi
Iactare ante alios se voce locoque fuissent,
Omnibus explosi officiis terraque marique,
Infando dignam pendissent crimine pœnam.
Nunc autem inueniunt que locum, summoq; locantur
Fastigio procerum, primi quin & agmina ducunt,
O frustra cæca Christi lux nocte refulgens,
Horrenda pressi captique tyrannide mundi.
Quid fit? quid facimus? superat Papa, regnat vbique
Impietas nobis cernentibus atque triumphat:
Nec tanto è numero quisquam est hoc nomen adorãs,
Tendere qui contra queat, aut se opponere verbis.
Nostraque conticuit virtus, his finibus olim
Culta diu, patribus bene laus & cognita vestris.
An cæcus quisquam est adeo, tyrannida qui non
Cernat, & illachrymans sortem non ploret inertiæ
Nunc Christi populi? quondam qui sanguine fuso,
Principis ausus erat leges per mille pericla
Asserere, & forti defendere pectore famam.
At iam cuncta silent, Christi stupet insciа turba,
Omnia Roma tenet, victrix tenet omnia Roma.
Grex ouium sequitur, graueolens quo duxerit hircus.
Turba sacerdotum gestit, Paana canentum.
Applaudunt armis proceres certare parati,
Attoniti subdunt saut sua colla tyranni,
Romanusque trahit captiuum Sisyphus orbem.
Vincimur, & frustra quisquam te Christe vocarit,
Namque silet tua nunc etiam sapientia, nec se
Ferratæ quisquam potis est opponere pugnæ.
O fortem te frustra habitam Germania, quæ nunc
Crateras inter titubantia pralia misces,

Summa

enum subsistere posse,
antur corpora flamma.
ntendere, quos neq; omne
nt in gutture dentes,
omissa flectere pace:
rus in cœtibus ausi
locoque fuissent,
'erraque marique,
ent crimine pœnam.
ue locum, summoq; locantur
quin & agmina ducunt,
: nocte refulgens,
: tyrannide mundi.
uperat Papa, regnat Vbique
us atque triumphat:
quam est hoc nomen adorãt,
et, aut se opponere verbis.
us, his finibus olim
laus & cognita vestris.
? adeo, tyrannida qui non
sortem non ploret inertis
edam qui sanguine fusæ,
per mille pericla
re pectore famam.
Christi stupet insita turba,
ixtenet omnia Roma.
ueolens quo duxerit hircus.
Paana canentum.
es certare parati,
colla tyranni,
um Sisyphus orbem.
uisquam te Christe vetarit,
am sapientia, nec se
opponere pugnæ.
tam Germania, quæ nunc
ralia miscet,

Summa cui in magna vacuanda fama diota est.
Teutotenos heu docti nimium, nimiumque sagaces
Eloquio famam petere, & rem ducere verbis.
Quid memorem vicinorum ludibria regum
Facta tibi, liber quæ nunquam Teuto tulisses?
Produnt Pontifici sanctum ius, sceptraque Christi,
Carlus, Franciscus, Tuscapotiantur vi vrbe.
Hanc sibi mercedem nostra pro cæde reposcunt,
Pontifices & scelus hoc renouato fœdere firmant,
Conscelerantque suas insonti sanguine dextras.
Passim ambusta truci spectes pia corpora flamma,
Infami palo pendentia, qui tibi Christe
Thuris odorati nidor gratissimus esto.
Nos, quod delirant Reges, plectemur Achiui
Libertas quoniam siluit Germana tot annis.
Imperium Gallus verbis auroque licetur,
Esseque venalem prorsus nunc Teutona credit.
Occupat antiquas veteris decus imperii vrbes
Cæsar, quasque augere decet, proscribit & aufert,
Iam quem cælestis contra nos vltio bello
Suscitat, & mittit populantem cuncta Mahmetum,
Hunc Cæsar passim lanuantem Viscera Christi
Negligit: at Gallus sibi fœdere iungit eundem.
Iusque illis facere hæc, nobis sed dicere non est?
Dicere sed fas est, quicquid prius acta loquuntur.
Est fas, insanos armis & voce tyrannos
Perdere, nutanti patriæ succurrere fas est.
Nec quisquam per nos tamen impia ad arma vocatur.
Sed iusto pia Libertas cano classica bello.
Namque armis iustis iniusta repellere iustum.
Pro paruo gnato, dulci pro coniuge Teuto,
Pro pietate Deum, sanctis pro legibus æqui
Fortia nil dubitans ciuis bonus induit arma.
Tales Libertas imo de pectore questus
Teuto dedit, vultu manibusque ad sidera versis,
Lapsa ruens, tenues vitam profudit in auras.

Obstu-

Obstupuere viri, fremitusque fit agmine toto,
Mirantur tantum latitasse in corde dolorem.
Excutior somno, strepitu sonituque virorum
Ægraque languenti sustollo membra sopore.
Atque pugillares seruum cum lumine poscens,
Vatidici signo non falsa oracula somni.
Et tibi, quo nullum tellus Germana patronum
Libertatis habet firmum magis atque disertum,
Certis vincta prius numeris insomnia mitto.

Vale Kal. Ianuarii M.D.XLI.

Ex sylua qua regno papistico Thoma
Naogeorgi accessit pag.100.

CII. De Comitiis Ratisbon. Anni M.D.XLII. Philippi Melanthonis Somnium.

Me iussere duces fallacem pingere hyanam,
Et monstri speciem proposuere mihi.
Tetra erat, & varius moles confusa figuris
Tectaque lucenti sanguinolenta cute.
Virginei vultus, sed torue micantia flammis
Lumina, sauitia tristia signa dabant.
A collo gemini pendebant membra draconis,
Scyllæi tandem pars erat ima pedes.
Harebam aspiciens, & toto pectore fugi,
Ac pene extincto sanguine vita fugit.
Vt pingam tamen illi vrgent: non obsequor aio
Iratus, pingi non leue posse pedes.
Quo ruitis proceres? quis mentes occupat error?
Cur templo infertis talia monstra Dei?
Excutior somno, gelidus tum pectore manat
Sudor, & è subito membra stupore pauent.
Nonnihil hac moueor fortassis imagine, sed te
Christe rogo, vt placidus pectora nostra regas.

Indidem pag.104.

CIII. Æni-

CIII. Ænigma de Colloquio Ratisbonensi.

ANgulus & Fossor iungentes fœdera Aratro,
Vincula cum tendunt imposuisse Ioui.
Luminis emunctor, Pistorque & Amator equorum
Tum tendunt vinclis eripuisse Iouem.
Liber enim cum sit, non fert bene Iuppiter Illa
Quæ sunt humana vincula facta manu.

Indidem ibidem.

CIV. De Arcadis cuiusdam insomnio.

QVum duo quidam Arcades familiares iter vna facerent, & Megaram venissent, alter ad cauponem diuertit, ad hospitem alter. Hi vt cænati quiescerent, concubia nocte visus est in somnis ei qui erat in hospitio ille alter orare, vt subueniret, quod sibi à caupone interitus pararetur. Is primo perterritus, somno surrexit. Deinde cum se colligit, idque visum pro nihilo habendum esse duxit, recubuit. Tum ei domienti idem ille visus est rogare, vt quoniam sibi viuo non subuenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur. Se interfectum in plaustrum à caupone esse coniectum, & supra stercus iniectum. Petere vt mane ad portam adsit, priusquam plaustrum ex oppido exeat. Hoc somnio is commotus mane bubulco præsto ad portam est, quærit ex eo quid esset in plaustro. Ille perterritus, fugit: mortuus eruitur, caupone patefacta, pœnas dat.

Cicero lib. 1. de Diuinatione.

CV. De quodam Huldrychi Zuinglii somnio.

QVum ministri ecclesiæ Tigurinæ, Zuinglius, Leo, Engelhardus, Megander & Myconius ad vndecimum Aprilis in senatu ducentorum, de abolenda Missa, ac panis & vini adoratione tractarent.

rent, Scriba quidam in senatu Zuinglio restitit, hoc potissimum argumento, quod à perspicua verborum proprietate discederet, nec satis euidenter probaret (est) in verbis Cænæ, accipiendum pro significat Etenim hæc exempla, Semen est verbum Dei: Christus est ostium, petra, &c. nihil ad rem facere, parabolas enim esse, quarum explicatio per verbum est tradatur. In cæna vero dominica nihil tale esse. Zuinglius respondit ad Scribæ sermonem, quæ locus & tempus requirebant. Senatus vero decreuit, vt Senatores quatuor post prandium cum ministris ecclesiæ conuenirent, quo res tanta grauiter ventilaretur. Deliberatum est aliquandiu varie, & tandem placuit sequenti die, quæ erat 12. Aprilis, causam hanc iterum ad totum Senatum referri. Cum ergo in senatum ministri ecclesiæ redirent, atque huc tenderent, vt Missa in vniuersum aboleretur, obstitit denuo Scriba ille, cui cum Zuinglius copiose respondisset, se vna cum aliis è senatu domum recepit. Decretum est à senatu, vt eucharistia iuxta Christi institutionem ritumque Apostolicum deinceps celebraretur: infirmis vero liceret hac vice veteri more, si vellent, aliis in locis ea vti: vt Missa in vniuersum sic abolita, antiquata, & ablegata esset, vt ne crastino quidem die repeteretur. Mox secuta est publica totius ecclesiæ gratulatio atque lætitia.

Tredecimo die Aprilis appetente, visus est Zuinglius (vt in libello de subsidio Eucharistiæ de se scribit) se in somnis denuo cum Scriba contendere, sicque obmutuisse, vt quod verum sciret, proloqui non posset. Ibi subito visum esse monitorem, qui diceret, quin ignaue respondes ei, quod in Exodo legitur, est enim phase, hoc est, transitus Domini, simul expergefactum exiliisse è lecto, locum diligenter inspexisse, ac de eo mox coram tota ec-

clesia

n in senatu Zuinglio rel
umento, quod à perspicue
liscederet, nec satis euidenter
bis Cænæ accipiendum pos
exempla, Semen est verbum
um, petra, &c. nihil ad rem fa
n esse, quarum explicatio per
In cæna vero dominica nihil
respondit ad Scribæ sermo
npus requirebant. Senatus
natores quatuor post pran
celesiæ conuenirent, quo re
retur. Deliberatum est ali
lem placuit sequenti die, qu
m hanc iterum ad totum Se
ergo in senatum ministri ec
e huc tenderent, vt Missa in
r, obstitit denuo Scriba ille,
copiose respondisset, se vna
num recepit. Decretum est a
a iuxta Christi institutionem
m deinceps celebraretur in
vice veteri more, si vellent,
Missa in vniuersum sic aboli
ta esset, vt ne crastino qui
Mox sequuta est publica to
o atque lætitia.

lis appetente, visus est Zuin
e subsidio Eucharistiæ de se
nuo cum Scriba contende
t quod verum sciret, prolo
bito visum esse monitorem;
e respondes ei, quod in Ex
phase, hoc est, transitus Do
um exiliisse è lecto, locum
c de eo mox coram tota ec
clesia

clesia pro virili disseruisse. Illumque sermonem omnibus piis, qui propter parabolæ obstaculum adhuc nonnihil hærebant, omnem nebulam discussisse. Hoc somnium postea aduersarii eius, male interpretati sunt.

D. Ludouicus Lauatterus in historia de origine & progressu controuersiæ Sacramentariæ de Cæna Domini, pag. 3.

CVI. De quodam D.D. Caspari Peuceri somnio.

MEnsibus aliquot ante, quam Clarissimus & doctissimus vir, D.D. Peucerus, quem honoris caussa nomino, ex graui ista annorum duodecim molestaque custodia liberaretur, visus est sibi secundum quietem vocem audire cuiuspiam, qua quidem partim certior fieret N.N. Deo naturæque concessisse, partim vero iuberetur, vt vna cum aliis quibusdam campanam impellens, omnem ciuitatem ad communem luctum prouocaret. Cuius quidem dicto audiens, cum reliqui operam daret, visus fuit funis campanæ rumpi & infringi vitiumque facere. Itaq; eo proiecto exclamauit Contritus est eorum laqueus & nos liberati sumus, **Strick ist entzwey/vnd wir sind frey/** &c. Neque vero ab hoc insomnio diu in vinculis hasit, sed paulo post ex istis, diis hominibusque applaudentib. emersit.

M. Ioannes Brendelius, concione ipsius in funere habita.

CVII. De somnio quodam D. Guilielmi Landgrauii Hassiæ, Principis post hominum memoriam & præstantissimi & laudatissimi.

ANnis ante aliquot, iisque non ita multis, quam Guilielmus Landgrauius Hassiæ, princeps diuæ memoriæ Opt. Max. quem non nisi honoris obseruantiæque debitæ declarandæ caussa hic nomino, vitam cum morte commutauit, euenit, vt huiusmodi insomnium habuerit. Visus est sibi, sibi in quiete D. Iesum, æterni Dei æternum Mariæque Nazarethanæ Virginis germanum filium, ac vnicum humani generis seruatorem videre choro electorum suorum stipatum, quos quidem vestibus candidissimis indutos, & quam pulcerrime comptos ornatosque in regnum erat iam suum introducturus. Quod autem Guilielmus horos ab omni esse veste nudus sibi videretur, mirifico quodam pudore affectus, progredi longius, ac D. Iesum consequi erbuuit. Animaduertens igitur ipsum illum Immanuelem nostrum pergere nihilo secius confestim exclamauit, resta amabo te mi dulcissime D. Iesu, & noli quæso discedere. Quid quæris? Vix elocutus hæc fuerat atque precatus, ecce tibi hocce responsum extemplo accipit: Omnem ad me venientem non eiiciam foras. Cæterum cum princeps hic noster, qui in ambiguo reliquit, vtrum fuerit literatior, an religiosior, an fortior, an sapientior, an pacis tranquillitatisque studiosior, an subditorum denique suorum amantior, in agone mortis cõstitutus iam esset, ac se totum diuinæ permisisset voluntati atque Clementiæ illa ipsa verba (in memoriam, vt nostra fert opinio, somnii istius sui, rediens) iterauit, Ah mi D. Iesu tac quæso iam consistas præstoque sis mihi, hisque dictis protinus extremum vitæ spiritum edidit, atque ex hac ærumnosa lachrymarum valle in

cœlg-

cœlestem illam ac omnis beatitudinis plenam migrauit regiam, incredibili desiderio sui, ac nunquam intermorituro, apud omnes subditos suos relicto.

Symbolum eiusdem benedictæ memoriæ heros.

Was Gott beſcherts
Bleibt vnerwert.

Hoc est, M. Rodolpho Goclenio præstantissimo Philosopho, præceptore nostro, interprete.

Quod mihi cunque bonum cunctis Rex destinat orbis,
Nulla interuerti calliditate potest.

CVIII. De Eobani Hessi somnio quodam, quo monitus scripsit Alberto Durero, ætatis suæ pictorum omnium facile principi, epicedion.

INuida Durerum quo tempore fata tulerunt,
Et tantum terris eripuere decus.
Iam ter quinque erant a nato sæcula Christo
Et quater in cursu septimus annus erat.
Vellera Phryxæa pecudis iam Phœbus obibat
Florida natiuis tempora veris erant.
Obtulit haud dubio mihi talia somnia monstro
Quæ nox fatalem est prima sequuta diem.
Vera loquar, nihil affingam. Si mentiar autem,
Summa sit hæc in qua mentiar hora mihi.
Fessa soporifero prostratus membra cubili
Totus in extrema parte quietis eram.
Nostra videbatur Durerus limina, cultu
Hoc illo ingressus quo modo viuus erat.
Extimus, non ignarus paulo ante sepultum,
Et tamen officii nomine fortis eram.

Assedit vultuque parum linguaque moratus,
Murmure dehinc tremulo dicere visus erat:
Hesse meos nuper non vltimus inter amicos,
Nunc decet officii te meminisse tui.
Nam si verus eras, vt eras, viuentis amicus,
Idem defuncti manibus esse velis.
Et mea perpetua transcribere nomina fama,
Addere & in tumulo verba legenda meo.
Finierat, paucis mihi respondere paranti
Attonita exanguis venit in ossa tremor.
Nam quia praterita pallentem morte videbam,
Vix potui timida talia voce loqui.
O decus atatis Dureri & gloria nostra,
Quod petis è nostro carmine iuris habes.
Sponte daturus eram, si non etiam ipse petisses,
Tam tibi perpetuo hac constat amice fides.
Multo plura etiam tibi nos debere fatemur,
Paupere possimus quam dare dona manu.
Verba, videbatur capite annuere, ista loquuto,
Toto ipse vt fugerem corpore nixus eram,
Iamque id conantem motis ad inania membris
Somnia, deseruit plena labore quies.
Frigidus in toto manabat corpore sudor,
Qui iam gratus erat, terruit ante labor.
Protinus aurora cælum petere iugales,
Et nitidum claro lumine mane fuit.
Quassabam talamos, digitosque in verba coegi
Quaque vides subito scripta labore dedi.
Sed licet ipse neges oraclum hac visa fuisse,
Hoc tamen Alberti nomine carmen ama.

CIX. De Phiferi seditiosi nebulonis Thomæque Munceri socii viso quodam.

SOcius erat Thomæ Muncero consiliorum omnium, quidam insigni audacia præditus Phiferus, qui somniis nocturnisque spectris plurimum tribue-

tribuebat. Hic inter alia forte iactabat per quietem se vidisse quodam in stabulo maximam vim copiamque murium, quos fugasset omnes. Hoc sic accipiebat, à Deo sibi esse mandatum, vt sumptis armis, & eductis copiis nobilitatem omnem exturbaret.

Sleidanus lib. 4. de Statu Religionis & Reipublicæ, mihi pag. 70.

Virg. ecloga. 8.

Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.

Claudianus.

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno
Pectore sopito, reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad syluas, & sua lustra redit.
Iudicibus lites, auriga somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cauetur aquis.

Lucretius.

Induperatores pugnare, & prælia obire
Nauta cum ventis contractum degere bellum,
Scilicet somniant, & quæ sequuntur.

Tibullus.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
Et pauidas mentes vana timere iubent.

CX. De spectro quodam.

AVdiui ex viro graui atque prudente ditionis Tigurinæ præfecto, qui asseuerabat se æstate summo mane cum seruo suo iter facientem per pascua, vidisse quendam sibi optime notum, qui equæ sese nefarie commisceret: se obstupefactum reflexisse iter, pulsauisse ædes illius quem putabant se vidisse, atque certo comperisse, quod ille cubi-

culo suo nunquam egressus esset. Et nisi omnia diligenter exploraſſet, bonus & honestus vir in carcerem detrusus, & tormentis subiectus fuisset. Hanc historiam ideo recito, vt iudices in huiusmodi casibus cauti sint. Diabolus enim hac via sæpe innocentibus insidiatur. Vxor Henrici Secundi Imperatoris Chunegunda, suspecta fuit de adulterio, rumoresque sparsi, quod nobili quodam iuuene in aula nimis familiariter vteretur. Diabolica enim illius iuuenis species è cubiculo Augustæ egrediens, sæpe conspecta fuit. Illa postea calcando ignitos vomeres (vt illis temporibus fieri consueuit) absque vllo pedum detrimento suam innocentiam declarauit.

D. Lauatterus libri de spectris parte prima. pag 3.

Cyprianus lib. 4. epist. 2.

Scias hoc esse opus semper Diaboli vt seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis glorioſum nomen infamet, vt qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.

CXI. De ardelione quodam.

E Schuegiæ, me admodum adhuc puero, & bonis hic literis operam dante, N. N. Senioris partes, ea in ecclesia, quæ est ad Diui Dionysii, sustinebat. Huius ad aures cum peruenisset, dissidii nescio quid, inter coniuges duos extitisse, faciendum sibi omnino duxit, hos vt ipsos quamprimum in concordiam pristinam reduceret. Quamobrem ipsorum ædes ingressus, hunc ad modum verba facere instituit. Pax huic domui, pax huic domui, pax huic domui. Hæc quidem in primo aditu vestibuloque domus consistens, incredibili sanctitate atque religione, hoc est, singulari

quadam hypocrisi proloquebatur, sublataque dextera, cruces aliquot, veluti domum de integro Sacrificii more expiaturus, digitis suis efficiebat.

Patrifamilias, qui iampridem cum coniuge redierat in gratiam, perquam admirandum accidit, quid sibi inopinatus iste hominis illius aduentus vellet, maxime eam istiusmodi gesticulationes ceremoniasue adhiberet. Itaque ex ipso quærit, eccur accesserit, quidue apportet? Respondet ille, equidem dilecte in Christo frater, fama atque auditione accepi, dissidium inter te atque coniugem tuam esse, qua quidem ex re dici non potest, quantam ego animo molestiam capiam. Itaque teneri haud potui, impellente me vtique & stimulante Spiritu Sancto, quin ad vos continuo me conferrem, ac omnem mouerem lapidem, quo dissentiētes vos atque discordantes, in veterem gratiam restituerē. Meminisse autem vos oportebat, Deum pacis esse auctorem, non discordiæ: ac omne regnū dissidens aduersus sese vastari, & domum aduersus sese dissidentem corruere, & crescere præterea cōcordia res paruas, cum è contrario maximæ dilabantur discordia.

Plura fermocinaturum patermamilias his verbis interpellat: **Ey hat dich dann der heilige Geist darzu getrieben/daß du mich vnd mein Weib vertragen solt/so führe dich der hellische Geist/ vnd der leidige Teuffel wider hinauß. Bin ich mit meinem Weibe vneins worden ohne dich / so wil ich auch ohne dich wol wider mit jhr einig werden. Packe dich du Heuchler auß meinem Hause / oder ich wil dir mit diesem Prügel deinen magern Rucken also zu plawen/ du solt keinen weg vbergehen können.**

Vix hæc effatus erat, ecce tibi vxor marito suo pulchre succinens, hoc verborum fulmine impetum in ipsum facit. **Ey du dürrer Bösewicht/ was**

gehet dich vnsere vneinigkeit an? Wilt du dich zwischen Thür vnnd Angel stecken? Hastu nicht mehr zu schaffen? Mustu dann eben deine Nasen in alle Arßlöcher stecke? Ich glaube es solte dich Heuchler eine Fliege an der Wand jrren. Vertrage du dich mit deinem Weibe/ich wil mich mit meinem Manne ohne dich wol vertragen. Du Heuchler triff die Thür bald / oder ich wil dir mit diesem Waschpleuwell / den vorwitzigen Kopff entzwey schmeissen / daß kein Glied bey dem andern bleiben soll. Hoc est. Quod si Spiritu tu Sancto authore & impulsore ad me & coniugem meam reconciliandos accessisti, duce inimico illo & vexatore hominum Diabolo, meam mox domum purga. Si quam ego cum vxore mea simultatē susceperi, eam sum etiam tua opera minime interueniente, depositurus, vel iam tum potius deposui. Proinde facesse meis continuo ex ædibus hypocrita, aut ego macilentas tibi hoc fuste costas tuas sic dedolabo, gressum vt aliquem figere vix aut ne vix quidem valeas.

Maritum porro hunc ad modum cum pacificatore isto expostulantem, vxor hisce verbis subsequitur. Heus strigose nequam tantumne est ab re tua otii tibi, aliena vt cures, eaque nihil quæ ad te attinent? Tuone tu iumento malum tibi accersis? Vide ne in apes irruas. Tibi mehercule dissidium istud nostrum neque seritur, neque metitur. Tuumue nasum omnium in culis defixum esse oportet? Te quidem hercle vel mus mordeat.

Ecquis vero abs te postulauit, vt reconciliationem gratiæ inter me meumque virum faceres? Fac tua tibi cum coniuge conueniat, equidem meo sum cum marito citra tuam operam nullo negotio in gratiam reditura, vel ipsi potius iam tum placata sum atque reconciliata. Apage te ergo insignite hypocrita, mea actutum ex domo, aut ego

tibi

tibi malleo hocce lotorio caput istud tuum turbulentum & irrequietum sic comminuam, nulla vt compages illius sibi constet cohæreatue.

Quid multa? Verberabilis Dominus Senior, sic ab illis acceptus, domo mox excedit, ac tectum suum quantum quidem potest, repetit, subinde respectans, num vel paterfamilias, vel ipsius coniux malleo suo lotorio subsequatur, plagam sibi aliquam luculentam impositura.

Domum autem reuersum, vxor ita excipit, hui qui tam cito Valentine? quid ita palles ac trepidas? Tune ipsos reduxti iam in gratiam? Quid accidit vt vultu sis adeo mæsto? Cui ille lachrymabundus, hem mea vita, respondet, nihil profecto fuit propius, quam vt mariti quidem fuste, vxoris vero malleo lotorio fuissem ad necem percussus. Quid quæris? Herodes & Pilatus mea caussa in gratiam sua redierunt sponte. Deo Opt. Max. habeo gratiam, cum ipsorum sim ex manibus elapsus, quibus quidem discerpturi me videbantur. Incredibile præterea est, quot & quanta mihi certatim conuitia fecerint, quæ admodum me mordent, ac vix aut ne vix quidem possum cum stomacho meo concoquere. Quid quæris? mihi quidem ea ex animo exuri non possunt.

Huic respondet vxor, ego tibi dissuadebam Valentine, vt ne pacificatorem te interponeres, sed surdo narrabam fabulam, quod a Spiritu Sancto stimulos tibi admoueri ferreo ore affirmares, ipsos vt in gratiam poneres. Quid si igitur ille malorum princeps Satanas coniugibus istis adhibuisset calcaria, vt verberibus te probe multassent probeque? Annon dicturos fuisse omnes existimas, iure idipsum tibi ardelioni accidisse? Quot putas cedo quæso futuros qui tuum nunc dolorem dolerent aut vicem miserarentur tuam? Enimuero

pleriq; omnes (mihi crede) in sinu suo gauderent. Da igitur operam mi vir, tua posthac vt cures, neque rebus te alienis, nihilque ad te pertinentibus temere immisceas, ne tibi ipse veluti turdus malum aliquando caces.

Quod vero ipsa diceret, esse eum ardelionem, ac rebus sese immiscere alienis, non erat de nihilo. Etenim quod ecclesiæ istius esset Senior, dictu mirum quantopere ea re sibi placuerit, ac quantum sibi in nonnullos vsurparit imperium. Noli quærere, idem fere sibi licere in ciues quosdam suos arbitrabatur, quod pastoribus suos in auditores. Si quando per plateam aliquam ambulans, audiret matrem aliquam familias cum ancilla expostulare sua aliquanto iracundius: aut famulam cõtra hera suæ obloqui ac respõsare, illico accurrebat, & officii quanque commonebat sui nauiter. Ruri cum audiret puellam aliquam adolescentem ue carmen quodpiam amatorium medulari aut scurrile, non putabat ipsos ea gratia non esse corripiendos. Quoties ludimagistri in puerum aliquem, vel propter insignem pudendamque ipsius ignauiam, vel propter nefarium aliquod facinus animaduertebant aliquanto asperius, toties ille mox moxque aderat, ac carnificum instar sæuire ipsos in miseros adolescentulos, ac esse Orbilio ipso plagosiores criminabatur. Rursus, si qui scholastici recto ipsum capite prætergrederentur, graviter idipsum indigneque ferens, dicam illis confestim ad eius ecclesiæ antistites grandem impingebat grauiterque conquerebatur, quod ipsi nimia ista sua mollitie atque indulgentia pueros corrumperent, ita prorsus, vt nullam prope reuerentiam aduersus homines honoratos adhiberẽt, ac omnem insuper petulantiam, qua in templo, qua in publica via, qua domi, qua ruri exercerent.

Scili-

Scilicet, eum omnino honorem deferri sibi postulabat, qui quidem ipsis verbi diuini administris habebatur, ac eo se non affici, totus in fermento iacebat, ac tantum non ex potestate exibat.

Si quando in literarum studiosos ciues suos, animi officiique caussa ad parentes Marpurgo profectos incideret, eos hanc in rationem alloquebatur. **Hörstu was machestu zu Marpurg? lernestu auch vff der Lauten schlann? Studirstu auch frey wider das Gelt?** heus adolescentule, quid rerum geris Marpurgi? num fidibus discis? Caue sumtibus parcas vllis, sed da potius operam vt studiorum caussa quamplurimum pecuniæ profundas dilapidesque. Quasi vero literarum studia sumptus nõ magnos requirant ac deuorent. Conuenit igitur in cerdonem istum illud (In adelphis Act. 2. Sce. 2.) Terentii.

Homine imperito nunquam quicquam iniustius,
Qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.

Et item illud Martialis, ad Attalum,

Vis dicam quid sis, magnus es ardelio.

Collectanea De studiis.

Lucianus dialogo primo.

ἡ παιδεία δεῖτον πολλοῦ πόνου, καὶ πολλοῦ χρόνου, καὶ δαπάνης ὑμπρὰς, καὶ τύχης λαμπρῆς.

Hoc est. Doctrina opus habet multo labore, longo tempore, sumptu non paruo, & fortuna splendida.

D. D. Georgius Cracouius Iureconsultus praestantissimus.

ἡ παιδεία πόνε δεῖτον αὐύδης τε μεγίστης
ἔμμικρᾶς δαπάνης μηδὲ χρόνε ὀλίγε.

ἀλλὰ

ἠδὲ, τύχης λαμπρᾶς, καὶ δαίμονος εὐτυχίας
χωρὶς γὰρ τούτων ἄθλιος ἐστι κλέος.

Id est.

Tempore discenti est opus immensoque labore
Qui cupit è studiis nomen habere bonis.
Indiget & sumtu, nam quos premit inuida egestas,
Ingenio nequeunt discere multa suo.
His fortuna simul si non iungatur iniqua,
Felix curriculum doctus habere queat.

CXII. De Friderico Schimmelpfengio Ciue & Senatore Eschuicensi, mortem sibi impendere vere ominante.

FRidericus Schimmelpfengius Ciuis & senator Eschuicensis honoratus, proauus benedictæ memoriæ maternus meus, cum & fæniſecium, & messem, & vindemiam denique expectationi suæ minus respondere iam sensisset, illico ominatus est, portendi ea re sibi mortem naturæque dissolutionem. Neque vero ipsum augurium hoc suum fefellit. Paucis namque diebus interiectis pestilentia illum non solum attingit, verum etiam extinguit. Quod autem vir optimus per omnem vitam suam à Deo Opt. Max. quotidianis assidiusque precibus contenderat, vt ne diuturno aliquo lentoue morbo diu se multumque affligeret, sed largiretur mortem lenem, placidam, atque tranquillam (**machte es kurtz vnd gut mit jhm**/ hæc erant ipsius verba concepta) id quidem tum est consequutus. Ita quippe vitam cum morte commutauit, vt obdormire potius, quam supremum vitæ diem agere aut vi aliqua morbi interire, cruciatumue aliquem sentire videretur.

Petrus

Petrus Montanus Satyra de expetenda iusta morte, siue de vita beata.

Orandum vt felix sit transmigratio nostra,
Quum bonus est finis, tum singula quæque probantur.

Hieronymus Vidas.

Da pater extrema cum vita aduenerit hora,
Te præsente mori, nil me terrentibus vmbris
Inque tuos animam amplexus effundere cuantem;
Hoc tantum mihi, plura alijs optantibus opta.

M. Wolfgangus Ammonius.

Omni malo nos libera,
Afflicta sunt hæc tempora,
A morte tetra vindica,
Horaque præsens vltima
Sis, & pium fac exitum,
Assume nostrum spiritum.

CXIII. De Nicolao Cruccio similis narratiuncula.

HOnæ Hessorum, vbi ego in hanc vitam Dei Opt. Max. munere atque concessu intraui, Nicolaum quendam Cruccium familiariter noui, aratorem bonum, hominem honestum & virum domi suæ inter suosque spectatum. Hic quidem quum ex filia sua, quæ ipsi tum viduo rem familiarem administrabat, accepisset, duos vitulos, quos vaccæ essent nocte enixæ vna eademque & quidem saluos atque incolumes, triduo post vna eademque hora repentino occidisse, in hanc confestim vocem erupit. Eheu me miserum, hi quidem certe vituli mortis sunt meæ, oppressuræ me propediem ac deleturæ, prænuncii atque prodromi. Ac recte quidem ariolabatur. Nam paucis post diebus in morbum incidit, illiusque vi consumitur.

turi. Euenit vtique approquinquante vt morte animi nostri futura augurentur, quemadmodum præclare libro primo de Diuinatione Cicero noster literis prodidit.

Melchior Hause Hexapolita Zittauus, poeta Cæsareus.

Ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις σου μνημόνευε τὰ ἔσχατά σου καὶ εἰς τὸν αἰῶνα οὐ μὴ ἁμαρτήσεις.

Memento nouissima.

Ah homo, cui peccare frequens & dira lubido est,
Dic Extrema animo num meditere tuo?
Affirmas? Maledicta negant, malefacta reclamant,
Imo reum tua te iudice crimina agunt.
Ipse fatere, Extremorum meditatio cordi
Quod sit nulla tibi? Vae tibi nullus homo es.
Acutinam cum summa dies illuxerit, esses
Non enatus humo, sine renatus homo.
A dextra siquidem scelera accusantia stabunt,
A lauasinnumero damone cinctus eris.
Subtus hians infernis erit, qui desuper, orbis
Flammiuoma Iudex bile, sedebit, erit.
Mundus hic ardebit foris adspectabilis, intus
Mens tua flagrabit, conscia quippe mali.
Vix caput attollent iusti, deprensus ibidem
Quid peccator ages, heu miserande nimis?
Nec vsquam poteris latitare, nec aspertor res,
Quam constare Dei vindicis ante thronum.
Iam suprema velis, extrema per omnia, adire
Atria, si nolis interiisse miser.
O homo, ne aternum commissa piacula tentes
Vsque Extrema animo volue, reuolue tuo.

Augustinus.

1. Desuper erit iudex iratus.
2. Desubter patens infernus.

β. A dextris

3. A dextris infinita dæmonia.
4. A sinistris peccatorum accusatio.
5. Intus conscientia vrens.
6. Exterius mundus ardens.

Melchior Hause P. L.

Ante omnia Iesus.

Diuersi diuersa amant: Super omnia Iesus,
Sit meus arctus amor, gloria, gaza, decor.
Hoc Duce noster hic est animus conterminus astris,
Hoc Duce trans etiam tartara salvus eo.
Omnia quid mundi miracula? fumus, humus sunt,
Tu Iesu mea spes, res mea, Rex meus es.

CXIV. De Henrico Saltzmanno Vvanfridensi.

WAnfridæ Cattorum annis abhinc non itâ multis Henricum quendam Saltzmannum vitam degisse accepimus, hominem & laboriosum, & locupletem, & honoratum, & singulari denique (quod caput est) integritate innocentiaque præditum, multumq; pium. Hunc senio iam confectum, auditus defecit. Qua ille re nihil grauius acerbiusue tulit, quod cætibus solennibus frustra interesset, ac fructum propemodum nullum ex saeris concionibus perciperet. Itaque singulis fermè diebus Ioannem Langum pastorem suum, præclara eruditione ac virtute virum, quem honoris causa nomino, conuenit, ab ipsoque petiit, vt ex sacrosancto Bibliorum codice quippiam sibi prælegeret, altumque inclamaret, quo consolari sese luctumque abstergere posset. Audito porro insigni aliquo scripturæ loco, lætitia mox exultans exclamauit, euax, euax, hac vtique gnema tædium temporis fallam, ac me perpetuo sustentabo, etiam illam atque etiam non modo interdiu, sed & noctu

noctu ruminaturus, in memoriamque reuocaturus. Quoties autem ad pastorem hunc suum adibat, toties ab ipso petebat, vt se hac vita defunctum, secundum iuuenem aliquem, qui bonarum fuisset autium, humandum sepeliendumque curaret, vt suppetat, qui ipsum in communi illa mortuorum surrectione, clangente iam archangeli tuba, excitet. Quod enim surdaster sit, auresque habeat hebetiores, venire sibi in mentem subuereri, ne clangorem tubæ non exaudiat. **Sagte er besorgte sich/ er würde** (vtor ipsius verbis) **das dûten der bosunen verhoren/weyl er daub were. Drumb solt man jhnen neben einen Scharffhorenden jungen Gesellen begraben/der jhnen auff wecken konte.** Verum quid fit? Eo ipso tempore, cum extremum vitæ suæ diem morte conficeret, euenit, vt & adolescentulus quidam animam efflaret. Proinde ne voti huius sui particeps non euaderet, vni & eidem sepulchro cum hoc iuuene infertur, vt hominem haberet idoneum, qui quidem ipsum tuba archãgeli resonante, in nouissimo die excitaret, **darmit ers ja nicht verhôrete/vnd dahinden bleiben muste.** Hæc nimirum cura bonum istum senecionem coquebat, & versabat sub pectore fixa, simplicitatene, an vero delirio, equidem haud habeo dicere. Vtcunque sit, hoc certe in laude ponendum est, quod carnis nostræ resurrectionem ad extremum futuram statuit, persuasissimumq; habuit.

D. Fridericus Videbramus.

Sunt tria præterito quæ quondam tempore gesta,
Assiduo memori voluere mente decet.
Quæ bona perdideris, mala quæ cumulaueris, & quod
Lapsa semel nunquam sit reditura dies.
Sunt tria, præsentis quæ casibus obuia vitæ
Ante oculos hominem ferre subinde decet.

Quam

Quam sit vita breuis, quam semita stricta salutis,
Et quod eam pauci, dum potuere, petunt.
Sunt tria, quæ sapiens debet præuisa timere,
Et mala, quo decuit visa cauere modo.
Horrida vis mortis, magis horrida iudicis ira,
Et dolor inferni, quo nihil horridius.
Si quis in hæc animum defigeret, ille beatus
Viuere quotidie disceret, atque mori.

ἀδήλως.

Quem florere vides hodie, cras occidit ille,
Quid sumus ah miseri? Puluis & vmbra sumus.
Puluis & vmbra sumus: metam properamus ad vnã
Qui bene desierit viuere, saluus erit.

CXV. *De Christophoro Heroldo Reipublicæ olim Eschuicensis consule, qui cum extra vrbem cæmeterium adornasset, primus fuit in eo ipso humatus. Ac de sinistris imperitæ multitudinis super ea re præposteriisque iudiciis.*

COnsulatum Eschuegiæ vrbe Hassiæ neque ineleganti & fertili fructuosoque loco sita, magna sui cum laude, incredibiliq; Reipublicæ istius cum incremento, annos non parum multos Christophorus Heroldus gessit, homo & literatus, & multum pius, & plenus consilii, & vsu denique rerum singulari, experientiaque multiplici præditus. Is ne summum fastigium rebus recte à se atque ordine gestis, extremo consulatus sui tempore non imponeret, faciendum sibi putauit, vt ediceret, ne qui deinceps hac vita functi, intra vrbem sepelirentur, sed foras elati, eo in cœmeterio humarentur, quod ipsis extra vrbem, ad mœnia, in loco honesto atque amæno adornandum curasset. Etsi vero hoc ipsum, partim vrbium aliarum Hassiæ cõplurium exemplo, partim vero de voluntate atque

 senten-

sententia D. Ioannis à Meysenburg, Cattorum principis ad Vierram vicarii, viri omnibus veræ nobilitatis ornamentis cumulatissime præditi, faciebat, partim denique huius sui instituti, cum Christianum Grauium Superattendentem, summa doctrina pietateq; virum, tum ecclesiæ Eschuicensis antistites, tum vero plerosque omnes Reipublicæ istius proceres habebat approbatores, nõ deerant tamen improbi quidam homines, Ciues ipsius, qui præclarum hoc ipsius institutum vitio darent atque crimini, ac dicere minime omnium erubescerent, futurum vtique, vt ipsi ac sui rebus humanis exempti, perinde posthac ac pecudum cadauera efferrentur, cum tamen Maiores ipsorum pie essent atque religiose intra vrbem, in loco consecrato, ædique sacræ contiguo, sepultura affecti. Vsqueadeo nihil tam bene & ratione constitui à quoquam ac effici potest, quin maleuolorum quorundam in hominum reprehensionem continuo incurrat. Heroldus porro consul, quem honoris caussa nomino, cum non ita multo post pestilentia confectus, Deo naturæque concederet, & primus cum suis aliquot eo in cæmeterio sepeliretur, immane dictu, quam maledicas voces sex vulgi passim in conuiuiis iactauerit. Quid quæris? non deerant qui ferreo ore affirmarent, puniri Heroldum diuinitus, ideoque primum omnium cum suis non paucis eum in locum inferri nunc mortuum, quem humandis aliis destinasset, auito isto sepulchreto nefarie repudiato atq; reiecto. Quod funeribus suis primus dormitorium istud imbueret, satis magno esse argumento, rem isthanc summe displicere Deo. Vsu ipsi idem venire atque Perillo, de quo (libr. 1. de arte amandi Vide Pliniunr lib. 34. cap. 8.] Ouidius sic canit.

Et

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infelix imbuit auctor opus.

Verum enim vero quod tum pauci quidam inglorii, ac sine mente homines, vel fungi potius, ac fuci, terræque filii, maledico dente carpebant, id boni ad vnum omnes, & tunc summis ad cœlum laudibus efferebant, & nunc quoque magna in laude ponunt.

Hartmannus Schopperus de sepulchris & sepulcretis.

Magni magnificum Ducis sepulcrum
Quid sedes nisi vermium paratur?
Id multi Parius tegunt lapillis,
Sub quo colluuies & vmbra dormit.
Suspendunt clypeos, & arma gentis:
Addunt, nobilis hic tacet sepultus.
Verum nos clypeum vides auitum:
Busto pinge cadauer, ossa, vermes,
Dic, Ada genus hoc loco quiescit.
Hic qui conciliat Dei fauorem,
Cœlum, cum moritur, beatus intrat,
Nil insignia, nil iuuant honores:
Omnes sole quiescimus sub vno.

Idem.

Est vbi nobilitas, honor, atque potentia mundi?
Hic forma vultus conspicis esse pares.
Ecce quis hic pauper? quis diues iure vocandus?
Quælibet ossa suis ossibus æqua vides.
Heu breue vita bonum, nihil est nisi luctus, & angor:
Præmia cælicolum, qui bene vixit, habet.
Quisquis es, humanæ perpende nouissima vitæ:
Imminet heu terris illa suprema dies.
Iudicium statuet cum formidabile Christus,
Mercedemque pijs, exitiumq; malis.

CXVI. De Francisco duce Lunaburgensi.

FVit mihi notus Dux Franciscus Lunæburgensis, ingeniosus & iuuenis Princeps, cui præcisus est pes, & qui cum magno dolore est mortuus, is sæpe se commendauit Deo, solebat dicere, Omnes cruciatus mei non sunt pares meis peccatis. Sed quia vult Deus me ei obedire in hac pœna, tolero cruciatus istos propter mandatum Dei, & ago gratias Deo, quod me vocauit ad agnitionem Euangeli.

D. Pez. in Postil. Philip. Mel part. 2. pag. 710.

CXVII. De Agnete Landgrauia Hassiæ, Mauritiique Ducis atque electoris Saxoniæ coniuge.

FIlia Principis Landgrauii Philippi Agnes, nupta Mauritio & postea Ioanni Friderico ducibus Saxoniæ, cum scripsisset ad patrem, paulo ante mortem, & rogasset, vt ad se veniret. Pater, fortassis suo quodam iudicio, non accessit. Cum literæ rursus afferrentur, & illa audiuisset patrem non venire, conuertit se ad parietem, & nihil dixit aliud, quam, Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem susceipit me. Es kompt gar offt daß man omni humano præsidio destituiret wirdt.

Idem ibidem pag. 589.

CXVIII. De D. D. Hieronymo Schurphio.

DOctor Hieronymus Schurff, vir sapiens & doctus, ante mortē cum sentiret naturam morbo vinci, solebat fere singulis horis repetere Symbolum, tanta animi alacritate, vt præcipue illa cōfessione erigi & confirmari cerneretur.

Eramus

Eramus ad alium quendam honestum virum nobilem vocati D. Martinus & ego. Is etiam cum multa esset locutus de Symbolo, dixit. Quoties recito Symbolum, aspicio imbecillitatem meam, & in fine annecto. Credo Domine, sed opem fer infirmitati meæ.

Idem part. 1. Postill. Philip. Melanth. pag. 773.

CXIX. De D. D. Caspare Crucigero Seniore.

OPtimus vir D. Caspar Creutziger cum moreretur sæpe repetebat, Credo Domine, quanquam imbecilli & languida fide, sed tu tamen languidam fidem recipies. Christus recipit exiguam fidem, sed in illis, qui erant, vt augeatur fides, vt iuuentur, vt prouehantur. Oportet esse dociles tales, qui velint crescere, Petite & accipietis. Ista petitio dicitur esse assidua & quotidiana, tunc linum fumigans non extinguetur.

Idem parte postrema Post. Phi. Mel. pag. 465.

CXX. De N. Plateano.

BOnus & pius vir D. Plateanus moriturus præcipue hac sententia se confirmauit & sustentauit, Princeps mundi iam iudicatus est, non potest me damnare. Hanc sententiam aliquoties repetiit.

Idem part. 2. pag. 744.

CXXI. De mulierecula quadam inimicitiarum semel susceptarum tenacissima, & indicandique iniurias acceptas cupidissima.

FOEmina quædam, virtutibus cæteroqui non paucis redimita, hoc vno laborabat vitio, quod semel à quopiam læsa, ei per omnem vitam non ignosceret, neque vllo se pacto adduci à quoquam

pateretur, vt cum ipso illo in gratiam rediret, sed tantum haberet in eum odium, vt neque intuitu, neque alloquio aliquo dignum illum putaret. Hæc morbo affecta sacram synaxin percipere auebat. Quod autem videre sibi videretur Deum patrem ipsiusque filium Iesum Christum auerso vultu dorsum sibi obuertere, in desperationem illico incidens os dentibus suis modicus claudebat, ita quidem vt Cœna Domini præberi illi haud posset, sed horrendum in modum clamaret. Væ væ mihi, quæ æterno exitio desponsa destinataque sum. Vt enim ipsa iracundo implacabilique animo ab aliis faciem auerti meam, neque aspectu sum meo ipsos dignata, ita contra Iustus iudex Deus suum quoq; à me vultum nunc auertit, neque vlla me sua gratia aut misericordia complecti dignatur. His ad rauim vsque dictis & repetitis, desperabunda moritur peritque, vitaque cum gemitu fugit indignata sub vmbras.

D. Michael Saxo concione in Tobiam XXI.

Cicero pro Rabirio Posthumo.

Non me pœnitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere.

Idem.

Ego eius omnes grauissimas iniurias communis concordiæ caussa voluntaria quadam obliuione contriui.

Ludouicus Viues.

Ignoscere generosi pectoris est, sed iram retinere, atrocis, sæui & degeneris.

Ouidius lib. 3. Tristium.

Quo quisq; est maior, magis est placabilis ira
Et faciles motus mens generosa capit

Cor-

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cum tacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus, & rsi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

D. Augustinus.

Inimicitias vites cautissime.
Feras æquissime.
Finias citissime.

D. Tertullianus.

Si apud Deum deposueris iniuriam, ipse vltor est.
Si damnum restitutor est,
Si dolorem medicus est,
Si mortem resuscitator est.

D. Ambrosius.

Indignum est ei Deum esse propitium, qui crudelis est in fratrem.

D. Hieronymus.

Non recte delicti sui veniam postulat, qui non prius, quod in se delinquitur, relaxat.

D. Tertullianus.

Quem honorem litabimus Domino Deo nostro, si nobis arbitrium defensionis arrogauerimus.

D. Isidorus.

Sicut nullum in vulnere proficit medicamentum, si adhuc in eo sit ferrum: ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc dolus in mente, vel odium manet in pectore.

Cyprianus.

Misericors & miserator Dominus, nescit immisericordes.

Nazianzenus.

Si scis te habere nævos, vtaris tu quoque mansuetudine. Nam misericordia apud Deum, misericordia ponderatur.

Seneca.

Nihil magnum est, quod non idem sit placidũ.

Iuuenalis Satyra 13.

An Vindicta bonum vita iucundius ipsa est
Nempe hoc indocti.

Idem ibidem.

Chrysippus non dicit idem, nec mite Thaletis
Ingenium.

Idem ibidem.

Quippe minuti
Semper & infirmi est animi exiguique voluptas
Vltio: continue sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet quam fœmina.

Horatius lib. 1. epistolarum, 2.

Ira furor breuis est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catenis.

CXXII. De alia quadam fœmina istius simili.

RHembdæ olim, cum verbi diuini præconem agerem, euenit, vt in cœtu auditorum meorum mulierculam quandam habuerim, quæ veterum ferens, iræ erat atque odii ita tenax, nemini vt cuiquam ignosceret, à quo quidem semel læsa esset, aut iniuria aliqua affecta, cum alias moribus satis commodis & placidis imbuta videretur. Cum igitur frustra ipsam non parum quidem sæpe ea re corripuissem, ac admonuissem vt ad frugẽ melio-

rem

gem sese recipiens, susceptas simultates deponeret, cum iisque rediret in gratiam, à quibus iniuriam se aliquam accepisse putaret, ecce tibi præses ille mundi Deus ac rector vniuersi, qui scit omnia, cuiusque diuinis oculis nihil est septum, præsto mihi est, dũ sic in ipsam animaduertit vt vicib. trib. tres in lucem edat liberos, qui muti essent, & verbum per omnem vitam facerent plane nullum.

D. Michael Saxo homilia in Tobiam 21.

Gregorius in Moralibus.

Per iram sapientia perditur, vt quid, quoue ordine agendum sit, nesciatur.

Hieronymus.

Est quidem hominis irasci, sed Christiani iracundiæ finem ponere.

Chrysostomus.

Vbi ira fuerit, non habitat Spiritus Sanctus.

Augustinus.

Sicut acetum corrumpit vasa, ita ira cor hominũ.

R. G.

O quam cohibendi magnus est iram labor.

Ioannes Riuius.

Iracundiam qui vincit, hostem vincit maximum.

Valerius Max. lib. 4. cap. 1.

Multo se ipsum, quam hostem superare, operosius est.

ἀδήλως. Horat.

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia: nec virtus altius ire potest.

CXXIII. De Vito Theodoro & Andrea Osiandro.

VItus Norimbergensis sæpe mihi scripsit quod suggillaretur pro concionibus ab Osiandro, consuluitque me, quid ageret. Ego aliquoties obtestatus sum per Deum, vt taceret, & se ita gereret quasi non audiret. Scripsit se mihi obtemperaturum, quamuis valde sibi molestum esset. Et ita factum est, vt fere nulli resciuerint, nisi pauci docti, esse simultates inter Osiandrum & Vitum. Ita retinebat in ecclesia tranquillitatem, & suam auctoritatem, quia populus illum intelligebat. Osiandrum **konde niemandts verstehen**, propter grandiloquentiam. Nondum sunt quatuor aut quinque menses, quando scripsi etiam ad concionatorem, quem solitus sum sæpe consolari propter eandem caussam, commonefeci vt se contineret, nec vindictæ cupidus esset. Respondit se mihi morem gesturum, etsi difficillimum sibi esset, & addidi versus ex Ouidio,

Dura vocas præcepta licet mea, dura fatemur
Esse, sed vt valeas, multa ferenda scias.

D. Pezelius part. 4. Post. Phil. Mel. pag. 582.

Plato.

Pulcherrimum est victoriæ genus, seipsum vincere.

D. Rodolphus Goclenius.

Perfer perpetienda parit Patientia palmam.

D. Henricus Smetius Doctor Medicinæ.

Læsus es à quoquam? Vindictam trade Iehoua
Ille tui quam tu iustior vltor erit.
Tu damna officio vicisce. Rectius hostis
Vincitur, inuitum si tuus vrat amor.

Tunc

Tunc alios vinces vbi te tu viceris ipsum
Vt bene te possis vincere, disce pati.
Posse pati laus est, animas Patientia seruat,
Concilians homines, conciliansque Deum.

Augustinus.

Si vis essi potens, esto patiens.

Idem.

Patientis iniuste melior conditio est, quam facientis.

Cyprianus.

Semel vincit, qui statim patitur.

Idem.

Non qui audit, sed qui facit conuicium miser est.

ἀδηλα.

Durum patientia frangit.

CXXIV. De Friderico Myconio.

FRidericus Myconius habebat consulem in vrbe Gotha, assidue inter se litigebant. Interdum Myconius etiam vbi non semper habebat iustam caussam, arripiebat occasionem inuehendi in illum, & peccabat interdum etiam Consul, sicut fit in illis contentionibus, **Wann die Leut an ein ander wachsen.** Dicebam ad eum. Domine Friderice habeatis patientiam, non ita exerceatis odium aduersus istum, tolerate quædam & videte vt cum beneuolentia possitis ad vos inflectere. Obtemperabat mihi. Breui sunt facti amici. Post biennium dixit mihi, bene feci, quod obtẽperaui vobis, nunc sumus optimi amici, dedistis mihi optimum consilium **Eine kurtze Gedult/ macht einem langen frieden/ Aber die kurtze Gedult thut einem so wehe/ es mocht einer lieber einẽ langen Krieg daruon habẽ.**

Hoc

Hoc verum est in vehementibus ingeniis. Illa patientia est difficilis, affert magnos dolores. Zoren halten, est res difficilis. ist ein groß schwer ding.

D. Pezelius part. 4. Post. Philip. Mel. pag. 603.

Chrysostomus.

Malum hominem tacendo potius, quam loquendo superabis.

Idem.

Si vis vlcisci, sile, & funestam ei dedisti plagam.

Gregorius.

Doctrina viri per Patientiam cognoscitur. Tanto ergo quisque minus ostenditur doctus, quanto conuincitur minus patiens.

Matthæsius.

Si patiens, si vis sapiens doctusque videri.

Lutherus.

Si summos & infestissimos hostes superare voles, fac sis patiens. Vt autem Patiens sis & maneas, pharmaco fidei vtere, vt experientia quoque magistra discas, & neminem tibi infestum imminere, sine voluntate patris, & quum hic efficiat vt omnia tibi adiumento sint ad bonum, summe tibi diligendum esse.

Chrysostomus.

Nihil est quod æque confundat facientem iniuriam, quam patientia eius cui fit iniuria.

ἀδήλως.

Nobile vincendi genus est Patientia, vincit
Qui patitur, si vis vincere, disce pati.

Augu-

Augustinus Serm. 32 de tempore.

Malo multas obliuiſci iniurias, quam imaginem & ſimilitudinem conditoris amittere.

Chriſtophorus Aulæus P. L.

Quod nihil emittam noſtros miraris in hoſtes
Factaque num mea ſit muta Thalia rogas?
Deſine tam ſtultum me credere velle poetam,
Verſibus indignos vt celebrare velim.
Nil magis exoptant captantes nomina famæ,
Quam ſe Pieria vatis ab arte peti.
Sed ſua ſpes miſeros poſt tot conamina fallet,
Nullus & Aonidum nomen habebit ope.
Scribere victurum ladentes carmen in hoſtes,
Inſerere & caſtis turpia facta libris
Cumque feris laruis teneras committere Muſas,
Vellequeper ſanctas monſtra domare deas.
Eſt iacere in fœdos fragrantia cynnama porcos,
Ac in olens gemmas ferre roſaſque lutum.
Aſpicis exiguo latrantes ore catellos
Fortis vt excelſo pectore ſpernat equus.
Hos imitans pergo fatuos contemnere Momos
Quoſque petam dignos non ſatis eſſe puto.
Adde, quod eſt vitium leuibus contendere verbis
Inque ſinu timidas ſemper habere manus.
Cum facto laſus ſim, ſcripto vlciſcerer hoſtes?
Non facit imbellis Martis ad arma ſtylus.

Lactantius de vero cultu Dei lib. 6. cap. 18.

Non minus mali eſt referre iniuriam, quam inferre. Nam vnde certamina inter homines, vnde pugnæ contentioneſque naſcuntur, niſi quod improbitas oppoſita impatientiæ magnas ſæpe concitat tempeſtates? Quod ſi patientiam, qua virtute nihil verius, nihil homine dignius inueniri poteſt improbitati oppoſueris, extinguetur protinus, tan-

tanquam si igni aquam superfuderis. Sin autem pronocatrix illa improbitas impatientiam sibi comparem nacta est, tanquam perfusa oleo, tantum excitabit incendium, vt id non flumen aliquod, sed effusio sanguinis extinguat.

CXXV. De pastore quodam Belga & auditoribus ipsius in Palatinatu præfractis, cerui cosis atque refractariis.

ADolescens quidam Belga cum Heidelbergæ aliquandiu sacris literis operam dedisset, euenit, Deo Opt. Max. haud dubie sic disponente, vt in pastoris cuiuspiam pagani, vita non ita pridem defuncti locum sufficeretur. Etsi vero rustici manibus pedibusque faciebant omnia, hoc ipsum vt impedirent, ac suæ quendam gentis hominem, literatorem Vicanum adipiscerentur, frustra tamen illud fuit atque incassum, Senatu ecclesiastico Belgam ipsis illum obtrudente, cuius erat eximia eruditio, & vitæ morum summa integritas. Ferebant hoc ipsum implacatissime rustici, ideoq; animum inducebant suum pastori isti Belgæ, quem inuiti atque adeo coacti recepissent, quoquo modo aduersari atque ægre facere. Ne longum faciam, nulla ipsi conuiuia, neque publica, neque priuata concelebrabant, quin dente ipsum theonino roderent, ac miseris suggillarent indignisque modis, criminantes ipsum esse hominem Belgam, & terræ quendam filium, & multum adolescentem, & à nulla neque doctrina, neque facundia, neque auctoritate instructum, cætera elatum & insolentem, qui ipsos veluti ex sublimi despiciens, ipsorum se congressu conuiuiisque penitus abstineat, cum tamen pastor benedictæ memoriæ demortuus fuisset vir comis, benignus, facilis, lenis & suauis, qui neminem non sub tectum suum recepisset, cum eoque

eoque perpotasset, ac cuiusquemodi etiam conuiuia iniisset, ac fuisset denique omnium horarum homo. **Were geweſen wie man jhnen het haben wollen/hette mit jhnen vnden vñ oben gelegen.** (Qui enim tales sunt, eos quidem rustici in oculis ferunt, in summoque habent pretio.) Criminationibus porro istiusmodi, quibus in absentem vtebantur, minime contenti rustici, toti in eam curam atque cogitationem incumbebant, quemadmodum vultuoso isto difficili atque moroso mysta (sic enim illum diabolico quodam ipsius odio imbuti appellabant) liberari possent. Communicato igitur consilio, conuenit inter ipsos, vt ad vnum D. Fridericum Kinthingerum Superattendentem compellent ac conquerantur, se ipsius idioma vtpote hominis Belgæ haudquaquam assequi posse. Quod ergo ex concionibus illius fructum percipiant plane nullum summo se illum opera rogare, vt Sicambro isto exauctorato, alius sibi aliquis magis idoneus detur.

Kinthingerus beluas hasce quantum potest placat, spe ipsis iniecta, acturum se cum Belga, vt in posterum ipsorum idioma exprimere & imitari omnibus modis studeat, futurum alioqui vt loco deturbetur: posteaque ipsos datis ad pastorem literis aliquanto ardentioribus, quam humanissime abs se dimittit.

Quid multa? pastor acceptis lectisque literis eueſtigio ad D. Superattendentem proficiscitur. Hic illi significat auditores ipsius ad vnum nudius tertius affuisse, ac dicam illi grandem impegisse, quod belgice garriat, quam ipsi linguam minime intelligentes, fructum ex illius concionibus reportent omnino nullum: ideoque summis precibus, per omniaque sacra petiisse & contendisse vt ipsum, dato alio aliquo concionatore magis accõmod a-

modato, loco deiiciat. Quamobrem hominem monet, vt si in Palatinatu verbi diuini præconem agere velit, ipsorum idioma per omnia imitatione exprimere connitatur.

Id fieri a se summo studio pastor omni asseueratione affirmat, & vt D. Superattendenti fidem faciat, suas illi conciones quasdam scriptis mandatas, legendas exhibet. Quibus quidem inspectis Superattendens inquit, tunc igitur homelias hasce perinde habuisti ad populum, vt literis consignatæ abs te sunt? Habui vero respondet Belga. Dispeream equidem si res secus, ac loquor, sese habeat. Mentiuntur rustici quam impudentissime, odio mei plus quam Vatiniano, Vatiniano autem? imo vero Satanico flagrantes, propterea quod ipsis inuitis & multum reluctantibus, præpositus sum, cum ipsi illiteratum istum ædituum, popularem suum maximopere peterent. Hinc nimirum illæ lachrymæ. Propterea sum ipsis vnguis, quod aiunt, in vlcere.

Kinthingerus purgatione illius acquiescens, satis sibi factum esse affirmat, iubetque vt domum sese referens, officium suum diligenter faciat, se quidem patrocinio suo nullo ipsi loco defuturum esse. Auctor præterea illi est, vt graviter in rusticos inuehatur, si quidem Bacchanalia ipsos, quæ iam instabant colere animaduertat.

Vt breue faciam, appetunt Dionysia stultorumque feriæ, quibus quidem rustici, tum laruati circumcursitant, tum noctes atque dies pergræcantur, tum inconditos clamores sustollunt, tum choreas ductitant, tum hastis concurrunt, tum nullum denique petulantiæ lasciuiæque genus prætermittunt, atque hæc quidem omnia eo audacius & impudentius patrant committuntque, quo ægrius ea acerbiusque pastorem ferre sentiunt.

Proinde

Proinde pastor acriter ipsos eo nomine pro publica concione corripiens, Bacchi seruos, & Epicuri de grege porcos, & insulsos asinos, & balatrones, & fungos denique stipitosq; nominat.

Id illi minime sibi ferendum rati, ad Superattendentem illico se conferunt, & dicam pastori suo odiosam molestamque scribunt, conceptis verbis dictitantes, se ipsum porro minime toleraturos.

Superattendens ergo ira nonnihil incensus inquit, tandemne igitur Belgam istum assequimini? Diu mehercule non est, cum vos ipsum minime intelligere & querebamini, & flagitabatis, vt munus illi ecclesiasticum abrogarem. Quod si tum eum intellexistis, cum vos, officii sui rationem ducens, ob Bacchanalia celebrata perstrinxit, feretis eum ac tolerabitis, rumpantur vt ilia vobis: & principi insuper mulctam numerabitis bene magnã, quod postposito illius edicto ac spreto Dionysia agitare non erubuistis. Wie? Verstehet jhr nu ewern Pfarhern: Sind es doch kaum viertzehen tage? daß jhr klagtet/jhr köndtet den Quatvogel vnnd Krumẽnzüngler nicht verstehen. Er were auch kein nutz/ ich solt jhnen abschaffen. Habt jhr jhnen dann verstangen/da er euch/vermöge seines Ampts/von wegen der gehaltenen Faßnacht/ vnnd allerhand geübter Leichtfertigkeit gestrafft hat/Ey so solt jhr jhn behalten/vnnd wanns euch ein leiden wer/vnnd der Teuffel wiß es euch danck/solt auch meinem Gnädigsten Churfürsten eine namhafftige Buß erlegen/ daß jhr seiner Churfürstlichen Gnaden Verbott zu wider Fartznacht mit Mummen/ fressen/ sauffen/tantzen/stechen/ꝛc. gehalten.

Rustici hunc ad modum depexi, cristas demittunt, ac tristes conturbatique domum remeantes cum pastore in gratiam redeunt, & illum non so-

lum amore & beneuolentia sua complecti, verum etiam cætera colere atque obseruare, omnibusque pietatis officiis prosequi incipiunt: cum hactenus quidem capitaliter ipsum odissent, ac nihil acerbitatum in illum prætermisissent.

Collectanea.

De Rusticorum improbitate peruersitateq;.

ἀδήλα.

Cum mare siccatur, cum Damon ad astra leuatur,
Tum Clero Laicus sidus amicus erit.

Erasmus in paraph. Mar. 1.

Nonnullis tutius est versari inter bestias cum Christo, quam inter Rusticos bestiis nocentiores.

Incerti auctoris.

Rustica gens est optima siens, sed pessima ridens,
Vngentem pungit, pungentem Rusticus ungit.

Hinc quidam nobili loco natus vir amicus noster de Rusticis pronunciare non dubitauit, esse ipsis pennas identidem incidendas, ne altius euolent. Man solt sie jeder weiln berupffen/auff daß sie bey der Erden blieben. Wie man alle drey Jar die Weiden behawet/ darmit sie nicht zu hoch wachsen. Memini & quendam magni nominis Theologum dicere, Rusticorum plerorumque omnium de lecto mane surgentium, hanc esse primam omnium curam & cogitationem quam suscipiant, quemadmodum nimirum eo die ciuem aliquem ac honoratum cordarumque hominem circumveniant ac dolis deludant suis. Wann fast ein jeder Baur deß morgens auffstünde/wer das sein erster gedanck vnnd sorge/ wie er deß tages einen Bürger oder sonst einen frommen redlichen Mann beru-

berucken / betriegen / verfortheilen vnnd beſcheiſſen möge. Darumb ſo weren Bawern Lauren.

Iidem in paruo, in paruo dico? imo vero in nullo diſcrimine ponunt, verumne ne iurent an falſum iuſiurandum: ideoque dicere minime omnium verentur, malle ſe iuſiurandum aliquod dare, quam effodere rapa, quod hic quidem commaculentur digiti, iſthic vero minime. Es were beſſer einen Eyd ſchweren / als Rüben graben / dan dort mit beſchiß oder beſudelt man die Finger

Iidem ituri cubitum, hac vti precat. uncula aſſolent,

Dreck vor mich / vnd Dreck hinder mich /
Wann der Teuffel kompt vnd wil mich holen / ſo
beſcheiſt er ſich.

Quid igitur vetat, quin exclamem?
Nulla fides pietaſq; viris qui Ruſtra ſequuntur.

Deſcriptio Ruſtici ex vetuſto codice.

Quid eſt Ruſticus?

Eſt delator coram principe:
In ciuitate vulpes:
In taberna leo:
In ſylua latro:
In campo fur:
Cum vxore porcus:
Inimicus Chriſti, & omnium nobilium.

Barbarus ſit, qui diu inter barbaros verſatur.

In eccleſia ſtultus & tanquam aſinus ad lyram doctus, ſonum ſuauitatis audiens & non intelligens.

Fidelem Ruſticum quis inueniet?

Nemo.

Ein frommer Bawer hat Haar auff r Zungen /
Es ſein die Alten oder Jungen.

Quid requiritur & desideratur in Rustico?

Vt sit fidelis.

Das wirdt er nimmermehr/
An jhm ist weder trew noch ehr.

Rustici sunt sine pi, sine pa, sine con, sine ve.

sunt sine pa sine pe sine pi sine po sine pu.

Sine pietate, sine pace, sine conscientia, sine veritate, mendaces, fallaces.

Laudo ergo Rusticum cum portant bis duo quintum

Es gfelt mir wol/vnd ist sehr fein/
Wann andere vier bannen sein/
So den fünfften tragen zum grab/
Vnd helffen jhm zur Helln hinab.

Anonymus.

Rusticus ante sui delator principis ora,
Callidus accedens mœnia vulpe magis.
Ceu leo bile furit nimio calefactus Lacho
Coniuge cum viuit detertorq; sue.
In viridi sylua latronum more vagatur,
In campo titulum furis & ille gerit.
Persequitur Christi peruersa mente ministros
In sacris prorsus nil rationis habens.
Attamen inter eos stolidorum nomen agentes
Pectoris excellit calliditate sui.

Ein Bawer beym Fürst verrathen ist/
Vnd in der Stadt voll reinckens list.
Im Krug nicht anderst wie ein Law/
Vnd wie ein Schwein bey seiner Fraw.
Im Holtz ein Mörder grimmiglich/
Im Feld ein Dieb gantz sichtiglich/
Ein Feind den Diener seiner Pfarr/
Vnd in der Kirchen gar ein Narr.

Doch

Doch wil er in der Narren zahl
Der beste sein gantz vber all.

CXXVI. De nautis eiicientibus Monachum in tempestate, cui confessi fuerant.

Cvm tumida horrisonis insurgeret vnda procellis,
Et maris in lassam ferueret ira ratem.
Religio timidis illabitur anxia nautis,
Heu parat, exclamant, hoc, mala vita, malum.
Vectores inter Monachus fuit, huius in aurem
Se properant vitiis exonerare suis.
Ast vbi senserunt nihilo sibi mitius aquor,
Sed rapido puppim vix superesse freto.
Quid mirum est, ait vnus, aqua si vix ratis extat,
Nostrorum scelerum pondere adhuc premitur.
Quin Monachum hunc, in quem culpas exhausimus omnes,
Eiicite, & secum hinc crimina nostra ferat.
Dicta probant, rapiuntque virum, simul in mare torquent,
Et lintrem leuius, quam prius isse ferunt.
Hinc hinc quam grauis est peccati sarcina disce,
Cuius non potuit pondera ferre ratis.

Thomas Morus.

CXXVII. De Ioanne Neuthio fatuo quodam Hasso.

ABtenrodæ, pago diœcesis Beilsteinianæ in Cattis primario Ioannem quendam Neuthium nouimus, hominem vecordissimum & plane fatuum. Is imbribus aliquando maximis Honam stipis colligendæ gratia profectus, per medium profundumque cænum incedit, tramite recto ac minus lutoso, de industria posthabito atque relicto. Hunc rusticus quidam mirum in modum cerebrosus, obiurgans, ex luto facessere, ac rectam inire viam iubet, allata caussa, cœno ipsum inambulãdo

calceis suis male consulere, totosque ipsos perdere. Cui fatuus extemplo respondet, an te fugit vir bone illud vetustate contritum prouerbium? Stultitia est venatum ducere inuitos canes? Equidem non mea sponte ac voluntate, sed inuitus, atque adeo coactus a meo patre, mendicatum foras nũc me do. Annon cedo quæso oportuit ipsum, hac tam lubrica lutulentaque via, & hoc tam tempestuoso cœlo, quo nemo, vir bonus vel canem extruderet, nostri habere rationem? Faciam igitur vt intelligat, quid sit, inuitos boues inducere plaustro. Quod enim ad calceamenta hæc attinet, non peribunt ea mihi, sed patri, cuius illa sunt. Illi illi inquam luditur hic ludus. In ipso cuditur hæc faba. Quamobrem isthæc inambulatio non est mihi, sed patri meo fraudi futura. De ipsius capite aguntur iam comitia. Is quippe sua mihi calceamina commodauit Es gehet mir nicht zu Schaden / sondern meinem Vatter / dessen die Schuhe sind. Zu eines andern Ohr ist zu schneiden / wie in einen Filtzhut.

CXXVIII. De eodem.

Idem diebus non ita multo post, in grauem incidebat ancipitemque morbum, quo item periit. Pater igitur perspiciens spem salutis ipsius præcisam esse plane omnem, imo vero agere illum iam tum animam, author illi fuit, vt & peccata sua deploraret, & eorum veniam à Deo Optim. Max exposceret, & se totum illius diuinæ voluntati committeret. Atqui tantum abest, vt fatuus parentis dicto audiens fuerit, vt hanc potius ipsius cohortationem vili pendens floccique, has continuo in voces eruperit. Volo te mi pater, si mihi quid humanitus acciderit, puellis Honensibus salutem meis verbis dicere plurimam, ac omnia fausta precari. Cum enim eleemosynas liberaliter mihi sem-

per

per prolixeque suppeditauerunt, tum vero in summo me honore habuerunt atque pretio. Enimuero admodum sunt & amabiles, & speciosæ, & affabiles, & honestæ, & ab omni denique fastu superbiaque alienæ atque remotæ. Proinde dignas eas iudico, quarum quidem vel hoc tristissimo meo tempore rationem habeam atq; respectum. Caue ergo committas, hæc tibi per obliuionem ex animo effluant, vergessets ja nicht. De puellis autem pagi N.N. qui sit sensus noster, ex matre tu mea cognosces. Quid quæris? octiduum est eoq; amplius, cum ipsa blanditiis me suis in horreum quoddam suum allexerunt, eoque occluso, mihi pecuniæ vim non contemnendam numerarunt (contribuerant autem singulę obolos quattuor) vt sibi penem meũ ostenderem. Etsi vero numulis istis acceptis recepi me hoc illis gratificaturum, promissis tamen minime steti, pudore vtiq; absterritus atq; verecundia, sed horrei valuis retrusis atq; apertis, in pedes me quantum potui, conieci, atque hoc quidem pacto coruos istos hiantes delusi, eaque ex re incredibilem cepi animo voluptatem. Has tu igitur recelliclunias (ecquis enim sanæ mentis puellas pudicas dixerit?) minime à nobis saluere iubebis, sed mentem ipsis meliorem precabere. His dictis miser ille animam efflauit, è vitaque excessit. Quis hic vero non dicat, stultum istum hac quidem in parte inuerecundis istis salacibusque puellis vel scortillis potius, & sapientiorem, & castiorem fuisse?

Terentius in Andria.

Act. 4. Scen. 4.

Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix.

Cicero lib. 2. de finibus circa finem.

Moderator cupiditatis est pudor. Idem.

Idem.

Verecundia custos est omnium virtutum dedecus fugiens, laudemque maxime consequens.

Idem.

Sine verecundia nihil rectum esse potest, nihil honestum.

Idem.

Maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam.

Ausonius.

Quæ dos matronis pulcherrima? Vita pudica.
Quæ casta est? de qua mentiri fama veretur.

Euripides in Medea.

ἥ μεγιστῶν ἐν ἀνδρώποις νόσων πάσων ἀναίδεια.

Maximum illorum quæ sunt inter homines vitiorum omnium impudentia est.

CXXIX. De adolescente quodam patritio, & puella rustica.

Bebel II, 146 147

ADolescens quidam patritius, Venationem cum famulitio suo obiturus, forte fortuna in puellam rusticam, asinam pastum agentem incidit. Quod vero hæc lento admodum gradu procederet, intentis oculis ipsam intuitus, animadvertit perpulcram elegantemque esse Itaque hanc in rationem illam alloquitur. Egregia tu quidem forma es prædita: at vero incessus iste tuus tardior satis arguit superque, te perquam pigram esse atque ignauam. Proinde digna fores, cui quidem veternus iste, futuitione bene larga, excuteretur. Vix effatus hæc fuerat adolescens, ecce tibi, nympha rustica, præmeditatione vsa plane nulla, ex tempore illi respondet. Eane igitur res cedo quæso Domine

mine puellas alacriores, & ad quæcunque negotia conficienda expeditiores, magisque gnauas reddit? Reddit vero, inquit adolescens patritius, qui item eras scortator insignis atque adeo semitarius. Eo puella responso accepto, infit, fac igitur asinam hanc meam subagites, qua nihil ne fingi quidem potest desidiosius. Huic adolescens rubore suffusus, respondet, næ tu festiuum mihi atque adeo cõueniens tesponsum dedisti, du hast mich warlich redlich bezahlet/ hisque dictis missam ipsam fecit.

Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet ipse.

Gut grus/ gut antwort.

Wie man in den Walt rufft / so schalt es wider herauß.

CL. De opilione quodam & matrona nobili pedisse qua.

HAbebat matrona quædam nobilis puellam in gynæceo suo, illam quidam ruri cum natam, tum eductam, sed quæ esset neque moribus agrestibus imbuta, & eximia forma prædita, & rei deniq; familiaris administrandæ ita gnara, ipsi vt matrona prouinciam promendi condendi, tum cibi, tum potus, dare, minime omnium dubitaret. Hanc Scriba herilis efflictim & deperibat, & totus eam incumbebat in curam & cogitationem, quemadmodum cum ipsa consuescere aliquando, stuprumque facere posset. Ne multa, euenit vt nobilis cum vxore, & liberis, & familia propemodum omni ad socerum suum bacchanaliorum caussa celebrandorum proficisceretur, domi tum scriba, tum culinario, tum bubulco, tum puella etiam ea, quam diximus, relictis. Proinde Scriba omnibus lætitiis incedens, nihil sibi ad summam diligentiam prætermittendum existimauit, quo pudicitiam ipsius expuguet. Quid multa? ne voto hoc suo inhoneſto

BIBLIOTHEK MUSEUM FÜR VOLKSKUNDE WIEN

non potiatur, cum nullis parcit sumptibus, tum miras verborum blanditias illecebrasque adhibet, tum iure se etiam iurando obstringit, ducturum ipsam in matrimonium, si quidem concubitum non abnuat atq; recuset. Atque his quidem machinamentis eam ad extremum expugnat, vincitque.

Ne longum faciam: cæpit illi non ita multo post vterus intumescere. Id animaduertens hera, quærit ex ipsa, eccunde vterum gerat? Scriba vero tuus me cõpressit, quo tu tempore cum hero meo, & filiis Dionysia apud patrem tuum celebrasti, vitiata virgo respondet. Ne enim me non suam in nassam pertraheret concubitumque impetraret, cum sancte iurauit sancteque se vxorem me ducturum, tum vero, vt ei rei fidem faceret hunc annulũ nobis suum, veluti arrham dedit. Quo matrona nobilis cognito, rem omnem ad maritum suũ defert. Is Scribam extemplo accersit, & num perdissequam constuprasset, eique matrimonii fidem dedisset, rogat. Id esse abs se factum ille pernegat. Pedissequa contra, & annulo ipsius sibi dato, & aliis item argumentis non paucis, iisque euidentissimis stupri sibi illati ipsum conuincit.

Quod igitur nobilis matrimonium inire illum cum vitiata puella iuberet, idq; vt faceret maximopere vrgeret, Scriba se ad illud contrahendum carcerib. coactũ iri haud obscure perspiciens, secessum ab hero petit, vt rem recta secum via reputet, eoque impetrato, fuga sibi illico consulit, atque hoc quidem pacto connubium istud deuitat ac effugit.

Id vbi matronæ nunciatum fuit, iubet meretriculam sarcinulis collectis, arcem cuestigio purgare. Quod autem moram illa ad decedendum faceret ac interponeret aliquanto longiorem, hera stomacho iracundiaque efferuescens, arrepta furca probe ipsam dedolat, ex arceque sua exturbat.

Hic

Hic quid faceret misera? spes præcisa erat illi plane omnis, futurum, vt ab amasio suo in matrimonium duceretur. Quamobrem, vt ne sibi ipsi desit, ad præsepia pristina redit, hoc est, ad matrem viduam, anumque pauperculam se recipit, inibiq; atrũ panem ex hesterno iure deuorat. Vbi quidem cum menses circiter quattuor confeciſſet, & bonis dentibus mauducasset non ita bene, hoc est, vt explicatius loquar, strenue esuriisset strenueque, scitum venustumque puerum in lucem edit.

Vt igitur esset, vnde & sibi, & filiolo suo victus suppeditaret, à suis vicanis enixe atq; adeo per omnia sacra contendit, sibi vt partes pascendi anseres darent. Hi illius commiseratione fracti, hanc ei personam imponunt. Ingruente vero iam autumno, euenit vt algens pruina decideret, quæ vuas multum affligebat, affligebat autem? imo vero perdebat funditus. Hic cum misera pedibus nuda anseres pastum ageret, euenit, vt illi frigore pedes rubescerent toti.

Id conspicatus opilio, stupri plenus nebulo, his quidem verbis non sine risu sardonio miseræ isti insultat. Papæ Agatha, tune hoc tanto frigore discalceata in publicum prouolas, sub dioque versaris? Vide vt gelu tibi pedes & rubeant, & rigeant? Quin & membrum tibi genitale nunc frigeat, dubitari mehercule non potest. Toties tu nunc partim à me, partim ab aliis ad stuprum sollicitata annuisti nunquam, allata caussa, semel tibi fucum à perfidioso quodam scriba esse factum. Itaque minime te commissuram, vt alius tibi quispiam in posterum verba det, comamque circumtondeat. Dispeream equidem si congredi tecum in præsentia cordi mihi sit; vt maxime nunc me prouocares, obuiisque vlnis adimtteres, minime tamen morem tibi gererem. Phy ecquis nunc con-

consuescere tecum vsquequaque algente studeat? Quid cedo quæso esset panes calidos in furnum frigidum immittere, hoc quidem si non esset?

Eo audito misera ista quærit, tune igitur salacissime nebulo nõ nisi naturis calidis caperis gaudesque. Eas vero solas equidem in delitiis habeo, frigidioribus istis spretis & repudiatis, respondet ille. Quid quæris? eloquutus vix hæc erat nebulo, aut ne vix quidem, his ipsa verbis os illi impudens obturat, linguamque scelestem intercludit. Fac ergo cum capra aliqua stuprum facias. Quin huic enim natura sit feruida, dubitari vtique non potest, quod cauda naturam suam minime claudens tegensue, solis eam ardori calfaciendam perpetuo exponat.

Hoc ille responso accepto, demissis auriculis, quod est in prouerbio discedit, ac missam ipsam facit. Quod vero à turba astente, & risu propemodum corruente exsibilaretur totus & explodereretur, in illam posthac non amplius, ita vti facere cõsueuerat, insultat, contumeliamue vllam iacit.

Homerus Iliade 2,

ὁπποῖον δ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖον δ' ἐπακούσαις.

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipse.

Hesiodus.

εἴ δὲ κακὸν εἴποις τάχα κ' αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις.

Fors male dicenti, dicentur plura vicissim.

Plautus in Persa.

Referundæ ego habeo linguam natam gratia,
Eodem mihi pretio sal perhibetur, quo tibi,
Nisi me hæc defendet, nunquam linget salem

Quintilianus.

Nec male respondit, male enim prior ille rogarat.

Plau-

Plautus.

Contumeliam si dices, audies.

Prouerbium.

Vt salutabis, ita & resalutaberis.

Gut gruß/gut antwort.

CLI. De puella quadam rustica, & opilione adolescentulo.

RVstico cuidam locupleti & pecunioso filia vnica erat, satis, pro re nata, elegans atque speciosa. Hanc opilionis cuiuspiam honesti filius, honestus & ipse ac minime deformis adolescens, adamabat. Quod autem explicatum illi esset, se quoque puellæ in amoribus esse, atque adeo in medullis visceribusque hærere, minime sibi committendum putauit, sibi vt ipse deesset. Idcirco legitime illam, hominum idoneorum opera vsus, ambit, in matrimonium sibi collocari postulat.

Atqui repulsam patitur, ipsaque excidit, rustico tumido superboque ore respondente, vnicam sibi filiam esse, eamque cum egregia forma, tum dote etiam atque re familiari, lauta, quam egenti sit alicui & sordido opilioni haudquaquam nuptum daturus.

Hanc istius repulsam multo patiebatur indignius puella ipsa, quam adolescentulus, quippe quæ incredibili ipsius amore æstuans, nubere illi in omnes partes gestiret. Itaque de repulsa ista noctes atque dies cum apud parentes suos, tum horum etiam cognatos deplorabat atque conquerebatur, ab ipsisque summo petebat opere, vt adolescentulo isti nuptui se collocarent. At surdis narrabat fabulam. Ipsa igitur nihil de suo erga illum amore beneuolentiaque remittens, quotidie ei, seu coram, seu per famulam, cum salutem dicebat, tum bonam

bonam sui aliquando potiundæ spem faciebat? Quid quod paucos etiam dies præterlabi pateretur, quibus quidem vel domi ipsius, vel ruri certe in collocutionem cum illo non veniret, vt quæ per alios illi significasset & promisisset, ipsa coram & viua voce confirmaret?

Verum quid fit? festo quodam die, cum ipsa perpulchre compta & ornata, ruri eum interuiseret, & sola cum solo iam esset, opilio nunc illi in collum inuadere, nunc oscula figere, nunc eam quam amãtissime comprehendere, ad extremumq; de stupro sollicitare. Sed illi aliquandiu ipsa, manib. pedibusque reluctari & complexum venereum abnuere voluit. At vero cum nullum ille rogandi neq; modum, neque finem faceret, & sibi insuper veruecem totius gregis longe omnium optimũ præmii mercedisq; loco polliceretur, expugnata tandem ipsius precibus & victa, annuit, moremque illi gerit. Vbi ergo opilio diu sese cum illa multumque oblectasset, veruecem bona fide ei tradit.

Quo illa accepta ait, quid vero pater est meus dicturus, veruecem hunc quidem domum si adduxero? Næ illi illico incidet suspectio, à te mihi donatum eum esse, eaque re cum dono isto me tuo foras quatiet. Quod quidem, vt ne vsu mihi veniat, eodem tu illum modo, quod sine molestia incommodoque tuo facere possis, redimes, quo ego ipsum non ita pridem lucrata promeritaque sum. Quid quæris? ist hunc laborem opilio haud repugnanter, sed magna voluntate, ardentiq; studio & suscipiens & exantlans, cum ipsam probe exercet probeque, tum ita depexam ad patrẽ remittit, tum vero veruecem suum recuperat. Quod autem puellæ nõ ita multo post vterus intumesceret, parentes ea re animaduersa, ipsam nolẽtes volentes inopi isti putidoque opilioni (vti ipsum nominabant) in matrimonium collocare cogebantur.

Syracides cap.22.v.4.5.

Filia prudens facile elocatur, ac filia parum proba à procis negligitur & contristat patrem suum.

Et quæ ferocula est, cum patri, tum & marito ignominiæ est, exosa quoque vtrique.

Idem cap.26.v.13.14.15.

Si filia tua parum verecunda est, preme eam imperio, ne nimium libera indulgeat cupiditatibus suis.

Si animaduerteris quod circumspectat petulanter, attentus obserua eam. Sin autem id neglexeris, & ipsa interim peccarit contra te, noli mirari.

Nam sicut viator in æstu sitiens, anhelat, & bibit aquã vndeuis obuiam, & in quouis ligno quiescere captat, ita & illa quicquid affertur, accipit.

Plautus in Epidico Act.2.Sce.3.

Non nimis potest
Pudicitiam quisquam seruare suæ filiæ.

CLI. De rustici cuiusd. in diuitis filia & seruulo. 152

MEmini me puero rusticum quendam opulentum copiosumque ad patrem meum venire, & partim conqueri, partim stomachari, quod filiæ suæ, quæ sibi viduo hactenus rem familiarẽ administrasset feliciter, famulus suus non solũ stuprum intulisset, verũ ducere etiam ipsam insuper vxorẽ, omnino cogitaret, in animoq; haberet. Hæc est res mihi, inquit, cum magno stomacho, tum incredibili ẽ dolori. Vt te scelestum seruũ omnes dii deæq; auertruncent perdantq;. Er sagt: Lieber Herr Pfarherr soll ich euch nit klagen? Hat doch mein Knecht meine Tochter beschlaffen vnd geschwängert/ vnnd darff

darff mir der Schelm / welches mich am vbelsten verdreuſt/noch dazu zu muthen / daß ich jhm dieſelbige geben ſoll. Ach daß dich die Raben muſſen freſſen.

Huius fortunam parens meus miſeratus, hanc illi in rationem reſpondet. Dignus eſt odio ſeruulus iſte tuus, cum quidem gnatam tuam compreſſerit vitiaritque. At vero quod vitiatam minime deſerere aut repudiare cogitet, nec id flagitium abs ſe commiſſum eſſe inficias eat, id quod multi nebulones facere non erubeſcunt, hoc quidem certe in laude ego poſuerim, eaque ipſum re amore eſſe dignum pronunciauerim. Fac igitur, per fortunas, ad lenitatem te des, tuamque illi gnatam in matrimonium colloces. Sæpe ex iniuria poſtmodum gratia orta eſt.

Quid? reſpondet ille, egone laſtauro iſti, qui tantam familiæ noſtræ maculam inuſſit, filiam meam nuptum dem? Id quidem, vt faciam imperare mihi non poſſum. Tune id mihi author es? Dii vero meliora: mori me malim. Wolt jhr mich das heiſſen / daß ich dem meine Tochter geben ſoll/ der mir ſie geſchendet hat? Bey leibe nicht/das thu ich nimmermehr, das werd ich wol laſſen.

Author vero ſuaſorque tibi ſum, inquit paſtor, idipſum quidem vt facias. Ecquem tu enim cedo quæſo ita deſipientem futurum autumas, vt filiam iſtam tuam, primum quidem conſtupratam ab alio, deinde vero, quod caput eſt, habentem ſpuriũ, matrimonio ſibi iungat? Caue id putes. Et vt tu maxime elocare illam nemini velis, ſed domi tuæ cum nepote notho alere, filii tamen idipſum tui generique haudquaquam patientur, ſed vim illi adhibebunt, adque adeo eam aut capillo conſcindent, aut fuſte certe ex ædibus exturbabunt tuis. Quamobrem facies, quod te oro, vt mentem tuam ad le-

ad lenitatem reuocans, nobis auſcultes, tuamque filiam famulo iſti tuo, inſtabili certoque matrimonio loces. His igitur idque genus complurib⁹ alijs verbis parens meus ipſum de ſtolida iſta ſententia ſua deduxit, ita quidem, vt fidem daret, ipſi ſe gnatam ſuam in matrimonium collocaturum.

Proinde parens meus, cum eccleſiæ ſuæ Seniores, tum conſtupratæ puellæ fratres ſororesq́, tum verò ſeruium virginitatis corruptorem, ad ſe accerſit, atque hunc quidem, ipſorum in conſeſſu, non modò duro objurgat brachio, Ioſephi exemplo (Gen. 39.) diu ipſi multumq́ inculcato, ſed & calcaria illi admouet, vt & à futuro ſuo ſocero, & ab huius filijs generisq́ culpam, ad pedes ipſorum ſtratus deprecaretur. Id quod & ille paſtori ſuo ob ſecundans, iſtorum cauſa placandorum, ſine vlla recuſatione exequitur.

Quum autem conſtruprata puella, poſtridie cõſimili fuiſſet accepta & tractata modo, inſequente die dominica, de voluntate atque ſententia magiſtratus, tam politici, quam eccleſiaſtici, in eccleſia, præeunte publica pœnitentia, famulo fuit iſti paterno, quo cum diu multumq́ conſueuerat, rectè atque ratione juncta & copulata.

Seneca.

Æger animus ſemper errat.

ἀσθᾶλου.

Et miſeros tum ſpe conſiliumq́ fugit.

CLIII. σχε διάσμα de Halece.

Ad ampliſſimum doctrina & eruditione clariſſ. virum, Dn. M. Tilemannum Friſium, I. C. Reipubl. Gottingenſis conſulem, dominum & patronum omni obſeruantiæ ſtudio humiliter colendum.

HAlecis formam inſolitam ſi lumine cernis,
Mente Dei trutinæ omnipotentis opus.
Huic etenim certa eſt, quæ vult, præſtare poteſtas,
Biblica ceu quemuis plurima facta docent.
Hic veluti muros Iordanem vndasq; marinas
Suſpendit, Solis detinuitq; rotam:
Hic petrâ latices verbo produxit, & ignis
Amiſit vires hoc cohibente ſuas:
Hic etiam (mihi crede) notis miraq; figurâ
Æquorei piſcis pinxit vtrumq; latus.
Et quoniam Chriſtus prædixit, in æquore ſigna
Extremum fuerint quod præitura diem:
Quis niſi mentis inops piſcem ſignum eſſe negabit,
Quem Nereus aluit Balthicus ipſe ſinu?
Si dubitas, ad quos populos ſed præco marinus
Sit miſſus, pontum conſule, certus eris.
Protulit Oceanus piſcem non Indicus, aut qui
Europam atq; Afros limite ritè ſecat.
Balthicus hunc Nereus, quod dicunt, miſit in hamos,
Hinc quoque præcipuè Balthica regna monet.
In quibus & floret populoſum Suecia regnum,
Suecia iam variis nobilitata modis.
Dum lento Danos tolerat luctata duello,
Defenditq; ſuum viribus vſa decus.
Hæc eadem (ſi ſparſa fidem iam fama meretur)
Aſſociare ſibi regna Polona cupit.
Sed cum ſit proprio ſanguis cum ſanguine diſcors;
Terraq; Sarmatia iam duo ſceptra legat:
Vix aberit, dirum quin ſit, Bellona flagellum
Arrepturæ ferox perque ſalum atque ſolum.

Ra ſor-

Ranaq; dum stultè pugnat cum mure Polono
Suecia, nos veluti fabula nota docet,
Milvius Eous rostro mox tundet vtrumq;
Arctous ve cutem dilaniabit eis.
Inquiat hic duro Germanus protinus ore,
Nil piscis nobis omina dira nocent!
Si modò sustineant alio sub sole iacentes
Vim martis terræ, certè ego curo nihil!
Cur miserer certo viduatos Rege Polonos,
Cur animum moueat gens peregrina meum?
Per me profundant per mutua vulnera vitam,
Et pugnent regnis regna, virisq; viri!
Sic ait. Anticyra at si mens non indiget, aures
Arrigat, & memori singula mente notet.
Ah res nostra agitur, paries cum proximus ardet;
Quacunq; is nobis sit quoq; parte situs.
Et neglecta solent incendia sumere vires,
Extinctis grauis est Mulciberisq; furor.
Insuper, hic piscis cum conuertatur in escam
Totius Europæ, non ratione caret.
Quos libet Europæ populos imò admonet ipsâ
Formâ, squamigero vox quia nulla gregi.
Vt vitiis positis mox mox resipiscere discant,
Iustitiam & sanctâ cum pietate colant.
Ad sanam studeat mentem sin nemo redire;
Hauriet Europam funditus ira Dei.
Vos quoq; Damenij & Romani pessima Papæ
Mancipia, alloquitur piscis hic æquoreus.
Est etenim vester Martyr, dum ventre quotannis
Quilibet ex vobis millia multa coquit.
Ipse quidem vobis, equitatus Gallia nostri
Fraude licet victrix gaudia parua feret.
Ponite lætitiæ metam, non ante triumphum
Vesana (moneo) voce sonetis io.
Quid possint humiles armis perpendite primum,
Ceu vos Schenckiades, Bonnaq; capta docet.

Credite quod ſuibus poſſint pugnare Leones
Et mulis cedat non generoſus equus.
Inclyta Ruta ſuis non cedat viribus vnquam
Floribus, hi fuerint Lilia pulcra licet.
Danubius velox, Albis, Rhenusq; bicornis
Æquiparent fluvios, diues Ibere tuos,
Quodq; Ligam veſtram, haud ſanctam, ſed ſanguine (plenam
Sit vere Sancto ſoluere perfacile.
Nam dum Lamēchides, dum Lothus viuet in oris
Teutonicis, pœnas differet vſque Deus.
Qui cupit ergo grauem telam vitam malorum
Æmulus hic Lothi, ſit pietate Noa.

ΘΕΟΣΦΩΝΟΣ.

O perdocte ſenex, vrbis prudentia, Conſul,
Hiſtoria & Themidis gloria lausq; ſacra
Ardua Latius adum ſpes & tutela Sororum
Vt placide inſpicias hoc ſchediaſma rogo,
Tu ſemper patria complectere mente clientem,
Quo laudes celebret magne Patrone, tuas.
Sic tibi, ſic domusq; tua det proſpera Chriſtus,
Sic vitæ ſeries tota ſit alba, Vale.

Baſilius Michaelius.

CLIV. *De Nobili quodam Germano & poetaſtro Gallo.*

QVidam germanicæ Nobilitatis, & forma elegantı, & procera ſtatura, & ſumma virtute, adoleſcens in Franciſci primi, Galliarum regis potentiſſimi familiam olim ſe dabat, eique fidem integritateque ſuam ſic probabat, vt Rex ipſum non ſolum diligeret, ſed & amaret, amaret autem, imo vero in oculis ferret ac iudicaret digniſſimum, quem quidem cum omnium rerum affluentibus copiis augeret, tum in ampliſſimo dignitatis gradu collocaret, tum vero pletisq; omnibus ſuæ gentis hominibus præferret, ac faceret ſane plurimi.

Fere-

Ferebant idipsum Galli ita acerbe, vt nihil supra. Quid queris? erat ipsis Germanus ille eques, vnguis omnino, quod aiunt, in oculis, angue illum & cane peius, dissimulanter tamen, oderant, quod ipse & homo aduentitius, & germanus, sibi anteponeretur, iisque rebus adhiberetur administrandis, ad quas sibi ne aspirare quidem liceret. Etsi vero illum non solum ex Galiis, verum ex finitimis etiam humanæ naturæ exterminatum, atque adeo infra omnes mortuos amandatum exoptabant, nemo tamen quisquam illum vel verbo, vel ferro lacessere, vel quoquo denique modo violare audebat. Quod constaret inter omnes, cum magna esse ipsum apud Regem in gratia, cum vero incredibili quodam animi robore septum, ita quidem, vt nemo illi, nisi magno suo malo, certoque interitu, insultare posset. Ad extremum tamen scurra quidam prodiit, qui quidem, ne aliqua illi ex parte non noceret, oppederetve, subsequens carmē, nomine suo suppressо & tecto, domicilii ipsius januæ affixit:

O pulcrum montem, qui te spectaret ex alto
Suspensum, & coruis, vulturibusq; datum.

Quod nobilis ille germanus, literis & ipse egregie excultus, legens, tantum abest, vt stomacho iracundiaque exarserit, vt ridenti potius ore dixerit, præstat esse inuidiosum, quam miserabilem. Regium est, bene cum feceris, male vt audias.

Allatum porro de eo fuit ad regem, qui grauiter idipsum moleste que ferens, diligenter in poetastrum istum studioseque inquirendum curauit. At vero summa etiam cura & diligentia adhibita, propositisq; magnis premiis, inuenire nebulonem, vt in ipsum exemplum statueret, minime omnium potuit. Hæc habeo ex relatione Ioannis Schimmelpfengii, pastoris ecclesiæ Eschuicensis olim primarii, aui, benedicti memoriæ, materni mei, qui

per id tempus Lutetię Parrhisiorum, doctrinæ vberioris percipiendæ causa, æta em egit, inibique à Iacobo Strasselio Græcæ linguæ professore, magisterii fuit insignibus redimitus.

Cicero.

Est huius seculi labes quædam & macula, Virtuti inuidere.

Salustius.

Meminisse debemus post gloriam inuidiam sequi.

Idem.

Plerumq; ex opulentia inuidia oritur.

Valerius Max. lib. 4. c. 7.

Nulla tam modesta felicitas est, quæ maliguitatis dentes evitare possit.

Augustinus de verbis Domini super Matthæum.

Inuidia est filia superbiæ, sed ista mater superbia nescit esse sterilis. Vbi fuerit, continuò pariet; Suffoca matrem, & non erit filia.

ἀδήλως.

Inuidus inuidia comburitur intus & extra.

Martialis lib. 1. Epig.

Omnibus inuideas, inuide, nemo tibi.

Tibullus lib. 4. Eleg. 1.

Nil opus inuidia est, procul absit gloria vulgi,
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

Inuidiæ descriptio ex libro 2. Metamorph. Ouid.

Pallor in ore sedet macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, liuent rabigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest, nisi quem visi mouere dolores,
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabescitq; videndo.

Suc-

Successus hominum, carpitq; & carpitur vnâ,
Supplicium q; suum est.

Et paulò post:

Vixque tenet lachrymas, quia nil lachrymabile videt.

Iohannes Posthius.

Inuidiæ pictura docet tristissima, quàm sit
Tormentum vehemens inuidus ipse sibi.

ἀδήλα.

Inuidia pessimum quid est, habet tamen in se aliquid boni, nam consumit inuidentium oculos & cor.

Horatius.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Idem.

Inuidus alterius rebus macrescit opimis.

D. Basilius.

Inuidia est dolor ex proximi commodo prouenies, quæ sicut rubigo ferrum, ita animum hominis, vbi insita est, consumit.

FINIS.

Quaterin Reg. 663.
Liber Gestorum. Fol. pr. 666,

ein Pfarrer Schuld ein Haar ist Bäume
Aufsatz, die alt gnug sind, zum Nutzen
stehen. Auch darauf einige Acker, die
alten, gaben darauf, wie die Bauern
über den Pfarrer darüber an sich, wie
sie einen Eid leisten auf Schadgrabung?
Darauf Antwort. Schadgrabung
sei sie auf ganz gut Rubel, sagt der
Flügel, aber soll auf den Rauhel, und
glaubt sie ein festen Verbalinch, der
Zehngraben ganz voll in Sinkstraten.

Ordne scorto pede tortoposa reporto.

Item ein Mezgen Letten der Pfründherrn auf
einen Platz.

Ufgemelten sollen einen Rechten, welchen
Weg sollen vergnügen, so auf die Pfründhäuser
Acker-Fahrung. gehet / S. D. ein Weg gemacht

III 105, n° 72

Saltsmann III 175

lo tuo papa nro. H. et antistite
H. et rege nro. H. et omnibus
doris atq; catholice et apostol
reicultoribus (A) emeto
mulorum famulaq;

10.181



non modo risum commovebat omnibus assidentibus, sed & væsanam istam *Thurneusseri* in prædicendis cujusquemodi hominum variis casibus audaciam & confidentiam falsè admodum perstringebat ac recitabat.

DXLIII. *De D. Georgio Majore.*

CIrcumferebatur olim cantiuncula quædam tribus vocibus incerto auctore composita: **Der Hund lag in der Wiegen/da bissen jhn die Fliegen/ da stund er wider auff/ &c.** Hanc cùm quidam D. *Doctoris* convictores concinne admodum ac suaviter modularentur, in has ille voces erupit: **Der Hund ist gut/es habe jhn gemacht/wer da wölle/** jussitque eam iterum atque iterum repeti.

DXLIV. De *Philippo Melanchthone*, & D. D. *Paulo Ebero.*

P*Aulus Eberus* cùm filiolo auctus aliquando esset, famulo suo mandabat, ut hoc ipsum D. *Philippo* significaret. Persuasum namque habebat, eum nuncium *Philippo* haud ingratum fore. Cùm igitur famulus herile mandatũ exhauriens idipsum *Melãchthoni* indicaret; Gaudeo equidem, inquit, quod cõmater nostra *Lucina* bene propitia istud ventris sui onus deposuerit, ac virum suum venusto filio auxerit. Faxit DEUS OPT. MAX. ut superstes ille sit, ad suique nominis gloriam educetur. Cæterùm id mihi perquam admirandum accidit, homuncionem hunc corpore minùs firmo ac robusto præditum, tot liberis procreandis nihilo secius sufficere, jubetque dein famulo, ut *Ebero* suis verbis plurimũ gratuletur, ac omnia illi fausta atque felicia comprecetur. Famulus ergo domum reversus, cum *Ebero* gratulatur, tum istum etiam D. *Philippi* sermonem narrat atque exponit. Quo audito D. *Eberus* hanc in rationem respondet: Vah, hoccine admiratione est dignum? An *Dominus Præceptor* nescius est atque